ALPHONSI

TOSTATI

HISPANI,

ABVLENSIS

EPISCOPI,

Philosophi, Theologi, ac Pontificij Iuris Cæsareiq; consultissimi, nec non linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritissimi,

OPERVM

TOMI III. PARS ALTERA.

CONTINENS

COMMENTARIA IN DEVTERONOMIVM.

Nunc primùm in Germania post Venetas impressiones diligentissimè in lucem edita.

PERMISSV

SVPERIORVM.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, & Antonij Hierati.
ANNO M. DC. XIII.



ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS;

COMMENTARIORVM IN DEVTERONOMIVM

PRAEFATIO.

DEmonstrauit Legislator historias populi Dei per vastas deserti solitudines vagantis, & ad terræ promissę terminos accedentis, hucusque pręceptorum multiplicitatem interserens, prout locorũ, & temporum necessitas exigebat. Post hoc autem currentis tẽporis historia nulla sequitur, nisi de Iordanis transitu, & acquisitione, & diuisione terræ sanctæ. De quibus in libro Iosue perfecte historia texitur. Sed quia hic Legislator morte sua populum relicturus erat, decuit in vitę termino illos salubri admonitione imbuere, quos magis quàm vitam propriã diligebat, vt clarissimis innotuit argumentis. Vltimũ ergo vale faciens populo sibi commisso totius Legis præcepta ingeminat, vt melius, & profundius, atq; tenacius eorum memorrijs imprimantur. Conscribit ergo eis Deuteronomium legis huius, in quo totius legis obseruantiæ ponuntur ad plenum: ideo licet alios quatuor ipse cõscripserit, hunc solum omnibus eis præponit tanquam tantum, & amplius, quantum illi omnes, continens in virtute: & sic hunc mandat memoriter retineri, vt patet per totum, & maximè infra 4. c. Hunc etiã coram nouiter regni sedem intrantibus legi iubet, vt discant timere Deum, vt habetur infra 17. c. Hunc etiam post quos libet septẽ annos remissionis anno, coram toto populo legi imperat, vt legis Dei doctrinam suscipiant salutarem, vt patet infra 31. cap. Ad huius voluminis cõscriptionem multiplex eum potuit inducere ratio. Primo quia multa in alijs libris, quæ ad legem pertinent, nõ dicuntur, quæ hic adduntur. Secundo quia multa in alijs libris ponuntur di-

Iste liber continet in virtute omnes quatuor præcedẽtes vel saltem tres: quãtũ ad p̃cepta, q̃a hic ponitur summa omnium.

 spersa,

ſperſa,multis permixtis hiſtorijs,quæ difficilem ordinem habent, ita vt ignoretur, quid cui attineat : hic omnia diſperſa,quo decet ordine,coniunguntur. Tertio quia in alijs libris aliqua obſcure dicuntur, quæ hic clarius aperiũtur, vt merito iſte liber aliorum quatuor ſit ſumma,& ſuppletio:vnde ſatis conſone Deuteronomium à Græcis nomen accepit,id eſt,lex noua. Deuteron ſecundũ, vel nouũ ſignat.nomos vero regula vel lex. Sic enim ſuo modo liber iſte totam priorem legem declarauit,vt lex noua quę in ſpiritu eſt,legẽ veterem,cuius veritas literę abſcondebatur in cortice,vt patet 2.ad Corinth.3.cap.& 4. adueniente Spiritu ſancto penitus illucidauit: licèt Iudæi obdurato animo,& obcæcatis oculis nõ intelligant,ſicut ait Apoſtolus 2.ad Corinth.3.& nunc ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam,vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius,quod euacuatur: ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum vſque in hodiernum diem:idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum,quoniã in Chriſto euacuatur: ſed vſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes,velamen eſt poſitum ſuper cor eorum.& hoc eis euenit,quia veri Iudæi non ſunt. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, nec quæ in manifeſto circunciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt,& circunciſio cordis in ſpiritu,& nõ litera, cuius laus non ex hominibus ſed ex Deo eſt,ad Rom.2.ca. Iſti ſunt ſemẽ Chanaan,& non Iuda,vt Daniel.13.qui declinauerunt oculos ſuos,vt non viderent cœlum, nec recordarẽtur iudiciorum iuſtorum,verũ Meſſiam ex inuidia morte iniuſtiſſima condemnantes. Quorum venenum peſtiferum, & immaniſſimum odium in nephandiſſimas proles,quaſi ex traduce dilapſum eſt, vt citius homines eſſe, quã Chriſtum odio habere deſinant:& huiuſmodi exitialis & diuturni erroris fomentum eſt,quia quandocunque Moyſes coram eis legitur,velamen in cordibus eorum poſitum eſt,vt patet ad Corinth.2.cap.3. vt prædictum eſt.

Iudai quomodo obcæcati.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS;

COMMENTARIORVM IN DEVTERONOMIVM.

CAPVT I.

HAEC sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Iordanem in solitudine campestri, cõtra mare Rubrum inter Pharan, & Thofel, & Laban, & Aseroth: vbi auri est plurimum: vndecim diebus de Oreb per viam montis Seyr vsque Cadesbarne. Quadragesimo anno, vndecimo mense, primo die mẽsis, locutus est Moyses ad filios Israël omnia, quæ præceperat illi Dominus, vt diceret eis: postquam percussit Seon Regem Amorrhæorũ, qui habitauit in Esebon: & Og regem Basan: qui mansit in Aseroth & in Edrai trans Iordanem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem & dicere, &c.

HÆc *sunt.* Iste liber diuiditur principãliter in duas partes, scilicet, in procœmium, & in tractatum. secundũ ibi. *Cœpitque Moyses.* Et illud subdiuiditur, quia primo numerat facta. secundo ponit præcepta. secunda in principio quarti cap. & vltra. & capitulũ illud tot habet partes, quod facta distincta narrãtur, de quibus in prosecutione videbitur. *Hæc sunt verba.*

Quis scripsit librum Deuteronomij, Moyses, an Esdras, vel Iosue.

QVÆSTIO I.

QVis hunc librum scripserit apud multos in dubium vertitur. Aliqui volunt quod Moyses solũ verba ista protulerit, post autem Iosue in scriptum redegit. Pro quo inducunt, quia in princpio libri dicitur. Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses: nõ dicitur quæ scripsit, sed quę locutus est, quasi alius post scripserit. Sed hoc friuolũ est: tũc enim sequeretur, quod multa quæ sunt in Exodo, Leuitico, & Numeris, Moyses non scripserit, quod contra communem opinionem est: quia in eis dicitur. hæc locutus est Moyses ad omnẽ Israël. Item arguunt secundo, quia si Moyses scripsisset, nõ loqueretur de se in tertia persona sed in prima. sed hoc nihil est, quia nunquam fuit modus referendi aliquid de se in prima persona, sed in tertia loqui. patet in processũ præcedentium trium librorum, quoniam nunquam dicit locutus est Dominus ad me, sed locutus est Dominus ad Moysen: nisi forte referret factum, quod contigerat cum his, quibus tunc loquebatur, vt patet infr. in litera huius c. cum dicitur. dixiq; vobis in illo tempore non possum solus sustinere vos. & infr. 5. ca. accessistis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atq; dixistis. & hoc fit quia istis non potuisset cõuenienter in tertia persona verba de se referre. Sic loquitur B. Ioan. in Euangelio de seipso vt hãbetur 21. c. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his & scripsit. & in principio primę canonicæ ait. Quod vidimus oculis nostris, audiuimus, & perspeximus de verbo vitæ. ibi namque de seipso inter alios loquitur. Item arguũt tertio, quia dicitur trans Iordanem: Moyses autem nõ transiuit Iordanem, vt patet infr. 3. c. Respõdetur quod hoc nihil est: quia trans aliquando signat citra, aliquando vltra. non significat hic vltra sed citra, sicut Num. 35. vbi nominantur ciuitates trans Iordanẽ illę, quæ ante ingressum terræ promissionis erant, in quibus habitauerunt duæ tribus & dimidia. sic dicitur infr. 4. c. De eisdem tunc separauit Moyses trans Iordanem tres ciuitates ad orientalem plagam. Et istud argumentum contrà se cõcludit, & arguit potius cõtra literam: quia si in litera diceretur. hæc verba scripta sunt trans Iordanem, adhuc videretur militare: sed hic dicit locutus est: ideo manifestũ est, quod loquatur de Moyse. Item quarto arguunt quia in fine huius libri describitur mors Moysi, quam ipse scribere non potuit. Ad hoc potest responderi dupliciter. vno modo quod Iosue descripsit vltimum ca. huius libri. Alio modo, quod Moyses scripsit per spiritũ prophetiæ cognoscens antequam fieret, sicut omnes prophetæ communiter scribebant: sed primum verius videtur. Magister scholasticæ historiæ tenet, quod Moyses totum librum scripserit, sed principium & finem Esdras apposuerit. De scriptoribus autem librorum sacræ Scripturæ videbitur Deo dante vltimo cap. istius libri. Secundum veritatem Moyses librum istum scripsit, vt patet infrà 31. ca. bis. primo scripsit Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus. deinde in fine c. postquam scripsit Moyses verba legis huius in volumine. *Hæc sunt verba.* Aliqui volunt quod ly hæc demonstret ea quæ dicũtur ab illo loco, cœpitque, vsque ad vltimũ cap. Alij volunt quod ly hæc demonstret ista, quæ hic ponuntur vsque anno. 4. quid autem sit verum infra declarabitur exponendo. *Quæ locutus est*

A

Doct. opin.

Moyſes. Et hoc volunt aliqui quod hic ſunt leges duæ, vna quam Deus tradidit Moyſi, alia quam Moyſes tradidit populo. & adducunt ad hoc, quia iſte liber vocatur lex noua: ergo videtur quod alia vetus præceſſiſſet. Item quia in alijs libris dicitur, quod Moyſes locutus eſt: in iſta dicitur quod Moyſes locutus eſt ad populum. Reſpondetur quod iſta non eſt alia lex ab illa, quæ data eſt in omnibus alijs libris: ſed eſt quædam additio & declaratio ad ea, quæ dicta ſunt in alijs libris: ideo vocatur lex noua, non quod alia ſit hic noua, & alia vetus. ſed iſta eſt tota vna, quod patet tam ex nominatione Hebraica, quam Græca. Hebræi enim quinque libros Moyſi thorath, id eſt, legem vocant & non leges: & nos Græco nomine eoſdem quinque libros Pentateuchum appellamus, quaſi vnius rei congeriem, & non multarum. Vocatur tamen iſta lex Moyſi tota, quia omnia his quinque libris contenta de Moyſe dicta ſunt: vocatur etiam tota lex Dei, quia Deus eam totam inſtituit, & Moyſi dedit: nec poteſt vocari lex Moyſi, quaſi Moyſes eam confecerit, vt patet Malach. 3. cap. mementote legis Moyſi ſerui mei, quam dedi ei in Oreb præcepta, & iudicia. ibi namque non ſolum dicitur de Deuteronomio, immo principaliter de his, quæ ponuntur in Exodo, & Leuitico, quæ omnia in monte Synai dicta ſunt, vt patet Exodi 24. quia ibi aſcendit Moyſes in montem, & audiuit à Deo omnia, quæ ponuntur vſque ad finem Exodi de fabricatione tabernaculi, & omnium vtenſilium eius. quod autem ea quæ in Leuitico continentur, dicta fuerint in monte Synai patet Leuit. vlt. cap. cum dicitur, in fine totius libri. hæc ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Synai: Moyſes enim ſolum erat famulus referens populo, quæ dicenda erant, vt habetur ad Hebr. 3. cap. *Trans Iordanem.* Id eſt, citra Iordanem, ſicut duæ tribus & dimidia dicuntur habere poſſeſſionem trans Iordanem, vt habetur Nu. 32. Et tamen nondum tranſierant Iordanem: & illam Moyſes diſtribuit, vt patet infra 3. & 4. cap. Vel quia iſtæ præpoſitiones trans & vltra dicunt reſpectum ſitus, & eſt reſpectus aduenientis extrinſecus, ſicut eſſe dextrum & ſiniſtrum: ſicut accidit iſti columnæ quæ proprie non habet dextrum aut ſiniſtrum, quod dicatur dextra aut ſiniſtra reſpectu aliquorum in quibus reperitur proprie dextrum & ſiniſtrum, ſcilicet, reſpectu animalium. ſic vltra & citra ſiue trans dicuntur reſpectiue: itaque id quod eſt reſpectu vnius citra, ſit reſpectu alterius vltra. ideo reſpectu eorum qui morabantur in terra Chanaan, terra in qua manebant duæ tribus & dimidia, & in qua iſta locutus fuit Moyſes dicebatur trans vel vltra Iordanem: & reſpectu eorum qui morabãtur in ciuitatibus duarum tribuum & dimidiæ, ſcilicet, in terra Baſan, aut in monte Galaad, vocabatur illa terra citra Iordanem. hoc autem modicum eſt, & facit magnum errorem, niſi attendantur ſitus loci. *Ad omnem Iſraël.*

B

Trãs & vltra q. ſignifi cant.

An Moyſes locutus fuit omnibus Iudæis ſimul, vel tantum principibus populi: quia Principales in populo ſunt in virtute totus populus.

C

QVAEST. II.

ALIQVI volunt quod dicatur ad omnem Iſrael, id eſt, quod licet pauci de Iſrael audirent, & tamen ad inſtructionem omnium dicebantur: ideo omnes obligabantur ad cuſtodiendum verba libri huius, & qui futuri erant: ideo mãdauit Moyſes, quod narrarent iſta poſt filijs ſuis, vt habetur infra 6. cap. Aliqui volunt quod dicebat ad omnem Iſrael, id eſt, ad principes & maiores natu, qui erant eminenter totus Iſrael. ſic patet Exod. 12. cap. quia cum mandaſſet Deus Moyſi & Aaron vt loquerentur ad totum populum filiorum Iſrael, cum dicitur. loquimini ad vniuerſum cętum filiorum Iſrael: poſtea Moyſes ſolis ſenioribus populi locutus eſt cum dicitur. Vocauit autem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos. & cum hic locutus fuiſſet ad ſeniores ſolum, dixit ſe immediatè locutum fuiſſe ad totum populum, quaſi ſeniores eſſent totus populus, cum dicitur infra eod. cap. incuruatuſque populus adorauit: quod refertur ſolum ad ſeniores audientes iſta, vt habetur ibidem in litera. Idem dicitur Exod. 4. cap. quia primo dicitur, quòd Moyſes vocauit omnes ſeniores Iſrael ad audiendũ verba Domini, & videndum ſigna quæ facturus erat Aaron. & ſubiungitur immediate: locutuſque eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moyſen, & fecit ſigna coram populo: quaſi populus & ſeniores idem ſint. Et ratio eorum eſt, quia non poterat tanta multitudo audire Moyſen: erãt enim ſexcenta millia ſeptingenti & triginta de ſolis viris pugnatoribus præter pueros, ſenes, & mulieres, quæ faciunt multitudinem infinitam, vt habetur Num. 26. cap. Rab. Salom. dicit quòd omnes ibi ſtabant, vt viderent ſi aliquis vellet cõtradicere eis, quæ dicebantur à Moyſe, vt poſt mortem Moyſi repugnare vellent. Dicendum eſt quòd omnes filij Iſrael congregati erant coram Moyſe ad audiendum, vt componerent fœdus cum Deo hic, ſicut compoſuerant in Oreb. & ſic habetur infra 29. cap. vos ſtatis hic hodie cuncti coram Domino Deo veſtro, principes veſtri, ac tribus, & maiores, natu, atque doctores, omniſque populus Iſrael, liberi, & vxores veſtræ, & aduenæ qui morantur in caſtris, exceptis lignorum cæſoribus, & his qui comportant aquas. Et ſi dicas quomodo vox Moyſi audiri poterat? Reſpondetur quod Deus fecerat eam ſonoram, vt cunctus populus audiret: nec hoc multum erat, quia alia maiora fecerat Deus pro Moyſe ad vtilitatem Iſrael, ſcilicet, quod per 80. dies non comederet loquens cum Deo, vt patet infra 9. cap. & quod facies eius radijs cornuta eſſet, vt habetur Exod. 34. ca. *In ſolitudine campeſtri.*

D

An expoſitio Chaldaica hic & Rab. Sal. poſſit ſtare.

E

QVAEST. III.

ISTA litera vſque ibi anno 40. poteſt dupliciter exponi ſecundũ quod ſupra diximus. Secundum Chaldaicam tranſlationem iſta verba quæ locutus fuit Moyſes, fuerunt verba dura reprehenſoria totius Iſrael, quæ ponuntur hic implicite, & tunc eſt ſenſus. *Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moyſes ad Iſrael trans Iordanem.* Id eſt Moyſes quando erat trans Iordanem, ſcilicet citra ipſum locutus fuit iſtas redargutiones, quæ ſequuntur ad Iſrael, ſcilicet. *In ſolitudine campeſtri.* Id eſt retulit eis mala quæ fecerant in ſolitudine campeſtri. *Et contra mare rubrum.* Id eſt redarguit eos de malo, quod fecerant circa mare rubrum inter Pharan. Id eſt etiam redarguit de malo, quod fecerant apud deſertum Pharan: & ſic apud Thofel & Laban vt infr. magis declaratur. Et tunc eſt intentio quod quia Moyſes in temporibus præteritis non redarguerat Iſrael de malis ſuis, nunc videns ſe propinquum morti, vt patet infr. 31. capit. voluit eos redarguere, vt pœniterent de malis ſuis, ſic redarguit Iacob filios ſuos, cùm mors ei immineret, vt patet Geneſ. 49. capit. & Samuel totum Iſrael, vt patet 1. Regum 12. capit. *In ſolitudine campeſtri.* Id eſt quod Moyſes redarguit Iſrael quod in ſolitudine campeſtri Moab fornicati fuerunt cum puellis Moabitarum, & Madianitarum, vt habetur Numer. 25. capit. *Contra mare Rubrum.* Id eſt etiam redarguit eos quod murmurauerunt apud mare Rubrum, quando viderunt exercitum Pharaonis prope ſe, dicentes, nunquid non erant ſepulchra in Aegypto, vt moreremur in hac vaſta ſolitudine? vt habetur Exod. 14. capit. *Inter Pharan.* Deſertum Pharan magnum eſt, in quo multæ murmurationes factæ ſunt, ſcilic. murmuratio, quando venerunt exploratores, vt habetur Numer. 13. & 14. cap. & murmuratio ad aquas contradictionis in Cades, quæ eſt in deſerto Pharan vel Syn quod idem eſt, vt habetur Numer. 20. cap. & iſtud deſertum incipit circa illam manſionem, quæ vocatur ſepulchra concupiſcentiæ, vt patet Numer. cap. 13. vbi poſt quam exierunt de ſepulchris concupiſcentiæ & Aſeroth, fixerunt tentoria in deſerto Pharan. idem patet Numer. 33. cap. in catalogo manſionum. *Thofel, & Laban.* Thofel idem eſt quod murmuratio. Laban idem eſt quod album, id eſt murmuratio facta propter manna quod erat album, ſc. colons bdelij, vt patet Numer. 11. cap. & iſta murmuratio fuit, vt habetur Numer. 21. capit. cùm populus locutus eſt contra Moyſen, & ait. cur eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. *Et Aſeroth.* Etiam murmurauerunt in Aſeroth, ſcilicet Maria & Aaron contra Moyſen, vt habetur Numer. 12. capit. *Vbi auri eſt plurimum.* Id eſt

A

reprehendit eos de adoratione vituli, & fabricatione qua factus est: quia in auro & argento abundabant. istam expositionem sequitur Rab. Sal. *Vndecim diebus de monte Oreb.* Id est imporperat eis beneficium à Deo datum, quia ingrati erant, sc. quòd erant vndecim dietæ à monte Oreb vsque Cadesbarne: & tantum ambulauerunt in tribus diebus, quod sic probat vigesimo die mensis secundi recesserunt filij Israel de Oreb, vel monte Synai quod idem est, vt patet Nume. 10. c. & venerunt in Cadesbarne 29. die mensis tertij. manent ergo intermedij triginta nouem dies: à quibus si abstrahanturvigintinouem qui faciunt vnum mensem completum secundum Hebræos, quia vno mense integro comederunt carnes coturnicum in sepulchris concupiscentiæ, vt habetur Numer. 11. cap. manebunt decem dies: à quibus si excipiantur septem quibus Maria fuit leprosa, & non motus est populus de loco suo, vt patet Num. 12. manebunt tres dies, in quibus totum hoc iter ambulauerunt, s. de Oreb vsque Cadesbarne, pro hoc tamen ingrati fuerunt, quia immediatè murmurauerunt in Cadesbarne, vt habetur Num. 14. c. Sed ista expositio multum est distorta, quia tota ista litera est vna clausula: ipsi autem faciunt diuersas clausulas, & satis euidens est quod omnia ista denotant locum, in quo aliqua verba Moyses dixerit: maximè quia exponendo, vt supra dictum fuit, multum est disconueniens ordo narrandi: quia nec sequitur narrationem à principio rerum gestarum ad finem, vel à fine ad principium, sed intermiscendo. est enim error, quia cum dicitur in solitudine campestri, illud casuale cum præpositione notat habitudinem loci in quo aliquid fit. nam non conuenit dicere. *In solitudine campestri.* Id est quod Moyses redarguit Israel de his quæ fecerant in solitudine campestri: cùm ista prepositio in nunquam dicat habitudinem eius, de quo aliquid enunciatur, sed habitudinem loci in quo aliquid fit. Item *Contra mare Rubrum.* Manifestum est quod dicit habitudinem situs. Etiam *Inter Pharã, Thofel & Laban.* Non est dubium quin ista præpositio inter dicat locorum interpositionem, aut distantiam, & nõ contineat sensum perfectum alicuius orationis. Itẽ cum dicitur. *Vbi auri est plurimum.* Manifestum est quod ly vbi dicit locũ, sc. quod in istis locis est magna copia auri. Valde ergo distorta est sentẽtia dicens, vbi auri est plurimum .i. quod redarguit eos fecisse vitulum, quia habebant multum aurum. Item quia si teneatur ista expositio, non apparebit ex litera vbi dicta fuerint ista verba: immo ipsa litera valde confusa erit, quæ dicit trans Iordanem: quia si nihil vltra adijciatur ad certificandum locum, poterit vocari Aegyptus trans Iordanem, quia citra Iordanem est, cùm Iordanis sit magis septentrionalis quam Aegyptus, etiam omnia quæ Moyses dixit in deserto, dicetur dixisse trãs Iordanem, cum desertum esset citra Iordanem. & sic ista additio loci determinatiua, s. trans Iordanem nil determinat, cũ conueniat omnibus mansionibus filiorum Israel. Dicendum ergo quod ista omnia dicunt determinationes locales: & sic ista determinatio generalis trãs Iordanem limitabitur per alias specialiores, & non ponetur fruſtra: ideò dicendum quod ista verba quæ locutus fuit Moyses sunt ista quæ incipiunt ibi. *Cœpitq; explanare.* Et ista verba vel plurima illorũ dixerat eis Moyses veniendo de monte Oreb vsque in Cadesbarne: sed quia iam viginti nouem anni erant quibus dixerat, repetit hic vt memoriæ imprimantur, propter rationes assignatas in proœmio: & secundum istum modum est sensus. *Hæc sunt verba quæ locutus fuit Moyses trans Iordanem.* Id est antequam accederet ad Iordanem: & ly hæc demonstrat omnia verba, quæ continentur in toto isto libro: & est sensus quod omnia quæ in hoc libro cõtinentur, aut plurima eorum, dixit Moyses Israeli, dum venirent de monte Oreb per campestrem solitudinem, & circa mare Rubrum, & Tophel, & Laban, vsquequo accederent in Cadesbarne. *In solitudine campestri.* De monte Oreb vsque Cadesbarne, tota terra intermedia est campestris solitudo. *Contra mare Rubrum.* Licèt enim transierant mare Rubrum, quando recesserunt de Oreb, tamen iterum venerunt prope mare Rubrum, quia mare multos sinus habet, & diuersis terrarum flexibus arcuatur: & sic habetur Numer. 33. vbi dicitur quod postquam venerunt Israelitæ de Helin, castrametati sunt super mare Rubrum, & tamen iam transierant tres mansiones, postquam exierunt de mari Rubro. Mare Rubrum inchoationem suam incertam habet, vt habet Aristot. in libro de inundatione Nili, tamen fluit de partibus Iudæis: quia Nilus fluuius terminans Indiam à parte occidentis, mari Rubro absorbetur, deinde fluit iuxta latus septentrionale contingens à parte meridiana Arachusiam, Parthiam, Persidem, Assyriam, Mediam, plerasq; alias prouincias magnas, quæ habent à septentrione montem Caucasum, vt ait Paulus Oros. libro primo de Ormesta mundi: deinde flectitur versus meridiem, & tangit deserta Arabica, in quibus multoties arcuatur: ideò illi qui per desertum illud veniunt de Aegypto in terram Chanaan, frequenter contingent mare Rubrum: vnde Israelitæ venientes de Aegypto ter fuerunt apud mare Rubrum. Primò cum transierunt illud apud radices deserti Ethan, vt patet Exod. 14. c. Secundo deinde interiectis duabus mansionibus, nam post mare Rubrum venerunt in Marath: deinde in Helin, post castrametati sunt super mare Rubrum, vt patet Num. 33. cap. Tertio fuerunt apud mare Rubrum, cùm peruenerunt ad illum locum, vbi Moyses dixit ista populo, scilicet in campestribus Moab, quia circa illa campestria versus partem orientalem erat mare Rubrum: & de hoc dicitur hic. *Inter Pharan desertum.* Pharan est post mansionem Aseroth, in quo est Cadesbarne.

Pharanſitus.

B

Et Tophel, & Laban. Ista duo nomina sunt locorum quę inter mansiones non computantur, quia ibi non fixerunt castra, sed transierunt per illa: sic ponuntur Nu. 20. multa loca, quæ mãsiones non sunt, sed per illa transierunt. Vel potest dici quod Tophel & Laban nomina mansionum sunt, sed non nominantur sic in catalogo mansionum, scilicet Num. 33. capit. & ponuntur ista duo loca inter Aseroth & Cades, inter quæ fuerunt decemocto mansiones, vt patet Numer. 33. capitul. & est ordo situs istarum mansionum, quia Pharã magis distat à mõte Oreb contra terram promissionis, deinde Tophel, deinde Laban, Aseroth autem minus distat quàm omnes istæ mansiones à monte Oreb. *Vbi auri est plurimum.* Id est quod inter illa loca deserta sunt multæ aurifodinæ, & mineriæ aliorum metallorum. *Vndecim diebus de monte Oreb vsque Cadesbarne.* Id est quod mons Oreb distat vndecim diebus à Cadesbarne inter quæ loca ista verba Moyses primo locutus fuerat: si autem hoc spacium vndecim diebus ambulauerint, vel pluribus non constat euidenter. Et non est intelligendum quod Moyses diceret eis ista dum ambularent, quia non possent conuenienter audire, nec etiam si audirent, attendere possent laborantes in motu: nam labor in motu tollit animæ attentionem ad intelligendum: & hoc ex duabus rationibus quas assignauimus Genes. 19. cap. & ibi vide: sed quando castra figebant inter ista loca loquebatur eis Moyses: quia duo menses, vel amplius transierunt à tempore, quo recesserunt de monte Oreb vsque Cadesbarne: sed non toto isto tempore ambulauerunt, sed morati sunt vno mense in sepulchris concupiscentiæ, & sic aliqualiter in alijs mansionibus. *Per viam montis Seyr.* Mons Seyr dicitur Idumæa, quia ibi habitant filij Esau, qui Seyr dicitur. Et non est intelligendum quod ista via, qua veniebant isti de monte Oreb in Cadesbarne, esset in monte Seyr, vel inter montes Seyr, patet quia mons Seyr, vel Idumæa est vltra Cadesbarne, vt habent Num. 20. capit. quia de Cades miserunt Iudæi nuncios regi Idumeæ, & circuierunt montem illum in quadragesimo anno, vt patet infr. 2. capit. sed est sensus. *Per viam montis Seyr.* Id est veniendo de monte Synai ad Cadesbarne venitur per viam per quam venitur ad Idumęam. *Vsque in Cadesbarne.* Id est ista qnæ infra ponuntur dixerat Moyses inter montem Oreb, & Cadesbarne: & hoc totum fuit in secundo anno exitus de Aegypto: & sic nihil horum dictum fuit post inter secundum & quadragesimum annum. Vnde dicit Rabb. Aben Ez. quòd solum fuerunt prophetiæ Moysi in primo & secundo & quadragesimo anno, in tempore autem intermedio non legitur, quid dixerit, nec etiam si aliquid dixerit. Quantum ad istos vndecim dies Nicolaus videtur aliqualiter adhærere expositioni Rabb. Salom. Sed ipsa impossibilis est, & repugnat textui Numer. 33. cap. quia si in tribus dietis totam terram, quæ est inter montem Oreb & Cades ambulauissent, sequeretur quòd in vna die decemocto vicibus castrametati fuissent: hoc impossibile erat eis, quia fixio castrorum, & tabernaculi requirebat vnum diem vel forte magis, vt probauimus Nume. 7. cap. & dato quod hoc Deus potentia sua facere vellet, tamen verisimile non est: ad quid enim opus erat toties eadem die castrametari? quia si Deus hoc facere vellet,

Via de monte Seyr.

An Iudæi ambulauerint à monte Oreb vsque Cadesbarne in tribus diebus.

Situs maris Rubri, eius ortus.

A vt velociter deſertum tranſirent, non oportebat facere eos toties caſtrametari: conſequentia autem patet: quia de Oreb venerunt in ſepulchra concupiſcentiæ, vbi etiam ignis vorauit magnam partem eorum, quia murmurauerunt propter laborem itineris: de hoc Nume. 11. c. & manſerunt ibi diebus multis, & ſic eſt vna dies: deinde mouerunt vſque in Aſeroth, & manſerunt ibi vltra: ſeptem dies propter percuſſionem Mariæ à lepra, vt patet Numer. 12. ca. & ſic eſt ſecundus dies: ſi ergo in tertio die venerunt vſque Cades, oportet quod illa die ambulauerint per decemocto manſiones, & decemocto vicibus illa die caſtrametati fuerint, quia tot manſiones ſunt inter Aſeroth, & Cades, vt patet Numer. 33. c. Sed adhuc iſta expoſitio ſuperior non valde videtur ſic literæ conuenire: quia ſecundum iſtam expoſitionem verba iſta dicta fuerunt inter iſta loca: quæ hic ponuntur, cùm caſtrametarentur in eis: & tunc quæritur an iſta omnia verba dicta fuerint in aliquo vno loco ſimul, vt volunt quidam, vel non dicta ſunt in vno loco. Si autem dicas quod partialiter dicta ſunt in multis locis, & non in vno loco: tunc loca in quibus dicta ſunt, erunt iſta quæ ponuntur in litera, ſed falſum eſt: quia in ſecundo anno exitus de Aegypto ambulauerunt iſta loca: nam omnia iſta loca ſunt inter montem Synai & Cades: ſed in primo anno venerunt in montem Synai, deinde ſecundo anno menſe ſecundo recedentes de monte Synai in tertio menſe anni eiuſdem, vel in principio quarti miſerunt exploratores in terram Chanaan

B à deſerto Pharan, vt patet Numer. 13. cap. poſtea quia non crediderunt verbis Domini, incurrerunt ſententiam manendi in deſerto quadraginta annis: vt patet Numer. 14. capit. ſed iſta verba quæ hic dicuntur, dicta ſunt in quadrageſimo anno, vt patet inf. in litera cum dicitur, quadrageſimo anno menſe vndecimo, prima die menſis locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael. Item quia in iſto libro tenetur ordo actorum, ita vt primo ponantur res geſtæ, deinde præcepta, & cæremoniæ: in hiſtorijs autem narratur occiſio regis Seon, & regis Og: qui quadrageſimo anno mortui ſunt ab exitu de Aegypto: ſed in nulla manſione prædictarum in litera ſtetit Iſrael poſt mortem iſtorum duorum regum: nam iam erant extra Cades cum reges iſti occiſi ſunt: Cades tamen ponitur inter iſtas manſiones vltima: omnia tamen quæ ponũtur in hoc libro dicta ſunt poſt occiſionem iſtorum regũ: ſic enim dicitur in litera: poſtquam percuſſit Seon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Eſebõ, & Og regem Baſan, qui manſit in Aſeroth, & in Edrai. Item non poteſt hoc ſtare: quia iſta verba omnia quæ infra continentur dicta fuerunt in campeſtribus Moab, & non in diuerſis locis: ſic patet infr. 29. ca. cùm dicitur: hæc ſunt verba fœderis, quod pepigit Dominus Moyſi, vt faceret cum filijs Iſrael in terra Moab, præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Oreb. Item ad auditionem iſtorum verborum totus Iſrael conuocatus fuit, vt patet infr. 29. c. cùm dicitur, vos eſtis hic hodie cuncti coram Domino Deo veſtro principes veſtri, ac tribuni, maiores natu, atque doctores, omnis populus Iſrael, liberi, & vxores veſtræ, & aduenæ qui tecum morantur in

C caſtris, exceptis lignorum cœſoribus, & his qui comportant aquas: ſed in alijs manſionibus non congregabatur totus Iſrael ad audiendum aliquid: ergo iſta verba non ſunt dicta in aliqua prædictarum manſionum, ſed in terra Moab ſimul dicta ſunt. Item verba quæ dixit Moyſes in alijs locis diſcurrendo, non vocantur lex: ſed iſta vocantur lex: ergo non fuerunt dicta in alijs locis, ſed ſpecialiter per ſe in vno loco: antecedens patet: quia inf. 17. c. dicitur, quod poſtquam aliquis de regibus filiorum Iſrael acciperet ſedem regni, faceret ſibi deſcribi deuteronomium legis huius, id eſt iſtam legem nouam, & faciet coram ſe legi: vt diſcat timere Deum: etiam infr. 31. c. dicitur, ſcripſit Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini. Si autem dicas quod iſta verba dicta ſunt in vno aliquo loco: quæretur quis ſit ille locus: & non poterit patere ex litera ſecundũ iſtam expoſitionem: quia iſta quæ hic ponũtur ſunt diuerſa loca, & nõ dicunt aliquẽ vnum locum ſpecialẽ: hoc tamen inconueniens eſt, ſed nõ conuenit iſta expoſitio, quia quadocunq; ponũtur determinationes alicuius facti, aut dicti, quantum ad tẽpus & locũ, oportet vt illæ determinationes conueniãt inter ſe, ſc. vt determinatio loci non repugnet determinationi temporũ, vel è contrario: ſed hic repugnant: quia iſtæ manſiones diuerſæ ſunt, in quibus iſta verba dicta ſunt, ſicut determinatio loci: tempus autem quod infr. ponitur ſcilicet anno quadrageſimo eſt temporis determinatio: nunc autem iſtæ duæ determinationes inter ſe repugnant: quia non ſtetit Moyſes in iſtis manſionibus in quadrageſimo anno menſe vndecimo, ſed in ſecundo anno: ergo non ſunt iſtæ diuerſæ manſiones, in quibus iſta verba dicta fuerant: ſed oportet dari vnam manſionem in qua ſteterit in quadrageſimo anno. Item ſi Moyſes narraſſet iſta procedendo per manſiones iſtas, quę hic ponuntur, ordinarentur recte ſecundum ordinem, qui eſt inter ipſas, procedendo de monte Oreb verſus terram Chanaan ſecundum ordinem, quem Moyſes tenuit in ambulando iſta loca: ſed hic non ponitur ſic: quia manſio quæ dicitur trans Iordanem poſt omnes iſtas eſt, ſed hic ponitur in principio: etiam Aſeroth prius eſt quàm deſertum Pharan: quia de Aſeroth venerunt in deſertum Pharan, vt patet Numer. 13. capit. videtur ergo quod non ſint iſtæ diuerſæ manſiones, per quas tranſeundo dicta fuerint iſta verba. Eſt ergo veriſſima ſententia huius literæ, & nulla alia vera poteſt dari: quod iſta omnia verba quæ dicta ſunt in hoc libro, & vocãtur lex ſecunda ſiue noua, dicta fuerunt à Moyſe in vno loco, ſ. in cãpeſtribus Moab, ſiue in valle quæ eſt contra Phanum Phegor, vt patet inf. 3. c. & hoc congregato omni populo ad audiendum, & nõ ambulando per diuerſas manſiones. & eſt ſenſus. *Hæc verba.* Id eſt omnia verba quæ continentur in iſto libro ab illo loco. *Dominus Deus noſter locutus eſt.* Vſque ad finem libri vbi agitur de ſepultura Moyſi c. vltim. quia illum dicitur ſcripſiſſe Ioſue à quibuſdam. *Quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael.* Congregatum ad audiendum, vt patet infr. 29. capit. *Trans Iordanem.* Id eſt in terra Moab apud Iordanem, quoniam tunc erant iuxta Iordanem, cum illa eſſet vltima mãſio, & immediatè ingreſſuri erãt in terram Chanaan tranſeundo Iordanem. *In ſolitudine campeſtri.* Id eſt in quodã deſerto quod non eſt nemoroſum, habens arbores, & ligna: nec habens montes altiſſimos, ſed eſt campeſtre. i. planum deſertum, ſicut campus: & iſta ſolitudo cãpeſtris vocatur campeſtria Moab, vt patet Num. 33. c. & eſt vltima manſio. *Contra mare Rubrum.* Id eſt iſta manſio erat contra mare Rubrum: quia quædam arcuatio maris Rubri venientis per deſerta arabica fit ibi. *Et inter Pharan.* Solitudo Pharan valde magna erat, & attingebat circa illum locum. *Inter Tophel, Laban, & Aſeroth.* Id eſt iſta loca ſunt etiam in circuitu campeſtrium Moab, in quibus tunc erat Moyſes: & iſta loca erant in circuitu ad orientem, occidentem, boream, & auſtrum. *Vbi auri eſt plurimum.* Scilicet in campeſtribus Moab, vbi tunc manebat Moyſes: quia ſunt ibi mineriæ. *Vndecim diebus de Oreb per viam montis Seyr vſque Cadesbarne.* Id eſt quod iſte locus in quo tunc Moyſes manebat cum iſta dicebat, diſtat vndecim diebus, i. vndecim diætis à monte Oreb, ſ. quod campeſtria Moab in quibus iſta dicta fuerunt, diſtant vndecim diætis à monte Oreb: & hoc. *Per viam montis Seyr vſque Cadesbarne.* Id eſt quod Cadesbarne eſt in via veniẽdo de monte Oreb in campeſtria Moab: & ad illam debet veniri per viam montis Seyr, id eſt per viam qua venitur de monte Oreb vſque in montem Seyr, id eſt vſq; in Idumæam quæ vocatur mons Seyr: deinde vſque ad campeſtria Moab eſt alia via: tota tamen continet ſolum vndecim diætas. *Anno quadrageſimo.* Dixit ſupra quod Moyſes iſta verba iam dixerat in ſecundo anno, nunc autem repetit ea in quadrageſimo anno: iſte fuit vltimus annus, quo in deſerto ſteterant. *Vndecimo menſe.* Qui apud nos eſt Ianuarius: quia ipſi à Martio incipiunt, & in Februario finiunt: ſic etiam Romani antiquiſſimi habuerunt, vt in Martio inciperent, vt ait Ouid. 1. Faſtorum.

Qui ſequitur Ianum veteris fuit vltimus anni,

Id eſt Februarius, qui ſequitur poſt Ianũ fuit vltimus menſis anni veteris. Poſtquam Moyſes conſummauit verba iſta mortuus eſt, vt patet infr. 32. c. Et voluit eis dicere iſta circa mortem ſuã: quia magni viri circa mortem dicunt, quam in vita, quia ex maiori deſiderio dicere creduntur, & quia mos fuit antiquorum patrum prope mortem corrigere: ſic Iacob Ruben, & Simeon, & Leui in morte increpauit, vt Geneſ. 49. capitul. & Ioſue Iſraelitas in morte admonuit, vt habetur Ioſue vlt. & Samuel in fine dierum totum Iſrael increpauit 1. Reg. 12. licet Samuel poſt magis vixerit, quia vnxit Dauid, vt patet 1. Regum 16. cap. *Poſtquam percuſſit Seon.* Prius enim omnes tumultus bellicos tranſire permiſit, vt populus totaliter quietatus legem Dei toto attenderet animo.

D

Expoſitio veriſſima au. Eborn.

Solitudo campeſtris quid ſit.

E

F

Moſis fuit antiquorũ patrũ prope mortem corrigere.

A

Qui habitauit in Esebon. Ista erat metropolis regni sui. *Qui mansit in Astaroth.* Ista est Astaroth Carnayn, in qua habitauerunt Raphayn, id est gygantes, quos percussit Chodorlaomor, vt habetur Gen. 14. c. erat enim Og de genere istorum gygantum, vt patet infr. 3. c. *Cæpitq; Moyses explanare,*

Narrationis positio. Et cur Israelita magno tempore errauerunt per desertum.

QVÆST. IV.

HIc incipit tractatus, & primo narrationem ponit. Secundo historiam apponit in c. vlt. Prima in tres. Primo narrat facta. Secundo ordinat mandata, ibi in 4. capit. & vltra. Tertio imprecatur, & prænunciat bona 33. cap. In principio facta narrantur demonstrando Dei manum adiutricem, & eorum semper duram ceruicem: vt per hoc ad obediendum Deo humiliores reddantur. *Cæpitque Moyses explanare.* Explanatio est duplex: quædam per additionem, vt si aliqua lex obscura erat, & post per additionem alterius notificatur. Secundo si aliquod dubium nullo apposito interpretamur: vtrunque fecit Moyses, quia aliquid addidit, & aliquid interpretatus est. *Dominus Deus noster.* Hic narrat quomodo rebelles fuerunt non credendo verbis Dei de intrando terram promissionis. *Dominus Deus noster locutus est.* Ex hoc peccatum eorum aggrauatum est, quia Deo loquenti non crediderunt, cùm Deus veritas sit per essentiam, nec falli potest, quia sciens est: nec fallere vult, quia bonus est: fidelis enim permanet, & seipsum negare non potest 2. ad Timoth. 2. c. *Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis.* Id est satis magno tempore mansistis in hoc monte, non est opus vos magis morari: & potest esse alius sensus: sufficit vobis, quia stetistis in hoc monte, nec opus est, quòd discurratis magno tempore per solitudinem, sed ite cito, & possidete terram promissam, qu. d. dispositerat Israelitas captiuos teneri in Aegypto, & inde liberari in manu valida, & transire mare Rubrum, & dari manna in solitudine ad laudem potestatis & bonitatis Dei: & quod in monte Synai essent, vt ibi per legis susceptionem efficerentur populus Dei: postquam ergo legem ibi receperant, & sacerdotium, & tabernaculum cum ornamentis fecerant, edocti sufficienter in cæremonijs istis, quantum erat ex Deo nihil supererat, nisi vt intrarent terram promissam, ideo. *Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis.* Id est necesse erat, vt vos vsq; huc veniretis, vt complerentur omnia quæ de vobis dispositeram: quia ergo hic stetistis omnia completa sunt, nec aliquid superest nisi vt intretis in terram vestram. *Reuertimini ad mõtem Amorrhæi.* Innuit eis Moyses, quod accedere vsq; ad montem Synai cogebãtur ex Dei dispositione: & hoc sufficiebat: si aũt post magno tempore errauerunt in deserto, ex culpa ipsorum fuit: Deus. n. immediatè post legem datam eos introduxisset, nisi ipsi obuiassent. *Reuertimini & venite ad montem Amorrhæi.* Mons Amorrhęi vocatur terra promissionis: quia in ea habitabant Amorrhæi: in terra Chanaan habitabant septem populi de quibus sæpè ponitur in Exodo: aliquando tamen nominantur ab aliquo de populis illius terræ qui inter eos est principalis: sicut vocantur aliquando Chananæi solum, vt patet Genes. 24. c. cùm dixit Abraham ad Eliezer: non accipies filio meo vxorem de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito: aliquando vocantur omnes Amorrhæi, sicut dicitur Genes. 15. c. nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus: sed manifestum est, quod non vocantur illic Chananæi solum illi, qui erant de illo populo speciali, qui vocabatur Chananæus: quia non solum volebat euitare Abraham filias illorum, sed etiam filias Ethæorum: & Iebusæorum, & sic de cæteris. Etiam alia auctoritas non potest solum intelligi de Amorrhæis, vt sunt vnus populus: quia ibi loquebatur Deus Abrahæ de traditione actuali terræ Chanaan ei, & semini suo, quæ erat tradenda, cum eam perderent illi populi propter peccata sua: sed manifestum est, quod propter sola peccata Amorrhæorum non erat perdenda: ergo ibi intelliguntur cæteri populi sub nomine Amorrhæorum: sic hic vocatur mons Amorrhæorum terra Chanaan quæ erat mons, id est montuosa, vt patet infr. 6. c. cùm dicitur: terra ad quam ingredieris possidendum, non est sicut Aegyptus, in qua iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irrigue: sed montuosa est & campestris de cœlo expectans pluuias: quam Dominus Deus tuus semper videt, & oculi eius sunt super eam à principio anni vsque ad finem eius: vel accipitur mons, vt inf. dicetur: & possunt accipi hic Amorrhæi pro illo populo speciali tenendo istam secundam sententiam quæ verior est, scil. quod mons Amorrhæorum dicatur pars terræ, quæ est ante Iordanem, in qua habitabant Seon & Og, qui vocantur duo reges Amorrhæorum, vt patet inf. 3. cap. cum dicitur, tulimusque illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum: est autem mons in terra istorum, scilicet mons Galaad, qui cecidit in sortem dimidiæ tribus Manasse & Gad, vt patet infr. 3. c. & ista sententia est melior quàm prior, vt retineatur proprium signatum vocabuli: & non coincidat cum inferioribus, scilicet cætera quæ proxima sunt campestria atque montana.

Duplex est explanatio.

B

C

Mons Amorrhæi quare vocetur terra promissionis.

Cuiusdam opinio de monte Amorrhæi an sit positus pro tota terra Chanaan.

QVÆST. V.

ALIQVIS volens tenere primam sententiam dicet: quod ponitur hic mons Amorrhæi pro tota terra Chanaan: deinde declaratur cùm dicitur, montana & campestria atque humiliora: ita quod sit vt magis commune, & minus commune, vel vt totum & partes. Sed non potest stare: quia inter totum & partes: exponens & expositum: magis commune, & minus commune: nunquam ponitur relatiuum diuersitatis: sed hic ponitur cum dicitur, reuertimini ad montem Amorrhæorum, & cætera quæ sunt proxima cãpestria: impossibile est ergo quod mons Amorrhæorum stet hic pro tota terra Chanaan, & sic secunda expositio est bona: prima autem non potest stare: sed quomodo reuerti poterant in terram de qua nunquam venerant? respondeo: quod isti dicebantur venisse de terra promissionis, quia Iacob, & filij sui, qui patres istorum erant, venerant de illa in Aegyptum, in quibus isti originaliter venerant: & de istis dicitur Genes. 15. generatione quarta reuertentur huc: est enim iste mõs Amorrhęorum pars terræ promissionis, vbi erant Og, & Seõ duo reges Amorrhæi: ad quam primo venerunt, vt habetur Num. 21. ca. *Et cætera quæ sunt proxima campestria.* Post terram istorum regum Amorrhęorum circa terram campestris est quam obtinuerunt Israelitæ. *Atq; montana.* Terra promissionis versus Septentrionem montuosa & alta est: est enim in ista parte ascensus scorpionis, qui sunt montes alti & Libanus, de quibus Num. 34. c. *Et humiliora loca contra Meridiem.* Planior & humilior est terra ista circa Meridiem ad ingressum Aegypti quàm contra alias partes mundi: ideò de parte illa semper ascendere dicuntur. *Et iuxta littus maris.* Id est iuxta littus maris magni Mediterranei quod est ad Occidentalem plagam: in qua parte habitabat Chananæus vt habetur Num. 13. c. ideò dicitur in litera terram Chananæorum. *Terram Chananæorum.* Possunt accipi Chananęi hic dupliciter. Vno modo pro quodam populo speciali, qui est vnus de illis septem: & tunc est sensus quod ista terra quæ est iuxta littus maris est terra tota supra nominata, s. mons Amorrhæorum: & campestria proxima, atque montana, & humiliora loca, sed prima sententia melior est: quia textus vult facere differentiam inter montem Amorrhęorum & terram Chananæorum. Item quia dicitur immediatè terram Chananæorum, & Libani vsque ad flumen magnum Eufratem: quasi terra Chananæorum sit distincta à terra Libani, & contra Eufratem: sed falsum est si accipiantur Chananæi pro omnibus septem populis: quia tunc terra Libani & vsque ad Eufratem eadem est cùm terra Chananæorum: quia cum Deus promitteret istas populorum terras Abrahæ: promisit ei terram vsque ad Eufratem, vt patet Gene. 15. cùm dicitur, semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsque ad fluuium Eufratem. Et Libanus est mons iste contra Septentrionem in regione Tyri, & Sydonis, vt diximus Numer. 34. capit. *Vsque ad flumen magnum Eufratem.* Iste fluuius est contra Septentrionem versus Babylonem. *Et inquit tradidi vobis.* Id est ita certam habetis eam tanquam iam actualiter possideretis: nec oportet pro ea plus laborare nisi solum, vt non peccetis, ne mereamini non intrare, vel sero intrare: sicut factum est.

D

E

F

Chananæi dupliciter accipi possunt.

A

Ingredimini & possidete eam. Non dixit, ite & pugnate contra gentes illas, sed ite & possidete, quasi nullum haberent aduersantem: nec oportebat eos multũ vexari laboribus, quia Deus pugnabat pro illis tacentibus illis, vt habetur Exod. 14. *Super quam iurauit patribus vestris.* Vt patet in Gene. 22. c. & Exod. 40. & interponebatur iuramentum Dei in his promissionibus, non quod verbum Dei magis certum esset cum iuramento quàm sine iuramento: quia Deus quocunque modo promittat, mentiri nescit: sed quia imitabatur modum humanum: stabiliora enim sunt humana promissa quæ iuramento firmantur, quàm quæ sine iuramento interposito constant: de iuramento Dei quas vires habeat, & quomodo aliquid specialius sit, quàm quando non iurat, diximus late Genes. 22. c. & ibi vide. *Vt daret eam illis & semini eorum.* Non data fuit terra ista Patriarchis quantum ad actualem possessionem, sed quantum ad titulum ex donatione Dei, quæ omnium rerum dominia mutare potest, proprietatem consecuti sunt: possessione autem magno tempore caruerunt: vnde licèt Abraham & Isaac in terra promissionis habitarent, non dicebantur habitare, sed peregrinari, vt patet Genes. 20. & 26. & multis locis: licèt enim peccata gẽtis illius demererentur priuari dominio, non tamen adhuc merebantur priuari possessione, donec vltra peccata concrescerent, & sic habetur Genes. 15. nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus ad expellendum eos, sil. de terra illa: cùm autem peccata eorum fœdissima consumata sunt: Dominus expulit eos euomente eos terra, vt patet Leu. 18. c. cùm dicitur: ne polluamini in omnibus quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum, & infra subditur: omnes abominationes fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam: cauete ergo ne & vos similiter euomat cum paria feceritis, sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos. *Dixique vobis.* Hic probat impletam promissionem Dei de multiplicatione seminis, de qua Genes. 15. cap. *Illo in tempore.* Ex hoc videtur, quod primo data est lex, quàm veniret Ietro ad Moysen, & quàm ordinarentur principatus, de quibus hic: sed ibi videtur Exod. 18. secundum ordinem literæ, quod primo venit Ietro, quàm daretur lex, quid autem sit non multum refert: ibi magis dictum fuit. Si tamen vellemus tenere, quod venit Ietro, & ordinata sunt ista ante datam legem, non probabitur hic contrarium, quia ista determinatio, scilicet in illo tempore non solùm refertur ad illud tempus quo Deus mandauit eis recedere de Oreb, sed ad quod steterunt in Oreb, & tunc bene stat, quia in Oreb steterunt ante datam legem, & post datam legem. *Non possum solus sustinere vos.* Propter multitudinem subiectorum, quia erant plures quàm sexcenta millia, vt habetur Numer. 1. cap. immò omnes tam Hebræi quàm Aegyptij ascendentes cum eis, & senes cum paruulis plures erant quàm trigesies centum millia, vt declarauimus Exod. 1. & 12. capit. & propter multiplicitatem curarum, habebat enim temporalem iurisdictionem & spiritualem, vt habetur Exod. 18. & satis euidenter colligitur ibi ex litera: curabat etiam quid comederent, & quid biberent ipsi, & iumenta sua, & qualiter hostes euaderent: vnde non solum erat Moyses iudex eorum, sed dux, mater, & pater, & pædagogus, vt colligitur Numer. 11. capit. cùm dicitur, cur afflixisti seruum tuum, & quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me: nũquid ego concepi omnem hanc multitudinem? vel genui eam, vt dicas mihi porta eos in sinu tuo, sicut solet portare nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iurasti patribus eorum? *Multiplicauit vos, sicut iurauit patribus vestris, & estis sicut stellæ plurimi.* Quia sicut nullus hominum stellarum multitudinem numerare potest, sed Deus solus, vt patet Psalm. 146. qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat: sic populus Israel videbatur innumerabilis, vt habetur Numer. 23. cap. quis numerare potest puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis illius.

(?)

Terra promissionis quomodo est data Patriarchis.

B

C

D

Quare aliquæ stellæ à nobis non possunt videri, nec numerari, & quando vnius hemisphærij stellæ omnes possint videri.

QVAEST. VI.

VTRVMQVE tamen numerabile est, & stirps Iacob, quia numerauit eam Moyses, & stellæ quidem numerabiles sunt: sed nullus hominum eas numerare potest propter multitudinem, & propter non apparentiam: aliquę enim non sunt visu notabiles, quemadmodum illæ, quæ sunt in galaxia: etiam propter oculi indispositionem, quia cum vnam partem aspiceret, alteram partem perderet: nesciens vbi reliquerat. Item quia orbis semper mouetur, & aliquæ occultantur, & aliæ oriuntur. Item quia horizon noster nusquam est totaliter planus, sed aliqua altitudo terræ occupat, ne videamus aliquas stellas. Item quia solùm nobis hemisphærium patet: stellas autem alterius hemisphærij numerare non possumus, nisi terram in gyro circuiremus, quod impossibile est: Si autem aliquis stet in aliquo horizonte semper, non solum omnes stellas numerare non poterit, sed etiam nec videre poterit, nisi in triginta sex millibus annorum, in quibus secundum motum proprium redibit pars tota horizontis, siue totum oppositum hemisphærium super caput hora nocturna: patet hoc ex suppositione motus proprij stellarum secundum Ptolomæum. Nisi fortè fieret totalis eclipsis solis, ita quod apparerent omnia astra: & tunc si aliquis in medio noctis præcedentis vidisset hemisphærium plenum stellis, si in meridie sequenti fieret eclipsis, videret totum oppositum hemisphærium stellatum. Hoc quod supra dictum est aliqui putauerunt, sed falsum est, quia in quocunque hemisphærio simus, in vno anno omnes stellæ nobis oriuntur ortu eliaco, quia cum sol faciat stellas in hemisphærio in quo est, inuisibiles propter sui splendorem: solum appareret hemisphærium inferius oppositum, & aliud dimidium occultatur: sed illud in medio anno sol transit: ideò post dimidium annum videbimus omnes stellas oppositas: si enim aliquis iuxta medium Aprilis respiciat in principio noctis, videbit sex signa ab ariete vsque libram: si autem in medio Octobris respiciat, videbit sex signa à libra vsque arietem per aliam, & ista occupant totum cœlum, & patent ista, quia secundum positionem Ptolomei quæ est satis nota, vbicunque simus semper sex signa apparent, & sex occultantur: in qualibet ergo nocte oportet, quòd sex signa appareant, cùm quibus apparet dimidium cœlum siue hemisphærium, quod idem est: si ergo simus in medio Aprilis, intrat sol tunc in taurum, & in illa die est in primo gradu, & oritur totus primus gradus, vel quasi in illa die: quando ergo sol occubuerit, ita quod sit in puncto horizontis, erit supra horizontem primus gradus tauri quem illa die perambulauit sol, & post illum aries, & pisces, & aquarius, cuius primus gradus erit in angulo cœli: deinde descendendo versus punctum ascendentis in oriente erit capricornus, sagittarius, & scorpius, cuius primus gradus erit in puncto orientis, & vocabitur ascendens. Et sic simul videri possunt tunc ista sex signa, quæ faciunt hemisphærium, & omnes stellæ in illa parte hemispherij: occultantur autem tunc alia sex signa, scilicet libra, & virgo, & leo, cuius primus gradus erit in angulo terræ, deinde cancer, & gemini, & totus taurus vsque ad primum gradum, quem illa die sol perambulauit, & oriri incipit in principio noctis ortu eliaco: si autem in illa nocte aliquis considerare voluerit ortum stellarum, & ascensionem, videbit quasi omnes stellas cœli: quia antequam sit dies, ascendet libra, quæ erat sub puncto orientis, quando sol occubuit illa die, & virgo, & leo, & cancer, & gemini, & aliqua pars tauri, reliqua autem videri non potest, quia licèt sol ortus non fuerit, tamen lumine suo facit diem clarum quasi per horam, & dimidiam antequam oriatur, & tunc incipiunt occultari stellæ ex maiori lumine orientę, & sicut dicimus de illo, qui considerat in die, quo est Aprilis medius, ita dicimus de illo qui considerat in medio Octobris: nam tunc intrabit sol in scorpionem, & ambulabit illa die tota primum gradum scorpionis, qui eadem nocte incipiet oriri super horizontis punctum in occidentem ortu eliaco per recessum solis ab illo gradu, & tunc manebunt in

E

Vbicũq; sumus semper sex signa cœlestia apparẽt & sex occultantur.

F

prin-

principio noctis sex signa super horizontem in toto hemisphærio, scilicet libra, virgo, & leo, cuius principium est in angulo cœli, deinde cancer, gemini, & taurus, & manebunt sub horizonte alia sex signa, quæ in medio Aprilis in principio noctis erant super horizontem, & sic in duabus noctibus anni potest videre quilibet totum cœlum, s. quòd in vna videat medietatem stellarum, & in alia aliam medietatem.

Quando & quomodo quis possit videre omnes stellas cæli, sed non numerare.

Si autem obijcias de gibbositate terræ impediente, ne videatur totum medium cœlum. Respondetur quod illa pars, quæ occultatur impedimento gibbositatis terræ, modica est: cùm terra videatur esse respectu cælestis magnitudinis instar puncti, vt dicit Boetius de conso. lib. 2. pro. 7. & idem pro nihilo reputatur. Si tamen aliquis secundum veritatem velit videre hemisphærium, expectet valde modicum spacium in qualibet illarum noctium, in quo orietur tantum de cœlo, quantum occultabatur propter terræ gibbositatem, & sic verè videbit omnes stellas eius hemisphærij: numerare tamen secundum, quòd litera vult hic, & Psalm. 146. impossibile est cuilibet mortalium, dum adhuc viuit. Postea autem perfectè cognoscet numerum, sed etiam cuiuslibet earum specialem virtutem: dæmones etiam & angeli ista nunc cognoscũt, quia eorum cognitioni omnia naturalia subduntur. Concluditur ergo quod aliquis nullo modo omnes stellas numerare potest: ideò Aratus astrologus qui in Aegypto floruit iuxta tempora Ptolomei, quia dixit se omnium stellarum numerum comprehendisse, ab omnibus irrisus est, vt ait Lucas Tuden. & Eusebius in chronicis, & Aug. de ciuit. Dei libr. 16. & 18. de hoc meminit Marcus Tullius Cicero in dialogo Academico ad Hortensi. qui incipit: magnum ingenium Lucij Luculli.

B *Addat ad hunc numerum multa millia*, id est ad numerum filiorum Israel qui sunt boni: signantur enim boni nomine stellarum, & mali nomine puluueris, cuius causam assignauimus Numer. 23. c. ideò præcabatur Moyses bonos filios Israel crescere: malos autẽ non. *Et benedicat vobis.* Benedictio semper importat augmentationem bonorum, siue spiritualium, siue tẽporalium. *Vestra negocia sustinere*, id est causas ciuiles, quæ sunt propriè pecuniaria negocia. *Pondus*, scil. ministrandi vobis necessaria, quia vnus petebat carnes, alius vinum, & sic aggrauabatur multum talibus curis, & de hoc ipse conquestus est, quia ipsi petebant ab eo panem, & carnes, & pisces, & plorabant coram eo, sicut paruuli coram nutricibus, vt habetur Nume. 11. & Exod. 16. *Ac iurgia*, id est rixas vestras, & dissensiones, vel. *Negocia*, scilicet spiritualia, orando ad Deum, & quærendo ab eo responsum. *Pondus.* In temporalibus ordinandis sine lite. *Ac iurgia*, id est lites, vel forales causæ. *Date ex vobis.* Hoc dixit Moyses per consilia Ietro, vt patet Exod. 18. capitul. viros sapientes, qui multa per doctrinam cognouerunt. *Et gnaros.* Qui multa experti sunt, vel experimento cognouerunt: vel. *Sapientes.* In diuinis. *Gnaros.* In humanis. *Quorum conuersatio sit probata.* Ita quod sciatis eos nõ esse auaros, per pecuniam corruptibiles, vt dixerat Ietro Exod. 18. cap. *Ponam eos principes vobis.* Id est vt vos regant, & isti dirigebant populum conseruando in pace, & quilibet de suis subditis curabant, & iudicabant in causis paruis. Et ideò quando diximus Nume. 11. quòd isti non iudicabant, sed solùm dirigebant, & conseruabant, verum est principaliter, quia hoc ad 70. seniores pertinebat, sed in paruis iudicabant, & illi 70. erant aliqui de tribunis in qualibet de tribubus: de veritate huius diffusius dictum est Exod. 18. & ibi requiratur. *Bona res est quam vis facere.* In hoc omnis populus consensit ei, quia vidit manifestè, quod erat bonum, & propter hoc multum honorabant Ietro, qui tale consilium dederat, vt habetur Num. 10. c. cùm dixit ei Moyses: noli nos dimittere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster: cumque nobiscum iueris, quicquid optimum fuerit ex omnibus, quæ daturus est nobis Dominus; dabimus tibi. *Nobiles.* Id est de maioribus natu.

C

Quare nobiles Moyses constituit principes potius quàm plebeios. Et nobilitas quid ejt & ad quid nobiles tenentur.

QVÆST. VII.

D

ET hoc propter multa, quia magis noti sunt mores nobilium quàm ignobilium, quia propter generis altitudinem famosiores sunt.

Item quia nobilitas quandam necessitatem videtur imponere hominibus, vt strenuos mores sui generis insequantur, sic enim ait Boetius de conso. libr. 3. prosa 5. videtur namque esse nobilitas quædam de meritis veniens laus parentum, & postea concludit, quod si quid in nobilitate bonum est id arbitramur esse solùm, vt imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent. Item quia facilius homines tolerant aliquem nobilem genere eis dominari quã aliquem plebeium, & maiori reuerentia tenentur, quod requiritur in principatu: nihil enim princeps prodest quem subditi non verentur. Etiam quia cum homines paruæ conditionis magnæ multitudini dominantur: aliqui animosi eius dominatui se subijci non ferentes dissensiones faciunt, & plerunque vrbium dissidia, & legum violatio causatur, nisi ille qui paruæ conditionis est, ita virtute excellat, vt omnibus de politia de eius bonitate complaceat, quod rarissimum valde est. *Constitui eos principes & tribunos.* Princeps nomen generale est continens in se omnes hic nominatos: ideò non ponitur hic proprie, sed pro id est, quia non communicatur genus cõtra species suas. *Tribunos.* Habentes sub se mille. *Centuriones.* Qui præsunt centum viris. *Quinquagenarios.* Qui præsunt quinquaginta. *Decanos.* Qui præsunt decem. De modo subordinationis istorum principatuum diximus Numer. 11. cap. *Qui docerent vos singula.* Causas sententiabant, quia non poterant dari in lege regulæ circa omnia agibilia, quæ sub narratione vel sub arte cadunt, vt habetur 2. Ethicor. & 5. vir autem sapiens videns casum poterit secundum materiam subiectam dirigere, quia ita iudicasset legislator si omnes circunstantiæ ei potuissent offerri. Et ad hoc oportet esse in talibus prudentiam politicam, vt licèt leges non condant cum de casibus non scriptis in lege ita iudicent, ac si legem conderent. *Audite illos.* Id est vtranque partem: non enim debet iudex inaudita parte procedere, nisi in notorijs, vbi vocatio partis non requiritur ad faciendum processum iuris, quia talis processus fit ad inquirendam veritatem: in notorijs autem veritas euidens est, sed solùm debet vocari ad audiendum sententiam. *Siue ciuis sit, siue peregrinus.* Istæ leges dabantur posteris, in quibus non debebat intercedere, maior fauor pro ciue quàm pro peregrino, tunc autem nullus ciuis erat, quia ciuis à ciuitate dicitur: ciuitatem autem nullam tunc habebant, cùm non ingressi fuissent in terram promissionis, ideò tunc nec Israelitæ, nec alij alienigenæ, cum eis ascendentes ciues erant: vocatur peregrinus, qui peregre transit per aliquam regionem, vel qui de alio loco est, & in iudicio comparet extra locum suum, vel ille, qui de alia terra ad aliquem locum, vt ibidem moraretur, aduenit: qui propriè aduena dicitur, & de istis loquitur hic in litera, quia multi de istis inter Hebræos futuri erant, cum conuerterentur ad iudaicum ritum, & Deus specialiter dicebat iustitiam esse tenendam in peregrinos, quia sciebat Hebræos crudos atq; immisericordes, & conuersos de Gentilitate tanquam seruos oppressuros, & abominaturos eos, quod occasionem præstaret, vt nulli de Gentilitate ad iudaicum ritum conuerterentur.

Plures sunt ca. fus quã leges.

Quis sit peregrinus.

E

F

Idem enim quidam & plurimi modernorum nostrorum patiuntur ad conuersos de iudaismo, detestantes, vilipendentes, atque contristantes eos, sed fieri non debet, vt patet extra de rescript. vbi dicitur de quodam quem episcopus in canonicum recipere nolebat, quia conuersus erat, & Papa rescribit dicens, pro eo vero, quòd Iudæus extiterit eum dedignari non debes. Vel potest accipi ciuis non pro illo qui participat lege & dignitate in aliqua ciuitate, vt patet 3. Polit. capit. 1. sed pro illo qui de Israel descendens erat, & patet hoc, quia in deserto vbi dicta sunt primo, nullus erat ciuis accipiendo primo modo, sed pro naturali de Iacob. *Nulla erit distantia personarum.* Id est non facietis differentiam in iudicando, vtrum sententiam proferatis contra diuitem vel pauperem, dum tamen

A

In iudicio non magis diues q. pauper est honorandus.

secundum legem detis sententiam, neque in iudicio magis diues, quàm pauper honorandus est, ideò infr. dicitur, quòd si duo viri diues, & pauper iudicio contenderint, vterque ante iudicem stabit, nec faciet potentem vel diuitem apud se sedere, & pauperem stare, quia ista in animo pauperis magis suspitionem causarent contra se, crederet enim aduersarium acceptum esse iudici, ideò ius suum proponere formidaret, dato quòd iudex non intenderet per hoc fauori personarum adhęrere, sed non solùm à malo, sed etiam ab omni specie mali abstinendum est, extra de vita & hon. cle. capitul. cum ab omni. *Ita paruum audietis, vt magnum.*

Quare iura minus puniunt nobiles quàm ignobiles. Deus autem in inferno è conuerso. Et quid agendum in multitudinis delicto.

QVAEST. VIII.

QVIA aliquando nobiles & ignobiles non habent eandem legem, sed plura cõcesserunt iura nobilibus quàm ignobilibus, & alio modo pro eodem delicto puniuntur isti quàm illi: in inferno autem non obseruabuntur ista priuilegia, sed potentes potenter tormenta patientur Sapient. 6. cap. & ibidem dicitur: iudicium durissimum fiet his qui præsunt: ratio diuersitatis est, quia Deus qui ad voluntatem suam potest cuncta regere, cùm sit ei idem velle quod posse, & facere

B

considerat merita vel demerita cuiuslibet in se, & secundùm illa punitur vel gaudet, ideò dicitur scrutator cordium, quasi ex his, quæ in homine sunt, quemlibet iudicans, & non curando de alio: hoc verum est post mortem, sed in vita aliquando punit aliquos, quì nihil peccauerũt ad aliorum castigationem, vt in furto Achar ipse cum filijs & filiabus & omnibus combustus est, vt patet Iosue 7. cap. filij tamen & tota domus nihil peccauerant, quia huius furti conscij nõ erant, nec fauorem dederant: in hoc tamẽ secretum Dei iudicium latet, quia licèt illi pro illo crimine nihil mali mereantur, cùm malum non egerint, tamen ex aliquo alio crimine meruerunt, vel licèt non mereantur in se, propter patres iniquos puniuntur, vt patet infr. 7. c. & Exod. 34. & numer. 14. c. & ibidem clare posuimus qualiter ista pœna inflicta filijs pro patribus interdum proficit ad eorum magnum meritum, aut aliquorum criminum deletionem. In politia humana quæ imperfecta est, & difficilis conseruari, quia subditi non subijciuntur totaliter rectoribus, non consideratur semper meritum, vel demeritum alicuius, vt sic æqualiter puniatur, sed consideratur pax & bonus status politiæ. Quando ergo in puniendo aliqua vitia scandalum oritur, punitio dimittitur, ideò quia scandalum esset nobiles in pœnis ignobilibus comparari, iura sanxerunt eos minus puniri, licèt fortè in eodem actu plus peccauerint. Item si magna pars ciuitatis peccauerit, non punitur propter scandalum discessionis à politia: vnde delicto multitudinis parcitur non solum in pure ciuilibus, sed etiam in spiritualibus, vt extra de clerico excommunicato vel deposito ministrante. c. latores, vbi dicitur quòd si illi clerici, qui post excõmunicationem & interdictum officia diuina celebrauerunt, si sint 40. solùm aut pauciores in hoc peccantes, deponantur perpetuo ab omni sacerdotali officio, si autem fuerit magna multitudo, aliqui pauci qui magis peccauerũt, ab officio perpetuo deponantur: omnes alij minus peccantes ab officio tẽporaliter suspenduntur: hoc autem verum est, quando in punitione multitudinis timetur magnum periculum, aut scandalum, vel fractio legum, repugnante multitudine correctioni: si tamen ipsa multitudo libenter correctionem recipiat, punienda est, vt habetur 31. quæstio. 4. ca. non potest in fine. & de pœnitentijs distinct. 7. c. fi. Et sic quando Moyses vidit populum coluisse vitulum conflatilem, accinctus ense cum alijs Leuitis transiuit per medium castrorum à porta vsque ad portam, & occidit viginti tria millia virorum, quæ erat satis magna multitudo, vt patet Exod. 32. c. hoc autem fecit propter duo. Primo quia à Deo inspiratus fuit, quod posset punire illam multitudinem, & quòd reliquus populus non insurgeret contra eum. Secundò quia delictum valde magnum erat, quia nihil Deus magis abominabatur quàm cultum idolorum, tãquam aliquid quod directè est contra ipsum: reliqua autem peccata licet eum offendant, non tamen ita directe, quia ad

C

proximum sunt, sic etiam mandatur infr. 13. ca. quòd si in aliqua ciuitate habitatores peruersi fuissent, vt saltem semel colerent idola, totus Israel pugnare debebat contra ciuitatem, & occidere viros, fœminas, senes, & paruulos vsque ad pecora, & omnem supellectilem cum tota ciuitate comburere, & muros atque ædificia super habitatores mortuos deijcere subuertendo vsque ad solùm, vt esset tumulus sempiternus, & postea ædificari ibi nihil debebat, quia erat anathema.

Item tempore Iosue cum Rubenitæ, & Gaaditæ, & dimidia tribus Manasse reuerterentur in possessiones suas, & construxissent altare apud tumulos Iordanis, reliqua multitudo Israel conuenit in Silo, & ibi consilium initum fuit, vt pugnarent contra duas tribus & dimidiam, quæ erant quasi quarta pars Israel, & occiderent omnes, sed postea mansuete responderunt, vt patet Iosue. 22. cap. Deus autem de scandalo non curat, quia apud eum scandalum esse non potest: est enim scandalum propter defectum potentiæ rectoris, quòd si aliqua ciuitas, immò si omnia regna contra Deum peccarent, omnia damnarentur simul ad gehennam, sic habetur Luc. 13. c. nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis, idem patet in destructione Sodomorum, quia cum ibi. 4. ciuitates principaliter peccauissent, omnes quatuor igne, & sulphure destructæ sunt, vt patet Gen. 49. c. habitatores tamen illarum ciuitatum magnam multitudinem faciebant. idem patet de occisione omnium primogenitorũ in Aegypto, quæ fuit plaga incomparabilis, cùm non esset aliqua domus in tota Aegypto, in qua non esset mortuus aliquis, vt patet Exod. 12. c. & multæ domus erant, in quibus multi mortui erant, vt ibidem declaratum est: idem patet de submersione Aegyptiorum in mari, qui erant quinquaginta millia equitum, & ducenta millia peditum armatorum, vt dicit Iosephus: idem patet in morte exercitus Sẽnacherib, vbi erant centum octuaginta quinq; millia, vt patet 4. Reg. 19. cap. apud Dei correctionem scandalum nullum est, quia correctioni eius nullus resistere potest, sicut disciplinæ politicæ.

Aliquando etiam de iure humano aliqui non peccantes puniuntur propter pacem politiæ: Deus autem propter nullam pacis occasionem puniret innocentem in inferno, ideò dixit Abraham Deo volenti destruere Sodomam Genes. 18. c. nonne perdes iustum cum impio? non est tuum hoc, qui iudicas omnem terram. quasi. d. ad reges temporales hoc pertinet hostes suos iustos siue iniustos delere, vt sint in quiete: ad te autem non. *Nec accipietis cuiusquam personam.* Accipere personam opponitur iustitiæ distributiuæ, quæ est in distribuendo diuersis æqualiter secũdum proportionalitatem dignitatum, qui ergo in distribuendo honorem, pœnam; vel absolutionẽ, quæ ad iudices pertinent, non considerat dignitatem, id est merita personarum, sed solas personas iniustus est: vnde aliquando considerantur personæ propter causas, aliquando solæ personæ: quando. n. respicimus personam cum causa non est acceptio personarum, sed iusta distributio, vt si duo pauperes petant, & aliquis det magis indigenti & non alteri, non est accipere personam: sic si duo petant beneficium, & episcopus honestiori & sapientiori eorum concedat, nõ accipit personam, sed causam, qui enim personam & non causam respicit, acceptor personarum dicitur, & iniustus, vt si duo iudicio contendant, & iudex pro vno sententiet, nõ quia iustam causam fouet, sed quia Petrus vel Martinus est, personam solùm accepit: igitur ille causam considerat, qui curat de iusto & bono, siue iste, siue ille sit: ille personam accipit, qui de isto curat, siue iustus, siue iniustus sit, & si rectè attendatur nullus accipit solam personam, sed semper accipit conditionem personæ, quia si aliquis iudex iniustè sententiat pro aliquo, non sententiat sic, quia ille est iste homo, sed quia diues est, vel potens, vel consanguineus, vel amicus, & sic de alijs: ideò in omni acceptione personarum oportet conditionem interuenire personæ: impossibile est enim aliter fieri.

D

E

Nota quando iudex apprè est acceptor personarum.

F

Quando aliquis est acceptator personarum, & quando non. Et quot modis fit acceptio personarum. Et an fiat in bonis propriis.

QVÆSTIO IX.

AD sciendum ergo quando persona accipitur, est notandum, quod conditionum personarum aliquæ sunt pertinentes ad meritum rei quæ datur: aliquæ sunt impertinentes. Quando autem aliquis aliquid concedit, vel distribuit propter conditionem personæ impertinentem ad meritum, personam accipit: si autem conditionem personæ ad meritum pertinentem respiciat, personam non accipit, vt si aliquis episcopus det alicui beneficium, quia potens, diues, vel consanguineus, siue dilectus, licet conditiones personæ sint, quia tamen non pertinent ad meritum rei collatæ acceptor personæ est: si autem conferat, quia bonæ conuersationis, & scientiæ conuenientis est, quia ista ad suscipiendum habilitant, causarum & non personarum acceptor est. Si autem obiiciatur, quòd in moralibus oportet personam considerare, quia est vna de circumstantiis, scilicet, cui. Respondetur, quòd persona non est circumstantia actus accipiendo simpliciter, sed referendo personam ad conditionem personæ meritoriam, vel demeritoriam, pertinentem vel impertinentē. Sciendum autem, quod acceptio personarum fit solum duobus modis, vel si reperiantur alij modi, reducuntur ad istos. Primus est, quando potestas distribuentis pœnam, vel absolutionem, damnum, aut lucrum, vel honorem, aut infamiam est ligata per aliquam legem taxantem quantum quali dari debeat. Secundus modus est, quando distributio superabundans in vno præiudicat alteri de primo, vt si lex determinat talem honorem, aut dignitatem, vel beneficium debere dari homini habenti talem conditionem, aut talem, & princeps dispensans bona reipublicæ distribuat honorem illum, aut dignitatem alicui, in quo non reperitur conditio determinata a lege, dato quod etiam ille cui datur honor alias bonus sit, ille qui distribuit ei honorem personarum acceptor est, id est, quod propter solam personam sine causa determinata in lege ei honorem distribuit. Secundus modus est, quando distributio superabundans in vno præiudicat alteri, vt si iudex qui est persona publica distribuens litigantibus damna, & lucra, honores, & pœnas, vni parti de littigantibus plus de honore, aut lucro distribuat, quàm mereatur, personam accipit, & alteram partem grauat, cuius iuri illud subtrahit quòd alteri supererogat. In bonis autem propriis non potest fieri acceptio personarum, quia nullus istorum modorum intercidit: non primus, quia in bonis propriis non obligatur aliquis ad certum modum, vel quantitatem distributionis per aliquam legem taxantem: ideo potest distribuere quantum voluerit, & cui voluerit: etiam quia non determinatur persona cui dare debeat, sed potest dare indifferenter cui voluerit. Secundus modus etiam non interuenit: quia nullam iniuriam quis facit alteri dando cuicunque quod voluerit, siue magis, siue minus. Ex quibus infertur, quod si aliquis det de rebus suis alicui viro, qui non est bonus, nō est acceptor personarum, vel si det alicui qui non est pauper, & non det ei qui est pauper: vel si det minus pauperi, & non magis pauperi, quia lex nō obligauit eum ad dandum alicui istorum: etiam dando vni nullo modo grauat alterum, quia nihil ei debet, aut de suo tollit, nisi forte vnus de pauperibus esset in extrema necessitate, quia tunc obligabatur illi dare. Ex hoc etiam patet, quod ille paterfamilias, qui conduxit operarios in vineam suam, vt patet Matth. 20. cap. & dedit extremis operariis tantum, sicut primis, nō fuit personarum acceptor, quia nihil tollebat primis de iure suo, cum pepigisset dare eis denarium pro labore diurno, & postea dedit in nocte, & tamen merebantur: postremis autem dedit plusquam merebantur, scilicet, vnum denarium cum sola vna hora laborassent: superabundans tamen distributio in posterioribus non grauabat priores, ac si nihil posterioribus datum esset: ideo respōdit paterfamilias tanquam malum non egisset, amice tolle quod tuum est, & vade in pace: nonne licet mihi facere quod volo? q.d. licet cum liberam potestatē habeam in rebus meis. Et subiunxit, si oculus tuus nequam est: ego autem bonus sum, scilicet, videtur tibi, quod ago tibi iniuriam dando isti tantum sicut tibi, sed non ago: quia bonus sum. Si tamen iste paterfamilias disponeret bona reipublicæ, & de eis distribuisset mercedem operariis, non liceret ei tantum dare posterioribus sicut prioribus: quia licet non grauaret priores, tantum dando posterioribus sicut eis, tamen grauabat rempublicam cui subtrahebat id, quod illis operariis supererogabat, & sic faciebat iniustum, sibi autem iniustō facere non potest, quia qui iniustum patitur semper est nolens, vt patet 5. Ethic. *Quia Dei iudicium est.* Quia qui iudicat locum Dei obtinet dirimendo litigia: debet ergo Deum in iudiciis imitari quantum finit politiæ humanæ conditio. *Quod si difficile aliquid vobis visum fuerit.* Quia quid iuris esset nescirent. *Referte ad me,* Quia ego determinabo, vel si ignauero consulam Deum, vt patet Num. 36. c. de quæstione filiorum Manasse. Et hoc intelligitur de causis ciuilibus, quia causæ spirituales, vel quæstiones legis ad solum Moysen referebantur, vt habetur Exo. 18. c. & sic Moyses in vtroque foro præerat. Dicit Rab. Sal. quod ideo Moyses aliquando ignorauit responsionem aliquarum quæstionum, quia gloriatus fuerat se respondere in magnis quæstionibus, sicut Samuel non cognouit quem Dominus elegisset de filiis Isai vt habetur 1. Reg. 16. c, quia dixerat se esse videntem, vt 1. Regu. 9. cap. Sed non est verisimile, quod tanti viri gloriarentur in talibus nominibus, quia hoc mortale esset. Sed etiam aliquando Deus deprimit aliquem, vel ei magna non reuelat: quia non dedit laudem Deo forte ex inauertentia, vel vt conuertatur ad considerationē propriæ fragilitatis, ne extollatur, vt habetur de Paulo. 2. Cor. 12. cap. Et de Ezechiele, quem postquam Deus magnis reuelationibus exaltauerat: vocabat filium hominis, vt se infimū esse conspiciens in his non superbiret, vt ait Gregorius super Ezechielem. *Præcepique eis omnia quæ facere deberetis.* Quæ potuerunt tunc Moysi occurrere, vel Deus dignatus est ei reuelare. Alia autem magis particularia in regentis prudentia relinquuntur.

(Profectique) narratis diuinis beneficiis in dispositione populi hic agitur de murmuratione propter exploratores. *Profectique de Oreb.* Id est de monte Synai: vocatur multis nominibus. Et sic forte aliæ mansiones: ideo diffiaultas intelligendi oritur, quia aliquando his, aliquando aliis nominibus vtitur. *Transiuimus per eremum terribilem.* Id est per desertum Pharan: & vocatur terribilis, quia ibi serpentes erant adurentes flatu, scorpiones, & similia, & nullæ aquæ, vt habetur infra 8. vocatur ista solitudo maxima: quia maiori tempore ambulauerunt Iudæi per istam quam per alias solitudines: nam in ista morati sunt ab anno 2. vsque ad principium anni 40. in aliis autem modico tempore manserunt. Item quia plures mansiones fecerunt in deserto Pharan quam in aliis: nam filij Israel steterūt in deserto Etham siue in deserto Sur quod idem est: steterunt etiam in deserto Syn, & postea in deserto Pharan, in deserto Sur, siue Etham ambulauerunt filij Israel tribus diebus postquam ingressi sunt illud, vt patet Exod. 15. cap. & Num. 33. deinde fecerunt tres mansiones in eodem deserto, sc. in Mara & in Helim, & super mare rubrū, vt patet Exod. 15. & Num. 33. cap. in deserto Syn. etiam fecerunt mansionem filij Israel, vt patet Exod. 16. cap. & est istud desertum inter Helim & desertum Synai: hic autem fuit vna sola mansio, vt patet Num. 33. quia cum dictum fuisset, quod Israel venit de Helim in desertum Syn, subiungitur immediate, inde profecti venerunt in Aluo, vel Dephca, qui primo est, & sic videtur, quod quando venerunt in Dephca, quæ est mansio sequens, iam recesserant de solitudine Syn: dato autem quod mansiones, quæ sunt inter desertum Syn, & montem Synai computantur intra desertum Syn: solum erunt quatuor, scilicet, mansio in deserto Syn, & in Dephca, & in Aluo, & in Raphidin: in deserto Pharan ambulauerunt, ex quo receſſerunt de Aseroth vsque quo venerunt in Cadesbarne, quia ibi incœperunt applicare se extremis finibus Edon, vt patet Num. 20. cap. sunt autem inter Aseroth, quæ est apud Pharan, vt patet Num. 13. vsque ad Cades, siue montem Hor mansiones 19. vel 20. vt patet Num. 33. cap. ergo ista solitudo fuit maxima. *Per viam montis Amorrhæi.* Id est per viam qua venitur ad montem Amorrhæorum, id est, in quo morabantur Og, & Sehon duo reges Amorrhæorum: ad illam terram primo venerunt, & vocatur illa terra mons, quia mō-

A

B *Duob. modis fit solū acceptio personarū.*

In bonis propriis non potest fieri acceptio personarū.

C

D

Quar. Moyses & alij viri sancti ignorabant responsiones aliquarū quæstionū.

E

Mansiones deserti quot & vbi.

F

A

tuosa & alta est. *Sicut præceperat Dominus Deus noster nobis.* Vt patet supra in litera sufficit, quod in monte hoc stetistis: reuertimini ad montem Amorrhæi. *Cumque venissemus in Cadesbarne.* De qua missi sunt exploratores in secundo anno exitus de Ægypto. *Dixi vobis venistis ad montem Amorrhæi.* Quia iam erant iuxta terram promissionis, quia Cadesbarne est in confinibus terræ illius, vt patet Num. 34. ca. qui autem alicui loco vicinus est, iam ad eum venisse dicitur. Ista verba sci. venistis ad montem Amorrhæi dixit Moyses filiis Israel, in 2. anno modico tempore postquam recessérunt de monte Synai, quia velociter ambulauerunt illas mansiones peruenientes in Cadesbarne, & in ipso loco cum coniuncta terra Amorrhæorum & terra promissionis sit, videbantur esse in ea, & tunc transituri erant in eam secundum mandatum Domini, scilicet reuertimini in montem Amorrhæorum, nec aliquid aliud restabat, & sic volebat Moyses, vt nulla mora facta transirent in eam in ipso, secundo anno, sed ipsi incredulí noluerunt, nisi præmisissent exploratores, & illi peruerterunt eos. Quòd autem in illo anno Hebræi peruenerint vsq; ad confinia montis Amorrhæorum, patet quia venerunt in Cades, vt habetur Numer. 13. cap. nam exploratores redeuntes. 40. diebus postquam missi fuerant, iuerunt Israel in Cades, vt patet eod. cap. & ista Cades est in finibus terræ Edom, & Amorrhæorum, vt patet Num. 20. & 21. cap. quia Cades est circa Arnon, & Arnon est in finibus terræ Amorrhæorum, vt

B

patet Num. 21. cap. & ista est Cadesbarne, in qua mansérunt multo tempore, vt patet infra in litera, deinde ambulauerũt vagi per desertum vsq; ad principium anni 40. retrocedentes de Cadesbarne versus terram illam, de qua venerant: deinde completa morte omnium, qui peccauerant, vt patet infra 20. cap. venerunt in Cades deserti Syn, siue in Cadesbarne, vt intrarent terram Amorrhæorum, vt patet Num 20. cap. & tunc miserunt legatos ad regem Edom, deinde ad regem Seon, vt permitterent eos intrare per terram suam, & non permiserunt.

Nonnullorum error, quòd ista verba sint Moysi dicta in principio anni 40. siue in fine 39.

QVÆSTIO X.

ET ex hoc falluntur aliqui putantes, quòd ista verba Moysi dicta sunt in principio anni 40. siue in fine 39. quando venerunt in Cades mense septimo anni 39. quia tunc dicitur Num. 20. quòd venit omnis multitudo filiorum Israel in Cades deserti Syn, & mortua est Maria: sed hoc non potest stare, quia ista verba dixit Moyses Israelitis antequam mitterent exploratores, quod patet ex eo quod sequitur in textu cum dicitur, & accessistis ad me atque dixistis, mittamus viros qui considerent terram, sed missio legatorum fuit

C

in secundo anno, vt patet ex his, quæ dicuntur Num. 13. & 14. cap. nam post missionem legatorum mansérunt in deserto, donec omnes qui peccauerant consumpti sunt morte, & hoc fuit spacium, 38. annorum, vt patet sequenti cap. quibus ambulauerunt de Cadesbarne vsque ad torrentem Zareth. *Vide terram.* Quia ex illo loco poterat videri aliqua pars terræ promissionis licet indistincte. *Ascende & possíde eam.* Id est, sine difficultate eam habere poteris: voluerat enim Moyses, quòd immediate nullo impedimento posito ascenderent, ipsi autem modicum confidentes in diuina protectione recurrentes ad humanum auxiliũ miserunt exploratores, quia ergo infideles fuerunt Deo, permisit eos Deus ab exploratoribus falli, & sic non ingressi sunt terram illam. Sed statim arguet aliquis, quod quilibet in negociis suis agere debet quantum via humana fieri potest, post recurret ad Deum, aliter tentaret Deum.

Respondetur quòd aliter agere debemus in his, quæ mandato Dei agimus, aliter in his, quæ voluntate nostra, quando enim aliqua nobis bona videntur, quæ Deus nobis specialiter non mandauit, oportet quantum via humana possimus dirigere. Cum autem non possumus sic, ad Deum recurrendum est, & sic non tentabimus. Si autem aliquid Deus nobis specialiter mandet, in quo modum agendi declaret, si forte modus ille nobis non securus esse videtur, & viam humanam tutiorem inquirimus, increduli Deo sumus, si enim quòd mandat per magna pericula agere, magnis periculis, & supra homines agendo nos exponamus, Deum non tentamus, sed fideliter obedimus: tentatio est velle accipere experientiam de incognito: hic autem manifesta est nobis voluntas Dei: isto modo peccauerunt Iudæi, quia Deus mandauerat eis q̃ intrarent ad possidendum terram promissionis, & declarauerat eis modum dicens: nolite timere, quia protector vester ego sum: ipsi autem non credentes verbis Dei securitatem humanam quæsierunt: vnde multum errauerunt. *Ne quicquam paueas.* Id est non affligaris in corde tuo, vt patet in litera Hebraica. *Et accessistis ad me omnes.* Importune petendo mitti exploratores: ideo omnibus repugnare non poterat. Et patet hoc, quia si Moyses consensérat immediate, sicut cæteri peccauerat diffidendo verbis Dei, & magis peccasset quam cæteri, cum ipse esset propheta Domini, & ipse dixisset eis, quòd immediate intrare poterant in terram Amorrhæorũ: sed ipse repugnauit, & non consentientibus Hebræis verbo eius, sed importune petentibus mitti exploratores, ipse ad vltimum inuitus consensit toti populo, quia prohibere non poterat. *Mittamus viros qui considerent terram.* Scilicet vtrum sterilis ad fertilis: montuosa an plana: murata an sine muris, & quales habeat habitatores, vt patet Num. 13. cap. *Et renunciet per quod iter ascendere debeamus.* Scilicet vt sciant quæ pars facilior est an intrandum, & magis vacans ab hostibus: valde in hoc increduli erant Deo, quia habentes angelum in columna, qui eos dirigebat, vt habetur Exod. 14. ca. magis ad debile humanum adiutorium confugerunt. *Et ad quas pergere ciuitates.* Scilicet quæ sunt faciliores capi, vt ad eas primo eamus. *Cumq; sermo mihi placuisset.* Id est cũ cõsensissem in dicto vestro, quia tota multitudo dicebat, sed non placebat ei, & si ipsi non instigassent multum, Moyses non misisset exploratores, & patet: quia primo ipsi petierunt exploratores, & Moyses dubitabat imò repugnabat mittere, sed Deus sibi mandauit, quod consentiret populo, vt habetur Num. 13. ca. *Duodecim viros singulos de tribubus suis.* Vt non videretur aliqua tribus esse peioris conditionis quam aliæ. *Peruenerunt vsque ad vallem Botri.* Iste videtur fuisse vltimus locus, in quo steterunt exploratores: quia inde duxerunt palmitem pendentem cum vua sua inter duos viros, vt patet Numer. 13. cap. & ista Vallis Botri est ad Meridiem, & patet: quia ipsi intrauerunt per partem meridianam, vt patet Num. 13. cap. & cum totam terram intrassent, necesse erat redire per terram meridianam, per quam intrauerant: etiam quia non poterant ducere illum palmitem, nisi de loco vltimo terræ Chanaan, vt non viderent Chananæi eos portantes, quia non permitterent, & cum ipsi essent ad partem meridianam terræ illius, necesse erat locum illum esse meridianum. *Vt ostenderent vbertatem.* Et sic dixerunt exploratores terram quidem quam lustrauimus, melle & lacte fluit, vt ex his fructibus conuinci potest. *Bona est terra quam Deus daturus est nobis.* Si ergo exploratores terram laudauerunt, quomodo populus illuc ire noluit?

Respondetur, quòd non laudauerunt totaliter terram exploratores, sed solum quantum ad fructuum vbertatem, vituperauerunt autem quantum ad aeris dispositionem: dixerunt enim, terra illa deuorat habitatores suos, scilicet peste consumendo, vt habetur Num. 13, cap. dixerunt etiam, quod tantum erat murata, & tam fortes habitatores habebat, quod eis impossibile erat eam acquirere: sed Iosue, & Caleph in hoc contradixerunt, vt patet Num. 14. dicentes quòd cum Dei adiutorio gentes illas, vt panem deuorarent. *Sed incredulí verbis Domini.* Qui promiserat emittere angelum suum, & dispergere omnes illas gentes, vt patet Exod. 23. & 34. cap. *Sed murmurati estis.* Ad incredulitatem secuta est desperatio, ad desperationem nimia tristitia: vnde tota nocte qua venerant exploratores, fleuerunt: vt habetur Num. 14. ca. & murmurauerunt. *Odit nos Deus.* Hoc enim omnium pessimum erat: ingratos fuisse Deo valde malũ erat: non obedire Deo mandanti malum quoque: Dei autem manifesta beneficia in malum interpretari omnium pessimum est, nec aliquod maius esse potest, quia repugnat de directo bonitati diuinæ: vnde maledicti sunt à Domino dicentes, bonum malum, & lucem tenebras, vt Esaiæ quinto capite. Etiam quia falsum erat manifeste: nam Deus nullam gentem odio habet, vt patet Sapien. 11. cap. cum dicitur, sed misereris omnium, quia potens es, & peccata hominum dissimulas propter pœnitentiam:

D

Quid sit tentatio.

E

Vltimus locus, in quo steterunt exploratores.

F

A

tiam : diligis enim omnia quæ sunt , & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid cõstituisti, aut fecisti. *Idcirco eduxit nos de terra Aegypti, vt traderet nos in manus Amorrhæi.* Mendacem & impotentem Deum faciebant : mendacem quidem, quia Dens vocauit eum populum peculiarem , & electum ex cunctis populis terræ, vt infra 4. & 7. c. impotentem quidem, quia putabant, quod ad destruendum eos in deserto eduxit eos, quasi non posset eos in Ægypto delere: nunquid enim non viderant quanta mala Ægyptiis intulerat in percussione primogenitorum ? & in mari rubro ? nunquid angelus qui exterminabat primogenita Ægyptiorum non poterat occidere omnes Hebræos ? poterat quidem : immo omnes occidisset, nisi Deus videns sanguinem in postibus domorum vetaret eum intrare ad percutiendum : nunquid etiam Ægyptij non poterant destruxisse Hebræos ante mare rubrum , cum inquirerent eos à tergo ? potuissent quidem etiam Deo nihil agente : immo omnes accepissent & interemissent, nisi angelus qui præcedebat in columna, conuertisset se ad posteriorem partem exercitus illuminans Hebræos, & obscurãs Ægyptios, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent castra Ægyptiorum, & Hebræorum, vt patet Exod. 14. c. mentiebantur ergo valde ingratissimi isti Hebræi contra Dominum, in quo grauissime delinquebant. *Nuncij terruerunt cor nostrum*, scilicet, decem, quia Caleph & Iosue magis confortabant , vt habetur Numeri decimo quarto capite. *Ad cœlum vsque muratæ.* Hyperbole est. *Filios Enachin.* id est gigantes : Enach appellatiuum nomen est, & signat gigantem : Enachin plurale Hebraicum est. *Vidimus ibi*, scilicet, in Ebron ciuitate, quæ dicitur Thariatharbe : ibi enim habitauerunt gigantes, vt habetur Numeri decimotertio, & Iosue decimo quinto capite, pro vobis ipse pugnabit mittendo angelum suum, qui disperdat gentes illas, vt promisit Exod. 23. cap. sicut fecit in Ægypto, id est inferendo omnes plagas, quia Pharao affligebat populum , & post in mari rubro Ægyptios fluctibus inuoluendo. *Videntibus cunctis.* Videbant enim Ægyptij, & confitebantur, quia Deus pugnabat pro eis, vt patet Exo. 14. fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis. *Et in solitudine ipsi vidistis.* Hoc fuit quando pugnauerunt contra Amalechitas, Exodi decimo septimo capite, & orante Moyse cadebant aduersarij. *Ipsi vidistis*, id est, hoc non viderunt Ægyptii, sed vos vidistis: ideo si beneficia ista negare velitis, Ægyptii testabuntur contra vos, quia viderunt, & vos ipsi negare non poteritis. *Sicut solet homo gestare paruulum filium suum.* Sicut enim homo portans filium ei omnia, quæ vult tribuit, ne ploret : ita vobis cibum, potum , & vniuersa sufficienter largitus est. *In omni via per quam ambulastis.*

B

Licet peccaret populus, & Deus ei irasceretur, tamen Manna nunquam abstulit.

C

QVÆSTIO XL

LICET enim peccaret populus, & Deus ei irasceretur, tamen manna nunquam abstulit, quia misericors est, pluit super bonum & malum , & facit solem suum oriri super iustos & peccatores, Matth. 5. & nubem suam non abstulit Exo. 13. cap. *Et metatus est locum.* Id est assignauit locum in quo tentoria figere deberetis, vbi nubes requiescebat , castra metabantur, vt patet Num. 9. cap. per mandatum Domini figebant tentoria, & per verbum eius proficiscebantur. *Ostendens vobis iter per ignem.* Sicut in die columna nubis ostendebat viam, & obumbrabat à sole : sic columna ignis in nocte splẽdebat, vt non indigerent lucernis, & si per noctem proficisci deberent, mouebatur columna ignis, sed non legimus aliquã do eos nocte ambulasse , nisi quando intrauerunt mare rubrum, quasi in media nocte ambulauerunt per illud Exod. 14. cap. *Cumque audisset.* Hic ponitur murmurantium dura sententia. *Non videbit quispiam.* Id est non intrabit in terram promissionis, sed viderunt eam de Cadesbarne, vt supra diximus. *De hominibus generationis huius pessimæ.* Homines pessimæ generationis vocantur homines mali , nec vocantur homines generationis pessimæ filii malorum si boni sint , & mali etiam si à bonis generentur : tamen generatio pessima vocantur, & accipitur generatio progenito. *Ipse enim videbit eam.* Scilicet Caleb, & ipsi dabo terram quam calcauit , scilicet, Ebron, ad Ebron enim Caleb, solus accessit, & orauit super sepulchra patriarcharum, scilicet, Adam, Abraham, Isaac, & Iacob cum vxoribus suis, vt patet Iosue. 14. cap. & fit hic magis mentio de Caleb, & Numer. 14. quia Iosue fuit dux populi post mortem Moysi, & introduxit eos in terram promissam : ideo de eo dubitari non poterat, quin intrasset : poterat tamen dubitari de Caleb , quia non erat vir ita famosus. *Nec miranda indignatio in populo.* Id est non erat mirum quòd Deus irasceretur contra populum , quia contra eum peccauerat, sed etiam propter eos contra me iratus est, qui in hoc non peccaueram, quod signat magnum fuisse peccatum subditorum, quia in subditos non solum punitum est, sed etiam in prælatum transiit. Non est intelligendum, quod propter illud peccatum Deus Moysi iratus est , nec litera hoc dicit, sed quod propter subditos ei iratus sit : fuit enim istud peccatum occasio iræ Dei contra Moysen : hoc modo Deus iratus est Moysi , quia non benedixit eum ad aquas contradictionis, vt patet Num. 20. & 27. & 32. occasio non benedicendi Deum fuit rebellio subditorum, debuerat enim Moyses benedicere Deum loquendo ad Petram , vt patet prædictis. c. sed tantum mouebatur zelo contra contumaces, vt magis eos redarguere, quàm Deum benedicere curauerit : iuste ergo conqueritur Moyses de populo Hebræorum, cum peccatum eorum fuerit occasio peccandi ei. *Ipse intrabit pro te.* Id est exercebit ea, quæ tu exercere deberes eos dirigendo: ideo antequam moreretur Moyses Deus dixit ei de Iosue, cum dicitur : Dominus dixit mihi non transibis Iordanem istum : Dominus igitur Deus tuus transibit ante te, & ipse delebit omnes has gentes in conspectu tuo, & possidebis eas, & Iosue iste transibit ante te, & infra subditur: vocatur igitur Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel, confortare, & esto robustus : tu enim introduces populum istũ in terram, quam se daturum patribus eorum iurauit Deus, & eam sorte diuites : Dominus qui ductor est vestrum ipse erit tecum : non dimittet te, nec derelinquet : noli timere, nec paueas, vt patet Deuteronom. 31. cap. *Hunc exhortare.* Persuadendo ei, quod populum regere velit. *Et robora.* Certificando eum, quod in actibus suis prosperaretur : timebat enim Iosue, ꝙ sicut Deus iratus fuerat Moysi propter populum, magis irasceretur sibi, quia non erat tam sanctus : ideo Moyses mandato Dei certificauit eum de his, quæ euenire debebant, scilicet qualiter Iosue certissime introduceret eos in terrã promissionis, & quòd debellatis hostibus terram eorum caperet, atque Hebræorum tribubus diuideret, vt patet Deuteronomij trigesimo primo. *Paruuli vestri.* Data sententia contra patres peccatores subiungitur consolatio circa filios minores. *De quibus dixistis, quòd captiui ducerentur.* Hoc dixerunt Numer. 14. cap. paruuli vocantur pueri, infra 20. annos, qui tamen rationis vsum habent. *Et filij qui hodie.* Refertur ad tempus murmurationis. *Ignorant boni ac mali discretionem.* Id est pueri teneri nondum habentes vsum rationis. *Isti ingredientur.* Non tamen omnes isti : quia aliqui murmurauerunt, propter Manna, & mortui sunt : aliqui fornicati sunt in Belphegor Moabitarum, & mortui sunt : de his Num. 21. & 25. cap. *Vos autem reuertimini.* Id est non procedatis directe contra terram promissionis, scilicet quia non ero vobiscum, & egredientur hostes vestri, & delebunt vos de sub cœlo, vt patet immediate, quia Chananæi & Amalechitæ persecuti sunt eo multos occidentes. *Et abite in solitudinem.* Iam erant extra solitudinem in confinibus Amorrhæorum, & Idumæorum, scilicet Pharan, quæ erat terribilis, sed talis eis decebat, quia terra illa vacabat ab hostibus : nam quando ista sententia data fuit, erant Hebræi in Cadesbarne, quæ est in fine deserti & apud terminos Idumæorum, vt colligitur Num. 20. cap. & intraturi erant confestim in terram Amorrhæorum, sic enim dixerat Moyses, supra, venistis ad montem Amorrhæi quem Dominus Deus vester daturus est vobis : vide terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, ascende & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus vestris : noli metuere, ne quicquam paueas : nunc ergo quia propter peccata sua. 38. annis mansuri erant quasi sine aliqua locali transmutatione, & quia si tanto tempore fuissent inter hostes, scilicet inter Amorrhæos, vel Idumæos, hostes forte insurrexissent contra eos, ideo non mandauit Deus post peccatũ istis pro-

D

E

F

A cedere vltra ad terram habitatam, sed reuerti, scilicet ad terram deserti Pharan, in qua nulli aut rarissimi habitabant: ideo licet multo tempore ibi morarentur, nullus inquietaret eos. *Peccauimus Domino: ascendemus, atque pugnabimus.* Excœcabat eos peccatum graue, vt priori inobedientiæ nouam inobedientiam superadderent: prius mandauerat Deus ascēdere, & noluerunt: nunc mandabat non ascendere, & ascenderunt: ecce facti sunt filij contradictionis, & vt arcus prauus conuersus contra tenentem se, & tamen videbantur moueri aliquo bono zelo licèt indiscreto, scilicet Deus mandauerat eis ante, vt ascenderent immediate in terram promissionis, & quia non confidentes Deo non ascenderunt, sed miserunt exploratores, peccauerunt: nunc ergo vt istud vitium purgarent, volebant plus agere, quam Deus mandaret immediate ascendendo contra terram promissionis, sic enim faciunt milites, qui si in aliquo regem suum offenderint, postea se magnis periculis obiiciunt, vt amorem prouocent iam elapsum, & sic innuebant isti cum dixerunt, ascendemus atq; pugnabimus, sicut præcepit nobis Dominus Deus noster. Volebant ergo nunc supplere mandatum Dei quod ante non compleuerant, sed iste zelus fuit valde indiscretus: nam si Deus nihil dixisset bene staret, quòd ipsi moueren-

B tur ad supplendum quod ante defecerant, sed nunc Deus mandabat oppositum, cum dicebatur nolite ascendere, nec pugnetis: non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris: velle ergo contra Dei mandatum pugnare non erat complere præceptum, in quo defecerant, sed veteri inobedientiæ nouam superaddere, & hoc innuitur in litera sequenti, cum dicitur. *Locutus sum & non audistis.* Sed aduersantes imperio Domini, & tumentes superbia. *Ascendistis in montem.* Magis ergo iudicandum hoc factum fuisse ex quadam passione, quam ex Dei amore. *Nolite ascendere, non enim sum vobiscum.* Immensa Dei clementia, licet eis irata sit, eos tamen conseruare vult: si enim eis nihil dixisset introeuntes ad vlteriorem regionem omnes periissent. *Non enim sum vobiscum.* Scilicet vos ab hostibus liberans.

Quomodo Deus est in omni loco quo ad essentiam & potentiam.

QVÆSTIO XII.

DEVS enim in omni loco est, cum loco nulli desit: ipse namque virtute sua conseruat locum, & cum omnia conseruet, in omni loco est, sic enim habetur Hierem. 23. ca. nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus, quasi dicat sic: licet ergo Deus vbique secundum essentiam sit, quia nulus locus est, de quo non sit verum dicere hic est essentia diuina: Deus etiam vbique est per potentiam, scilicet quod in omni loco potest operari, licet non semper vbique operetur saltem operatione cognita nobis: dicetur ergo in illo loco esse in quo operatur, quia ergo Deus non erat nunc liberaturus Iudæos si ascenderent contra hostes, ideo prædicitur. *Non enim sum vobiscum.* Id est licet ego sum inter vos, sicut inter alias gentes, non tamen sum inter vos ad liberandum vos. *Egressus est Amorrhæus.* Num. 14. cap. vocantur Chananæi & Amalechitæ: dicendum quod hic non fit mentio de Amalechitis, sed solum de Chananæo, sed ille qui vocatur Chananæus ibi, vocatur hic Amorrhæus, Chananæus aliquando generaliter ponitur pro omnibus descendentibus de Chanaan, & cum Amorrhæi descēderint ab eo, vt habetur Gen. 10. cap. vocantur Chananæi: de hoc magis diximus Num. 21. ca. *Sicut apes solent prosequi.* Apes enim cum impetu contra aliquem veniunt & multæ, sic illi populi irruerunt in Iudæos non inuenientes aliquam resistentem. *Et cecidit.* Id est occidit, & est hic penultima longa, quia non est præteritum de cado, sed præteritum de cædo pro occidere. *De Seyr.* Id est de Idumæa, quia tunc erant apud fines Idumæorum, patet Num. 20. cap. quia quando iterum in 40. anno reuersi sunt in Cades, miserunt nuncios regi Idumæorum dicentes: ecce in finibus terræ tuæ sumus, & hoc manifestè sequitur, quod eadem fuit Cades in qua steterunt in secundo anno exitus de Ægypto, & in qua steterunt in 40. anno exitus de Ægypto, & in qua steterunt 40. anno, vbi mortua est Maria, quia vtraque dicitur in finibus Idumææ. *Cumque re-*

uersi ploraretis coram Domino. Id est corā tabernaculo, vt adiuuaret eos contra hostes, & introduceret in terra promissionis. *Voluit acquiescere.* Scilicet vt introduceret vos in terrā illam, quia sententia erat non comminatoria, sed diffinitiua. *Sedistis ergo in Cadesbarne diebus multis.* Id est multis diebus trāsierunt, quibus non transierunt vltra, scilicet 38. anni, vt patet sequenti cap. Dicitur hic, quod sederunt in Cadesbarne diebus multis. Non est intelligendum, quod steterint illis. 38. annis, de quibus infra 2. cap. in Cadesbarne, ita quod non moti fuerint, quia Numeri 14. cap. dicitur contrarium, scilic. mouerunt castra: nam dicitur ibidem, quoniam Amalechites, & Chananæus habitabant in vallibus: cras moue castra, & reuertimini per viam solitudinis maris rubri, sicut ergo ibi mandatum est, ita fecerunt: quia non est verisimile, quòd mandato Dei nunc repugnauerint, quia tunc non subticeret scriptura, cum exprimat primam & secundam repugnantiam ad Deum, quæ minores erant, cum peccata sint maiora, atque maioris contumaciæ cum sæpius iterantur. Nec valet si dicas id, quod habetur sequenti ca. sc. quod totum tempus quo ambulauerunt de Cadesbarne vsque ad torrentem Zareth, fuit 38. anno, nam si reuersi fuissent citra Cadesbarne, non computarentur isti anni à Cadesbarne, sed ab alio loco, ad quem vltimo deuenerunt reuertentes per desertum. Respondetur quod quando incœperunt in fine. 39. anni cōpleta iam pœna reuerti ad terram promissionis, non incœperunt reuerti à Cadesbarne, sed ab vltimo illorum locorum, in quo tunc erant, recedentes per desertum vagando. Cum dicuntur hic ambulasse in 38. annis à Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zareth: dicendum quod non computatur tota via, sed solum via recta, quam habuerunt ex Ægypto vsq; in terram Chanaan, & quia ab exitu de Ægypto vsque ad secundum annum directe venerunt vsque in Cadesbarne, licet postea redirent, id est, quod ipsi iuerunt contra solitudinem, quæ ducit in mare rubrum, vt patet Num. 14. c. & sic ambulauerunt 29. annis vacando ocio vel quieti, deinde redierunt in Cadesbarne, sed quia ambulatio intermedia nihil agebat ad rectum iter, ideo non computantur illi circuitus, sed solum à Cadesbarne ad quam venerunt in secundo anno ad torrentem Zareth, qui satis propinquus est. In Hebræo habetur magis sedistis in Cadesbarne. *Diebus multis iuxta dies quibus sedistis.* Id est iuxta dies quibus stetistis in deserto, quasi dicat, toto tempore quo in deserto stetistis, ibi stetistis, sc. in Cades: quia solum ibi steterunt. 38. annis, respectu quorum alij duo anni qui supersunt, pro nihilo habentur, & ista est sententia. Ra. Aben Ezra. Sed Ra. Sal. exponit. *Iuxta dies quibus sedistis.* Id est tanto tempore stetistis, in ista mā sione sola, sicut in omnibus aliis: vnde vult quod in Cades steterunt 19. annos, & in aliis mansionibus simul alios. 19. vt sint. 38. anni quibus sunt vagati propter peccatum. Sed non videtur multum consonum literæ, quod in mansione illa tanto tempore manserint, quia Deus mandauit eis, quòd reuerterentur contra mare rubrū, & quia noluerunt cœsi sunt ab hostibus: verisimile ergo est, quod immediate redirent contra mare rubrum, ne Deus eos magis traderet in manu hostium: deinde in anno 39. quando ibant directe in terram promissionis, venerunt in Cades mense septimo. 39. anni, & deinde in 5. mense anni 40. steterunt in monte Hor, vbi mortuus est Aaron, vt habetur Num. 33. c. ergo non manserunt ibi vno anno.

CAPVT II.

PRofectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, sicut mihi dixerat Dominus, & circuiuimus montem Seyr longo tempore. Dixitque Dominus ad me. Sufficit vobis circuire montem istum. Ite contra aquilonem, &c.

66. di. c. ieiunii. 2. ibi iussit sunt no ascendere.

PROFECTI. Continuat hic Moyses narrationem præteritorum, & postquam narrauit pœnas inflictas à Deo irato, demonstrat hic beneficia collata à Deo placato, & in ca. isto sequenti solum narrat beneficia: licèt enim tempore quo ista gerebātur, aliqua mala passus est Israel, vt patet Numer.

mer.21.& 25. tamen hic subticentur, quia beneficiorum collatio incitat ad gratias agendum, & obediendum collatori, pœnarum autem inflictio ad aliquam aliam non ita pertinẽtem ad persuasionem magis incitat passionem. Et tanguntur hic quatuor. Primum de transitu per Idumæos. Secundo de transitu per Moabitas ibi. *Cumque transissemus.* Tertiò de transitu per Ammonitas ibi. *Postquam autem vniuersi.* Quartò de transitu per Amorrhæos ibi (surgite & transite.) *Profectique inde.* Id est recedentes de Cadesbarne. *Venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum.* Quia stantes in Cadesbarne miserunt nuncios ad regem Edon, vt permitteret ingressum per terram suam, qui noluit: ideo mandauit Deus, quòd ascenderent contra partem Orientalem versus mare rubrum: quia etiam circa terram illam habet mare rubrum sinum, qui vocatur Arabicus: & infra contra occidentem est idem sinus Arabicus. *Et circuiuimus montem Seyr.* Id est Idumæam sicut dicebatur supra montem Amorrhæi.

Iste circuitus Israelitarum per Idumæam quomodo fuit factus.

QVÆSTIO I.

ISTE circuitus fuit ascendendo contra partem Orientalem, & patet, quia per terram Edon erat via directa in terram Chanaan: ideo namque petebant Hebræi dari sibi transitum per terram illam, & quia non datus fuit, dixerunt se circundedisse montem Seyr, id est non ambulasse directe: cum ergo isti venirent à parte meridiana, scil. ab Ægypto, vt patet Num. 13. cap. si via directa erat per terram Edon, oportebat quod ipsa esset in parte meridiana: etiam quia vt patet in descriptione situs terræ Edon in lib. de diuisione terræ sanctæ, & in Solino cap. de Ostracinæ regione: Idumæa est ad meridiem terræ Chanaan: & patet hoc clarius Num.34.cap. cum describuntur termini terræ Chanaan: & dicitur pars meridiana eius incipiet à solitudine Sin quæ est iuxta Edon: cum ergo declinauerint à rectitudine viæ terræ Edon venientes de terra meridiana, oportebat vel quod descenderent versus occidentem, vel ascenderent contra orientem: nõ potest dici quod descenderunt versus occidentem, quia tunc ingressus filiorum Israel in terram Chanaan non fuisset per partem orientalem, sed per meridianam, aut occidentalem, intrauerũt tamen per Orientalem, quia intrauerunt per Iordanẽ & Hierico, quæ sunt ad Orientem terræ illius, vt patet Num.34.ca. Item quia post transitum per terminos Idumęorum transierunt per Ammonitas & Moabitas, sc. apud terram eorum: & istæ sunt ad Orientem terræ Chanaan, & patet quia transierunt iuxta montem Moab, vbi voluit maledicere eos Balaam vt patet Nu.22.& vsq; ad 25.c. sed iste mons est cõiunctus valli Sodomorum, vt patet in lib. de diui. terræ sanctæ, Sodoma autem siue mare Sodomorum, quia iam Sodoma non est, dicitur esse ad orientem terræ promissionis: sic dicitur Nu.34. cum dicitur inde perucnient termini contra orientẽ ad mare Cenereth, & tendent contra Iordanem, & ad vltimum salsissimo claudentur mari, sed mare salsissimum vocatur mare Sodomorum vt ibi declaratum est. Item quia Hebræi intrantes apud Moabitas transierunt per terram regũ Amorrhæorum, & ceperunt illam, vt patet infra 3.c. cum dicitur tulimus in illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhęorum, sed ista terra est ad Orientem terræ Chanaan: ergo intrauerunt per orientem terræ promissionis: antecedens patet, quia duæ tribus & dimidia cũ petiuissent, & accepissent terrã illam regum Amorrhæorum in possessionem, confessi sunt se habere iam hæreditatem ad Orientem terræ promissioni, s vt patet Nu.32.c. cum dicitur nec quicquam quærimus trans Iordanem: quia iam habemus possessionem nostram in Orientali euis plaga: patet ergo ꝙ circuierunt montem Seyr ascendentes versus orientem. Item quia mandauit hic Deus ꝙ irent contra mare rubrum: sed mare rubrum est ab Oriente terræ huius, cum veniat de partibus Indiæ per latus montis Caucasi, interiectis inter vtrumque quibusdam gentibus: ergo superius est quam ista terra, per quam nunc ambulabant Hebræi: nam mare Rubrum intrat per solitudines Arabicas in orientali parte earum: & vocatur mons Seyr, quia Idumęa est terra alta & montuosa: vnde dicitur de filiis Esau Abdia vnico ca. quod morantur in scissuris petrarum, & montibus.

Per ꝙ partem intrauerunt Iudæi in terram promissionis.

Longo tempore. Sed non fuit vnus annus, quia hoc in 40.an. cõtigit: nam vt patet Num.33. ca. venerunt filij Israel in montem Hor: & ibi mortuus est Aaron mense quinto 40. anni: & postea in mense vndecimo eiusdem anni castrametati sunt in campestribus Moab, apud Iordanem, quæ fuit vltima mãsio: vbi locutus est Moyses ad totum Israel ea quę continentur in hoc libro: vt patet in principio cap. præcedentis & sic à monte Hor, qui est in extremis finibus terræ Edon, vsque ad vltimam castrametationem fuerunt sex menses: si autem velimus computare istum circuitum montis Seyr à Cadesbarne ex qua misit Israel legatos ad regem Edon, vt permitteret eos transire per terram suam, vt patet Nume.18.cap. erit iste circuitus maioris temporis, scilicet, anni & dimidij: nam venerunt in Cades mense septimo anni 39. vt patet Num.cap. 20.vt supra declarauimus: magis tamen videtur incœpisse iste circuitus à monte Hor, cum ponatur in extremis finibus terræ Edon: vt patet Nu. 33. cap. *Sufficit vobis circuire montem istum.* Id est satis magno tempore laborasti is in circumeundo istum montem: nunc eatis contra aquilonem, id est descendatis appropinquando terrę Idumæorum: sic aliqui volunt: sed non est verum, quia cum Hebræi venirent de terra meridiana contra aquilonem, deberent transire per mõtem Seyr: sed non fecerunt ascendentes versus orientem, vt supra declarauimus: si ergo ad terram Edon declinare deberent, non erat declinare ad aquilonem, sed ab Oriente ad Occidentẽ: ire autem ad Aquilonem erat ire contra terram Chanaan quæ Aquilonaris erat respectu Ægypti, & terræ Idumæorum: & sic isti transibant per latus terræ Edon non declinantes ad eam, sed euntes contra terram Chanaan: tunc Deus misertus eorum placuit Idumæos, vt concederent eis transitum per terram suam in finibus regni. *Transibitis per terminos fratrum vestrorum.* Id est Idumæorum qui erant fratres Israelitarum: quia erant filij Esau, & tunc faciam vos transire, licet ante ipsi noluerint. *Et timebunt vos.* Putabant quod volebant inuadere terram eorum: & ratio timoris erat, quia audiebant mirabilia, quæ faciebat pro eis Deus. *Ne moueamini contra eos.* Scilicet committendo pugnam.

Nec enim dabo vobis de terra eorum. Hic excludit causam belli, si enim contra eos pugnare deberetis hoc esset propter habendam terram eorum: sed nihil dabo vobis de terra eorũ: ergo non oportet pugnare: quia Deus dederat istam terram in possessionem Idumæis ex merito Abrahæ. *In possessionem Esau tradidi montem Seyr.* Cum habitarent simul Iacob & Esau, & terra eos ferre non posset, recessit Esau à Iacob in terram Seir: vt habetur Genes.36. cap. & hanc terram confirmauit Deus in possessionem Esau: quia licet reges Israel vt Dauid afflixerint Idumæos subiiciendo eos tributis: tamen nunquam eos de terra expulerunt. *Cibos emetis ab eis pecunia.* Scilicet si volueritis cibos aliquos comedere, emetis pecunia, sed non indigebant: quia semper habuerunt manna vsque in terram Chanaan transito Iordane, vt habetur Iosue 5. capit. *Aquam emptam hauretis & bibetis.*

Ratio probans Iudæos transiisse per terram Idumæorum, contra Aabbi Salamonem & Nicolaum.

QVÆSTIO II.

EX hoc manifeste patet, quòd Iudæi transierunt per terram Idumæorum, siue multum intrauerunt, siue paucum quod est contra Rabbi Salomonem, & Nicolaum, qui volunt quòd Idumæi solum asportarent cibos venales Iudæis extra fines regni sui: & patet sic quomodo poterant Iudæi emere aquam ab Idumæis, vt essent in terra eorum? de cibis quidem poterat esse, quòd Idumæi adducerent extra fines regni ad vendendum, quia in deserto non inueniebantur, sed de aquis non poterat esse: non est enim verisimile quòd terra, per quam transibant Israelitæ apud Moabitas, esset inaquosa: & dato quòd esset inaquosa omnes Idumæi & Moabitæ ferentes aquas non sufficerent tanto populo, pecoribus, & iumentis: si autem esset terra aquosa, non oportebat dare regulam de aquis bibendis pro pecunia: quia aquæ quæ erant extra Idumæã non erant in potestate Idumæorum; nec eas vendere poterant. Concluditur ergo quòd transierunt per terram Idumæorum, & quia erat populus

A multus indigebat aqua multa de puteis, quos foderant & parauerant Idumæi: ideo rationabile erat quòd darent pecuniam pro aqua.

Et si forte adhuc velles dicere, quòd Idumæi portabant aquas ad castra Israel extra fines regni sui. Non potest stare: quia dicitur in litera. *Aquam emptam haurietis.* Id est quod ipsi Israelitæ emerent aquam, & haurirent eam de puteis: hoc autem impossibile erat, vt ipsi transirent per Idumæam in qua ipsi aquam emerent, & extraherent de puteis: quia si extra Idumæi portarent ad castra, non hauriret eam Israel vt dicitur in litera. *Dominus Deus tuus.* Ponitur generale beneficium ad inducendum eos vt prompte obediant. *Benedixit tibi in omni opere manuum tuarum,* Id est multiplicauit te, & adiuuit te in omnibus bellis, quæ feci, scilicet contra Amalechitas. Exo. 17. c. contra Chananæum regem Arad Num. 21. contra Seon & Og reges Amorrhæorum: vt hic & infra 3. c. contra Madianitas vt Num. 21. cap. *Et nouit iter tuum,* id est benedixit tibi in itinere tuo dando magna, & dirigendo in columna ignis, & nubis. Deus illos cognoscere dicitur quos adiuuat vel approbat: ab eis autem abscondi, quos non adiuuat, vel non approbat, sic habetur infra 31. cap. & sic dicuntur peccata abscondita Deo, quia ea non approbat, vt patet Psal. 16. scil. de abscónditis tuis impletus est venter eorum. *Quando transieris solitudinem hanc.* Tota terra quam transierunt ex Ægypto vsque ad Iordanem solitudo dici potest: quia licet aliquando accederent ad terras habitatas, modicum intrabant per eas, sed proprius dicitur solitudo vsque ad terminos Idumæorum scilicet solitudo Pharan, & aliæ præcedentes.

Quos dicitur Deus cognoscere.

B *Nihil tibi defuit.* Ad conueniens substentamentum tamen multum deerat secundum eorum inordinatum appetitum, ideo petierunt carnem, pisces, & alia similia vt habetur Exo. 16. Cum murmurauerunt, atque dixerunt, vtinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur induxistis nos in solitudinem, vt occideretis omnem multitudinem hanc fame? & Num. 11. cap. murmurauerunt dicentes cum flagrarent desiderio carnium, quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, cœpe, porriq́ue, & alia, anima nostra arida est: nihil aliud vident oculi nostri nisi man. & Numer. 21. cap. locutus fuit omnis populus contra Moysen dicens: cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine: deest panis: non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Et sciendum tamen quòd licet hic dicat, quòd nihil defuit Hebræis per desertum, aliquando tamen deficiebant aquæ vel cibus: & hoc vt tentaret eos Dominus quales essent: sic patet infra 8. cap. cum dicitur adduxit te Dominus 40. anni per desertum, vt affligeret te: atq; tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur: en quadragesimus annus est, vt recogites in corde tuo, quòd sicut homo erudit filium suum, sic Dominus Deus tuus eruditi te, ideo dicendum quòd licet ista aliquando deficerent ad tentationē Hebræorum, tamen non deficiebant simpliciter: quia cum inciperent esse necessaria, Deus illa dabat, sic patet infra 3. cap. afflixit de penuria: & dedit tibi cibum, quem ignorabas tu & patres tu. *Cumque transissemus.* Hic ponitur, secundum scilic. de transitu per Moabitas. *Cumque transissemus fratres nostros.* Prius deuenerunt post transitum solitudinis in terram Idumæorum q̄ Moabitarū: quia magis est coniuncta solitudini.

C

Quomodo Iudæi prius circuierunt montem Seyr quàm terram Moabitarum.

QVÆSTIO III.

AD sciendum autem quomodo prius circuierint Hebræi montem Seyr quam terram Moabitarum: & ad alias terras Ammonitarum atque Amorrhæorum accesserunt, considerandum est quod terra Edon, & terra Moab, & terra Ammon, & terra duorum regum Amorrhæorum est in circuitu terræ Chanaan: sed terra Edon est ad latus meridianum terræ Chanaan, terra Moab est magis ad Orientem, licet aliquo modo attingat ad latus meridianum terrę duorū regum Amorrhæorum: & Ammō est directè orientalis terræ promissionis, siue terræ Chanaan vt patet Num. 32. quia Hebræi intrauerunt per illam in terram Chanaan per Iordanem & Hierico, quæ sunt ad Orientem terræ Chanaan, vt patet Num. c. 34. cum ergo venirent Hebræi de terra Ægypti quæ erat meridiana terræ Chanaan, transire debebant per terram Edon siue montem Seyr, quia ista terra est meridiana terræ Chanaan: vt patet Num. 34. ca. sed quia non permiserunt eos Idumæi transire per terram illam, vt patet Num. 20. cap. coacti sunt circuire montem Seyr, & hoc fuit ascendendo ad Orientem, vt supra declaratum est, & in toto isto circuitu non accesserunt ad terram Idumæorum: nam postquam circumeundo terram istam ascendissent contra Orientem, dixit Deus ad eos sufficit vobis circuire montem istum, ite contra Aquilonem: & transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in monte Seir, & timebunt vos. q. d. quod ante hęc non accesserant ad terminos filiorum Esau, sc. intrando aliquid in terra Edon: deinde cū ambulauissent modicum per latus Orientale terræ Edon aliqualiter intrando in eam, cœperunt intrare viam deserti ascendendo ad partem superiorem contra Orientē, & transierunt torrētem Zareth, & applicantes se terminis terrę Moab transierunt inter Moab & Amon: nam Moab erat eis ab Occidente, Amon autem ab Oriente: medium aūt per q̄ transierunt erat terra duorum regum Amorrhæorū: nam illa terra erat inter Amon ex Oriente, & Moab ex Occidente: populus tamen Israel transibat per angustum terræ Amorrhæorū, in quo coniungebantur Moab, & Ammon: & mandatū fuit eis ne pugnarent contra Moabitas, aut Ammonitas: si autem Ammonitæ aut Moabitę distantes essent à loco transitus eorum, non mandaretur eis quod non pugnarent contra Moabitas, aut Ammonitas: superfluum namque esset, vt si alicui existenti in Hispania diceretur non pugnes cōtra Indos, quia etiam si non diceretur ei, non posset pugnare contra Indos, cum sint in distantissima parte orbis, habent se autem sic istæ terræ quod quælibet earum tangit terram Chanaan, & intrat in Arabiam quantum ad partem meridianam: sed terra Edō magis intratin Arabiam: ideo qū̄ accesserunt ad confinia terræ Edon à parte meridiana, & ascenderunt contra Orientem per latus meridianum Edō; nondum accedebant circa confinia Moab, donec ambulauerunt contra Aquilonem, sci. dimittendo circuitum contra Orientem: & intrando directè contra terram Chanaan: & tunc ambulantes per terram desertam, & transeuntes torrentem Zareth accesserunt ad confinia Moab in Arnon intrantes inter terram Moab & Amon se coniungentes ibi, & magis intrantes Arabiam per medium earum, id est, inter eas, sc. per terram duorum regum Amorrhæorum, & satis hoc apparet esse verum; nam magna pars regni regis Seon olim erat de terra Moab, vt patet de ciuitate Esebon quæ erat de terra Moab, vt patet Nu. 21. c. tamen ipsa tunc erat metropolis regni regis Seon; & ista magis erat Orientalis quam terra regis Og: qui dominabatur habens mō tem Galaad, & circa Iordanem, & montem Hermon: sed vt situs istarum terrarum melius intelligatur, & introitus filiorum Israel, subiiciatur hic in figura sequenti. *Qui habitabant in Seyr.* Sic vocatur terra illa in qua habitabant Idumęi. *Per viā campestrem & de Helat & de Asiongaber.* Asiongaber mansio est ante Cadesbarne immediate, vt habetur Nu. 33. c. vnde postquam in principio. 40. an. venerunt iterū in Cades, quia noluit eis rex Idumæorū concedere introitum per terram suam per partem Cades, quia hoc erat per medium terræ suæ, conuersi sunt retro ad Asiongaber, vt circuirent montem Seyr: & hoc est quod dicitur, supra quod profecti de Cades venerunt per solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum: & sic circuierunt montem Seyr. Nam Asiongaber est apud mare rubrum, vt patet 3. Re. 9. c. cū dicitur, classem quoq; fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ahilam in littore maris rubri in terra Idumæa: ex quo etiam concluditur quod supra dicebamus, sc. quod Israelitæ transierint aliqualiter intra terram Edon, cum dicatur hic quod transierunt per viam de Asiongaber in desertum Moab, sed Asiongaber est in terra Idumæę vt patet 3. Re. c. 9. sed licet intrando per Asiongaber intrarent in terram Edon, tamē quia via de Asiongaber vsq; ad desertū Moab est deserta, ideo non dicebantur intrare in terram Edon donec pertransita tota ista via de Asiongaber, quę est campestris, venerunt declinantes ad aquilonem vt supra

D

E

F

Asiongaber situs.

decla-

declarauimus. *Per viam campestrem.* Id est, per quosdam campos qui adiacent finibus Idumęorum. *Venimus ad iter quod ducit in desertum Moab.* Postquam exierunt terram Idumæorum. *Tradidi in possessione.* Moabitæ erant filij Loth ex maiori filia, vt patet Genes. 19. ca. & meritis eius non expulsi sunt de terra illa, immo Deus adiuuit eos, vt expellerent inde alias gentes. *Enim primi fuerunt habitatores.* Enim hebraicè terrens dicitur, quia magnitudine staturæ suæ alios terrebant. *Vt de Enachim stirpe viderentur.* Istæ gentes non erant de stirpe Enachim, id est, gigantum: sed tãtæ erant magnitudinis quod gigantes videbantur. *Deniq; Moabitæ appellant eos Emim.* Non fuit istud nomen proprium illarum gentium, sed vocauerunt eas sic Moabitæ ab effectu timoris. *In Seyr autem prius habitauerũt Horrhæi.* Non solum Moabitæ meritis Loth possederunt terram Emim: sed etiam Esau cum filiis suis meritis Abrahę deleuit Horrhæos, & habitauit in terra eorũ, scil. in mõte Seyr. *Sicut fecit Israel in terra possessionis suæ.* Id est, sicut nos expulimus, & occidimus duos reges Amorrhæorũ: quia Deus assignauerat illã terrã Israeli in possessionem: ita Idumęi expulerunt Horrhæos, quia illa terra data erat eis in possessionem.

Nonnullorum opinio dicitur de huius libri scriptore, eaque refellitur.

QVÆSTIO IV.

ALIQVI volunt quod Esdras scripserit librum istum propter istam clausulam. *Sicut fecit Israel,* quia viuente Moyse nondum acquisierat Israel terram promissionis suæ: ideo Esdras qui acquisitam vidit, hoc dicere potuit. Sed non est verisimile dato quod Esdras librum istũ scripsisset, quod ausus esset dicere aliquid quod non dixisset Moyses; maxime quia ista clausula erat inductiua filiorum Israel ad non pugnandum contra Idumæos significando eis non esse ex voluntate Dei, tempore autem Esdræ non erat necessarium dicere hoc: quia iam sciebant Israelitæ distincte possessionem suam. Etiam ad hoc posset aliquis aliter dicere, quia licet nondum acquisiuisset Israel possessionem suam, quia tamen Moyses erat propheta Domini, & maximus: vt patet infra vltimo ca. poterat scire quid euenturum erat: ideo sciret certissime quod Israel habiturus esset terram ei promissam: & sic de illo tanquam de præterito propter certitudinem loquebatur: nam in prophetis tempora frequentissime mutantur: sic patet Esa. 53. ca. qui cum de Christo venturo prophetaret per modum præteriti locutus est, cum dicitur: vere languores nostros ipse portauit; & liuore eius sanati sumus, omnia tamen ista multo post tempore facta sunt. Sed hoc non potest stare; quia Moyses suadebat populo Hebræorum ne pugnarent contra Moabitas, & Idumæos dicens: quod Idumæi acceperant illam terram à Deo in possessionem, sicut filij Israel acceperant suam: sed sic erat quod Idumęi tenebant actualiter terram Seyr contra quam pugnare non debebant: ergo ipsi deberent tenere terram suam quam habituri fuerant iam, sed non erat sic: quia nõdum transierant vltra Iordanem: ergo nõ poterant dici isto modo tenere terram possessionis suæ. Dicendum ergo aliter, quod Deus non loquebatur hic de tota terra, quam Israel possessurus erat; sed de illa parte quę erat trans Iordanem, quam iam acquisierant, sicut Idumæi suam terram tenebant: sed adhuc non est hoc verum, quia quando admonuit Moyses Israelitas ne pugnarẽt contra Edon, nondum acquisierant aliquam partem terræ duorum regum Amorrhęorum: & patet quia primo circuierunt mõtem Seyr, deinde accesserunt ad terminos Idumæorum, & transierunt aliqualiter per terram eorũ, deinde transierunt torrentem Zareth, & intrauerunt viam deserti, quæ ducit Moab: & cum accesserunt ad Moab aliqualiter transeuntes inter eos, & Ammonitas, & postea applicuerũt se terræ duorum regum Amorrhæorum: patet autem hoc ex ordine literæ in toto isto cap. maxime quia quando misit Moyses nũcios ad regem Seon rogauit, vt daret eis transitum per terram suam, sicut filij Esau, & Moabitæ: ergo quando accessit ad Amorrhæos iam transierat Idumæos: non potest hoc etiam esse verum, scilicet, quod quando prohibiti sunt pugnare contra Idumæos, quod iam possedissent terram duorum regum Amorrhæorum trans Iordanem: dicendum necessario quod quando Moyses primo dixit ista verba Israelitis, ne pugnarent contra Idumæos, non dixit totaliter sic, vt est in litera: sed dixit quod non pugnarent contra Idumæos, quia Deus dederat eis in possessionem montem Seyr; sicut filiis Israel promiserat dare possessionem: ideo erat cõtra Dei voluntatem pugnare cum Idumæis: postea pertransitis omnibus mansionibus cum essent in campestribus Moab super Iordanem, Moyses cito moriturus repetiuit omnes actus eorum, secundum quod hic cõtinentur: & dixit ista verba quæ sunt in litera, scil. quod Deus dederat filiis Esau possessionẽ in mõte Seyr, sicut eis dederat terram possessionis suæ, id est, terram duorum regum Amorrhæorum: & tunc verum est, quod quando Moyses ista recitabat, iam deuicerant duos reges Amorrhæos: sic enim ipse refert in isto cap. & in sequenti: ad istum ergo modum respondendi recurrendum est. *Surgentes vt transiremus torrentem Zareth.* Torrens iste est apud Moabitas inter solitudinem quæ respicit Moab & Arnon: vt habetur Numer. 21. cap. *Tempus quo ambulauimus de Cadesbarne vsque torrentem Zareth 38. annorum.* Hoc computatur à prima vice qua steterunt in Cades: bis enim steterunt in ea, scil. in 2. anno ab exitu de Ægypto quando miserunt exploratores, vt patet Num. 13. & 32. ca. & iterum in mense primo 40. anni: vt habetur Num. 20. c. Et demonstratur sic, in primo anno exitus de Ægypto venerunt, vsq; in montem Synai, & steterunt ibi vsq; ad 20. dies secundi anni: vt habetur Num. 10. deinde venerunt in Cades de qua exploratores miserunt, expectantes eos ibi, vsq; ad finem quinti mensis vel quasi, quia expectauerunt 40. diebus quibus lustrauerunt terram, vt patet Num. 14. ca. sed non venerunt in Cades vsq; in quarto mense, vt colligitur ex his quæ diximus præced. cap. manent ergo ad plus residui 38. anni & septem mẽses. Si tollantur ergo septem menses anni 40. post mortem Aaron, qui mortuus est quinto mense 40. anni in monte Hor, qui est propinquus Zareth: vt habetur Exod. 20. & 21. & 33. cap. Numeri: in quibus pugnauerunt contra Amorrhęos reges, & deinde contra Madianitas, manebunt 38. anni residui de 40. quibus steterunt in deserto: & isti 38. anni fuerunt in quibus errauerunt per solitudinem. *Donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorũ.* Ex hoc patet manifeste quod illi qui fornicati sunt, & adorauerunt Belphegor, non fuerunt de murmurantibus in anno 2. quia ante transitum torrentis Zareth omnes consumpti sunt: sed de filiis suis. Etiam ex hoc patet quod sententia illa solum fuit lata contra bellatores, non contra Leuitas: etiam quia Eleazar filius Aaron maior erat 20. annis quando exiuit de Ægypto; quia in ipso anno factus est sacerdos, & Leuitarum princeps: vt patet Leuit. 8. & Num. 3. cap. quod non pertinet ad iuuenes: sed ipse ingressus est terram promissionis, & diuisit eam sorte: vt patet Numer. 34. & in ea mortuus est post mortem Iosue: vt habetur Iosue vltimo cap. etiam si in ista sententia comprehẽdisset Leuitas, Aaron qui erat de Leuitis, qui non intrauit terram promissionis vt patet Num. 20. & 33. ca. non habuisset impedimentum ad non intrandum: quia peccauerat nõ benedicendo Deo ad aquas contradictionis in Cades: sed quia ista sententia contra eos, & alios lata fuisset, & erat prior quam peccatum in Cades: sed falsum est: quia quando Dominus expressit causam, quare non intraturus erat Aaron, dixit pergat Aaron ad populos suos; quia incredulus fuit ori Domini: vt patet Num. 20. cap. sic etiam patet Iosue 5. ca. cum dicitur omnis populus qui egressus est de Ægypto, vniuersique bellatores mortui sunt in deserto per longissimos terræ circuitus, Leuitæ non computantur sub hoc nomine populus Israel, sed aliæ 12. tribus quæ acceperunt sortes, habent hoc nomen: etiã sicut dicitur Nu. ca. 20. postquam generatio noxiorum, qui peccauerant contra Deum, in deserto mortua est: Moyses & Eleazar descripserunt cæterum populum manentem per tribus suas; & familias: ergo Eleazar qui eos computabat, non fuerat ligatus illa sententia morientium lata in Cadesbarne: cum tamen esset maior 20. annis. *Cuius manus fuit aduersus eos.* Percutiendo eos peste & tradendo eos in manus hostium. *Postquam autem.* Hic ponitur tertium de transitu per Ammonitas. *Tu transibis hodie terminos Moab.* Id est, vltra terminos Moab. *Vrbem nomine Ar.* Ab ista vrbe vocatur torrens Arnon; quia transiuit iuxta Ar diuidens Moabitas & Amorrhæos: vt patet Numer. 21. capitul. vicinior est terra Amorrhæorum terræ Moabitarum

Sententia lata contra murmuratores non cõprehendit Leuitas

Leuitæ non captũtur nomine Israelitarum

quam terra Ammonitarum: quia ſolus torrens Arnon diuidit inter vtramque terram.

Item quia multæ ciuitates, quę erant olim de terra Moab, erant nunc de terra Amorrhęorum: vt patet de Eſebon Numer. 21. cap. ſed ex illa parte terra Ammonitarum eſt coniuncta terræ Moabitarum. *Non dabo tibi de terra filiorum Ammon.* Quia ſicut meritis Loth data fuit terra Moabitis, ita etiam Ammonitis, quia vterque fuit filius Loth, vt patet Geneſ. 19. capitulo. *Terra Gigantum reputata eſt.* Tam terra Moabitarum quam Ammonitarum à Gigantibus poſſeſſa eſt, ſed expulerunt eos inde, & poſſederunt eam: eadem terra videtur eſſe Moabitarum & Ammonitarum: ſed ipſi diuiſerunt eam inter ſe in terra quam tenuerunt olim gigantes tempore Abrahæ: contra quos pugnauit Chodorlaomor cum aliis tribus regibus; & deleuit eos, vt late declarauimus Geneſ. 14. *Euæos quoque qui habitabant in Azerim vſque Gazam Cappadoces expulerunt.* Cappadoces ſunt qui Philiſthin nominantur à Paleſtina terra, in qua eſt Gaza ciuitas: vt patet Iudic. 16. cap. in eadem deſcendit Samſon ad meretricem, & ibi mortuus eſt: & patet 1. Reg. 6. vbi inter quinque ciuitates Philiſthinorum computatur Gaza: hoc aliqui putant errantes valde: nam Philiſthini; & Cappadoces multum differunt: maxime quia in litera dicitur quod iſti Cappadoces exierunt de Cappadocia, & acceperunt terram illam, non poteſt tamen dici quod ſit Cappadocia terra Philiſthin: quia Paleſtina eſt magis meridiana quam cætera pars terræ Chanaan: & ipſa eſt ad latus meridianum terræ Chanaan: vt probauimus Geneſ. 12. & Exod. 13. & tangit Ægyptum inferiorem in parte orientali eius; vt ait Paulus Oroſius primo de Ormeſta mundi, cap. de diuiſione Aſiæ: terra autem Cappadociæ eſt multum ſeptentrionalis: ſic ait Paulus Oroſius, vbi ſupra in capite Syriæ: Cappadocia eſt quæ habet ab oriente Armeniam: ab occaſu Aſiam minorem: ab aquilone Treuiſarios campos, & mare Americum à meridie Taurum montem cui ſubiacet Cilicia, & Iſauria vſque ad Syrium ſinum, qui ſpectat contra Inſulam Cyprum: de hac terra ait multa Solinus in Poliſtor. cap. 45. de Cappadocia, iſti tamen Cappadoces egreſſi de ſedibus ſuis non quidem omnes, ſed aliqui vt aſſolent aliæ gentes, pugnauerunt deleuerunt́que Euæos, qui habitabant vſque Gazam, & quia illa terra eſt terra Paleſtinorum, vt patet Iudic. 13. & 16. immo fuit quondam caput terræ Philiſthinorum, ſcilicet, tempore Samſonis, vt patet Iudicum 16. cap. & iſti Cappadoces poſtquam expulſis Euęis poſſederunt terram, bene vocarentur Philiſthin, id eſt, habitantes in Paleſtina: Cappadoces tamen Philiſthini non ſunt. *Surgite & tranſite.* Hic ponitur quartum de tranſitu & pugna contra Amorrhęos. *Tranſite torrentẽ Arnon.* Adhuc manebãt in terris Moab prope torrentem Zareth: nam poſt torrentem Arnon ſequitur caſtrametatio; vel tranſitus in Arnon ſic patet Num. 21. c. cũ dicitur inde mouentes venerũt ad torrentẽ Zareth quem relinquẽtes caſtrametati ſunt cõtra Arnõ quæ eſt in deſerto.

Philiſthini & Cappadoces differunt.

Quid ſit Arnon.

QVÆSTIO V.

DE Arnon dubitant aliqui quid ſit: dicit enim Ioſephus quod eſt fluuius deſcendens à montibus Arabiæ per deſertum fluens qui in ſtagnum aſphaltidem ruit, diuidens terram Moab & Arnon. Dicit autem Scholaſt. Hiſtor. quod quidam volunt Arnon eſſe ciuitatem prominentem in finibus terræ Amorrhæorum. Dicendum tamẽ neceſſario quod Arnon ſit villa, vel ciuitas exiſtens in extremitate terræ Amorrhæorum: ſic enim patet ex litera quod nullo modo ſit torrens aut fluuius, nam litera dicit Num. 21. c. quod Arnon prominet in finibus Amorrhæi: ſi autem fluuius eſſet, non poſſet prominere, ſed per loca decliuia elabi, eminere autem ad res duras & altas pertinet: Arnon tamen non eſt in terra Amorrhæorum ſed in terra Moab, cum tamen ſit in finibus Moab diuidit Moab & terram Amorrhæorum, quod patet Num. 21. c. cum dicitur, ſiquidem Arnon terminus eſt Moab diuidẽs Moabitas & Amorrhæos, & ſic cum vtramq; terram diuideret, non vocauit eam terminum Amorrhæorum, ſed terminũ terræ Moab quaſi ſit intra terram Moab. Quod aũt Arnon non ſit ſcopulus, vel mons altus eminens in terra, ſed ciuitas, aut villa, patet quia dicitur Num. 21. cap. caſtrametati ſunt in Arnon quæ eſt in deſerto, ecce qualiter fecit eam fœminini generis, ſi tamen eſſet nomen ſcopuli, aut montis, nõ eſſet fęminini ſed maſculini, aut neutrius, nomina tamen localia in on fœminini generis ſunt: ideo Arnon nomen loci erit, iſta tamen ciuitas eſt alta ſita in montibus, ideo dicitur Num. 21. ca. quod Arnon prominet in finibus Amorrhæi. Et ſi obiiciatur, quia dicitur hic ſurgite tranſite torrentem Arnon, ergo erat torrens. Reſpondetur, quod Arnon nõ ponitur ibi trãſitiue, ſcilicet, quod ponitur in eodem caſu, in quo torrentem ad notandum identitatem rei ſicut dicimus animal homo ſortes currit, vel animal hominem ſortem video, ſed ponitur intranſitiue, ſcilicet, in genitiuo ſub habitudine poſſeſſionis, & ſic vocatur torrens Arnon, non quia torrens ille ſit ille quod Arnon, ſed quod ſit aliqua res pertinens ad Arnon, ſcilicet, quod Arnon eſt ciuitas ſita in mõtibus prominens in finibus Amõrrhæi, & ad radices illius fluit torrẽs, qui vocatur torrens Arnon, & ſic dicitur hic. *Tranſite torrentem Arnon.* Id eſt, torrentem fluẽtem apud Arnon, & iſto modo loquitur Ioſeph. dicens, Arnon eſſe fluuiũ deſcendentem de mõtibus Arabię, ſcilicet, accipiendo large Arnon pro fluuio, qui tranſit apud ciuitatẽ Arnon: & ille deſcendit de mõtibus Arabiæ, fluitq; apud Arnon, vt vult Ioſeph. *Incipe poſſidere, & committe aduerſus eũ prælium.* Licet Deus mãdaſſet immediate belligerare, tamẽ Moyſes prius miſit ei pacem ſi vellet dimittere eos tranſire: non faciebant ſic in terra trans Iordanem, quia nulla pace petita omnia deſtruebant: fuit in hoc ſpecialis ratio, quia forte nondum fuerant completa peccata eorum ſecundum quod dicitur Gen. 15. & in iſta rebellione complebantur, in habitantibus trans Iordanem ſecus erat, quia iſtæ gentes perditurę erant terras ſuas propter immunditias ſuas, vt patet Leuit. 18. c. Cum dicitur, quod terra euomit illas, & forte illi, qui erant trans Iordanem, quia peiores erant, peccata ſua finierant, iſti autem non finierant, ſciebat tamen Dominus, quod ex malitia ſua finirent mala etiam ex occaſione boni: ideo, vt iuſtior eſſet punitio, voluit quod omnia fierent quæcunq; fieri poterant ne ipſi offenderentur, ſcilicet, petendo ab eis locum tranſeundi, cum tamen fierent ipſis Amorrhæis nihil profutura eſſent: ſed potius nocitura, ſic enim diximus Gen. 19. c. de Sodomitis: quia peccata eorũ promerẽtia nondũ finita eſſent; niſi ipſi voluiſſent abuti Angelis apparentibus in forma virorum; circũdantibus omnibus de populo domũ Loth à puero vſq; ad ſenem. *(Committe prælium.)* Iſtud libellum erat iuſtum ſolum ex mandato Dei: non enim poterant Iudæi pugnare contra Amorrhæos proprio motu: quia non erant hoſtes eorum: nec detinebant eis aliquid violenter; nec vnquam læſerant: niſi forte diceremus quod poterant iuſte pugnare cõtra illos; quia idolatræ erant: ſicut Chriſtiani iuſtum bellum contra Saracenos habent ad amplificandam Chriſtianam religionẽ: ſed nõ erat iſta ratio in Iudęis: quia tunc contra omnes gentiles pugnare poſſent, quod falſum eſt: quia Deus eos à multis gentilibus abſtinere mandauit, ne pugnarent contra eos: vt patet in litera: ſolum ergo contra iſtos pugnare potuerunt; quia Deus mandauit, vt acciperẽt terram de manu eorum quæ iſtis donata fuerat: ideo vendicare poterant poſſeſſionem cum titulum haberent, licet non conſtaret Amorrhæis de titulo Iſraelitarum.

Quomodo gens vel ciuitas poteſt inducere bellum contra aliam ciuitatem vel gentem in duodecim caſibus.

QVÆSTIO VI.

PRo huius declaratione notandum quod præter modos quibus iuſtum bellum committitur ſecundum iura humana: reperiuntur duodecim modi in ſacra Scriptura, quibus aliqua gens vel ciuitas bellum inducere poteſt, vt prædari, captiuare; & totaliter delere.

Primus modus ſi in aliqua terra nomen Dei blaſphemetur, vt habetur Exod. 23. & infra cap. 7.

Secundus ſi à Dei cultu recedatur, vt infra 13. cap. mandatur quod ſi aliqua ciuitas ad idololatriam declinauerit, quod omnes aliæ pugnent contra eam. Et propter hoc vertebantur in bellum contra duas tribus, & dimidiam omnes tribus Iſrael; quia ædificauerunt altare, quod videbatur ſignum idololatriæ: vt patet Ioſue 22. cap.

A Tertius si recedatur à fidelitate Domini temporalis, vt patet 4.Reg.3.cap.& Genes.14.

Quartus modus si subditus contra Dominum committat rebellionem: vt patet 2.Reg.20.cap.

Quintus modus si mala defendantur, vt factum est prœlium contra filios Beniamin Iudic.20.cap.

Sextus modus si alicui principi magna fiat iniuria in se vel in seruis suis; vt de Moabitis radentibus barbas, & scindentibus vestimenta nunciis Dauid: vt patet secundo Regum decimo capitulo.

Septimus repetendo aliquas res ablatas, vel violenter detentas, siue iura, & dignitates personales: vt patet 2.Regum 3. capit. Dauid pugnauit contra Iboseth petens regnum sibi à Deo datum.

Octauus hostes repellendo, 2.Regum 8. capitulo, contra Philistin.

Nonus impedientes hostes delendo: vt Iudæi contra Amorrhæos nolentes eis transitum concedere, vt patet hic & Numer.21.cap.

Decimus contra hostium adiutores: vt patet 2. Regum 8. cap. contra Syriam Dauid pugnauit: quia hostibus suis iungebatur.

Vndecimo pro parente vel amico eripiendo Genes.14.ca. scilicet, Abraham pugnauit vt eriperet Loth.

Duodecimus si dominus tyrannide suos vasallos premat:
B vt Machabæi pugnauerunt contra Antiochum, quia cogebat eos dimittere legem Dei primo Machabæor. per totum. *(Hodie incipiam mittere terrorem in populos, qui habitant sub omni cœlo.)* Videntes alij populi quod Iudæi Seon, & Og reges fortissimos penitus deleuissent, timuerunt quod sic facerent: vnde rex Moabitarum Balac dixit ad maiores de terra sua: ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, sicut solet bos herbam vsque ad radices carpere: & Moabitæ timuerunt valde: vt habetur Numer.22.cap. sic dixit Raab meretrix hiericontina ad exploratores Israelitarum: vt patet Iosue 2.cap. scilicet, noui quod traducet vobis Dominus terram, etenim irruit in nos terror vester: & elanguerunt omnes habitatores terræ: audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum, cum egressi estis de Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus Seon & Og, quos interfecistis: & hæc audientes pertimuimus; & elanguit cor nostrum: nec remansit nobis spiritus ad introitum vestrum. *(Qui habitant sub omni cœlo.)* Id est, multos, est enim hyperbole denotans timoris magnitudinem in gentibus.

An Sol steterit tempore Moysi sicut tempore Iosue.

QVÆSTIO VII.

C RABBI Salomon dicit quod terror fuit Moysi sub omni cœlo: quia in victoria de Seon & Og stetit Sol sicut quando pugnauit Iosue contra multos reges: vt patet Iosue 10. cap.

Sed non videtur quod tale factum scriptura subticuisset: quia maxime moueret hoc ad laudem Dei.

Item quia cum in 21. cap. Num. & hic mentio fiat de hoc & Psalm.133. nunquam tamen tale narratur. Etiam non potest hoc stare: quia Iosue 10.cap. cum enarratur ista statio solis vera dicitur, stetitque Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei: & sequitur: non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israel. Licet enim quidam voluerit sic inducere, tamen non probat: nam deberet dici ad hoc probandum, non contigit antea nec post aliquid tale: sed non dixit sic litera: nam tunc falsa esset, cum postea contigerit aliud simile tempore Ezechiæ regis, vt patet 4.Reg.20. & Isai.38.cap. Et hoc verum est, quod maior fuit mora Solis stando tempore Iosue, quam fuit retrogradatio facta tempore Ezechiæ, & sic concluditur necessario, quod licet in bello contra Seon regem Amorrhæorum fuerit statio Solis, quod non fuerit tanta quanta illa, quæ accidit tempore Iosue, non tamen infertur ex hoc, quod non fuerit tunc statio Solis. Dicendum tamen est, quod non stetit Sol, vt patet ex rationibus assignatis supra. *Vt in morem parturientium contremiscant.* Timore, tremore, & dolore, & significatur magnitudo timoris, & interioris doloris, parturientes enim maximum dolorem sentiunt. Psalm.47. sicut dolores parturientis in spiritu. *De solitudine Cademoth.* Quæ vocatur alio nomine Mathana: & est in introitu regni Seon post torrentem Arnon, vt patet Numer. 21. capitulo. *Regem Esebon.* Erat Seon rex Esebon quam acceperat à Moabitis, & constituerat Metropolim regni sui Numer.21.capitul. quia ista ciuitas erat maior, & melior omnibus ciuitatibus regis Seon: ideo constituerat eam metropolim; & sedem regni: & sic vocatur rex Esebon, & habitans in Esebon, vt patet sequenti capitulo, cum autem esset ista ciuitas olim de terra Moabitarum per proditionem nobilium ciuitatis tradita fuit regi Seon, vt patet Numer.21. & ibi ponuntur dicta prouerbialia, siue in carminibus de captione Esebon per illam proditionem facta. *Verbis pacificis dicens.* Volebat eum tradere in manus Israel, sed misit ei Moyses pacem ad demonstrandum aliis gentibus, quod rationabiliter contra eum bellum gerebat. Nam licet Deus sciat, quod aliqua malis pro futura non essent, quæ bona sunt tamen dat eis, vt iustior videatur sua damnatio, sicut in illo quem ex malitia sua in malo actu finiturum, & gehennæ mancipandum videt, admonitores tamen ad bonum dat, & prædicatores. Sic etiam patet de Ægyptiis quos sciebat Deus sua malitia obduratos, tamen per Moysen frequentissime admonebat, vt non peccarent in Deum, & dimitterent populum, &
E Deus eos benigne corrigebat infligendo plagas, quæ ad medelam, & non ad mortem fuissent, si ipsi disciplinam suscepissent: nunc Deus sciebat, quod Amorrhæi non conuerterentur à malo concepto propter istam petitionem pacis, permisit tamen eam fieri ad eos, vt iustius viderentur puniri ab omnibus, qui audirent. Dicit Nicolaus, quod ideo misit eis pacem, quia dicitur infra 20, capitulo, quod cum pugnare vellent contra aliquos extra terram promissionis, quod mittebant eis primo conditionem pacis, si autem esset de terra promissionis non mittebant pacem, & isti erant extra terram promissionis: ideo missa fuit pax. Sed non potest tenere hoc per illud cap. immo ex opposito: quia ibi dicitur, quod quando pugnatur contra ciuitates, quæ non sunt de possessione sua, solum viros occidere debebant, mulieres autem & paruulos reseruare: hic autem tam mulieres quam paruuli gladio perierunt, vt patet infra in textu.

Item falsum est, quod terra istorum regum non esset de terra promissionis, quia Genes.15.cap. vbi promissio facta est distincte etiam terra Amorrhæorum promissa est, patet etiam Exod.3. & 23. cap. & in multis aliis locis.

Si autem arguas, quod ista terra est extra terminos terræ promissionis, vt patet Num.34. quia est ab oriente terræ Chanaan, vt patet Num. 32. sed terram promissionis habet ab oriente Iordanem, vltra quem est terra ista. Respondetur, quod ibi ponuntur termini terræ nouem tribuum, & dimidiæ: sed non tota terra promissa. Et ratio, quia Moyses ponebat istos terminos, vt scirent quantam terram possessuri erant, & ne vltra terminos illos cum aliqua gente pugnarēt, quia autem terra ista iam erat acquisita, nec erat de possessione aliarum tribuum, non clausit eam sub terminis terræ illius. Si arguas, quod Moyses non intrauit in terram promissionis, & tamen intrauit terram istam: ergo non est ista terra promissionis. Respondetur, quod Moyses intrauit in terram promissionis, sed non in totam & infra c. 3. non dicitur nō intrabis terram promissionis, sed non transibis Iordanem istum, id est, non peruenies ad terram aliarum tribuum. Et Num.27. vbi dicitur nō intrabis terram quam daturus sum filiis Israel, sed videbis eam: non intelligitur de tota terra promissionis, sed de illa quā daturus erat Deus, scil. illam, quæ erat vltra Iordanē, iam enim dederat quandam partē trās Iordanem, vt patet ex ordine historiæ, quia illa terra acquisita fuit, vt habetur Nu. 21. & ista dicta sunt post, vt patet 17.c. Et sic verum, quod nō erat visurus terram q̄ Dominus traditurus erat, quia tūc solū terra trans Iordanem tradenda manebat, terram autē alteram iā viderat, quia ipse contra reges terrę illius pugnauerat. Et dicitur, quod nō erat visurus terram illam, id est, quod nō erat intraturus in eam, sed bene visurus eam erat, quia Deus demonstrauit ei totam illam terram ante mortem suam: vt patet infra 34. cap. de Aaron est verum, quod nullo modo intrauit in terram promissionis, nec vidit, quia mortuus est

Moyses intrauit in aliquā partem terræ promissionis, sed non in totam.

in monte

A in monte Hor antequam accederent ad Amorrhæos, vt patet Num.20.ca.fuit mortuus Aaron ante Moysen mensibus sex, quia Aaron mortuus fuit anno 40. mense quinto prima die mensis, vt patet Numer.33.cap. Moyses autem mortuus fuit in principio mensis vndecimi: nam prima die mensis vndecimi anno 40. locutus fuit Moyses verba libri huius ad omnem Israel, vt patet supra 1. cap. & his finitis ascendit in montem Abarin, & mortuus est, vt patet infra 32. & 34. cap. Maria autem soror Moysi mortua fuit 4. mense primo quam Aaron, quia Maria mortua fuit anno 40. mense primo in Cadesbarne, vt patet Numer.20.cap. Aaron autem in eodem anno mense quinto. Et fuit diuersitas moriendi istis secundum varietatem peccatorum: nam Maria magis peccauit quam Moyses, & quam Aaron, murmurando contra Moysen: & ideo in ea Deus specialiter iratus est, & perfudit eam lepra, vt patet Numer.12.cap. ideo autem mortua est, nec vidit aliquod bonum de his, quæ Deus promiserat: nam non intrauerat in aliquam partem terræ promissionis, nec eam vidit, nec vidit aliqua bella prospera Israel. Aaron autem licet minus peccauit quam Maria, magis tamē peccauit quam Moyses, ideo magis vixit quam Maria 4. mensibus, & minus quam Moyses sex mensibus, ad aquas enim contradictionis in Cades vterque peccauit, quia non benedixit Domino, vt ibi declaratum est, minus tamen peccauit Moyses, quia Aaron aliquo modo peccauit non credendo verbis Dei: Moyses autem non peccauit non credendo, sed quia non sanctificauit Deum ad eductionem aquarum, & hoc fuit, quia tantus fuit zelus eius contra rebelles Domino, quod non benedixit Deo, sicut ipse mandauerat: sed incœpit acriter redarguere, rebelles, & incredulī, nunquid de petra hac vobis aquam poterimus elicere? Et ideo Scriptura attendens hęc facit tres gradus in peccato Moysi, & Aaron: nam aliter loquitur de peccato Aaron, aliter de peccato Moysi: aliter de peccato vtriusque: nam de peccato Moysi loquitur mansuete, de peccato Aaron per se loquitur acerrime: de peccato amborum simul loquitur grauiter solum, & patet: nam de peccato vtriusque simul dicitur Numer.20. cap. dixit Dominus ad Moysen, quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis, de eodem peccato vtriusque simul sic loquitur infra trigesimo secūdo. Iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus, quia præuaricati estis contra me in medio filiorum Israel: de peccato Aaron acerrime loquitur solum de eo per se loquendo, vt patet Num.20.cap. cum dicitur pergat, inquam, Aaron ad populos suos: non enim intrabit in terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis: ecce qualiter vocat eum incredulum, quod acerrimum est, & non dicitur de Moyse: cum autem loquitur de solo peccato Moysi loquitur mansuete, vt patet Numer.27. capitulo, cum dicitur C ascende in montem istum Abarin: & contemplare, & vide terram quam daturus sum filiis Israel: cumque videris eam, ibis ad populum tuum, sicut iuit Aaron frater tuus: quia offendisti me in deserto: ecce qualiter dixit solum, quod offenderat eum Moyses nihil aliud exprimendo: offendere autem valde largum est, potestq; accipi pro quolibet peccato omissionis, vel commissionis quantumcunq; paruo. Etiam præter hoc Aaron offenderat Deum murmurando cōtra Moysen, vt patet Numer.12. Moyses autem nunquam murmurauit, quia mitissimus erat, etiam quia Aaron ad petitionem populi conflauit vitulum, quem adorauit populus, vt patet Exod.32.cap. & ob hoc Deus ei valde iratus fuit, vt patet infra nono capitulo, cum dicitur, aduersum Aaron quoq; vehementer iratus voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum: Moyses autem in nullo horum peccauit: ideo multa gaudia habuit Moyses, quæ non vidit Aaron: nam Aaron non intrauit aliquam partem terræ promissionis, nec vidit eam, nisi confuse aliquam partem: non vidit etiam bella Israel fœliciter gesta: Moyses autem vidit immediate post mortem Aaron bellum, in quo deleuit Israel regem Chananæum Arad, vt patet Numer.21. & fecit bella magna contra duos reges Amorrhæos, & occidit illos, vt patet Numer. vigesimo primo, & infra in litera, & sequenti capitulo, & possedit totam terram eorum, quæ erat pars terræ promissionis, deditque eam duabus tribubus, & dimidiæ in sortem: vt patet Numer. trigesimo secundo, & infra sequenti capitulo. vidit etiam, & fecit bellum magnum contra quinq; reges Madianitarum, quos occidit Israel, vt patet Numer.31.cap. vidit etiam distincte cæteram partem terræ promissionis antequā morerctur, vt patet infra 34.cap. Aaron autem solum vnum gaudium habuit magis quam Maria soror eius, quia ipse vidit filium suum Eleazarum antequam moreretur, indutum vestibus suis, & factum sacerdotem magnum, vt patet Numer. 20. cap. Maria autem nihil boni vidit. *Publica gradiemur via.* Non declinantes per agros, aut vineas, nec facientes nouam viam. *Alimenta precio vende.* Id est, non intelligas, quod volumus violenter, vel sine pecunia sumere, cibos in terra tua, sed omnia precio comparabimus. *Sicut fecerunt filij Esau.* Quia licet in principio noluerunt, vt patet Numer.20. & ideo coacti sunt circuire montem Seyr, tamen post Deo mandante declinauerunt ad eos, & transierunt inara terminos Idumæorum, vt supra euidenter patuit. *Et Moabitæ, qui morantur in Ar.* Ar est ciuitas Moabitarum per cuius confinia transierunt filij Israel, vt patet supra in textu, & Moabitæ etiam à principio repugnauerunt dare transitum apud fines suos, sed post permiserunt: nec fit mentio supra in libro Numerorum, quod petierint transitum à Moabitis Israelitæ sicut dicitur de Idumęis 20.cap. & de Amorrhæis 21.cap. Ratio, quia si non transirent per intra terram Idumæorum, vel Amorrhæorum, cogebantur multum declinare: sed etiam si non transirent intra terram Moabitarum non declinabant. Et E patet, quia veniendo directe à meridie versus aquilonem de mari rubro, & deserto Synai per mansiones alias vsq; in Cadesbarne: transitus erat per terram Edon, quæ est in latere meridiano terræ Chanaam: ideo primo petierunt ab Idumæis, vt concederent eis transitum, vt patet Numer.20.cap. illis autem nolentibus circundederunt per latus meridianum terræ Edon ascendentes contra orientem eius, cum autem fuerunt in oriente illius, mandauit Deus, quod declinarent contra aquilonem, vt patet in isto capitulo, scilicet, per frontem orientis Edon transuersaliter transeundo quasi à meridie contra aquilonem, & tunc intrauerunt aliquo modo in terram Edon, vt dicit litera, & supra declaratum est: sed adhuc Idumæi timentes Israelitas non dederunt eis licentiam transeundi per terram suam in terram Chanaam, sed cum modicum transiissent per terram illam coacti sunt ascendere magis ad orientem, etiam mandante hoc Deo, ne esset eis occasio pugnandi contra Idumæos, nunc transierunt correntem Zareth, & iuerunt per viam solitudinis contra Moab ad Arnon.

Diuersitas mortis, & peccatorū Mariæ Aaron, & Moysi.

Ar, quæ sit ciuitas.

Quando & quomodo accesserint filij Israel ad Moabitas, & qualiter tollitur contradictio, quæ videtur esse in litera.

QVÆSTIO VIII.

SED magna valde dubitatio videtur de Moabitis magis quam de Idumęis: quomodo ad illos accesserint, & quando, nā manifesta contradictio videtur esse in litera, nisi ei occurratur, quia hic vult litera, quod ptimo accesserint Israelitæ ad Moabitas quam ad Amorrhæos cum dicitur: tantum est, vt concedas nobis transitum, sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seyr, & Moabitæ, qui morantur in Ar: ergo prius venerant ipsi ad terram Moabitarum quam ad terram Amorrhæorum, sed contra videtur Numer.vigesimo secundo capitulo, nam cum sit posita in cap. 21. mors duorum regum Amorrhæorum inflicta ab Israelitis, & captio terræ eorum, subiungitur in ca.22. videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Israel Amorrhæo, & quod pertimuissent eum Moabitæ, eiusque impetum ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian: ita delebit populus iste omnes, qui in nostris finibus commorantur, sicut solet bos herbas vsque ad radices carpere: ergo rex Moab timuit Israelitas postquam factum fuerat bellum contra Amorrhæos: ergo ante non pugnauerat contra eos: nec dederat eis licentiam transeundi per terram suam, & sic videtur manifesta contradictionis implicatio.

Respondetur, quod ad concordandum ista duo loca sacrę Scripturæ, in quo impossibile est reperiri veram contradi-

A ctionem, considerandus est situs, quem tenet terra Moab in comparatione ad terram Amorrhæorum.

Et sciendum, quod quando Israelitæ transierunt modicum per terram Edon, & ascenderunt per viam deserti contra Moab, deuenerunt ad locum illum, vbi coniungitur terra Moabitarum, & Ammonitarum, & per illam coniunctionem, vel quasi transituri erant Israelitæ: & propter hoc vetitum fuit eis ne pugnarent cõtra Moabitas, aut Ammonitas, si tamen Ammonitę distarent ab eo loco per quem transituri erant ipsi, superfluum esset, quod diceretur eis ne pugnarent contra ipsos, & ad istam terram accesserunt, antequam transirent torrẽtem Arnon, qui diuidit inter terram Moab, & terram Amorrhæorum: tenditque contra aquilonem, vel potius contra occidentem ad lacum asphaltidem, vbi est nũc mare mortuum, & prius fuit Sodoma: & tota Pẽtapolis, quæ est in oriente terræ Chanaan, & in ista extremitate terræ Moab est ciuitas Ar: de qua hic dicitur, & tunc Israelitæ stantes apud terminos Moabitarum, & Ammonitarum petierunt trãsitum per terram Moabitarum, quia per eam rectior erat via quam per terram Ammonitarum: nam multum ascendebant contra orientem per terram Ammonitarũ transeundo, & istum transitum petierũt à Moabitis, qui erant in Ar, qui primo noluerũt concedere transitum, nec cibos, aut aquas, nec ipsi Ammonitæ, vt patet Deut. 23. ca. cum dicitur Ammonitę, & Moabites etiam post decimam generationem

B non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto. Quod autem sequitur de cõductione Balaam non fuit tunc, sed post, vt declarabitur: deinde ipsi Moabitæ pacificati sunt, & dederũt eis transitum, sicut fecerant Idumæi, qui prius dare nolebant, vt patet Numer. 20. sed dixerunt se obuiam exituros cum armis, sed postea concesserunt transitum per quandam partem regni, vt patet in isto ca. Et isto modo intelligitur, quod Moabitæ, qui morantur in Ar dederunt eis transitum, cum autem transiuissent modicum per terram Moabitarum apud ciuitatẽ Ar, accesserunt vsq; ad torrentem Arnon, qui diuidit terram Moab, & Amorrhęorum, & quando transiuerunt torrentẽ Ar exierunt de illa parte terræ Moab, & intrauerunt ad terrã Amorrhæorum, & cum essent in finibus istius terræ Amorrhæorũ miserunt ad regem Seon dicentes, vt concederet eis transitũ per terram suam, vsq; ad Iordanem, sicut concesserant Idumæi, & Moabitæ. qui morantur in Ar: tunc enim verum erat quod Moabitæ dederãt eis ingressum non per totum regnũ suum, sed per partem, scilicet, per quandam extremitatẽ terræ eorum, vbi coniungitur terra illa terrę Ammonitarum, & est ibi ciuitas Ar: & ad notandũ hoc dixerunt Iudæi, q̃ Moabitæ, qui morantur in Ar dederant eis transitum, & non dixit simpliciter, vel absolute, quod Moabitæ dederũt eis transitum: & deinde nolẽtibus concedere transitum Amorrhæis

C pugnauit Israel cum eis, & totam eam terram accepit, & per eam transierunt, & quando iam essent in extremitate eius occidentali, quæ est principium orientis terræ Chanaan, accesserunt iterum ad extremitatem terræ Moab in duabus mansionibus vltimis, scilicet, in campestribus Moab, & in planioribus locis Moab super Iordanem, & hoc facta strage duorum regum Amorrhæorum: in toto enim tempore, quo ambulauerant per terram Amorrhæorum Seon, & Og, non accesserant ad aliquam partem terræ Moab: cum autem exire debuerunt terram Amorrhæorum, vt transirent Iordanem, accesserunt ad terram Moab, & tunc rex Moab Balac timuit, quod Israelitæ vellent intrare terram suam, quia erant ad confinia eius: ideo tunc misit pro Balaam Ariolum, vt eos malediceret, & ad illud tempus refertur id quod habetur Numer. 22. cap. cum dicitur. Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Israel Amorrhæo, & quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian; ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quemadmodum solet bos herbam vsque ad radices carpere. Et sic istę duæ auctoritates, quæ videbantur contrariæ, nullo modo contradicunt, quia referuntur ad diuersa tempora, secũdum quod bis accesserunt Israelitæ ad Moabitas. Primo antequam accederent ad Amorrhæos; & hoc fuit quando transierunt per Moabitas, qui erant in Ar. Secundo postquam exierunt de terra Amorrhæorum; & hoc fuit quando steterunt in campestribus Moab, & planioribus locis Moab in valle contra Phegor. Et ista duplex accessio ad terram Moab contigit propter duas extremitates terræ Moab: nam in terra Moab in suo latere, quasi Septentrionali arcuatur, & per vtramque extremitatem arcus, vel semicirculi transierunt Iudęi, & non per medium, vt directe procederent. Vna extremitas arcus, & Orientalis erat in Ar, per quam primo transierunt Iudæi. Secunda erat, & Occidentalis in planioribus locis Moab in valle contra Phanum Phegor apud Iordanem. Vt autem hæc melius intelligantur ponendus est situs terræ Ammon, & Moab, & regum Amorrhæorum. Et sciendum quod terra Moab, & Ammon, vt supra diximus se contingunt: nam terra Moab est Meridiana ad terram Ammon, & terra Ammon est Septentrionalis ad terram Moab, & extremitas vtriusque est Orientalis ad terram Amorrhæorum: nam extremitates Moab, & Ammon circumflexæ in parte Orientali coniunguntur, & claudunt frontem Orientalem terræ Amorrhæorum, ita quod ille, qui venit à parte Meridiana, scilicet, de terra Edom, vel de parte Otientali contra terram Amorrhæorum, necesse est vt intret aut per terram Ammon, aut per terram Moab; ideo Hebræi venientes aliqualiter de parte Meridiana ad terram Amorrhęorum intrauerunt per terram Moabitarum, qui sunt in Ar. Deinde transitis istis extremitatibus Moab, & Ammon, & intrando in terram Amorrhæorum per frontem Orientalem, terra Ammon arcuatur versus Aquilonem, & terra Moab aliqualiter versus Meridiem, & inter istas duas arcuationes extenditur terra regum duorum Amorrhæorum vsque ad Iordanem, vbi extremitas arcus terræ Moab redit versus Aquilonem, & ad hanc extremitatem accesserunt Israelitæ. Vt autem hæc melius intelligantur subiiciatur hic figura si placet:

D

Descriptio situs terræ Moab Ammõ, & regni Amorrhæorum.

E

F

Quare Israelitæ non transierunt totaliter per terram Moabitarum.

QVÆSTIO IX.

SED quæritur cum Israelitæ antequam intrauerint terram Amorrhæorum transierint per Moabitas, qui erant in Ar, quare non totaliter per terram Moabitarum: nam necesse erat iter eorum arcuari cum intrauerint per Moabitas, qui erant in Ar, vbi erat extremitas Orientalis, & postea deuenerint ad extremitatem Occidentalem: ipsi autem nolebant arcuare, sed tramite recto procedere. Item quia dato quod Israelitæ peterent à Moabitis, vt darent eis transitum per totam terram suam; ipsi nollent quia timerent, quod vellent accipere terram. Si eum modicum transitum per extremitatem concedere nolebant, quanto magis per totum regnum? maxime quia ista fuisset occasio pugnandi contra Moabitas: Deus tamen prohibuerat eis ne pugnarent cum Moabitis, quia nihil de terra eorum habituri essent, cum illa esset data in possessionem filiis Loth, vt dicitur in litera: contra Amorrhæos autem non fuerat eis vetitum bellum. Item quia Deus intendebat tradere terram Amorrhæorum Israelitis propter peccata Amorrhæorum: ideo misit eos per terram Amorrhæorum, vt sic saltem occasionem pugnandi contra eos haberent aliæ autem rationes esse possunt, quas poterit quilibet diligenter textum perscrutans reperire. Nicolaus dicit quod Moabitæ non dederunt transitum, sed dederunt alimenta precio; sed contra hoc dicitur infra 23. capitulo, quod Moabitæ noluerunt occurrere filiis Israel cum pane in via. Ad hoc respondet ibi Nicolaus sequens quosdam Hebræos, quod Moabitæ viri non iuerunt cum pane, sed fœminæ eorum. Sed non videtur bene dictum, quia nihil refert quod viri Moabitæ facerent per se, vel per vxores, vel famulos. Item, quia ibidem vigesimo tertio capitulo dicitur, quod Moabitæ occurrerunt armati contra Israelitas. Si ergo ipsi erant hostes Iudæorum, quomodo permittent etiam vxores vendere alimenta eis exeundo extra fines Regni? Et ad hoc sumunt causam veri similitudinis, quod ideo Moabitæ non possunt contrahere cum viris Iudæis. Sed ista non est causa specialis, quia nõ solum mulieres Moabitæ, sed etiam mulieres aliarum nationum poterant copulari in matrimonium Iudæis, & patet de Samsone qui accepit vxorem

de filia-

A de filiabus Philisthinorum, vt patet Iudic. 14. cap. Item quando prohibitum fuit accipere vxorem de alienigenis, fuit ne ipsi inducerent viros & filios ad idololatriam, vt patet Exod. 34. cap. si ergo aliquis poterat accipere vxorem de alienigenis, quam conuerteret ad Iudaismum, bene licebat: ideo infra 21. ca. dicitur quod quando irent ad bellum & acciperent aliquas puellas virgines, poterant eas ducere in vxores & Leuit. 21. cap. dicitur de sacerdotibus magnis, quod acciperent in vxores puellas de populo suo, ergo videtur quod alias licebat accipere vxores de alienigenis. *Donec veniamus ad Iordanem.* Quia post Iordanem est terra quam acceperunt nouem tribus & dimidia. *Ad terram quam Dominus Deus daturus est vobis.* Non quod solum illam terram Deus eis daturus esset: quia etiam terram Amorrhæorum daturus erat, quia promiserat, sed illam iam dudum merebantur perdere habitatores: istam autem nondum merebantur perdere donec transitum denegassent. *Noluitque Seon rex Esebon dare vobis transitum.* Erat enim positus custos introitus terræ illius contra Hebræos: & dabantur ei tributa vel pensiones ab aliis regibus pro conseruatione. *Quia induranerat Dominus Deus spiritum eius.* Id est, quia non dederat ei gratiam ad benefaciendum, nemo autem potest bene operari sine Dei gratia: quando ergo alicui Deus gratiam non elargitur, non potest bene operari, sed in malis induratur, & ad bonum difficilis fit.

Nemo potest bene operari sine gratia Dei.

B *Quare male faciendo peccamus cum gratia simpliciter non sit in potestate nostra, quam cum Deus subtrahit, non tamen est causa mali.*

QVÆSTIO X.

SED dices, ergo non peccauimus malefaciendo quia non habentes gratiam quæ à Deo libere donatur impossibile est nos bene operari iuxta illud Ioan. 15. sine me nihil potestis facere, ergo non erit in potestate nostra bene facere.

Respondetur, quod sicut habere vitam æternam non est totaliter in nostra potestate iuxta illud Matth. 19. cap. cum dicerent discipuli, quis ergo saluus erit? respondit Iesus, apud homines quidem impossibile est, apud Deum autem omnia sunt possibilia: & ad Roman. 9. cap. non est currentis nec volentis, sed Dei miserentis, ita bene agere non est totaliter in potestate nostra; quia ista necessario se consequuntur bene agere semper & vita æterna, q. ergo in potestate sua habet totaliter bene operari, in potestate habebit vitã æternam: licet ergo bene operari nostrum principaliter sit à Deo dante gratiam, quia tamen cuilibet facienti, quod in se est, Deus dat gratiam: ideo male operantes pœnam merentur, sicut enim Deus est causa naturaliter influens in omnibus naturalibus effectibus, nec propter malitiam vel bonitatem inferioris agentis desinit influere: ita in gratuitis est principium inuariabiliter se habens, ita quod impossibile est aliquem agere quantum in se est, & Deum gratiam non apponere: sed gratia non cogit liberum arbitrium, quia aliquis gratiam habens potest peccare: sed per illud peccatum immediate perdit gratiam. Item quia sicut Deus naturaliter in qualibet re omni tempore influit conseruando: ita in cordibus nostris semper influit ad bonum nos incitando; sed huic pulsationi non omnes aperiunt.

C Sed quantum ad subtractionem vel non appositionem gratiæ dicitur, quod pro peccatis Deus duplices dat pœnas, quasdam corporales, alias spirituales, corporales autem sunt damna, vel punitiones illatæ pro peccato: pœna spiritualis est subtractio gratiæ: aliquis enim peccauit in aliquo peccato magno vel multoties iterato, propter quod demeretur, quod Deus non apponat ei gratiam, & tunc bene agere nullo modo poterit.

Deus dat nobis pro peccatis nostris duplices pœnas.

Et si dicas quod in isto actu non videtur iste culpabilis, quia Deus non concurrebat cum ipso ad bene agendum ex se autem bene agere non potest.

Respondetur, quod iste relictus à Deo bene agere non potest, tamen pœnam meretur pro isto malo actu, quia per priorem malum actum demeritus fuit, vt nunc relinqueretur à Deo, & consequenter male ageret, quia sicut pro aliquo peccato temporalis pœna datur, ita pro aliquo magno spiritualis, scilicet, quod permittatur cadere in aliud. Erit igitur culpa sequens præcedentis culpæ pœna: & consequenter redundabit maior pœna, quia pro primo peccato pœna, & pro secundo similiter. Et hoc modo homines præsciti qui erant scripti in libro vitæ secundum præsentem iustitiam obstinantur & impœnitentes moriuntur, quia licet nunc bene operentur, quia gratiæ repugnare possunt, post male operantur, & per illa mala opera demerentur subtractionem gratiæ, id est, quod Deus non concurrat cum illis ad causandum bonum opus, ideo in articulo mortis confiteri non poterunt, quia ante demeritus est ne Deus ad talem actum cum eis concurreret. Quę autem sunt vitia vel quoties iterata, per quæ demeremur in alia cadere, vel Deum nobiscum non concurrere, penitus homini incognita sunt. Vidit enim Deus quod talia scire viatori non expediebat, vt sic ex timore cautior & vigilantior esset, sufficere nobis debet quod qui saluantur non ex meritis saluantur, vel electi sunt, sed quia Deo placuit ad vitam æternam ab æterno illos eligere. Qui autem damnantur ex propriis demeritis hoc habent. *Et obfirmauerat cor illius.* Scilicet, cum à malo concepto per gratiam non reuocando, vel vt malum non conciperet non iuuando. *Vt traderetur in manus tuas.* Vt non tenetur causatiue sed consecutiue, non enim ideo Deus isti gratiam subtraxit, vel non apposuit, vt traderetur in manus Moysi, vel vt peccaret, sed ad subtractionem gratiæ consequitur istum non bene agere: si enim Deus alicui gratiam subtraheret, & male ageret, Deus diceretur formaliter auctor mali, sed subtrahit E gratiam vt quandam pœnam debitam pro peccato, quia sicut alicui aliquam pœnam temporalem in peccati satisfactionem infligit, ita alicui secundum altitudinem sui consilij pro alio peccato gratiam subtrahit.

Et si arguas cum ad subtractionem gratiæ sequatur mala operatio, quid magis refert Deum subtrahere nobis gratiam, vel facere nos peccare, vel subtrahere gratiam vt puniamur, vel vt per subtractionem peccemus? quia idem sequitur per quodlibet illorum.

Respondetur quod multum distant ista, & patet in iudice, si enim iudex aliquem torqueret, vt per hoc Deum blasphemaret, vel vt aliquem odio haberet, etiam si tormenta illa ex aliqua causa mereretur, peccaret valde mortaliter. Si tamen dat aliquam pœnam pro aliquo delicto, quam lex imponit, etiam si sciat quod per hanc pœnam afflictus iudicem odio habebit, vel aliquod peccatum mortale incurret, non peccat dum pro ista intentione cruciatum non irroget: sic iustitiæ Dei multum congruit secundum suum altum consilium aliquem subtrahendo gratiam punire: sed bonitati eius valde repugnat gratiam subtrahere, aut aliquem faciat peccare. In ista quæstione siue dubij solutione multa tacta sunt, quę in aliis locis magis explicuimus: nam agitur de prędestinatione & præscientia. De his autem qualiter non tollant libertatem arbitrij diximus late Genes. 50. cap. tangitur etiam de inductione alicuius, qualiter Deus sit causa in- F durationis, aut positiua, aut priuatiua, directe, aut per accidens, de his autem magis diximus Exod. 4. cap. tangitur etiam de ista dictione, vt quæ facit magnas difficultates in intelligentia sacrarum scripturarum, vtrum teneatur finaliter vel consecutiue, de quo magis diximus Exod. 9. capit. *Ecce cœpi tibi tradere Seon.* Id est, iam apud me demeritus est, propter quod immediate eum tibi tradam. *Egressusque Seon.* Licet esse vicinus regis Og, tamen non vocauit eum in auxilium ad bellum, quia se fortissimum reputabat, & quia Israelitas contemnebat, & quia singularem de victoria gloriam habere volebat. *Percussimus eum cum filiis suis.* Quia multos filios habebat, quorum aliquos secum ad bellum adduxerat. In Hebræo habetur. *Cum filio suo.* Scilicet, vno Gigante & forti vt pater eius, vt ait Rabbi Salomon, sed potest poni singulare pro plurali, vt in multis locis, & Exod. 8. venit musca grauissima, sed plures erant.

Rab. Salom. opinio Doct. opinio.

Potest autem dici & forte melius, quod accipiuntur hic filij non pro filiis carnalibus quos genuit: sed pro subiectis suis, scilicet, pro populo, & iste modus frequentatus est in scriptura, nam subditi regis Emor qui dominabatur in Sichem vocantur filij sui, vt patet Genes. 33. cap. cum dicitur, emitq; partem agri in quo fixerat tabernacula à filiis Emor patris Sichem centum agnis, ibi non vocantur filij ipsi carnales, quia immediate declaratur cũ subditur patris Sichem,

Nota pro materia prædestinationis.

qui si

quasi dicat quod non erat pater eodem modo Sichem, & aliorum: nam Emor erat pater Sichem, quia cum genuerat, & pater vocatur aliorum quorum dominus erat, idem patet Io sue 24. cap. cum dicitur ossa quoque Ioseph quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quē emerat Iacob à filiis emor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem Ioseph & omni populo. Dicit Iosephus quod multi de Ammorrhæis siti in bello mortui sunt, alij ruentes ad fluuium Arnon iaculis confixi sunt, alij ad mœnia fugientes à fundibulariis præuenti vsque ad internetionem deleti sunt. *Mulieribus ac paruulis.* Quia Deus mandauerat omnes gentes quarum vrbes possessuri erant totaliter delere infra 20. ca. *Absque iumentis quæ in partem venere prædantium.* Id est prædantes non habuerunt inde seruos, vel seruas, vel puellas in vxores, sed solum iumenta, & spolia vrbiū scilicet, supellectilia aurum, & argentum, & alia preciosa, vel aliter. *Quæ in parte venere prædantium.* Id est ista quæ rapta sunt in bello, non fuerunt diuisa euntibus ad bellum & manentibus in castris, sicut in bello cōtra Madianitas vt patet Num. 31. c. Et ratio est quia in bello Madianitarum nullam vtilitatem consequebantur manentes in castris, nisi aliquid haberent de præda: in bello contra Seon & Og consecuti sunt ciuitates ad manendum: ideo nō indigebant vlterioribus spoliis, & rationabile erat quod pro labore maiori ipsi bellantes sortirentur iumenta, & supellectilia Amorrhæorum in prærogatiuam ad non pugnantes, etiā quia in bello contra Madianitas non æqualiter habuerūt manentes, & euntes ad bellum: nam omnibus manentibus data fuit medietas spoliorum, & reliqua medietas euntibus ad pugnam, tamen illi qui iuerunt ad pugnam erant solum duodecim millia, vt patet Num. 31. cap. illi autem qui manserunt in castris erāt plures, quam sexcenti mille accipiendo senes ad iuuenes potentes fiugnare, nam inter omnes spolia diuidebātur: immo essent omnes isti qui manserant plures quam mille millia, & sic data medietate spoliorum pugnantibus scilicet, 12. mille viris, & cæteris manentibus alia medietate concessa: magis veniet vni pugnanti, quam forte centum non pugnantibus secundum proportionem, quam habent duodecim millia ad mille millia vel plura. Item in alio fuerunt mulieres conditionis pugnantes contra Madianitas, quam manentes in castris: nā de illa parte quæ eueniebat pugnantibus dabatur de quingentis ouibus vna, & sic de asinis, hominibus & cæteris rebus, de medietate autem quę contigit manentibus in castris, accipiebat sacerdos de quinquaginta capitibus vnum: & sic manentes cogebātur dare in decuplo magis sacerdoti quam euntes ad pugnam. *Ab Aroer quæ est supra rupam torrentis Arnon.* Fluuius Arnon transit inter Moabitas & Amorrhæos ex parte fluminis, in terra Moabitarum est ciuitas nomine Arnō ex parte Amorrhæorum est Aroer ambæ super Arnon. *Vsque Galaad.* Incipit regnum Seon in Aroer, & finitur in terra Galaad. *Nec fuit vicus.* Id est locus non muratus. *Absque terra filiorum Ammon.* Mandauerat Deus quod non pugnarent contra eos, quia nihil accepturi erant de terra eorum. *Et cunctis quæ adiacent torrenti Ieboch.* Ieboch fluuius est diſlās à Iordane per vnam leucam, apud quem luctatus fuit Iacob cum angelo vt patet Gen. 32. cap. apud istum torrentem de terra Ammonitarum, apud torrētem Ieboch qui est circa Iordanem est extremitas occidentalis terræ Ammonitarum, sicut super Iordanem est extremitas occidentalis Moabitarum, sed differunt quia extremitas Ammonitarum tangit Iordanem à septentrione, & extremitas Moabitarum tangit à meridie, extremitates autem orientales Ammon, & Noab coniunguntur ad orientem terræ Amorrhęorum claudendo eam vt supra declarauimus. *A quibus vos prohibuit dominus.* Id est totam illam terram post torrentem Arnon vsque ad Iordanem accepimus præter terras à quibus prohibiti sumus, scilicet ab Idumæis, Moabitis, & Ammonitis.

Situs Arnon fluuij.

Ieboch fluuij situs.

CAPVT III.

ITaque conuersi ascendimus per iter Basan. Egressusq; est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Aedrai. Dixitq; dominus ad me. Ne timeas eum, quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciesq; ei sicut feciſti Seon regi Amorrhæorum qui habitauit in Esebon. *Num. 21. c.*

ITaque conuersi. Dicto de pugna contra Seon subiungitur de pugna contra regem Og. Et tangūtur 4. Primum bellica congressio. Secundo terræ acquisitæ diuisio ibi. *Terramque possedimus.* Tertio duabus tribubus & dimidiæ ad bellandum facta admonitio ibi. *Præcepiq; vobis.* Quarto pro transitu Moysi vltra Iordanem deprecatio ibi. *Precatusque sum. Itaque conuersi ascendimus per iter Basan.* Id est postquam pugnauimus contra Seon iuimus per iter Basan.

An Basan sit nomen regni vel ciuitatis.

QVÆSTIO I.

NON est Basan nomē ciuitatis, sed regni vt patet Num. 32. c. quia ibi numerantur, & diuiduntur ciuitates munitæ principales, inter quas non ponitur Basan.

Item quia infra dicitur vniuersam terram Galaad, & Basan, ergo in Basan ciuitates sunt, & sic non erat ipsa ciuitas, sed terra in qua sunt ciuitates.

Item quia inf. dicitur, reliquam partem Galaad, & omnē Basan, ecce qualiter ibi ponit plures partes in Basan cum dicitur, omnem Basan, si autem vna ciuitas esset, non diceret, & omnem Basan, quia ibi faciebat diuisionem terrarum.

Item postea subditur ciuitas Basan vocabatur terra gigātum, si autem vna ciuitas fuisset non diceretur ciuitas Basan, sed solum Basan, etiam non vocaretur terra Basan, sed ciuitas Basan.

Item quia postea dicitur quod Iair vocauit nomine suo, Basan Auothair id est villas Iair, ecce ibi vocauit Basan villas, & non villā, ergo non erat vnus locus sed multi, scilicet quędam terra magna. Et est ista terra altioris status quam terra Seon, quia est magis in montanis, ideo dicitur ascendimus. *Egressus Og.* Ab hoc nō petiuit Moyses transitum sicut à Seon rege, quia iste cum sciuit Israelitas venire contra terram suā, exiuit eis obuiam, & mouit contra eos bellum, antequā sciret vtrum ipsi transire vellent per terram suam, an nō: & forte hoc faciebat, vt vindicaret mortem regis Seon, nec enim timuit Israelitas etiam si sciret Seon fortissimum regem victum, & mortuum, vel forte quia iste sicut Seon defendebat introitum terræ susципiens tributa ab aliis regibus, vt Seon. *Ne timeas eum.* Erat Og de stirpe gigantum, ideo terribilis erat, vnde gigantes enim id est terrificantes vocabantur, vt patet præced. cap. vnde poterat Moyses vel populus eius timere eum, de Seon non fuit dictum hoc, quia licet fortis esset, tamen non erat gigas: ideo non ita terribilis. *Cum omni populo suo ac terra sua.* In quo notabat q̄ in terra illa morаturi essent, vnde aliquando Deus tradebat solum populum in manu eorum vt in Madianitis Num. 31. c. & Chananęum regē Arad Num. 21. c. quia solum Madianitas occiderūt, sed terram eorum non possederunt: hic autem vtrumque fuit: gentē occiderunt, & in ciuitatibus dederunt habitationem tribui Gad, & dimidiæ parti tribus Manasse vt patet Num. 32. c. & infra. *Qui habitauit in Esebon.* Quia ista erat ciuitas principalis regni sui. *Percussimus vsque ad internetionem.* Aliquādo bellantes percutiuntur, & moriuntur, & tunc non est percussio vsque ad internetionem, hic autem totaliter eos occiderunt, internetio mors est de interneco id est occido. *Vastantes cunctas ciuitates vnius vno tempore.* Id est vno impetu, ita quod non cessauimus ab incępto bello donec omnes accepimus, & dicitur hoc ad differentiam terræ promissionis quæ est trans Iordanem, quę non capta fuit vno tempore id est simul, sed primo

Og erat de stirpe gigantum

Cur terra promissionis non fuit capta vno tempore.

A

acceperunt quandam magnam partem ſufficientem genti Iſraelitæ quę tunc erat,& ſic ſucceſſiue vſque ad tempus Dauid,& Salomonis filij ſui,quo regnãte totaliter acquiſita eſt, vt patet 3.Reg.ca.9. cum dicitur,& vniuerſum populum qui remanſerat de Amorrhæis, Ethæis, & Pherezæis, Euæis, & Iebuſęis,qui non ſunt de filiis Iſrael,horum filiorum,qui remanſerant in terra, quos ſcilicet non potuerũt filij Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios vſq; ad diem hanc: idẽ patet 2. Parali.c.8. per eadem verba totaliter, & fuit cauſa vt filii Iſrael ſi omnem terram accepiſſent , tantam pacem habuiſſent,quod ocio marcerẽt, ideo vt haberent cum quibus pugnarent,reſeruauit Deus multos de illis,ſic dicitur Iudi.c. 3.hæ ſunt gentes, quas dominus dereliquit,vt erudiret in eis Iſraelem,& omnes qui non nouerant bella Chananæorum, & poſtea diſcerent filij eorum certare cum hominibus,& habere conſuetudinem præliandi.

Item relictæ fuerant illæ gentes propter peccata Iſrael, quia non cuſtodiebat pactum domini, ideo Deus nolebat totaliter finire quod promiſerat, quia promiſſio ſua conditionalis fuit ſcilicet ſi ipſi cuſtodirẽt mandatum domini, etiam propter peccata quę facturi erant,vt quandocunq; peccarent,eſſent aliquæ gentes, quæ eos premere poſſent,vt patet Iud.2.c.cum dicitur iratuſque eſt furor domini in Iſrael, & ait,quia irritum fecit gens iſta pactum meum quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire noluerunt,ego non delebo gentes quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt,vt in ipſis experiar Iſrael, vtrum cuſtodiãt viam domini, & ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum an non, dimiſit ergo dominus omnes has nationes, & cito ſubuertere noluit,neque tradidit in manibus Ioſue,& hoc patet,quia qñcunq; Iſrael peccabat cõuertẽdo ſe ad idola, De⁹ mittebat ſuper eos aliquos hoſtes prementes eos valde, vt patet Iud.3. quando dedit eos in manus Cuſanraſathaim regis Meſopotamiæ,deinda in manus Eglon regis Moab:deinde in manus Iabin regis Chanaan,vt patet Iud.4.c.& ſic patet frequentiſſime in libro Ioſue.Item fuit alia ratio propter vtilitatem Iſraelitarum,quia terra Chanaan erat ſatis magna, ipſi autem non ſufficiebant ad populandum medietatẽ eius: ſi ergo totam in vno anno tradita fuiſſet, non poſſent eam replere Iſraelitæ, & implerentur ſerpentibus,& aliis boſtiis, ideo non decuit,nec expediuit totam ſimul capi,& ſic dixerat Deus,vt patet Exo.23.& inf.7.c. non eiiciam eos à facie tua in vno anno,ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant cõtra te beſtiæ,ſed paulatim expellam de cõſpectu tuo donec augearis. *Sexaginta vrbes.* Omnem locum munitum vrbem vocat ſiue paruus ſiue magnus ſit. *Et omnem regionem Argob.* Argob nomen alicuius terræ ſpecialis in terra Og eſt , vel eſt nomen appellatiuum,& ſignat pulchritudinem, & tunc vocatur regio Argob aliqua terra fertilis, & bene murata in terra hac, quæ alias terras regni ſui excederet.*Regni Og in Baſan.* Non ſignat Baſan totum regnum Og,ſed maiorem partem regni.ſ. aliquam terram per ſe.*Cunctæ vrbes.* Scilicet 60. ſupra dictæ. *Diſperdentes omnem ciuitatem.* Id eſt depopulantes eam, nõ intelligit quod deſtruendo muros, & omnem munitionẽ, nec hoc facerent niſi aliquando repugnantibus habitaroribus deiicerent aliquam partem muri,vt per eam intrarẽt,vt probauimus Nu.32.c.*De manu duorum regum Amorrhæorum.* Quia Og & Seon Amorrhæi erant de genere Chanaam. *A torrente Arnon.* Quia ibi incipit regnum regis Seon in Aroer ciuitate vt patet c. præc. Arnon non eſt torrens ſed ciuitas,vt probauimus c.præce.ſed apud iſtam ciuitatem tranſit torrens quidam diuidens terram Moabitarum & Amorrhæorum,& deſcendit ille torrens de montibus Arabiæ tendens contra occidentem terræ illius perlatus Moab , & terræ Amorrhæorũ vſque lacum aſphaltidem qui eſt in oriente terræ Chanaam ſcilicet vbi olim fuit Sodoma: & in occidente Moab & terræ Amorrhæorum, nam iſta duo regna tenent frontem orientalem terræ Chanaam, de terra Amorrhæorum quod ſit ad orientem terræ Chanaan,patet nu.32.c.de Moab quod ſit orientalis terræ Chanaam, dicitur aliqualiter in libro de diuiſione terræ ſanctæ,& patet in multis locis in libro Numeror. & Deut.nam Num.26.dicitur quod Moyſes & Eleazarus numerauerunt filios Iſrael in campeſtrib.Moab ſuper Iordanẽ contra Hierico.Iordanis & Hierico ſunt ad orientem terræ Chanaam,vt patet Nnm.34.ergo Moab regio quæ eſt orientalis ad Iordanem, & Hierico, eſt orientalis terræ Chanaan idem dicitur Num.33.c. profectique de montib. Abarin trãſierunt ad campeſtria Moab ſuper Iordanem cõtra Hierico, apud iſtum torrentem Arnon ſunt aliqua loca,quæ concordant cum voce, nam eſt ibi ciuitas Arnon in terra Moab in extremitatibus eius,contra principium terræ Amorrhęorũ, vt declarauimus pręced.c.& patet Num.21.c.eſt etiam ibi ciuitas Ar,quæ eſt in terra Moabitarum,ante quam accedatur ad terram Amorrhæorum, & de hac dictum fuit, ſup. quod Moabitæ qui morantur in Ar dederunt tranſitum Hebræis, eſt etiam ibi ciuitas quæ vocatur Aroer,& hoc eſt in terra Amorrhæorum,vt patet inf.cum dicitur terrãque poſſedimus in tempore illo ab Aroer quæ eſt ſupra ripas torrentis,Arnõ, vſque ad mediam partem montis Galaad; Arnon enim Moabitas & Amorrhæos diuidit Num.21.c.*Vſque ad montem Hermon.* Qui vocatur hebraice hermo. *Quem Sydonij Sanrion vocantem Amorrhæi ſanir.* Iſte mons appellatur hic tribus nominibus quia tangit tres regiones,eſt enim in parte ſeptentrionali terræ promiſſionis, & ibi coniungũtur extremitates regni Amorrhæorum regno Sydoniorum , quæ terra vocatur phęnicia,ideo cum tangat quodlibet regnum iſtorum ea inter ſe diuidens à quolibet nomen accipit. *Et vniuerſam terram Galaad.* Ideſt omnem terram quæ adiacet monti Galaad,eſt enim Galaad mons quidam vt patet inf.& Gen.31.c. quẽ vocauit ſe Iacob,quia ibi cum Laban ſocero ſuo fœdus pepigerat:Galaad interpretatur tumulus teſtis, quia ibi cumulauit lapides in ſignum inuocans Deum cœli, vt illi lapides teſtes eſſent,quia nullus ibi alius teſtis aderat præter filios Iacob,& ſeruos ſuos,& cognatus Laban venientes cum ipſo de Meſopotamia,vt dicitur Gen.31.Id eſt quid inueniſti hic de cũcta ſubſtãtia tua,pone hoc coram fratribus tuis,& fratrib.meis, & ipſi iudicent:quia tamen iſti teſtes breuiter mori poterãt, vel quia non erant tales qui conuenienter deponere poſſent contra Iacob,Laban accepit pactum iſtud ac ſi nullo vidente fieret,ideo dixit nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo qui præſens eſt. Eſt autem alius mons Galaad vna leuca diſtans à Hieruſalem in ſorte tribus Beniamin contra Sichen. *Et Eſdrai ciuitate regni Og.* Ad quam exiuit vt pugnaret contra Iſraelitas,vt patet Num.21.c. *Solus quippe Og reſtiterat de ſtirpe gigantum.*

B

Argob quid ſit

C

Situs ciuitatis Ar.

D

Galaad quid ſit

E

F

Quo tempore incœperunt gigantes,& quanto tempore durarunt. Et quare nunc non ſunt gigantes ſicut tunc. Et de magnitudine gigantis Og ſecundum Rab. Sal. & de lecto eius.

QVÆSTIO II.

STIRPS gigantum paulo ante diluuium incœpit,vt patet Gen.6.c.quãdo ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, & poſt diluuium aliqui gigantes fuerunt,ſed non multo tempore durauerũt: bonitas enim naturæ in cibis & aſpectu cęli ad terram habitatam continebat ſemen humanum in tanta virtute,vt tanti roboris,& ſtaturæ homines illa produceret ætas,poſtea paulatim deficiente natura tanquam ad ſenium mundus iſte declinauit,& humana corpora cum viribus minorata ſunt, vnde Og gigantem filium genuit.

Et ſi arguatur quod adhuc remanebant gigãtes in Ebron, vt habetur Ioſue 15.c.

Reſpodetur quod gigantes qui erant in Ebron non erãt magni gigantes ſicut Og, ideo dicitur quod ſolus iſte manſerat,ſed contra quia dicitur Num.13.ca. quod in Ebron erant magna monſtra hominum quibus comparati videbãtur locuſtæ.Item quia Ioſue 15.dicitur quod illi filij Enach de ſtirpe Enach erant. Enach quando eſt nomen appellatiuum ſignat non quoſcunque homines magnos ſtatura , ſed veros gigantes: ideo reſpondetur quod aliqui de gigantibus manſerant in Ebron & in Thanni ciuitate Ægypti , vt innuitur Num.13.c.ſed non erant de linea illa per quam deſcendebat Og: de iſta enim linea nullus reſtiterat. Rab. Sal. dicit quod de gigantibus qui vocantur Raphayn, de quibus Geneſ. 14. contra quos pugnauit Chodorlaomor nullus ſuperfuit niſi Og: qui nunciauit Abrahæ Loth comprehenſum fuiſſe à regibus 4.

Sed non poteſt ſtare,quia ſequeretur, quod Og eſſet tunc

quin-

A

quingentorum annorum, vel quasi, quæ ætas non concedebatur tempore illo: consequentia patet, quia si Og fuisset tũc in bello gigantum ad minus esset 20. vel 30. annorum ex tẽpore istius belli vsque ad dationem legis fluxerunt anni quatuor centum, & triginta, vt habetur ad Gala. 3. c. quod post promissiones Abrahæ per 430. an. data fuit lex, sed promissiones fuerunt factæ immediate cum veniret de illo bello, vt patet Gen. 15. c. & sic erunt anni 450. etiam si computentur isti anni 430. quos numerat Apostolus, non ab eo tempore quo fuit promissio confirmata, de cuius confirmatione agitur Gen. 15. sed etiam si computentur à tempore quo primo factæ sunt, non multa differẽtia erit: nam prima promissio facta ad Abraham fuit quando recedens de Mesopotamia de domo Thare patris sui intrauit in terram Chanaan vt patet Gen. 12. c. sed iste ingressus non fuit ante captionẽ Sodomorum nisi per valde paucos dies scilicet anno & dimidio, vel duobus vt declaratum fuit in Gen. ergo non refert cõputare annos quos computat Apostolus ab ingressu Abrahæ in terram Chanaan, vel à tempore captionis Sodomorum, deinde post dationem legis vsque ad mortem Og fluxerunt 40. anni qui simul faciunt 490. annos. Et patet hoc, quia lex data fuit primo anno exitus de Ægypto mense 3. vt habetur Exo. 19. c. mors Og fuit in 40. anno anteq̃ transirẽt Iordanem, vt patet ex superiori c. *Mostratur lectus eius ferreus.* Pro mirabili mãdauerat sibi lectum ferreum fieri, quia quantitas sua excedebat mensuram aliorum lectorum. *In Rabath filiorum Ammon.* Licet iste non esset rex Ammonitarum, tamen forte fuit inter eos aliquo tempore, & mansit ibi lectus eius, vel forte fuit factus iste lectus ei in terra sua Basan, & Ammonitæ transtulerunt eum in terram suam pro mirabili magno. *Nouẽ cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.* Secundum mensuram longitudinis & latitudinis suæ vel quasi patet quod iste lectus erat non multum latus sed conueniens secundum longitudinem eius, vt tanta esset latitudo. Ex hoc patet falsum, quod dicebant aliqui Talmudistæ de quo diximus super 21. c. libri Numerorum. Sed aliqui volentes abusionem illam aliqualiter colorare debent, quod nõ erat iste lectus ferreus, sed cuna in qua iacebat quando erat paruulus. Sed falsum est quia in Hebræo dicitur lectus, & non cuna, diuersa nomina ponuntur in Hebræo pro cuna, & pro lecto virorum, & tamen eadẽ dictio ponitur hic apud Hebræos, quę ponitur Psal. 6. & in aliis locis, vbi ponitur lectus vel stratum. Item si quando erat puer solum nouem cubitos longitudinis occupabat, nõ posset tãtum creuisse vsque ad ætatem prouectam scilicet quod esset pes Og maior 13. vicibus quam totũ corpus Og in pueritia, hoc autem impossibile est, & absurdissimum, patet consequentia, quia spatium à planta pedis vsque ad cauillam solum est 4. pars longitudinis pedis, sed in spatio inter plantã, & cauillam ponunt 30. cubitos quater 30. sunt 120. in quibus 13. vicibus reperitur nouenarius numerus, & superant tres vnitates, & sic erunt in pede Og 120. cubiti longitudinis, & hoc impossibile est, quia nulla anima humana posset tantam materiam vegetare, sic enim declarat Phil. in 2. de anima tractans de potentia nutritiua, quod non nutritur corpus secundum quamcunque quantitatem alimenti datam, quia tunc quodlibet animal posset crescere in infinitum, cum posset ei apponi infinitum alimentum: sed falsum est, quia quantumcũque apponatur solum perueniet ad certam quantitatem, sic enim dicit ibi Phil. quod omnium natura constantiũ positus est numerus magnitudinis & augmenti, nam sicut quælibet species habet certam periodum durationis vltra quam non excedit ita quælibet forma determinat sibi certam magnitudinem inf. quam non descendit propter paruitatem, & vltra quam non excedit propter magnitudinem, ista tamen non sunc accipienda multum stricte, nã anima humana non potest stare in tam parua quantitate sicut vnus digitus carnis, nec in tam magna sicut vna turris. *Ad mensuram virilis manus.* Id est secundum mensuram alicuius viri habentis cubitum, nec valde magnum, nec valde paruũ, continet autem cubitus duos pedes secundum quosdam, secundum alios cubitum, & dimidium.

B

Quilibet forma determinat sibi certam magnitudinẽ.

C

Rab. Sal. dicit quod isti erant cubiti ipsius Og, qui vir antonomasice dicebatur.

Sed hoc falsum, & impossibile est, quia nullus habet in longitudine sua quatuor cubitos completos de suis nisi valde disproportionatus sit, quanto magis nouem.

D

Item nullus in latitudine de suis quatuor cubitos habet sed tot habebat lectus Og.

Et si dicas quod amplior erat lectus Og quam ipse.

Dicendum quod valde parum esset lectus amplior quam Og, quia iste lectus demonstrabatur ad probandum magnitudinem Og, quod non esset si non æquarentur, vel quasi.

Ideo dicendum hos cubitos esse de communibus, & cum quilibet de suis cubitis habeat quasi 4. erit Og maior, quam duo homines mediocres, immo tantus, vt duo & dimidius, & hoc tam in altitudine quod in latitudine. Item quia si isti cubiti intelligerentur de cubitis Og: cum vt supra probauimus pes suus contineret 120. cubitos de communibus præsupponendo quod debent scilicet quod à planta vsque cauillam sunt 30. cubiti Og: & quia cubitus continet duos pedes, contineret quilibet cubitus 240. cubitos vsuales: nouem ergo cubiti de cubitis Og continebunt duos mille centum & sexaginta cubitos vsuales patet multiplicando nouẽ per 240 & contineret quatuor mille tricentos, & viginti pedes communes: hoc autem humanæ abhorrent aures, quod isti vilissimi confinxerunt non enim posset tanta materia compingi ad faciendum vnum quid artificiatum, & tantum ferrum reperire difficile erat. Item quia tantus lectus occuparet fere vnam leucam integram, & tunc non posset esse in aliqua ciuitate, quia nulla ciuitas forte tunc tanta erat quæ in longitudine secundum lineam rectam vnam leucam haberet, nisi forte Babylon de qua dicit phil. in 2. poli. quod non erat ciuitas sed gẽs: & hoc dicit de Babylone Ægyptiaca quę erat minor quam Babylon Persica vel Chaldaica, quam iam destruxerant Cyrus & Darius. Item dato etiam totam ciuitatẽ impleret, nec essent ibi domus, nec aliquid nisi lectus ille, quod absurdissimum est, & sic non staret in ciuitate filiorum Ammon, quod est contra textum. Item nunquam posset dormire sub tecto nec stare in aliqua domo, quia nulla domus nec tectum tantum est. Item ciuitates non poterãt habere portas in regno suo, vt ipse intrare posset, sed falsum est, quia supra dixit, quod omnes vrbes in regno Og erant muratæ, & habẽtes portas, & vectes, quædam sunt ita absurdissima, quod cõtra ea arguere non oportet: quia seipsa destruunt.

E

Babylõ duplex.

Quid per Og moraliter intelligatur Hebraice. Et est pulchra moralitas pro prædicatoribus de gradibus luxuriæ.

QVÆSTIO III.

SI vis moraliter dicere Og hebraice coaceruans vel coacer uatio dicitur, vt patet in libro hebraicarum interpretationum: & signat peccatorum qui peccatis peccata superaddit, donec veniat in profundum malorum: peccatum enim cui per pœnitẽtiam remedium non adhibetur, mox sibi nequiores socios aggregat vt fiat habitatio omnis spiritus immundi. Et patet hoc maxime in vitio carnis in quo manifeste gradus longitudinis & latitudinis assignare possumus, in quo cum aliquis nouem cubitus longitudinis & 4. latitudinis habuerit tãto in lecto requiescit immobilis, primus cubitus, vel gradus est in cibis exquisitis, vel electuariis. Secũdus in dulcibus & continuis poculis, quia venter mero æstuans facile despumat in libidinem, vt ait B. Hieronym. & patet in decretis 34. d. c. venter mero. Tertius in spectaculis, vt ait Ouidius primo de arte amandi,

F

Ad forum vadunt, vt speculentur ibidem:
Iste locus casti damna pudoris habet.

Iuxta illud intrauit mors per feneſtras nostras, & oculus meus furatus est animam meam Hier. c. 9. Quartus in dissolutis cantilenis ideo phil. in fine 8. polit. prohibet iuuenes à melodiis teneris, & amatoriis, quę sunt secundum phrygiam melodiam. Quintus est prouocatiuus aromatibus multum enim quidam odores venerei appetitus excitatiui sunt. Sextus est in donis gratis receptis. Septimus in mollibus lectis. Octauus in temporali sociorum lætitia: ideo Ouidius secundo de remedio amoris, curas habere consulit, & ad timorem respicere, ista turpem igniculum ad tempus saltem suffocãt. Nonus in turpi vsu fœminarum, quid si brutorum? quid si masculorum? infundissima sunt omnem gradum & limitem naturę excedentia, ideo magis congruit de talibus subiicere.

A Habet quoque iſte impudicorum lectus quatuor latitudinis cubitos. Primus eſt turpis cogitatio. Secundus perficiendi conſenſus, vel deliberatio. Tertius conſequens operatio. Quartus diuturni actus aſſuefactio. Et ſi tanta iſtius cõſuetudinis firmitas fiat, tunc lectus ſit ferreus, vt à nullo bono ſuperetur.

Terramque poſſedimus. Hic ponitur ſecundum ſcilicet terræ acquiſitæ diuiſio. *Ab Aroer.* Iſta eſt prima ciuitas in terra regis Seon poſt torrentem Arnon. *Reliquam autem partem Galaad.* Galaad mons ex vtraque parte in locis planiorib. ciuitates habet, illæ autem quæ ſunt cõtra Moabitas traditæ ſunt duabus tribubus Gad & Ruben, quæ autem ſunt poſt montem contra terram promiſſionis datæ ſunt dimidiæ parti Manaſſe. *Et omnem Baſan regni Og.* Ex quo manifeſte patet, quod Baſan nomen ſpecialis terræ eſt in regno Og, quia non fuit datum totum regnum Og dimidiæ tribui Manaſſe. *Ciuitasq; Baſan vocabatur terra gigantum.* Quia olim in ea gigantes habitauerant, nunc autem ſolus Og de eis reſtiterat, vt patet ſup. iſti gigantes habitabant ibi tempore Abrahæ, quãdo tres reges cum Chodorlaomor venientes ad delendũ ciuitates Sodomorum deſtruxerunt primo iſtos gigantes, & patet, quod in hac terra habitarent, quia dicitur Gen. 14. ca. vbi ponitur iſta hiſtoria, q̃ illi reges qui venerant cũ Chodorlaomor deleuerunt Rafayn in Aſtaroth Carnayn, ſed iſta ciuitas Aſtaroth erat in regno Og regis Baſan, & patet quia quando cõputantur ciuitates regis Og, & Seon, Nume. c. 32. ponitur ibi Aſtaroth in qua deleti ſunt gigãtes, in terra etiam regis Seon habitauerunt gigantes, qui non erant de magnis gigantibus vocatus Rafayn, ſed de aliis qui vocantur Enirs, & habitauerunt in Cariathiarim: hos deleuerunt illi reges, vt patet Gen. 14. c. cum dicitur & eminin ſane Cariathiarim, ſed iſte locus Cariathiarim eſt in regno Seon, vt patet Num. 32. c. cum dicuntur vrbes regni Seon inter quas enarratur Cariathiarim, Seon autem erat de Rafayn ſiue gigantibus qui habitabãt in Aſtaroth, quę pertinet ad terram ſuam Baſan, & licet iſtę generationes gigantum poſt diluuium fuiſſent in terra illa vſque tempus Abrahæ, & tunc deleti fuiſſent per 4. reges, tamẽ non totaliter, quia aliqui manſerunt in quibus continuata fuit generatio vſque ad tempus regis Og qui ſolus reſtiterat de ſtirpe gigantum, vt patet hic in litera, nam ipſe gigantem filium non genuit & ſic fuit ibi finita gigantum progenies. *Iayr filius Manaſſe.* Id eſt de tribu Manaſſe, vt probauimus Nu. 32. non poterat eſſe immediate filius Manaſſe iſte Iayr, accepit illas ciuitates cum viculis ſuis in poſſeſſionem nondum deletis hoſtibus, & poſtea ipſe cum familia ſua pugnauerunt & deleuerunt habitatores terrę illius, ſic enim fiebat poſtquã ſortes diſtributæ ſunt in terra Chanaan, nam quælibet tribus pugnabat contra habitatores ſortis ſuæ & aliquãdo poterat eos delere, aliquando non, ſic patet Ioſ. 16. ca. cum dicitur & non interfecerunt filij Iſrael Chananæum qui habitabat in Gazer, habitauit autem Chananæus vſque in præſentem diẽ in medio Ephraim, & Ioſ. 17. c. dicitur quod non potuerunt filij Manaſſe hos ſubuertere ciuitates, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua. *Poſſedit omnem regionem Argob.* Quia ipſe pugnauit cõtra habitatores terræ illius, & cepit viculos eius, vt patet Num. 32. Argob nomen regionis ſpecialis erat in regno Og, ſicut Baſan, nam non poteſt dici, q̃ Baſan eſſet totũ regnum regis Og, conſiderando ea, quæ ponuntur in litera poteſt alio modo Argob eſſe nomen appellatiuum ſignans pulchritudinem, & vocaretur tunc regio Argob id eſt regio pulchra, quia fertilis erat valde, vel quia forte erat in ea pulchræ ciuitates & oppida dicitur, Iayr poſſediſſe vſque ad terminos, Geſſuri, & Mathati, quia iſtæ ſunt duæ terræ ſpeciales quæ erãt ad extremitates regionis Argob, vel forte ſunt duo loca intra ipſam terram Argob in extremitatibus duabus terræ illius, ſicut Dan & Berſabe ſunt in extremitatibus terræ promiſſionis, vt patet 1. Reg. 3. c. *Vocauitq; ex nomine ſuo.* Scilicet, iſte Iayr mutauit nomen terræ, ſcilicet Argob, & Baſan & vocauit auotiayr, id eſt villas Iayr. *Vſque in præſentem diem.* Iſta non ſunt verba Moyſi ſed Eſdræ, & patet ratio, quia à tẽpore quo ceperat Iayr illas villas, & nominauerat nomine ſuo vſquequo Moyſes iſta dixit, & mortuus eſt, non trãſierunt tres menſes, patet: quia iſta fuerũt facta circa finem 40. anni, ſed dicere. *Vſque in præſentem diem.* Magnũ tempus præteritum notat, ſic illa verba ſup. poſita ſcilicet. *Monſtratur lectus eius ferreus in Rabath filiorum Ammon.* Magis videtur Eſdræ probantis magnitudinem Og contemperaneis ſuis, qui non viderant quam Moyſi: quia totus exercitus tempore Moyſi vidit Og: nec eſt veriſimile, quod Moyſes magnitudinẽ Og probaret argumento non concludenti, ſcilicet per lectum quem Iſraelitæ non videbant, cum ipſi maius argumentum haberent: quia ipſum Og viderũt, maxime quia Moyſes nũquam ſtetit in terra Ammonitarum, ideo nec teſtimonium dare ſufficienter potuit, quod Moyſes non ſteterit in terra Ammonitarum, patet, quia ipſe nutritus fuit in terra Ægypti, & non exiuit de illa niſi quando iuit in Ethiopiam ad pugnandum contra ciuitatem Sabba, de quo diximus in chronica temporum breui poſita in principio Exod. & poſtea iuit in terram Madian, & fuit ibi paſtor per annos 40. cum Ietro ſocero ſuo, vt patet Exo. 2. c. & magis actu 7. c. deinde reuerſus in Ægyptum anno 80. vitæ ſuæ, vt patet Exo. 7. exiuit eodem anno de Ægypto cum toto Iſrael, vt declarauimus Exo. 2. & 11. c.

D

Sed dicentis quod in his mediis temporibus Moyſes potuit ire in terram Ammonitarum.

Reſpondetur quod non potuit ire in terram illam ſi iuiſſet oportebat eum ire per deſertum, quia à terra Madian, vel à terra Ægypti non eſt aliqua via ad terram Ammon quæ eſt in extremitate Arabiæ niſi per deſerta Arabica, ſed Moyſes neſciebat viam verſus terram Moab & Ammon per deſerta Arabiæ: ergo non ambulauerat per illa: anñs, patet, quia dicitur Num. 10. c. quod Moyſes locutus eſt ad Obab cognatũ ſuum dicens: noli nos relinquere: tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus: & eris ductor noſter: ſi tamen Moyſes cognouiſſet vias deſerti, non peteret Obab tanquam directorem dicẽs illum ſcire loca deſerti: ſed non nego propter hoc Moyſen ſcripſiſſe librum ipſum, ſcripſit enim vt diximus ſup. 1. c. ſed poſt deſtructionem & combuſtionem librorum legis per Babylonios Eſdras ſcriba legis, & propheta ſpiritu diuino afflatus legem reſcripſit, & iſta & ſimilia addidit, & quod diximus ſup. c. 2. quod Eſdras non auſus fuiſſet addere ad verba Moyſi, dicitur de talibus clauſulis qualis ipſa eſt, quia ſi ipſam Eſdras addidit, neceſſe eſſet etiam præcedentem, q̃ non conuenit: quia ad tempus Moyſi ipſa refertur. *Machir quoque dedi Galaad.* Id eſt filiis vel nepotibus Machir: quia non viuebat tunc Machir vt probauimus Num. 32. c. ſcilicet quia Machir fuit nepos Ioſeph filius Manaſſe, vt patet Gen. 50. c. & cum viueret Ioſeph iam habebat filios Machir: vt dicitur eod. c. ſcilicet filij quoq; Machir nati ſunt in genibus Ioſeph, ergo quando moreretur Ioſeph ad minus eſſet Machir 25. vel 30. annorũ, & cum maior vita ſua poſſet eſſe ad centum viginti, vel centum triginta annos, maneret poſt mortem Ioſeph, ad magis centum anni, ſed Ioſeph mortuus eſt ante exitum de Ægypto quaſi centum, & quadraginta vel plures annos, ergo neceſſe erat quod Machir mortuus fuiſſet annis ad minus 40. ante exitum de Ægypto, ergo non poterat ſuperuiuere tempore quo Moyſes diuidebat terram Amorrhæorum regum. *Dedi Galaad.* Non totam Galaad, quia pars eius fuit data duabus tribubus vt ſup. patet & inf. *Et tribubus Ruben, & Gad dedi terram Galaad.* Scilicet, aliã partem terræ poſt montem Galaad contra Moabitas, & patet quia dicitur. Vſque ad torrentem Arnon. Arnon diuidit Moabitas & Amorrhæos ſcilicet Moab & regnum Seon, vt patet Num. 21. c. *Vſque ad torrentem Iaboc qui eſt terminus filiorũ Ammon.* Et iſtud regnum Amorrhæorum ex vna parte coniunctum Moabitis apud Arnon, ex alia parte Ammonitis apud torrentem Iaboc magis contra orientem, & iſtos duos terminos tempore Ammorrhæorum tenebant duæ tribus, coniungitur etiam iſta terra terræ promiſſionis in planicie Iordanis.

E

Ponuntur hic duo termini laterales terræ regum Amorrhæorum: nam iſta terra eſt ad orientem terræ Chanaan, vt patet Num. 32. vbi tribus Ruben, & Gad & dimidia pars Manaſſe accipientes hæreditatem in terra duorum regũ Amorrhæorum, confitentur ſe habere ſortes ſuas ad orientem terræ Chanaan, ita quod frons occidentalis terræ Amorrhæorũ eſt ad frontem orientalem terræ Chanaan, ab oriẽte autem, vt declaratum fuit præced. cap. habet iſta terra Amorrhæorũ extremitates regni Moab, & Ammon, quæ coniunctæ claudunt frontem orientalem terræ Amorrhęorum, deinde latus

F

septen-

B

C

Argob quid ſit

Ratio probãs hæc verba non eſſe Moyſi ſed Eſdræ

Arnon diuidit Moabitas & Amorrhæos cũ quibus ſunt conterminiet Ammonita.

A

septentrionale terræ Amorrhæorum coniungitur terræ Ammonitarum, & locus meridianum eius coniungitur terræ Moabitarum, & sic inter vtramque clauditur: cum autem perueniatur ad occidentalem frontem terræ Amorrhæorũ per latus meridianum finitur in Iordane, & ibi diuiditur terra Chanaan à terra illa, & terra etiam Moab ibi finitur & cõiuncta est ibi terræ Amorrhæorũ, patet quia in vltimis mansionibus Hebræorum circa terram Chanaan ipsi procedentes per terram regis Seon accedebant ad campestria, & planiora loca Moab, vt patet Num. 33. c. deinde redeũdo per idẽ latus meridianum directe fronte occidentis vsque ad orientalem partem terræ eiusdem est torrens Arnon, quem transierunt Hebræi quando intrauerunt in terram Amorrhæorum, vt patet præced. c. & ibi late declaratum est: sed hic non accipitur sic, sed quod torrens Arnon sit in latere meridiano terræ Amorrhæorum diuidens eam & terram Moabitarum, & ille torrens licet sit in oriente terræ Amorrhæorum, tamẽ eũ Hebrei transierunt, quia fluit de Arabicis desertis in parte septentrionali, & circuiens frontem orientalem terræ Amorrhæorum labitur per latus meridianum eius inter terrã Moabitarum & Amorrhæorum, & peruenit per illud latus, vsque ad occidentem terræ Moab & Amorrhęorum, nam vt ait Iosephus torrens vel fluuius Arnon veniens de montibus Arabicis ad lacum asphaltidem terminatur.

B

Quid sit & vbi lacus asphaltidis. Et de Iordane, & mari Tiberiadis.

QVÆSTIO IIII.

EST autem lacus asphaltidis in valle Sodomorum & vocatur mare mortuum. Quod autem mare mortuum sit apud terram Moabitarum satis declaratur hic in litera, & patet in libro de diuisione terrę sanctę, vbi dicitur, quod in descensu Arabiæ ad terram promissionis Carnayn spelunca est super montem Moabitarum apud asphaltidem lacum, id est mare mortuum, in qua sedit Balaam ariolus ad maledicendũ filios Israel, de quo Num. 23. & 24. cap. tenet ergo fluuius Arnon totum latus meridianum terræ Amorrhæorum, terra autem Ammonitarum tenet totum latus septentrionale terræ Amorrhæorum vsque ad occidentem, ita quod qui vellet venire de fronte orientis terræ Amorrhæorum per lineã lateris septentrionalis, necesse est quod veniat per terminos terræ Ammonitarum vsque ad occidẽtalem frontem, vbi autem finitur latus septentrionale in fronte orientis est torrẽs Iaboc distans duobus miliaribus à Iordane, vt patet in libro de diuisione terræ sanctę, & apud illum luctabatur angelus cum Iacob, vt patet Gen. 32. c. quod autem sit apud terrã Ammonitarum patet ex hoc, quia cum Iacob veniret de Mesopotamia in terram Chanaan transiuit per torrentem Iaboc,

C

nam Mesopotamia est ad septentrionem terræ Chanaan, vt declarauimus Gen. 24. ca. & patet in hoc, quia Mesopotamia est trans Eufratem fluuium magnum sicut habetur Ios. 24. c. Eufrates autem ad partem septentrionalem terræ promissionis, vt colligitur Genes. 15. & Numer. 34. capit. veniendo ergo de parte septentrionali respectu terræ promissionis bene erat transitus per terram Ammonitarum quæ est septentrionalis terrę Amorrhæorum, & cõsequenter aliquo modo septentrionalis terrę Chanaan: sicut ergo torrens Arnon accedit vsq; ad finem lateris meridiani terræ Amorrhęorum, ita torrens Iaboc est in fine lateris septentrionalis terrę eiusdem apud terram Ammon, sunt ergo isti termini terrę Amorrhęorum à tribus lateribus scilicet ab oriente à meridie à septentrione, manet ergo solus occidẽtalis terminus in quo tangit terra Amorrhęorum orientem terrę Chanãã, & ponũtur hic multa loca in quibus tangit terra Amorrhęorum terram Chanaã, & primus est planicies solitudinis: ista planicies est apud terram Ammon post torrentem Iaboc declinando per frontem occidentalem terræ Amorrhæorum quasi à septentrione in meridiem, & est illa pars terrę campestris & plana: sed tunc inhabitata, quia non conueĩentis soli erat ad habitandum. Post istam terram declinando per illam frontem occidentalem à septentrione versus meridiem est fluuius Iordanis, nam Iordanis nascitur à Libano monte, qui est in latere septentrionali terrę Chanaan, deinde conuertitur contra orientem, & circuit per terminos terrę Chanaan donec mari salsissimo absorbeatur, & patet quia antequam Iosue cum populo Israelitico intrare posset in terram Chanaan transierũt Iordanem, vt patet Iosue 3. & 4. c. deinde ponitur terminus Cenereth id est maris, quod nunc, & tẽpore Christi vocabatur mare Tiberiadis à quadam ciuitate ibi existente sic dicta. Est autem mare istud, Cenereth quidam lacus valde magnus, qui quasi mare videtur, & sunt in circuitu eius multa loca, & fit ibi magna nauigatio: nam ibi Christus sępe nauigauit, & discipuli eius piscati sunt, vt patet Io. 6. & 21. c. Vocatur autem mare Cenereth, & ponitur in fronte orientis terrę Chanaan, vt patet Num. 34. c. non est autem intelligendum quod descendendo per frontem occidentalẽ terrę Amorrhęorum quasi à septentrione in meridiem prius sit finis Iordanis quam mare Cenereth, quia tunc oportebat quod mare Cenereth esset magis declinando ad meridiem quam mare mortuum vallis Sodomorum cum Iordanis absorbeatur mari mortuo, vt patet Io. 3. cap. sed falsum est quia vltra vallem Sodomorum declinando ad meridiem nihil est de terra Chanaan, sed ponitur hic Cenereth id est ciuitas illa existens apud mare illud paruum, quia apud Iordanem non reperiebatur aliqua ita coniuncta orientali fronti terrę Chanaan quę nominaretur sicut ista, est tamen intra ambitũ Iordanis in terra Chanaan, & est in quadam terra quę vocatur Galilea, sic patet Io. 5. c. quia ibi dicitur esse idem mare Tiberiadis & mare Galileę. Est autem Galilea in sorte Iudæ, & per consequẽs in parte meridiana terrę Chanaan, quia illam tenebat Iudas, vt patet Ios. 14. & 15. ca. deinde dicitur, quod descendendo per istam frontem occidentalem Amorrhæorum à septentrione versus meridiem est mare salsissimũ siue mare Sodomorum & hoc ponitur vltimum in ista frontis occidẽtalis latitudine, quia vltra mare Sodomorum versus meridiẽ nihil manet in parte terrę Amorrhęorum, aut terrę Chanaã, & hoc mare dicitur esse ad radices montis Phasga cõtra oriẽtem, id est quod mare Sodomorum habet ab oriente immediate coniunctum montem altum filiorum Moab, qui dicitur mons Phasga id est in quo est collis altus, & hoc est quod dicitur in libro de diuisione terrę sanctę scilicet quod apud lacum asphaltidem siue mare mortuum est contra orientem mons Moabitarum, in quo voluit Balaam maledicere Israelitis, quod autem iste sit mons patet quia Num. 23. c. vbi agitur de Balaam volente maledicere dicitur, quod Balac duxit Balaam super montem Phasga, sic enim dicit litera, cumque duxisset eum in locum sublimen super verticẽ montis Phasga ædificauit Balaam septem aras: etiam patet inf. 34. c. quia Moyses quando mortuus fuit, erat in planioribus locis campestrium Moab scilicet in vltima mansione, & tamen ad moriendum ascendit in montem Phasga, sic etiam dicitur in litera ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super mõtem Nebo in verticem Phasga: est ergo sensus huius literę q̃ Machir nepos Ioseph, & tribus Gad, & Ruben possederunt terram istam à torrente Arnon qui est in latere meridiano illius terrę Amorrhęorum vsque ad torrentem Iaboc qui est in latere septentrionali q.d. totã terram possederunt in terra Amorrhęorum à meridie vsque ad partem septẽtrionalem, & totam frontem occidentalem huius terræ quę est descendendo à parte septentrionali versus meridiẽ scilicet per partem planiciei solitudinis, & Iordanis, & Cenereth vsque ad mare salsissimum, & hoc est descendere à parte septentrionis ad meridiem, quia iste descensus terminatur in mari salsissimo, cum dicatur vsque ad mare salsissimum, sed mare salsissimum est in parte meridiana terrę Chanaan, & Amorrhęorũ vt supra patuit: vt autem omnia supradicta melius intelligãtur in subiecta figura sensibiliter inspiciantur. *Et terminos Cenereth.* Est ciuitas in Iudæa quę tempore Christi Tiberias vocabatur à Tiberio imperatore, cuius tempore Christus passus est, qui Octauiano successit, & fuit tertius inter imperatores Romanos, apud istam ciuitatem est quidam magnus lacus, qui vocatur more Tiberiadis, vel Galileę, siue Genezareth in qua Christus sępe stetit, & prædicauit, & multa miracula fecit, de hoc diximus Num. 34. c. *Dsque ad mare deserti quod est falsissimum.* Mare istud vocatur mare mortuum siue lacus asphaltidis, vbi sunt subuersæ ciuitates à domino scilicet Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboyn, vt patet Gen. 19. ca. vocatur mare deserti, quia est in angelo orientis & meridiei, à

D

E

De situ galileæ.

F

Cenereth quæ ciuitas.

Ex quo loco nascitur Iordanis flumen.

A quo incipiunt solitudines Ægypti, vt aliqui voluerunt, sed falsum est quia apud mare mortuum, quod est in valle Sodomorum, nulla solitudo Ægypti incipit, & patet quia si consideremus orientalem partem maris salsissimi nō est aliquod desertum ibi sed continuncta est illi valli terra Moabitarum, & est ibi mons altissimus super illud mare, & pertinet ad terram Moab in quo Balaam voluit maledicere Israelitas, vt declarauimus supra, & de hoc dicitur hic in litera, quod mare salsissimum est ad radices montis Phasga ad orientem, nec habet deserta Ægypti mare salsissimum à parte meridiana, quia apud illud mare in confinio lateris meridiani, & septentrionalis est Idumæa descēdens per latus illud meridianum versus occidentem terræ Chanaan, vt patet Num. 34. c. Idumæa autem populata est; nec possunt assignari deserta Ægypti, vel Arabiæ versus septentrionem aut occidentem terræ Sodomorum, quia istæ duæ partes sunt intra ipsam terrā Chanaan, vocatur ergo istud mare deserti, quia in circuitu huius maris non est terra habitata, nam est hoc mare in valle Sodomorum, & in illa valle erant quinque ciuitates cum aliis viculis, omniaque fuerunt propter peccata gentis illius cœlesti igne consumpta, ita quod terra illa quæ olim irrigata Iordane salsissima erat, & pulchra sicut paradisus domini, vt patet Gen. 13. c. postea totaliter in cinerem fauillasque soluta

B frugum & fructuum expers est: ideo in illa terra nullus habitat nec circa illam & sic vocari potest mare deserti, vocatur salsissimum quia grossius est cęteris aquis, & sulphureum est, & vnctuosum quasi oleum, de hoc Num. 34. c. *Ad radices mōtis Phasga.* Id est montis altissimi, Phasga appellatiuum est, & signat collem contra orientem, non contra orientem terræ istarum duarum tribuum, sed contra orientem terrę nouem tribuum & dimidiæ, nam terra Amorrhæorum in qua acceperunt sortes duæ tribus, & dimidia, est magis orientalis, quam terra Chanaan, in qua acceperūt sortes nouem tribus, & dimidia: nam frons orientalis terræ Chanaan continuatur fronti occidentali terræ Amorrhæorum, dixit autem hic mare salsissimum habere ad orientem montem Phasga, quia hic ponuntur quidam termini qui sunt intra terram Amorrhæorum scilicet planicies solitudinis torrens Iaboc, & torrens Arnon, sunt alij termini intra terram Chanaan scilicet Iordanis, Cenereth, & mare salsissimum siue mare deserti, cum ergo sit istud in terra Chanaan, & mons Phasga in terra Moab, quæ est ei orientalis, necesse est vt dicatur mare salsissimum habere ab oriente monrem Phasga, nam Iordanis est ad orientem respectu terræ nouem tribuum, & ad occidentem respectu terræ duarum tribuum, & dimidiæ: sic confitētur filij Gad & Ruben se suscepisse possessionem suam ad orientalem plagam possessionis aliarum tribuum, Num. 32. ca. coniungitur etiam ista terra Amorrhæorum terrę Sydoniorum in monte Hermon, vt supradictum est, & forte illum finem tenuit dimidia tribus Manasse, quia non computatur

C inter terminos, quos tenuit tribus Gad & tribus Ruben, sicut aliqui voluerunt, sed falsum est: nam duo falsa hic dicūtur, primum quod dicitur est, quod nō computatur hic terminus terræ dimidiæ tribus Manasse.

Secundum quod inter ista loca in quibus accedit terra Amorrhæorum ad terram Chanaan non computatur hic cui euenerit, primum falsum patet, quia dicitur hic quod terra Basan regis Og, & terra Argob, & pars vna montis Galaad, data fuit dimidiæ tribui Manasse, & quia ista terra non accedit ad aliquā de extremitatibus nominatis terræ Amorrhęorum, & Chanaan, videtur non computatus terminus eius si computatus est dicendo terras quas inhabitauerunt scilicet Basan, & Argob, & dimidia pars montis Galaad, nam termini harum sunt termini habitationis suæ, secundum autem falsum est scilicet quod non ponatur hic terminus terræ Amorrhęorum ad montem Hermon, nam mons Hermon est ad partem occidentalem terrę Amorrhæorum in contactu lateris septentrionalis, & occidentalis, & licet non ponatur clare, tamen ponitur implicite cum dicitur vsque ad planiciem solitudinis atque Iordanis: nam planicies solitudinis est pars vltima in parte lateris septentrionalis terræ Amorrhęorum, quod patet euidenter ex supradictis, nam post planiciem solitudinis sequuntur omnia loca frontis occidentalis terrę Amorrhæorū, quasi declinando à septentrione contra meridiem, vt in superiori figura declarauimus.

Situs montis Hermō

Præcepiq; vobis. Hic ponitur tertium scilicet duabus tribubus & dimidiæ ad bellum facta admonitio. *In tempore illo.* Id est quando petiistis à me terram istam. *Expediti.* Id est sine vxoribus, & filiis, & pecoribus, solis armis bellicis vtentes. *Præcedite fratres vestros.* Præcedebant istæ duæ tribus, & dimidia quæ acceperant possessionem trans Iordanem alias ne retrocedere possent, vel quia expediti erant, poterant melius resistere hostibus, & ideo non poterat seruari ordo castrametationis, vel motus qui seruabatur in deserto scilicet quod Iudas, Zabulon, & Isachar primo mouerēt castra, vt patet Nu. 10. c. & secundo, quia Ruben, Gad & dimidia pars Manasse præcedebat, & forte aliæ tribus cum ibant ad bellum, nō seruabant eundem ordinem, nisi cum mouerentur omnia castra, & arca domini. *Donec requiem tribuat dominus fratribus vestris.* Id est donec terra diuidatur, & detur eis in possessionem, & sic factum est vt patet Ios. 22. cap.

Quando dicitur aliquis habere requiem in possessione. Et de duplici admonitione per Moysen facta Iosue.

QVÆSTIO. V.

REQVIES autem in possessione dicitur, non quando aliquis deuicit detinentem eam: sed quando eam ipse accepit, & pacifice possidet: sic enim fuit in Israelitis quod illæ tribus, quæ trans Iordanem possessionem accepturæ erāt, primo deuicerunt populos Chananæorum non quidem omnet, vt patet Iud. 3. ca. sed tot quot sufficiebant ad habitationem ipsorum, & hoc fuit per septem annos, vel quasi, deinde deuictis hostibus incępit Iosue mittere viros, qui considerarent omnes terminos terrarum captarum, & diuiderent eos in partes æquales pro singulis tribubus, & factis sortibus, atque datis cuilibet tribui, multis temporum incidentibus intermediis, transierunt alij septem anni vel quasi, & sic transierunt 14. anni postquam rediret tribus, & dimidia in possessionem suam, si tñ rediissent immediate vt deuicti sunt populi Chananæorū, solū stetissent septē annis, sed tūc nō stetissent vsq; quo Deꝰ daret requiē aliis tribubus, quia victis hostibus adhuc nō quiescebāt, cū nullus eorū haberet possessionē, do nec singulis tribubus daretur sua sors, & inciperet possidere: tūc. n. erat requies maxime quia duæ tribus & dimidia debebant facere pro reliquo populo, sicut totus populus fecerat pro eis, sed totus populus Israel pugnauerat contra duos reges Amorrhæorum, vt illam terram acquirerent, vt patet Num. 21. & supra secundo & in isto, & non solum pugnauerunt, sed etiam expectauerūt, quousque Moyses dedit istam terram duabus tribubus & dimidię, vt patet hic, etiam inf. 5. cap. & Iosue 18. & 22. cap, ideo rationabile erat vt expectarent duæ tribus & dimidiæ, donec Deus daret quietē nouem tribubus & dimidiæ scilicet vsquequo sortes earū diuisę essent, & actualiter traditę, & sic fecerunt, vt patet Ios. 22. c. & in fine 21. *Iosue quoque.* Ponitur commonitio facta ad Iosue, duplex fuit facta commonitio Iosue per Moysen. Vna quæ fuit ante tempus mortis Moysi. Alia quæ fuit quando mori debuit Moyses. De prima patet Num. 27. ca. cum Deus dixit Moysi postquam mortem ei prēnunciauit, tolle Iosue filium Nun in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & olim multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem glorię tuæ: vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel, pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet dominum, ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filij Israel, & cætera multitudo, & subiungitur de completione huius, fecit Moyses quæ præceperat dominus, cumque tulisset Iosue statuit eum coram Eleazaro sacerdote, & olim frequentia populi, & impositis capiti eius manibus cuncta replicuit quæ mandauerat dominus. De secunda commonitione fit mentio infra 31. c. cum dicitur vocauit ergo Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel, confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam se daturū patribus eorum iurauit dominus, tu eam sorte diuides: dominus enim qui ductor est noster, ipse erit tecum, & non dimittet te, nec derelinquet, noli timere, nec paueas, quod autem istæ duæ admonitiones totaliter diuersæ sint, patet,

quia

quia non eadē verba dicuntur in vna & in alia. Item quia iſte liber Deut. eſt quædam recapitulatio, & enarratio omnium, quæ acciderunt populo, & enarrantur eo ordine quo geſtā ſunt. Et primo narrat Moyſes ea, quæ facta ſunt vſque ad diē illum, in quo iſta incępit dicere: deinde ponit ea quæ dicta ſunt ab eo ante ſuam mortem, & inter iſta ordo fuit, vt patet infra, in princip. ſeq. cap. cum dicitur. & nunc Iſrael audi prę-cepta, atque iudicia, id eſt poſtquam vidiſti omnia iſta quæ ſupradicta ſunt, nunc audi præcepta domini pro tātis beneficiis tibi collatis, ſed poſt omnia iſta in fine Deute. quaſi ſcilicet c. 31. dicitur: quo modo Moyſes ſtatuit Ioſue coram omni Iſrael, & dedit ei regulas, aut leges ad regendum Iſrael, & vt confortaretur contra dominos terrę Chanaan: ſi enim nō poneremus Ioſue bis coram populo à Moyſe fuiſſe ſtatutū, neceſſe eſt, vt dicamus ordinem huius libri permutatum eſſe, quia cum ponatur hic de Ioſue, quod fuerit admonitus à Moyſe coram populo: & poſtea ſequatur recitatio iſtius totius libri à principio 4. c. vſque ad 31. in quo agitur iterum de confortatione Ioſue, ſi eadem fuiſſet iſta confortatio, & illa, oportebat conformationem iſtam præceſſiſſe recitationem omnium iſtorum verborum, ſed non videtur verum, quia vt patet infr. 31. ca. quando Moyſes dixit, quod nullo modo poterat ipſe præcedere Iſrael, quia mandauerat ei Deus mori, conſtituit Ioſue coram omni Iſrael, & confortato eo atque admonito, & dato libro legis, quem recitauerat ſacerdotibus, & dicto immediate cantico, & benedictione ſingulariū tribuum, aſcendit in montem, vt moreretur, ſi tamen eſſet hic mutatio ordinis, oporteret, vt poſtquam Ioſue confortatus eſſet, iſta omnia recitarentur, quod nō videtur verum, quia ſatis magna mora eſſet, vt patet ex multitudine dictorū. Sed forte dices, quod iſta confortatio, de qua hic dicitur, & illa de qua inf. 31. c. ſunt eadem, & facta fuit iſta confortatio recitatis omnibus verbis libri huius, vſque ad c. 31. ſed tūc eodem modo fiet anticipatio in hoc libro, ſcilicet quod cum hic dicatur de cōfortatione Ioſue, quod non fuerit facta ante omnia iſta quæ ſequuntur, ſed poſtea dictis omnibus, vſque ad c. 31. iſta autem bene ſequūtur, ſi nolimus ponere anticipationem, vel recapitulationem, in hoc libro, quod ſæpe dicimus, & notat iſta litera ſeq. c. cum dicitur. *Et nunc Iſrael.* Id eſt ô Iſrael, poſtquā hæc omnia vidiſti, & audiſti, audias præcepta Dei, ſi tamen aliquo modo velimus ponere aliquā anticipationem, bene ſtabit, cp Ioſue ſemel fuerit confortatus à Moyſe coram Eleazaro ſacerdote, & omni populo, & fuerit facta iſta confortatio poſt recitationem iſtius totius libri, vſque ad ca. 31. Et ratio huius videtur, quia ſi velimus ponere duas cōfortationes Ioſue, oportebat primam earum eſſe iſtā, de qua fit hic mentio, & de qua tangitur. Num. 27. cap. & ſecundam eſſe illam, de qua agitur infra 31. ca. ſed non videtur conuenienter dictum, quod fuerint factæ duæ confortationes Ioſue in tam breui tempore, quantum intercidere poſſet inter vnam, & alteram: nam iſta confortatio neceſſario facta fuit, poſtquam terra Regum Ammorrhæorum diuiſa fuit duabus tribubus, & dimidiæ, vt patet ex ordine literæ, ſed poſt iſtam diuiſionem recitauit Moyſes immediate verba libri huius, & mortuus eſt, ergo ſi duæ cōfortationes fuiſſent, neceſſe erat vnam eſſe immediate poſt alteram, quod ſuperfluum valde erat, ſcilicet vnam immediate ante recitationem huius libri, & aliam immediate poſt recitationem libri, & hoc idem declaratur Numer. 27. vbi de iſta confortatione agitur, quia quando illud fuit dictum Moyſi, ipſe erat apud montem Abarin in quo mortuus eſt, & patet, quia dicitur in litera, aſcende in montem iſtum Abarin, & contemplare, & vide inde terram quam daturus ſum filiis Iſrael, & ſubſequitur in litera quomodo Moyſes confortauerit, poſtea Ioſue coram Eleazaro ſacerdote, & toto populo, & ſic videtur, quod in eadem manſione iſta duo contigerunt, ſcilicet confortatio quæ prima dicitur Ioſue, & mors Moyſi, in eadem autem manſione, tam in breui tempore fieri duas confortationes ſuperfluum valde videretur, idem patet hic in litera, quia quando dicitur, quod Moyſes confortauit Ioſue mandauit ei Deus aſcendere in montem Phaſga, ergo coniunctus erat locus in quo iſta confortatio facta fuit loco, in quo Moyſes mortuus eſt. Et ſi forte aliquis arguere velit, quod iſtæ fuerint duæ confortationes, eo quod de vna fit hic mentio, & poſtea 31. cap. fit mentio iterum de confortatione Ioſue, & primo Numer. cap. 27. ſecundo hic, tertio infra 31. cap. ſed nullus diceret tres fuiſſe confortationes, maxime quia omnes pertinent ad eundem locum, ergo nec duas. Si autem velimus tenere iſtam poſitionem, quæ ſatis rationabilis eſt, facile eſt reſpondere ad ſupradicta, quia illa fundantur in hoc, quod non detur anticipatio, nec recapitulatio in iſto libro. Et licet forte generaliter verum ſit: in iſto tamen deficere non eſt mirabile. *Oculi tui viderunt.* Quia ipſe Ioſue iuit ad pugnam contra illos reges, & vidit eos vinci, & mortuos cum gentibus ſuis, & forte ipſe fuit præpoſitus belli, ſicut fuit contra Amalechitas, vt patet Exod. 17. capit. *Dominus Deus pugnabit pro vobis.* Vt putauit in Hierico, quia ipſis nihil pugnantibus corruerunt muri, vt patet Ioſue 6. cap. & in pugna contra reges, quando ſtetit Sol, vt patet Ioſue 10. cap. *Precatuſque ſum dominum.* Hic ponitur quartum, ſcilicet Moyſi deprecatio. *Tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo.* Id eſt mihi Moyſi, & ſic vocatur Moyſes ſeruus Domini in multis locis ſcripturæ veteris, & nouæ, vt patet Ioſue 1. & 13. capitu. & Malachiæ vltimo, & ad Hebræo. 3. cap. *Magnitudinem tuam.* Faciendo coram populo tuo mirabilia; diuidendo mare rubrum, & dando manna. *Manumque fortiſſimam.* Debellando hoſtes noſtros reges, Amorrhæos, Amalechitas, & regem Arad. Et quia Deus promiſerat populo ſuo multiplicationem, ſicut puluis terræ, & terram fluentem lacte & melle, & de iſtis aliquod demonſtrauerat Deus Moyſi, ſcilicet liberationem de Ægypto, mortem Ægyptiorum in mari rubro, gubernationem populi in deſerto, & mortem Amorrhæorum, & poſſeſſionem pacificam terræ eorum, & nihil reſtabat, niſi vt Deus faceret Moyſen tranſire Iordanem, & videre totam terram illam in tranquilla poſſeſſione gentis ſuæ expulſis hoſtibus, ideo dicebat. *Domine cœpiſti oſtendere.* Quaſi dicat rogo quod perficias oſtendendo mihi cætera quæ deſunt.

Moyſi deprecatio.

De modo petendi aliquid ab auaro, & magnifico. Et quomodo vidit Moyſes totam terram promiſſionis.

QVÆSTIO VI.

ET vult perſuadere Moyſes hoc Deo narrando beneficia quæ ab eo receperat, & eſt optimus modus perſuadendi. Si quis auaro, vel illiberali aliquid recipere velit, oportet obligationem ad perſuaſionem adducere, dicendo ea, quæ petit ſibi deberi, & vlteriora. Si autem à magnifico, vel magnanimo aliquis beneficium recipere velit, perſuadere poterit dicendo ſe ab eo iam alia beneficia ſuſcepiſſe, quia magnanimus libenter audit ſe dediſſe, & nō ſe accepiſſe, vt patet quarto Ethicorum ca. de magnanimitate, vnde Thetis à Ioue petens beneficium, & etiam Lacones, plura beneficia iam ſe ab eo ſuſcepiſſe dixerunt, vt patet eod. ca. Deus autem magnanimus, & magnificus nimis eſt.

Nec comparari fortitudini tuæ. Quia deſtruxit Ægyptios, & Deos eorum: nec potuerunt ei reſiſtere aliqui dij gentium, vt patet Exo. 12. c. & Num. 33.

Tranſibo Iordanem. Id eſt rogo, quod dimittas me tranſire Iordanem. *Et videre terram hanc optimam trans Iordanem.* Quia iam vidi aliam terram, quam nobis citra Iordanē demonſtraſti. *Et montem iſtum egregium Libanum.* Hic nominat duos montes, ſcilicet Libanum, & quemdam alium montem, cuius nomen non ponit, & iſte mons innominatus prope Iordanem erat, quia dicit. *Montem iſtum.* Libanus autem mons eſt in parte Septentrionali, tamen extra terram promiſſionis, vt diximus Numer. 34. cap. hos deſiderabat videre Moyſes, & terram intermediam, quia Deus laudauerat iſtam rerram vocans eam terram lacte, & melle fluentem. Et non erat hoc carnale deſiderium alicuius curioſitatis, ſed deſiderium videndi, quod patribus ſuis promiſſum extiterat, & in hoc inducebat populum ad deſiderandum terram illam, & gratias reddendum Deo pro illa ne contemnerent promiſſa Dei, vnde quidam eorum vituperantur, quia pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, Pſalmo 105. ideo Deus in hoc puniuit eos. Rabbi Salomon, dicit quod Moyſes petiuit hic videre Ieruſalem, & templum: per primum montem ſignatur Ieruſalem, qui pro parte magna in monte eſt, per

De ſitu montis Libani

A

Libanum signatur templum factum de lignis montis Libani, vt patet 3. Reg. 5c. sed falsum est, quia Moyses non desiderauit videre templum Salomonis, vel si desiderauit non petiuit, quia per tantum tempus post factum, quantum pro vita Moyses petere nō auderet, si autem dicas, quod visione imaginaria, vel intellectuali videre desiderauit, etiam falsum est, quia ad hoc non erat necesse transire Iordanem, sed ipse instanter petebat transire, & videre montem illum.

Iratusq; est mihi propter vos. Supra. ca. 1. expositum fuit: sufficit tibi, scilicet, quod iam vidisti vindictam de Og, & Seon. Et terrarum pacificam possessionem filiorum Israel.

Nequaquam vltra loqueris mihi de hac re. Ab æterno enim Deus Moysen peccaturum cognouerat, & non intraturum terram promissionis trans Iordanem, ideo illa sententia data contra Moysen non fuit retractata, quia non fuit data solum secundum exigentiam demeritorum eius, sed etiam quod erat in Dei scientia limitatum. Sed Moyses non cognouit vtrum daretur secundum exigentiam demeritorum, vel secūdum scientiam Dei, ideo orabat dimitti hāc pœnam: si enim sciuisset sententiam istam ex diuina determinatione fuisse latam, non rogasset contra Dei voluntatem quicquam, quia magnum peccatum esset obsistere rogando diuinæ voluntati cognitæ.

B

Item quia dato, quod non esset peccatū, sciret se non posse proficere, ideo non laborasset incassum, vnde licet Moyses Propheta esset sciens etiam istam sententiam à Deo fuisse prolatam, nesciebat tamen quali modo procederet, sic etiā Ioeli à domino reuelatum est, quod brucus, locusta, & erugo consumerent totam terram duarum tribuum, tamen post consuluit populo, quod pœniterent dicens, quis scit si conuertatur, & ignoscat dominus, & relinquat post se benedictionem? de hoc diffusius diximus Num. 22. cap. *Ascende cacumen Phasgæ.* Id est altitudinem istius collis, scilicet Abarin, vt patet infra 32. & 34. cap. *Et oculos circumfer ad Orientem, & Austrum.* Id est ad omnes partes terræ promissionis, contra omnes partes mundi, totam terram nouem tribuum, & dimidiæ vidit, vt patet infra 34. Et hoc non, quod ille mons ita esset altus, quod videre posset inde totam illam terram, & etiā si ita altissimus mons esset, tamen non posset inde videre distincte terras quas in eodem c. distincte nominat, tum propter obstaculum mediorum vaporum directe positorum nō sinentium fieri visionem. Item propter debilitatem speciei multiplicatæ à longinquo non valētis immutare potentiam visiuam: ideo dicendum, quod Deus super naturaliter eleuauit potētiam visiuam eius, vt distincte videre posset, sicut eleuauit beatum Benedictum semel, & vidit totum mundū, vt patet 2. Dialogorum per Gregorium, & non vidit Moyses istam terram vsque ad mortem, licet per aliquod tempus ante sibi hoc prænunciatum est, vt patet infra vlt. c. *Nec enim transibis Iordanem istum.* Ista fuit sola pœna data Moysi pro peccato suo, scilicet vt non transiret Iordanem, sed in hoc fuit minus punitus quam Aaron, quia Aaron non vidit saltem à longe terram promissionis, nec victorias cōtra Amorrhæos, & Madianitas, & acquisitionem terrarum citra Iordanem, quæ omnia vidit Moyses, non fuit punitus Moyses, vel Aaron, nisi in hoc solo.

Quō Moyses vidit totam terram promissionis.

C

An sit pœna alicui transeunti de hac vita ad vitam beatam, quod non videat aliqua delectabilia, quæ visurus esset si superuiueret.

QVÆSTIO VII.

Ex carentia solā gloriæ magis cruciātur qui sūt in limbo patrum, quam qui sūt in vita superstites.

SED nunquid pœna est alicui transeunti de hac caduca, & lamentabili vita ad quietem, & certitudinem vitæ beatæ, non videre aliqua quæ secundum hominē delectabilia sunt, sicut videre terrā promissionis? Respondetur, quod in Moyse, & Aaron manifestum est, quod puniti sunt, quia ita cito mortui sunt, & transierunt ad limbum Abrahæ, in quo licet non sit pœna sensus punitiua, sicut in inferno damnatorum, nec ignorantiam intellectus causatiua, sicut in limbo puerorum, tamen est quædam expectatio, & desiderium gloriæ debitæ inesse, quæ multum videtur anxiare, sicut amantes qui amatum longe esse considerant, sola expectatione torquentur, quia omnis mora breuis, magna videtur amanti: qui enim in vita ista sunt licet boni sint, tamen istam anxietatem non habent, quia nondum venit hora fruendi, licet aliqui ex magna charitate cupiunt dissolui, & esse cum Christo, vt patet ad Phil. primo, & hoc scientes, quia quamdiu viuimus, peregrinamur à domino 2. Corinth. 5. cap. sed hoc raro, quia anima nondum exuta luteo carcere Deo frui non potest, cū autem anima sancta soluitur carne immediate frui Deo potest, si autem à fruendo retardetur, expectanti quædam anxietas est, qui ergo ad habendam illam anxietatem citius immittitur, magis punitur, & etiam bonum honestum sibi valde, de quo viuens prægustare potuerat, sibi ablatum est. Sed argues ex hoc, quod sic magis anxiaretur, & puniretur sanctus Abraham, qui magno tempore ante passionem Christi, quasi per duos mille annos mortuus est, & magis affligatur in expectatione illa, quā aliquis sanctus paruæ perfectionis, qui paulo ante mortem Christi defunctus fuit, quod videtur inconueniens. Respondetur, quod sicut ait Salomon in prouerbiis: longa expectatio affligit animam, magis ergo longa magis affliget, & maxime longa, maxime affliget, per regulā Phil. 2. Top. si simpliciter ad simplicia, & magis ad maxime, quantum ergo est in expectatione, qui maiori tempore sperat magis cruciatur: ideo Adam, & Abel, qui ante omnes homines in sinu Abrahæ fuerunt, magis cruciati, & anxiati esse deberent, sed in hoc differunt, quod qui sanctius in sæculo vixerunt in limbo illo plures à Deo reuelationes & Angelicas consolationes recipiebant, vnde minus anxiabantur. De anima autem quæ soluta carne euolat in vitam beatam, si talis pœna sibi daretur, esset aliter respondendum, scilicet, quod licet anima sancta per visionem Deo coniungatur, qui eam replet omnibus bonis: tamen anima solum ibi lætatur, non homo qui non est. Potest ergo aliquis per mortem aliquo bono, vel delectatione priuari: sicut enim esse substantiæ compositæ non est esse vnius partis, ita operatio hominis non est operatio vnius partis suę, licet ergo anima delectetur in Deo. alterius generis delectationes recipit quam ipse homo, cum & alium statum habeat, & alium modum intelligendi, anima namque separata nullo organo ad intelligendum vtitur: homo autem nisi operatio organorum præcedat, intelligere non valet: sicut dicit Philosophus primo Posteriorum, quod illa scientia caremus, cui sensus ad obiectum eius in nobis deficit, vt qui cæcus est, nunquam habebit scientiam de coloribus, quia intellectus licet non vtatur organo, præsupponit organicam operationem. Et non solum est differentia delectationes animę, & totius hominis, sed totaliter delectationes hominis deficiunt, quia homo deficit: iste aūt magnus dolor est, ꝙ aliquis qui erat, efficiatur non ens, cum nihil sit magis delectabile quam esse, super quod cętera beneficia fundantur. Et non solum homini qui scit se venire ad non esse dolor est, sed etiam animæ iam seiunctę, quia cū ipsa non sit secundum se suppositum, nec nata, vt contineat perfectam rationem speciei, vt Angelus qui non est vnibilis, sed sit nata esse pars speciei humanæ, habet naturalem inclinationem ad corpus, cuius forma est, & quod perficiendo cōplet rationem speciei, quod est esse, & status eius perfectissimus, ideo anima cum à corpore eiicitur, violenter educitur: nollet enim dimittere māsionem, postquam aūt separata est, semper desiderat redire ad corpus, ideo licet beata sit in vita æterna, tamen gaudium suum perfectum non habet, donec reassumat corpus. Si autem aliquis viuēs transferretur ad vitam æternam, non posset ei talis pœna infligi, quia in applicatione ad fontem purę bonitatis omnem delectationē perfectus recipit, quam in mundo recepturus erat. Etiam corporaliter intueri potest, quia sanctus cum corporibus manētibus in vita beata, nihil horum quę infra sunt occultabitur: cōcluditur ergo, ꝙ Moyses, & Aaron in duobus puniti sunt. Primo, quia cito ad sinum Abrahæ missi sunt. Secundo, quia delectabile, quod viuentes pręgustare potuerant, non gustauerunt; ideo quia Aaron magis quam Moyses deliquit, in vtroque magis punitus est. Primo, quia citius ad limbum missus est. Secundo, quia nihil de terra promissionis videre permissus est. *Præcipe Iosue.* Vt recipiat regimen, & curam populi. *Et corrobora eum.* Assecurando de prospero euētu, quia Deꝰ eum in omnibus ad quæ manum miserit conseruabit: timebat enim Iosue, ꝙ populus faceret eum incurrere iram Dei, sicut fecerat Moysen magistrum suū: multum decebat ergo,

D

E

Alio modo delectatur anima in Deo quam homo.

F

quod

quod Moyſes Ioſue corroboraret, nam licet Moyſes poſſet mandare Ioſue quicquid bonum ei videretur, quia prælatus eius erat, & Ioſue tenebatur ei ſimpliciter obedire, maxime quia Moyſes non dicebat iſta, vt prælatus ſolũ iudicans, quid ſibi videretur, ſed vt Propheta denuncians Dei voluntatem, ideo ei tanquam Deo præſentialiter imperanti obedire debebat, tamen quia prælatus non ſolum debet mandare ſubdito quicquid bonum ei videatur, ſed etiam declarare ſubdito, quod hoc non eſt ſibi periculoſum (nam res duras aliter aggredi non auderent, & quia Deus iſtud mandatum dabat) voluit tenere iſtum modum, ſcilicet quia iſtud, quod mãdabat facere Ioſue, erat valde graue, ſcilicet cura tanti populi, & periculo ſum nimis, quia vt dictum eſt poſſet formidare ſe peccaturum occaſione populi rebellis, cum magiſter eius Moyſes qui perfectiſſimus vir erat illo tempore, cui Deus ſe clare oſtendebat, vt patet Nume.12.c. occaſione populi deliquerit contra dominum, & punitus fuit in hoc, ne intraret in terram Chanaan trans Iordanem, de hoc autem dubio Deus eum per Moyſen aſſecurauit, ſcilicet quod ipſe deuinceret hoſtes, & diuideret terram, ſic patet hic, & clarius infra 31.ca.cum dicitur: vocauit ergo Moyſes Ioſue, & dixit ei coram omni Iſrael, confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in terram quam ſe daturum patribus eorum iurauit dominus, & tu eam ſorte diuides, & dominus qui eſt ductor noſter ipſe erit tecum, & non dimittet te, nec derelinquet, noli timere, nec paueas, his autem confortatus Ioſue ſi regimen populi aſſumere nollet, ei ad infidelitatem iudicaretur, ſi autem ante talem aſſecurationem non ſuſciperet, non videretur vituperabilis, cum vidiſſet Moyſen tantum virum defeciſſe. *Et diuidit ei terram.* De hoc certificauit eum Deus per Moyſen, quod ipſe diuideret terram populo, vt hic, & infra 31.cap. & Nume.34. & quia diuiſio fit poſt acquiſitionẽ terræ, & victoria cõtra aduerſarios: poterat enim veriſimiliter timere Ioſue, quia populus ille duræ cernices erat, quod propter aliquam culpam traderet eos in manus hoſtium ad mortem. *Et manſimus in valle contra Phanum Phegor.* Id eſt factis, & dictis omnibus ſupra narratis. *Manſimus in valle.* Id eſt in planioribus locis Moabitarum ſuper Iordanẽ. *Contra Phanum Phegor.* Id eſt contra templum in quo colitur Phegor, iſta eſt vltima manſio quæ vocatur Belſethin, vt patet Num.33.ca. in qua fornicati ſunt Iudæi cum Madianitis, & Moabitis, Nume.25.cap. Et apud locum illum erat mons in quo erat idolum Phegor, ſicut habetur Nu.23. duxit eum ad excelſa Phegor, & in iſto loco docuit Moyſes eos omnia, quæ ſequuntur vſque ad finem libri.

Moyſi viro perfectiſſimo Deus ſe clare oſtendebat.

CAPVT IIII.

ET nunc Iſrael audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Non addetis ad verbum, quo vobis loquor, nec auferetis ex eo.

ET nunc. Poſtquam Moyſes diſpoſuit populum narrando pœnas inflictas, & beneficia data eis: hic incipit declarare mandata legis. Et quia inter omnia vitia, idolorum ſeruitus maximum eſt, quia nullum ita Deo opponitur, & quia populus ad hoc proniſſimus erat, Primo, circa hoc maximas facit exhortationes, & prohibitiones. Et tanguntur tria principaliter.

Primum quędam generalis totius legis laudatio. Et de recolendo eam commonitio. Secunda idololatriæ nimia, & multis rationibus prohibitio, ibi. *Cuſtodi igitur temetipſum.* Tertio ciuitatum refugij ſeparatio, ibi. *Tunc ſeparauit. Et nunc Iſrael.* Id eſt iam vidiſti Iſrael quanta bona Deus tibi dedit, quando obſeruaſti mandata eius, & quanta mala euenerunt tibi, quando non obediſti. *Audi ergo nunc præcepta, & iudicia.*

Litera Hebraica, quam diſtinctionem hic in nominibus faciat.

QVÆSTIO I.

IN Hebræo habetur. *Cæremonias, & iudicia.* Sæpe enim ponit Hieronymus præcepta, ſiue pro moralibus, ſiue pro cæremonialibus: in Hebræo autem magna diſtinctio fit inter ea in nomine, & cum iſte liber ſit totius legis quædam repetitio, de omni genere præceptorum, ſcilicet morali, cęremoniali, & iudiciali, in eo dicitur, ſed de iudicialibus magis, quia cæremonialia in Leuitico pleniſſime enumerata ſunt, moralia autem ſimpliciter enarrantur. *Vt faciens ea viuas.* In hoc demonſtratur legis nobilitas. *Vt faciens viuas.* Non quidem ſimpliciter, ſed in eis, ſicut habetur Leuitic. decimo octauo capitu. & ad Rom. decimo, quia præcepta, quæ proprie pertinebant ad veterem legem, ſcilicet cæremonialia, & iudicialia obſeruata, quantum ex ſe erat, faciebant hominem viuere in eis, id eſt per opera eorum merebantur, vt daretur ei vita, & tranquillitas ab hoſtibus, vt magis poſſet, & iterum illa complere præcepta noui teſtamenti, quorum finis Chriſtus eſt, vt ad Rom.10.c. ſimpliciter aliquem viuere faciunt, ſcilicet vita æterna, de his magis diximus Exod.18.c. vnde licet hic dicatur viuas ſimpliciter, tamen intelligitur de vita corporali quæ eſt per conſeruationem ab hoſtibus, & aliis nocumentis, patet quia ſubiungitur. *Et poſſideas terram.* Poſſidere autem terram promiſſionis de qua hic dicitur, nõ eſt conſequens ad viuere ſimpliciter, ſcilicet vitam æternam habere, ſed ad viuere temporaliter. Si enim morerentur ante tranſitum Iordanis, non poſſent poſſidere terram promiſſam: ideo dicit eis Moyſes, quod ſi voluerint ſeruare mandata Dei, viuent non corrupti peſte, nec mortui ab hoſtibus, & intrabunt, & poſſidebunt terram promiſſam. *Non addetis ad verbum, quod loquor, nec auferetis ex eo.* Hic commendatur lex ex perfectione, quia perfecto, nec addi poteſt, nec auferri debet, vt patet 2. Ethic. Operibus bene ſe habentibus dicunt quod non eſt auferre, nec apponere: ſic Apocal. vlt. cap. quia tota reuelationum ſeries claudebatur, dicitur, ſi quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & ciuitate ſancta.

Noui teſtamenti finis eſt Chriſtus.

Quare nihil poteſt addi, vel diminui in ſcriptura Canonica, & quare potius ſacræ ſcripturæ aſſentire debemus, quam his quæ oculis intuemur.

QVÆSTIO II.

QVOD autem alicui ſcripturæ canonicæ, nihil detrahi, vel diminui debeat, manifeſtum eſt, quia omnis Scriptura ſacra Spiritu ſancto dictante conſcripta eſt, qui infallibilis veritas eſt, vt ſecunda Petri. cap. 1. omnis prophetica ſcriptura propria interpretatio non fit: non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt Sancti Dei homines, qui autem aliquid de ſcriptura tollit, ideo tollit, quia verum non eſſe putat, qui autem tale facit non ſolum infidelis, ſed etiam contra Deum præſumptor eſt, vnde auferet Deus partem eius de libro vitæ, & ciuitate ſancta: Apocal. vltim. quia Deo manifeſte contradicere audet, & ſic Arriani raſerunt de Euangelio Ioann.14. ego in patre, & pater in me eſt, & illud de Canonica prima Ioan.cap.5. & hi tres vnum ſunt, dicentes, hoc non eſſe de ſacra Scriptura, quia contra eorum infandiſſimũ errorem militabat, ſcilicet quod filius eſſet pura creatura: intellectus enim, & verum conformantur, vt menſura, & menſuratum: ſemper enim menſuratum ad modum menſuræ recipitur, vnde in veritatibus quæ non ſunt in ſacro Canone intellectus noſter menſura eſt, vt illæ veritates eſſe, vel dici poſſint, quæ intellectus noſtri lumini non repugnant, quæ autem repugnare videntur, pro euidentibus falſitatibus repellantur: vnde ait Auguſtinus contra Vincentium Donatiſtam, huic generi ſcripturarum, quæ canonicæ nuncupantur, tantam reuerentiam exhibere didici, vt nullum auctorem earum mentiri potuiſſe crediderim, cæteros autem ita lego, quantacunque polleant ſanctitate,

Concluſio in ſacra ſcriptura põt aliquãdo fieri additio aliquã do non diminutio nullatenus fieri põt.

non

A nō vt ideo ita ſit, quia ipſi ſic ſenſerūt. Ea.n. quę ab hominibus ſolum dicuntur, ita ſunt, quia ita ſe res habet, vel quia ſic noſter intellectus intelligit. In ſcripturis canonicis ipſæ ſcripturæ menſura ſunt, & intellectus noſter menſuratum: dicit enim intellectus concipere ita eſſe, quia ita dicitur, & non ſolum in intellectu, ſed etiam in rebus non debet argui veritas canonicæ ſcripturæ ex veritate rei, ſed magis veritas rei ex veritate ſcripturæ, valet enim conſequentia: ſic dicitur in ſacra Scriptura, ergo ſic eſt. Et patet iſta conſequentia, quia verbo domini cęli firmati ſunt, & omnia Pſal.32. & quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, Pſalm.148. ſi ergo verbo domini, tūc res creatæ de nihilo ſunt, ergo verbo domini, nunc aliter poſſunt res, quam ſunt, ſi ergo diceretur in ſcriptura res ſe aliter habituras, licet nunc naturæ rerum repugnare videamus, tamen confitebimur eas poſt ſic futuras eſſe, quia ſic ſacra Scriptura nunciauit eſſe futuras, vnde ſi ſcriptura contrarium diceret alicuius, quod nos videmus, confiteri debemus non phantaſmata, & non rerum veritates contemplari. Et ſatis conforme in natura exemplum reperitur, ſi quis videret hominem ſubito conuerti in aſinum, diceret ſe non res, ſed falſas rerum imagines intueri, quia proculdubio ſciebat illud naturæ eſſe contrarium. Cum ergo verbum Dei natura conſtantius ſit, quia per ipsū natura facta eſt, ſi aliquam rem naturalem videremus contra ſcripturæ veritatem, diceremus potius illam nihil eſſe, quam ſcripturam negare, quia cœlum & terra, quæ in tota natura ſtabilia ſunt, tranſibunt, ſed verba ſacræ Scripturæ non præteribunt, vt patet Matth.24.cap. nihil mihi in naturalibus euidentius eſt, quam me eſſe ſubſtantiam ſiue hominem, ſed citius negarem me eſſe, quam Deum negarem mūdum creaſſe. Et valet conſequentia formaliter, Deus non creuit mundum, ergo ego non ſum neque homo, neque aliqua alia res, quia impoſſibile eſt res potentialiter exiſtentes ſine primo principio ad eſſe prodiiſſe, quod poſſet ſatis bene deduci, ſed alterius eſt negotij. Et hoc idem dicit beatus Petus ſecunda canonica c.1. ſcilicet quod magis aſſentit his quę à prophetis dicta ſunt, quam his quæ oculis intuetur, confitetur ibi ſe vidiſſe Chriſtum transfiguratum in monte Tabor, vt patet Matth.17.cap. ſed dicit, quod firmior eſt ſermo propheticus, quam quod ipſe oculis ſuis vidit. Cauendum ergo eſt ne aliquis dæmonis fraude tantum inſoleſcat, quod aliquid de ſancta ſcriptura tollere, aut radere audeat. Sed quantum ad additionem ſacræ Scripturæ aliter eſt dicēdum, quia aut ille qui addit, addit tanquam aliquid de textu, vel neceſſarium, ſicut alia quæ ſunt in textu velut dictum à Spiritu ſancto, & hoc vocatur proprie addere, & qui talia agunt, mortem æternam incurrunt. Et iſto modo hæretici, vt fulciant aliquos errores ſuos ex ſacra Scriptura, multa falſa in ſuis libris ſacræ Scripturæ addiderunt. Et ſicut Eccleſia noſtra orthodoxa Spiritu ſancto dictante quatuor Euangelia

B

C recipit, ita ipſi alia falſa Euangelia in aliorum Apoſtolorum nomine condiderunt, ſcilicet Euangelium Andreæ, & Barnabæ, & Thadæi. Quæ tanquam non à Deo data, ſed ab humano errore confecta, ſancta damnauit Eccleſia. Et de his dicitur Apoc. vlt.cap. ſi quis appoſuerit ad verba hæc, apponet Deus ſuper eum plagas ſcriptas in libro hoc. Alio modo ſit additio ſacræ Scripturæ per modum interpretationis: eſt enim ſacra Scriptura obſcura, & in quibuſdam locis humanum ingenium excedens. Quis enim omnia Apocalypſis myſteria digne exprimere valeat? nullus inquam, niſi cui à Deo ſpecialiter hoc datum ſit: ſicut enim ſacræ Scripturæ eloquia ſpiritu dictante conflata ſunt, ita in quibuſdam locis eo ſolo ſupra humanum ingenium ſupernaturaliter influente declarata ſunt: ſic enim dixit Propheta de profunditate ſcripturæ loquens tenebroſa aqua in nubibus aeris, id eſt obſcurus intellectus in Prophetis: deinde ſubiungit quomodo aquæ iſtæ tenebroſæ diuino ſpiramine illuſtrentur, dicens: miſit ſagittas ſuas, id eſt interiorem illuſtrationem, quæ ſe intellectui humano infigit, quia penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animę, & ſpiritus, ad Hebræos quarto capitu. Et ſequitur, & apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum, id eſt ſpiramine Dei ſacræ ſcripturæ, quæ quidam fontes aquarum viuentium ſunt, reuelatæ ſunt. Taliter ergo in ſacra Scriptura addentes, quantum Spiritus ſanctus, vnicuique largiri dignatur, vituperandi non ſunt, cum eos ipſa, & ſcriptura commendet, non paruum laboris prēmium ponens, ſcilicet qui elucidant me vitam æternam habebunt: Eccleſiaſtici 24.cap. Et iſta interpretatio non vocatur proprie additio, quia additio facit in re magis eſſe, interpretatio autem non facit aliquid magis eſſe, vnde non accreuit Scripturæ ſacræ ex multiplici expoſitione omnium doctorum catholicorum, qui ab exordio primitiuæ Eccleſiæ fuerūt vſque hodie, vnus apex, nec iota vnum. Et ſic tanta erat ſacra Scriptura, cum nullus eam adhuc expoſuerat, quanta in fine mundi, quando ſuper eam quaſi infiniti libri confecti fuerint, vt Ioan.21.cap. vbi dicitur, non arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros, per primum modū additionis nimium ſcriptura fiebat, vt ſecundum hæreticorum additionem ſeptem iam Euangelia haberemus: iſte modus deteſtabilis eſt. *Cuſtodite mandata Domini veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Et ſic Moyſes nudus miniſter, & relator verborum erat, ſed legem nullo modo condebat. Et ſic patet errare eos qui dicunt, quatuor priores libros eſſe legem Dei, & iſtum eſſe legem Moyſi, quia omnes quinque libri lex Dei dicuntur, quia condidit, & aliquando tota vocatur lex Moyſi, quia omnes iſtos libros ipſe ſcripſit, & populo expoſuit, ſic patet Malac.vltim. mentote legis Moyſi ſerui mei, quam dedi ei in Oreb, ſed conſtat, quòd id quod in Oreb, id eſt in monte Synai dictum eſt, in Exodo, & Leuitico ſcriptum eſt: ergo etiam illi libri vocantur lex Moyſi. *Oculi veſtri viderunt.* Hic laudat legem, quia operantes ſecundum eam in vita cōſeruantur. *Quæ fecit dominus contra Belphegor.* Scilicet, quia omnes adorantes, & immolantes ei, quia contra legem faciebant, mortui ſunt, vt patet Nume.25.cap. illi autem qui non coluerunt manſerunt viuentes. Belphegor vt ait Iſidorus 8. Ethym. Deus Græciæ eſt, ſcilicet Priapus qui actibus venereis conuenit, quia de helleſponto propter virilis membri magnitudinem exulauit. *Viuitis vniuerſi.* Ex quo patet, quod omnes, quos ſententia de non intrādo terram promiſſionis ligauit (vt patet Num.14.cap.) ante adorationem Belphegor mortui ſunt, quia omnes qui viuebant tempore illius adorationis, etiam nunc viuebant, niſi qui adorauerunt, & ſic patet ſupra 2. ca. ſcilicet quod antequam tranſirent torrentem Zareth omnes viri noxij mortui ſunt, torrens autem Zareth multum ante Sethin eſt, vbi Iſraelitæ Belphegor adorauerunt, vt patet Num.21. & 25.cap. nam vt dicitur ſupra 2. cap. ante tranſierunt torrentem Zareth, quam tranſirent torrentem Arnon, nam torrens Arnon erat in extremitatibus terræ Amorrhæorum, diuidens Moabitas, & Amorrhæos, & antequam intrarent Iſrael in terram duorum regū Amorrhęorum tranſierunt torrentem Arnon: deinde pugnantes contra Seon Amorrhæorum, regem Eſebon deuicerunt eum, & poſſederunt terram totam eius: poſtea pugnauerunt contra Og regem Baſan, & eum cum populo ſuo pariter deleuerūt: poſtea vrbes ceperunt, & ad vltimum venerunt contra Phanum Phegor, vbi fuit mors colentium Priapum, & fornicantium cum puellis Madianitarum, & Moabitarum: multo ergo ante tranſierunt torrentem Arnon ante iſtam mortem, ſed torrentem Zareth ad cuius tranſitum conſumpta erat iam generatio peſſimorum qui peccauerant, vt patet ſupra 2.cap. tranſierunt ante Arnon, ergo torrentē Zareth, in quo finita fuit plaga ſententiæ datæ Numer.14. cap. tranſierunt multo tempore antequam fieret mors Iſraelitarum contra Phanum Phegor, antecedens patet, quia torrens Zareth eſt in ſolitudine venientibus de terra Edon in Moabitas, & hunc tranſierunt Iſraelitæ poſtquam circuierunt montem Seyr longo tempore: deinde cœperant per ſolitudinem de Elath Aſiongaber, & in illa ſolitudine antequam accederent ad terminos Moabitarum, tranſierunt torrentem Zareth, & poſtea accedentes ad terram Moab tranſierunt per Moabitas, qui erant in ciuitate Ar, & circa terram Ammon, & exeūtes velociter de terminis Moab acceſſerunt ad torrētem Arnon diuidentem Moabitas, & Amorrhæos. *Scitis, quod docuerim vos præcepta.* Id eſt cæremonialia. *Et iuſtitias.* Id eſt iudicialia, ideo ſicut docui vos ſic faciatis, quando ingreſſi fueritis terram vobis promiſſam. *In terra quam poſſeſſuri eſtis.* Præcepta moralia in omni loco obligant; ita quod faciens contra ea vbicunque ſit peccat; exceptis excipiendis, præcepta autem cæremonialia, & iudicialia non ſeruabantur, niſi valde im-

D

E

F

De additione ſacræ ſcripturæ.

perfecte

perfecte in deserto, sed totaliter obseruanda erant in terra promissionis, vt infra 12.cap. non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie singuli, quod sibi rectum videtur, & subdit causam: nec enim vsque ad prę sens tempus venistis ad requiem, & ad possessionem, quam dominus Deus daturus est vobis. *Excellentia legis Dei.* *Hæc enim est vestra sapientia.* Hic ponit excellentiam huius legis, scilicet, quia sapientia est, vnde inter quinque habitus intellectus, quos Philosophus ponit 6. Ethico. sapientia perfectior est, quia est de altissimis causis, vel per altissimas causas: ista lex quæ Theologica dicitur, id est verbum, vel sermo de Deo, sapientia propriissime est, quia de altissima causa, scilicet Deo est, & per altissimam causam, scilicet per reductionem ad ipsum Deum, in artificibus ille sapiēs dicitur, qui res disponit secūdum regulationem ad supremam causam, quæ est forma totalis: ædificator domus qui aliquem parietem sic, vel sic disponit, quia conuenire debet formæ vltimatæ, & totali, quæ quadratura, vel rotunditas est, sapiens est, quia istam inferiorem particulam materiæ dirigit per altissimam causam, id est per conformitationem huius ad formam vltimatam quæ est altissima causa, quia finis est principaliter intentus in tota operatione artifices autem inferiores qui materiam rotundando, vel quadrādo, siue quomodolibet alias disponunt, non attendentes formam vltimatam ædificij; sed solum mandatum magistri, sapientes non dicūtur, quia causam altissimam, nec sciunt, neq; considerāt, sic sacra Scriptura quæ magis practica, quam speculatiua est regula quædam est directiua omnis actus humani, & materia qua vtitur, secundum quod isti actus Deo accepti, vel odiosi sunt. Considerat ergo sacra Scriptura per altissimā causam omnem actū regulando, secundū quod Deo placet, vel displicet: aliæ autē legislationes humanæ, siue politiæ quas Poetæ, & Philosophi miris laudibus extulerunt, sapientiæ non sunt, quia solū dirigunt per quasdam infimas causas, scilicet reducēdo actus in pacem, vel abundantiam ciuitatum, vel in completionem desiderij humani, quæ omnia sunt infra supremam causam, scilicet Deum: illa enim duo omnium politiarum humanarū architectonici sunt fines, scilicet abundantia necessariorum ad vitam, quia vnus homo non sufficit sibi ad omnes necessitates naturæ, sed cuilibet adiacet vna particula boni alterius. Secūda causa est completio naturalis desiderij: est enim homo ciuile animal appetens in communitate viuere, ideo ex vita singulari ad politicam vitam conueniunt, & perseuerant etiam multa mala sustinentes, nisi à valde duris secundū vitam excedantur: ponit hæc Philosophus Polit. 3. c. 4. Concluditur ergo omnium practicarum solam sacram Scripturā sapientiam esse, quia sola de altissima causa, id est de Deo cōsiderat, & per altissimam causam, id est per respectum ad Deum omnia dirigenda dirigit.

An sacra Scriptura sit proprie sapientia.

QVÆSTIO III.

SED dices, non potest esse sacra Scriptura sapientia, quia sapientia inter speculatiuos habitus ponitur, scilicet scientiam, sapientiam, & intellectū: in intellectu speculatiuo prudentiam, & artem in intellectu practico, sed scriptura sancta practica est. Respondetur, quod si vellemus dicere Scripturam sacram esse speculatiuam nota esset responsio, sed dicimus quod est practica, quia secundum Philosophum negocium speculatiuarum est scire, quia verum est bonum intellectus, vt patet 2. Metaph. scientiæ autem practicæ non negociantur circa scire, sed circa operari, quia non addiscimus, vt sciamus, sed vt boni fiamus, vt patet 2. Ethicor. finis autem sacræ Scripturæ non est scire, sed operatio, quia perfectio legis dilectio ad Roman. 13. cap. Sed de sapientia distinguendum est: dicit enim duo sapientia, scilicet de altissimis causis: & per altissimas causas: si enim accipiatur sapientia prout solum dicit per altissimam causam, quælibet ars perfecta sapientia dici potest, quia in ea artifex considerare potest secundum causam altissimam subiecti artis, seu generis artis, & isto modo dicit Philosophus 6. Ethic. c. de sapientia: sapientiam autem in artibus certissimis assignamus, vt puta Phidiam latomum sapientem, nihil aliud assignantes sapientiam, quam quoniam virtus est artis. Sed isto modo nō proprie, nec complete dicitur aliquid sapientia; sed oportet, adhuc quod sit causa altissima, quod in nulla scientia practica humana, reperitur: ideo dicit Philosophus eodem libro, & cap. quod habitus factiui, vel operatiui non possunt dici sapientia, ideo prudentia nec politica scentia sapientiæ non sunt, sic inquiens: inconueniens enim si quis scientiam Politicam, vel prudentiam studiosissimam vocet, si non optimum eorum quæ in mundo sunt homo est. Et sic illam proprie sapientiam vocat, quæ optimum subiectum habet, vt Metaphysica de intelligentiis: & sic ait eodem cap. si autem, quoniam optimum homo omnium animaliū nihil differt: etenim alia multum diuiniora secundum naturam, puta manifestissima ex quibus mundus constat. Ex dictis manifestum quoniam sapientia honorabilissimorum natura. Sed sacra Scriptura in hoc alias practicas excellit, quia Deum considerat, & respectu Dei regulat: ideo sapientia dici potest, quia Deum subiectum suum habebit. Quo modo ergo Philosophus sapientiam proprie sumptam solum speculatiuum habitum esse voluit? Respondetur, quod Philosophus cognouit, quod nos poteramus cognoscere aliquid de causa prima secundum quod ipse demonstrat 12. Metaph. ideo speculatiuam cognitionem circa eam sapientiam vocauit, vt patet 6. Ethicor. vt supra diximus: sed non putauit, quod aliquo modo possent dirigere operationes suas respectu causæ primæ, quia non poteramus communicare eam practice, quia naturam excedit: ideo dixit 9. Ethic. quod hominis ad Deum non est amicitia, & sic omnes antiqui gentiles tenuerunt, quod Dei ad homines nulla est communicatio, vt Danie. 2. cum dicitur: exceptis diis quibus cum hominibus non est conuersatio, sed vtrunque falsum est, quia Dei amicitia est cum hominibus, vt patet Ioan. 15. cap. vos amicos dixi, quia omnia quæ audiui à patre, nota feci vobis. Item cōuersatio est Deo cum hominibus, iuxta illud Baruch. ca. 3. in fine: post hoc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, dabitur ergo aliqua cognitio practica per quam regulemus nos circa Deum, cui communicare, & amici esse possumus, & vocabitur ista cognitio sapientia. Sed etiam dato, quod ista sacra Scriptura sapientia sit, magis potest voteſt vocari sapientia cognitio speculatiua Dei in patria cum amore, vel fruitione subsequente, quia sacra Scriptura prout practica est operationem considerat, etiam si aliquo modo Deum consideret: illa ergo pure sapientia est quæ in sola Dei cognitione altissima versatur, quod magis ad patriam quam ad viam spectat. *Et intellectus.* Vocatur etiam sacra Scriptura intellectus, quia intellectus est habitus principiorum quæ naturali lumine cognoscuntur, & quæ certissima sunt, cum non habeat ea intellectus per discursum quendam, sed ex solo naturali lumine concreato: ea quæ per syllogisticum discursum habentur incertiora sunt, quia potest errari in deductione: lex enim certissima est, quia sine aliqua deductione syllogistica ex sola illustratione nostra per fidem habetur, & in se ista firmiora sunt quam quælibet naturalis cognita, quia ista nobis ex diuina cognitione emanant. *Quæ certissima est coram populis.* Id est si aliquis populus dicat vobis quid scitis, dicetis sibi legem Dei, nec demōstrabitis vos aliquid aliud scire, tanquam hoc nobilissimum sit, sic dicebat Virgilius Romanis, Æneid. lib. 6. quando Æneas ductu Sibyllæ intrauit infernum, & campos elysios, & pater eius Anchises demonstrans ei animas omnium Romanorum qui futuri erant (vt consentit positio antiquorum) declarauit quem actionem præcipuam Romani tenere deberent, & ait.

Excudent alij spirantia mollius æra
Credo etiam viuos ducent de marmore uultus.
Orabunt causas melius, cœlíq; meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu pacis, & belli artes Romane memento
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Nec est alia natio. Hic probat excellentiam legis à conditore, scilicet Deo, qui non solum condidit, sed etiam populo suo multū familiariter assistit. *Tam grandis.* Id est tantæ dignitatis. *Quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* In duobus excedebant Iudæi alias gentes. Primo, quia Deus Iudæorum Deus verus erat, dij autem gentium dæmonia. Secūdo, quia etiam dij falsi gentiliū

Dei ad homines est cōmunicatio ecūdā fidem.

Iudæi in duobus aliis gentes excedebant.

non

non respondebant eis ad omnes inquisitiones, nec eos poterant adiuuare, Deus Hebræorum ad omnes inquisitiones per sacerdotes, vel prophetas, siue alios viros sanctos factas respondebat: ideo non erat necesse Iudæis quærere auguria sicut gentilibus, vt patet Numer. 23. non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel, temporibus suis dicetur Iacob, & Israeli quid operaturus sit Deus, superabant etiam Iudæi, alias gentes in ordinatione legis, quia nulla gens leges à diis suis recipit, vt probat Augustinus in 2. de ciuitate Dei, quasi per maiorem partem eius, vbi dicit, quod dij gentium docuerunt eas facere ludos scenicos innumerasque turpitudines in ludis Deorum, quas ipsi dij mandabãt sibi fieri, vt ibidem declaratur de turpitudinibus matris magnæ Deorum, scilicet Berecynthiæ, nec sacrificia ita ordinate agebant: offerebant enim gentiles quædam turpissima, & ritibus valde obscænis facta, vt patet in 6. libris Fastor. in quibus Ouid. omnium festorum tempora, sacrificia, & causas assignat, & vocatur liber ille Kalendarium Romanorum, ideo aliqui gentiles videntes magnam ordinationem in legalibus Iudæorũ dicebant, vt patet supra, esse populus sapiens, & intelligens, gens magna. Ista verba scilicet. *Neque est alia natio, tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis dominus Deus noster.* Sunt verba Moysi, vt patet cum dicitur, sicut adest dominus Deus noster, quia ista dicuntur in prima persona, & referuntur ad ipsum loquentem, cuius est Deus, scilicet ad Moysen, & dicebat alias gentes habere Deos; cum tamen nõ habeant Deum, nec Deos, quia sic ipsæ gentes existimant illa simulachra quæ venerantur Deos esse: hoc tamen concesso quicquid illud sit, quod gentiles pro Deo venerantur, nõ ita succurrebat eis, sicut Deus verus succurrebat Hebræis. *Quæ est alia gens, tam inclyta.* Id est, tam nobilis, vel excellens, inclytus dicitur, id est famosus, vel gloriosus, & sic isti Iudæi famosi erant apud alias gentes, quia cum talem ordinationem viuendi, cæremonias, & præcepta iudicialia haberent, qualia aliæ gentes non habebant, diuulgabatur fama eorum apud cæteros populos, tanquam nobiliter ordinatorum super alias gentes: nam quodlibet bonum personaliter facit aliquem inclytum, id est famosum, sicut robur corporis, magnitudo potentiæ, magna sapientia, & sic de cæteris eodem modo. Habere optimas leges, cum sit quoddam valde magnum bonum regulatiuum totius vitæ, faciet inclytum vel famosum, vt habeat cæremonias, id est quasdam obseruationes in sacrificiis, & aliis quæ ad Deum pertinent. *Et iusta iudicia.* Id est præcepta iudicialia ita iusta. *Et vniuersam legem.* Quãtum ad moralia, posset autem hoc dici, quia collectis omnibus quæ tradita sunt Hebræis, & enumeratis his quæ dicta sunt, solum manent præcepta moralia, sed communiter ista non consueuerunt intelligi per legem, quia lex magis pertinet ad institutiones positiuas cuiusmodi sunt cæremonialia, & iudicialia, ideo potest accipi hic lex melius pro tota congregatione omnium præceptorum cuiuscunque generis, siue moralia, vel cæremonialia, vel iudicialia sint: ita quod positis illis præceptis cæremonialibus, & iudicialibus, specialiter subduntur omnia nomine communi legis, & hoc appareret in litera cum dicitur, & vniuersam legem, ex quo necesse est dicere solum intelligi moralia præcepta, sed etiam contenta in tota lege, quam proponam ante oculos vestros, id est quam dicam coram vobis: non enim videri poterat vox Moysi, sed audiri, sic dicitur Exod. 20. populus videbat voces: videre enim communiter assumitur pro actu aliarum potentiarum sensitiuarum. *Custodi temetipsum.* Hic ponitur secundum, scilicet idololatriæ prohibitio: Deus enim erat huic populo familiaris, ideo requirebat in eis magnam munditiam spiritualem, & corporalem, vt patet Nume. 25. cap. de munditia ab effuso sanguine, etiam de munditia à stercoribus, vt infra 23. cap. maxime ab immunditia idolorum, quam Deus maxime odit. Custodi temetipsum, ne quando idolis offeras, vel aliquem cultum exhibeas honoris. *Et animam tuam.* Id est etiam caue, ne aliquando talia ad faciendum mediteris.

Custodire seipsum, & custodire animam differunt.

QVÆSTIO. IIII.

PRo quo est notãdum, quòd aliud est custodire seipsum, aliud custodire animam, custodire se ipsum est custodire totum hominem, qui est suppositum, vel persona, & competit ei agere, vt patet per Aristot. 6. & 7. Ethicor. ideo custodire seipsum est cauere, ne aliquid agat inhonestum, cum agere ei competat, scilicet exequendo per organa operatiua, vt actualiter offerendo, vel se idolo inclinando, aut aliquem alium cultum faciendo, anima non est ipsum totum, quod est suppositum, sed est pars formalis, ideo est principium omnis actus, vt ait Philosophus 2. de Anima: custodire ergo animam est custodire nonne agat, quia actio suppositi est, sed ne iudicet faciendum, aut facere eligat: ista enim sunt duo principia actuum humanorum, vt patet 6. Ethicor. & ab his etiam mandabat dominus caueri, quia non solum nõ erat immolandum idolis, aut adorandum ea, sed etiam nullus talia iudicare debebat fienda esse, aut eligere facere, vel saltem loqui, aut meditari, omnia namque detestabilia erãt coram Deo, quia vnum inclinabat ad alterum. *Ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui.* Lex enim Mosaica pædagoga fuit, id est per timorem ad bonum adducens, vt habetur ad Gal. 3. c. mouet ergo hic Moyses Israelitas ad obseruationem legis per memoriam timoris, quem habuerunt in monte Synai in datione legis, quando lampades ignis nutabant, & sonus terribilis buccinæ audiebatur loquente Deo de medio ignis, vnde valdè timuit populus, & rogauit ne loqueretur Deus, sed Moyses, quia audita voce Dei mori timebant. *Verborum quæ viderunt oculi tui.* Id est quæ audierunt aures tuæ, vel quæ coram te dicta sunt, & tunc refertur ad verba terribilia quæ Deus loquebatur, potest etiam accipi verbum pro re quæ fit, & non est locutio vt patet 2. Reg. 1. ca. quod est verbum, quod factum est in castris, id est quid contigit, in castris, & tunc accipitur videre propriè, & refertur ad montem fumantem, & ignitum quem vidit. Exo. 20. c. *Nec excidant de corde tuo.* Per timorem Domini declinatur à malo, si ergo timor à corde excidat, mala cogitatio subintrans animum ad malum inclinat, ideo dicitur inf. 6. c. meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in domo tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, hæc omnia continuam meditationem signant in sanctis, & est necessaria, quia secundũ Philosophum 7. Ethicor. consideratio, vel scientia habitualis de bono nõ tollit male agere: potest enim aliquis secũdum actũ male iudicare, habens bonũ iudicium secundũ habitũ. Consideratio actualis de bono tollit male agere, impossibile est. n. aliquem simul secundum actum bene, & male iudicare, nam ea quę solum sunt habitualiter nullo modo mouent in actu: ideo bene stat aliquẽ habere in actu malam existimationem, & habere bonam secundũ habitum, quia vna non repugnat alteri, nam ea quæ est secundũ actum mouet, quæ aũt secundum habitũ nullo modo, & istud est principiũ errandi in incontinẽtibus, quia cum habeãt secundum habitum bonam existimationẽ de particulari agibili, s. q̃ non est fornicandũ, quia secundum actũ cõcupiscentiæ ligantur, insurgit actualiter falsa, & mala opinio de particulari agibili, s. q̃ hoc fornicari nunc est eligendum, si autem existimatio bona de particulari agibili esset secundũ actum, s. quod non oporteret fornicari, impossibile erat fornicari, nec vnquam volũtas ad illud flecti potest, quia repugnat formaliter, & est simpliciter impossibile voluntatem ferri in aliquid secundum, quod est cognitum malum, errant autem incontinentes etiã aliis modis, scilicet per vniuersalem opinionem, & particularem, & per habitum ligatum, & non ligatum, de quibus Philosoph. in 7. Ethic. latissime. *Docebis ea filios ac nepotes tuos.* Patres enim filios erudire debent in fidei rudimenta, & sic propagabitur in posteros, quia fides ex auditu est ad Rom. 10. cap. *Congrega ad me istum populum.* Id est ad istum locum in quo nunc appareo: Deus enim apparebat in vertice montis Synai, circa cuius radices totus populus congregatus est. *Et discat timere me.* Id est per sermones quos audierit, quia terribiles sunt, addisceret timere me. *Et accessistis ad radices montis.*

Actio suppositi est.

Sed

A

Sed montem non tetigerunt, quia pœna mortis tangenti imposita erat Exod. 19. cap. *Qui ardebat vsq; ad cœlum.* Id est, ignis flamma in monte illo videbatur accedere ad cœlum: hyperbole est, vel quia forte eis sic apparebat, scil. quòd ignis ille cœlum tangeret: videtur enim cœlum istis inferioribus nubibus contignari, quia mediam distantiã nõ percipimus, & quorumcunq; distantiam non percipimus illa coniuncta esse videntur, vt in primo communis perspectiuæ habetur. Et hoc siue aliquis respiciat per lineam erectam, vel per lineam iacentem: per lineam erectam, vt si aliquis respiciat versus cœli partem quæ capiti nostro imminet: nam licet inter nubes has, quæ sunt in principio secundi interstitij aëris, & cœlum Lunæ, sint spacia nobis quasi inopinabilia, tamen nubes cœlo iunctæ esse videntur, & eodẽ modo Luna astris fixis immediata esse videtur, licet inter Lunam, & astra sint sex orbes cęlestes spaciorũ nobis quasi inopinabilium, si autẽ respiciamus per lineam iacentẽ, id est per lineam planiciei versus contactũ horizontis, quia si nos respiciamus ad partẽ orientis, vel occidẽtis, vel aliam cœli partem, & videamus aliquem montẽ altum, etiã si modicum distet à nobis, immediate post illum montẽ cœlum terrę coniungi videtur, quia spacium inter montẽ, & cœlum à nobis non distinguitur. *Erant in eo tenebræ.* Id est obscuritas priuatiuè, quia ignis ille non apparuit clarus, sed obscurus, & fumans, quia oportebat differre à confirmatione Euangelicæ legis, quæ in linguis igneis facta est lucentibus, quia illa reuelata veritas erat à lege, quæ figuris, & integumentis velata erat, cum sit vmbra futurorũ, vt ad Colos. 2. cap. Vtrum autem iste fuerit verus ignis, an similitudo ignis, nõ multum refert sic vel sic esse, nec satis patet ex textu quid fuerit, satis enim est, quòd fuerit similitudo ignis, ita vt verus ignis appareret Hebræis, nec valet si arguas de igne qui apparuit in rubo, vt patet Exod. 2. c. quia ille erat verus ignis, vt declaratũ fuit, quia ibi ponitur pro miraculo, quòd arderet rubus, & nõ combureretur, sed si fuisset ibi similitudo ignis, & non verus ignis, non erat miraculũ, hic autẽ non ponitur pro miraculo, quòd in monte fuerit ignis, & non cõbureretur mons, licèt etiã similitudinẽ ignis, & fumi apparere miraculũ erat, & hoc satis patet, quia licet satis potuerit esse verus ignis, tamen nos ponimus semper illud, quod minus est, nisi sit necessitas ponendi maiora, quia secundũ regulam cõmunem, pluralitas nunquã est ponenda sine necessitate, cùm sit peccatum per plura facere, q̃ potest per pauca fieri, vt patet 8. Ethic. in principio, cum ergo non sit necessitas ponendi illum esse ignẽ verum, quia æqualiter sufficiebat esse speciem ignis; maxime quia si poneretur esse verus ignis, fuissent plura miracula, primo creatio ignis noui fumantis, aut discensio illius de sphæra sua, quod contra naturam ignis fieret. Secundum, quia cum ignis sit vrens, & contingeret extremitatem montis, cum videretur exire de ipso monte, necesse erat, vt combureret omnes arbores, & herbas montis, quod non factum fuit, nisi miraculose suspenderetur actio ignis: dicendum ergo fuisse speciem ignis, sicut declarauimus latè Exod. 13. c. de columna ignis præcedente Hebræos in nocte, quòd non erat ignis, sed species, vel figura ignis. *Nubes.* Impressio est quædam per condensationem facta visum impediens, sed albi coloris. *Caligo.* Impressio facta quasi nebula ex densitate, sed coloris nigri est. *Et formam penitus non vidistis.* Demonstrat, quòd Deus voluit ne aliquam similitudinem colerent, quia quando locutus est eis solum audierunt vocem, sed nullam figuram viderunt, ne aliqua figura fabricaretur, quam colerent: ideo in igne apparuit, qui instabilis figuræ est, nec statuificari potest, nec pingi, & sic Deus non solum aliquam statuam, vel imaginem adorari vetuit, sed etiam seipsum in imagine adorari, ideo nullam sui ipsius eis ostendit effigiem, ne ex adoratione Dei in manufacta imagine ad adorationem manufactæ imaginis declinarent, sicut factum est in serpente, quem dominus ad solam memoriam diuinæ percussionis fieri iussit, nec aliquo modo coli, vt patet Numeri 21. ca. sed post eum multi adorauerunt, ideo Ezechias comminuit eum in puluerem, vt patet quarto Regum decimo octauo cap.

B

C

Pluralitas sine necessitate, nũquã est ponenda.

Quid sit nubes.

Quid sit caligo.

Quare Christianis imagines, & statuæ permissæ sint.

QVÆSTIO V.

CHRISTIANIS autem imagines, & statuæ, permissæ sunt propter simplices, quia non est suspitio talis, quòd ad colendum ligna, & lapides inclinentur, sed melius esset forte imagines quàm statuas fieri, quia cum corpulentiam nullam gerant, minus motiuę sunt, nec ita simplices decipi possunt. Quædam tamen sunt, quæ nec in statua, nec in figura congruè assignari possunt, sicut Trinitas beata, quæ nullis corporeis lineamentis circunscripta est, ideo imagines tres figurantes tres personas, licet Ecclesia receperit, vel dissimulauerit, non rectè videntur signare: magis enim erroris inductiuæ sunt, & cum rem perfectè signare non possint propter difformitatem signi, & signati, magis oberrare facit. Aliæ autem imagines congruè assignatæ sunt, quia talem corpulentiam Christus, vel sancti habuerunt qualem istæ imagines præferunt. Et ista fuit potissima causa, quare non facta fuit imago in lege veteri, quia verbum Dei, tunc corpulentiam non assumpserat, quæ circunscriptione figurari posset, quòd nunc euenit fieri in imaginibus signantibus Deum pure, sed Trinitatem duo inconuenientia sequi possunt primum idolatria, nec etiam imago colatur. Secundũ error, & hæresis, scil. attribuere Deo illam corporeitatem, & essentialem differentiam, qualem tres illas figuras signare conspicimus, in imaginibus Christi, vel sanctorum solum vnum inconueniens est, scil. idololatria in adoratione imaginis. Error autẽ esse non potest, quia qualiter imago illa notat talis Christus fuit. *Et ostendit vobis pactum suum.* Scil. præcepta moralia decẽ, quæ Deus in voce Angeli dixit populo. Et hoc fuit pactum, vel conuentio inter Deum, & Israel, scil. quòd Israel obseruaret mandata ista, & omnia quæ post darentur, & quòd Deus acciperet eos in populum, & eis beneficeret. *Et decem verba.* Id est decẽ præcepta, & ista sunt pactũ, sed prius à Deo dicta sunt; deinde in talibus scripta sunt, vt patet Exod. 20. & 32. c. Et vocantur ista præcepta decem verba, licet multa sint, quia decem clausulæ, vel diuisiones sunt. Et sic aliquando vnus liber totus vocatur vnũ verbum, & sic vocat Apostolus quinq; libros Moysi, quinque verba, vt ait Hieronymus in Epistola ad Paulinum. *Mihi quoque mandauit Deus in tempore illo.* Id est, quando steti cum eo in monte accipiendo tabulas legis. *Vt docerẽ vos cæremonias, & iudicia.* Deus per Angelum suum in voce tubæ docuerat eos præcepta moralia decalogi ad completionem legis, restabat, quòd doceret eos præcepta cæremonialia, & iudicialia, sed quia populus dixit, quòd non loqueretur eis Deus, mandauit Deus Moysi, quòd cæremonialia, & iudicialia, quæ manebant docerẽt eos. *Custodite ergo solicite.* Sæpius hoc replicat, vt doceat eos cum magna solicitudine ab idololatria esse cauendũ. *Ne forte decepti.* Scil. putantes quòd Deus talis sit qualis illa imago monstraret, scil. corporeus, circunscriptus, & hoc magnũ errorem, & deceptionem facit. *Sculptam similitudinem.* Id est statuam corpulentam, quæ per dolationem, & cauationem fabricatur. *Aut imaginem.* scil. superficialem figuram depictã, licet vtrunq; malum, & prohibitum sit, statua tamen magis prohibita erat, quam imago, quia magis motiua est, ideo primo ponitur. *Masculi vel fœminæ.* Id est, si vidissetis Deum in aliqua imagine, vel illam fingeretis, etiã ad faciendam similitudinem hominis, & brutorum declinaretis, sicut gentiles masculos Deos & fœminas habebant, vt Iouem, Saturnum, Martem, fœminas, vt Iunonẽ, Dianam, Venerem, & Vestã. *Similitudinem omnium iumentorum.* Id est omnium bestiarum, aliqui gentiles feras pro dijs habebant, vt in Ægypto. Taurus albus, qui dicitur Deus apis, & canes, & alia monstra colebantur, vt ait Lucanus, in fine lib. 6. de apide tauro diximus late Exod. 2. c. *Vel auium.* Aliquas etiam aues, quas dijs suis consecratas, & acceptas esse dicebant, adorabant, Aquila Iouis armiger dicitur, columba Veneris baiula: pauones Iunonis, coruus Phębi. Et sic de alijs. *Aut reptilium.* Alij reptilia colunt, vt octachonem, quia Esculapius Deus in figuram colubri cristati de Epiro Romã transuectus est, vbi in insula tyberis colebatur, vt ait Ouid. Metaph. 15. *Siue piscium.* Pisces aliquæ gentes colunt, & ab eorũ esu abstinent, quia Venus, &

D

E

F

A Cupido in piſcium imaginem latuerunt perſequente Tipheo, vnde duos piſces inter cœli ſigna antiqua locauit gentilitas: vt ait Ouid. 2. Faſtorum. *Ne forte eleuatis oculis.* Sententia ſuſpenſiua eſt, cum ſuperiori ordinatur, ſcil. cuſtodite animas veſtras, ne forte eleuatis oculis, &c. & ſupra monuit nō colere aliqua terreſtria, hic vetat colere cœleſtia. *Videas Solem, & Lunam.* Magis colebant gentiles cœleſtia luminaria, quàm inferiora viuentia, & etiā Iudæi omnē cœli militiam coluerunt, vt patet 4. Reg. 23. c. ſcil. Solem Lunā 12. ſigna, & omnē militiā cœli. Et iſte error à Philoſophis ſumpſit initiū, quia viderunt Philoſophi, ꝙ permotū cœleſtium corporū vita noſtra, & omnia naturalia conſeruantur, & putantes illa eſſe corpora animata (vt nobiliſſimi Philoſophorum dixerunt, vt videtur velle Ariſtot. 2. de Anima. ponens quendā gradū animę nobiliorē anima intellectiua, quod de nulla anima poteſt intelligi, niſi de cœleſti, & idem clare vult cōmentator) crediderunt iuſtū eſſe pro tanto beneficio eis diuinū cultum impendere. *Et omnia aſtra cœli.* Non colebantur à gentilibus omnia aſtra, ſed illa quæ apud eos cognita erant, vt ſeptē planetæ, & 12. ſigna Zodiaci, arcturus, pleiades, hyades, Orion, ſerpens, ſeptentrionalis cynoſura, corona, & ſimilia. *Et errore deceptus.* Scil. putans, ꝙ dij ſunt eo, ꝙ altiſſimæ, pulcherrimæ, & indeficientes ſunt ſtellæ illæ. *Adores ea.* Per inclinationē, & exhibitionem reuerentiæ. *Et colas.*

B Immolando eis. *In miniſterium cunctis populis.* Id eſt ad ſeruitiū omnium hominū: non enim magis pro ſeruitio bonorum quàm malorū, quia Deus ſolē ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos Matth. 5. c. licet aliquando in iſtis aliqua ſpecialiter facta ſunt ad ſeruitiū bonorum, quæ nunquā pro malis facta ſunt, vt ſtatio ſolis pro Ioſue. Ioſue. 10. & retrogradatio eius pro Ezechia. 4. Reg. 20. cap. Et non ſolùm corpora cœleſtia quantū ad ſeipſa interdum bonis magis quàm malis ſeruierunt, ſed etiam quantū ad quaſdam operationes diſponentes corpora inferiora, ſcil. aërem, vt pluat: nam etiam iſti actus, vt pluere, aliquando pro bonis ſpecialiter facti ſunt: nam cum Deus induxiſſet ſiccitatem magnā ſuper terram Iſrael annis tribus, & menſibus ſex, ad orationem Heliæ poſtea pluit, vt patet Iacob. c. 5. cum dicit Helias homo erat paſſibilis ſimilis nobis oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex, & rurſus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructū ſuum, ſic etiam Chriſtiani Chriſto deuoti precibus ſuis ſæpe aquas deficientes deſcendere meruerunt, quod non potuerunt facere gentiles, aut Iudæi: ſic enim dicit Paulus Oroſius. 4. lib. de Ormeſta mundi, ſcil. quòd in ciuitate Romana dum admiranda ſiccitas terram premeret, ita vt frugum totalis adimeretur ſpes, gentiles, & Chriſtiani, Iudæique iuxta ritus ſuos pluuiā exorabant, & cum diſtincti dies ad implorandū aquam iſtis diſtributi fuiſſent, ſæpiſſime compertum eſt nunquā deſcendiſſe aquā, niſi cum Chriſtiani Chriſtum ſuum implorarent, in multis quoq; alijs idem factum eſt, in Hebræo habetur. *Quæ diuiſit Deus in miniſterium cunctis populis.* Et volunt Iudæi, quòd Deus diuiſit diuerſas ſtellas diuerſis populis, vt quælibet vnum populū regat, ſecundum cuius motum illius populi diſpoſitio moueatur, & Hebræi non habent aliquam conſtellationē regula tricem, ſed Deus per ſe regit eos, & verum eſt, quòd ſtellæ ſunt omnium inferiorum naturalium operationes per influxum, & paſſiones animales quæ naturales ſunt, nec aliquid libertatis mouent arbitrij. Et ſic aliquando fiunt bella, deſtructiones locorum, mutationes, omnia tamen infra naturam libri arbitrij quę inconcuſſa manet, quia vt ait Ptolomęus in Almageſto anima ſapiens dominabitur aſtris. Sed quod dicunt, ꝙ Iudæis non ſunt ſtellæ dominantes falſiſſimum eſt quia idem naturaliter operantur ſecundum eundem motum, & figurationem, quod operantur in alijs gentibus, quia Deus res naturales motus proprios agere ſinit, iſtis tamen cultus impendendus non eſt: quia ad noſtrum ſeruitium per Dei voluntatem creata ſunt, ideo ceſſante noſtra neceſſitate ceſſabit motus, & operatio eorum, vt patet Apoc. 10. cap. Iurauit Angelus per viuentem in ſecula ſeculorum, quòd amplius tempus non erit, & etiam Philoſophus 2. Phy. dicit. omnia quodammodo eſſe per nos. *Vos autem tulit.* Hic inducit ad abſtinendū ab idololatria propter ſingularia beneficia quæ eis fecit, ſcil. quia eduxit de Ægypto de magna ſeruitute. *De fornace ferrea.*

C *Obin Hebræ. de ſtellis.*

Id eſt de ſeruitute nimis anguſtiante, & deſolante, quæ fortiter incluſos tenebat, ſi velis ſic literaliter intelligere, quòd in Ægypto lateres in fornace coquebant, non poteſt multam veritatem habere, quia fornax ferrea non erat, maxime quia aliqui habent de catena ferrea, hoc ſæpe patet in Hieremia qui dicit Hebræos de fornace ferrea Ægypti eductos. *Vt haberet populum hæreditareum.* Id eſt gentem ſemper ei adhærentem per ſucceſſiones generationum, ſcil. patres, filios, nepotes, pronepotes, & conſequenter ſicut hæreditas per ſucceſſionem tranſit ad poſteros. *Iratuſque eſt dominus.* Magnum diuinæ bonitatis beneficium commemorat, quod eos ad verū cultum Dei inducere debuit, ſcil. quòd Deus propter eos iratus eſt Moyſi, faciens vt non tranſiret terram trans Iordanem, & eos qui peccatores erant, illuc adducturus erat, quātas ergo gratias pro hoc impendere debebant? *Iratuſque contra me propter ſermones veſtros.* Supra primo cap. expoſitū fuit. *Quam daturus eſt vobis.* In nouem tribubus, & dimidiæ, quia duabus, & dimidiæ iam poſſeſſionem dederat, vt ſupra 3. cap. & Num. 32. *Ecce moriar in hac humo.* Id eſt prope locum in quo iſta loquebatur, quia poſtquā compleuit loqui iſta, aſcendit montem Abarin, & mortuus eſt, vt patet infra vlti. cap. & in hoc demonſtrabat ſe dolere, quia nō intrabat terrā illā optimam vt eos ad amorem eius incitaret. Duplex enim cauſa Moyſen ad loquendum iſta mouebat. Prima quia veriſſime dolebat, nam priuabatur quodam genere honeſtæ delectationis, quod viuens habere potuiſſet, & quia moriens ad limbum ducebatur, vbi ipſa diutina gloriæ futuræ expectatio cum maxime anguſtiaret: quæ viuente euenire non potuiſſent, de quibus late diximus præced. cap. Secunda cauſa erat, quia per deſiderium ſuum nolebat cæteros inuitate ad deſideriū terræ illius, ne cōtemnerent diuinum beneficium, vt quidam eorum fecerunt pro nihilo habentes terram deſiderabilem, vt patet. Pſal. 105. *Vos autem tranſibitis.* Quia poſt mortem Moyſi Ioſue introduxit eos, vt patet Ioſue, 4. cap. *Caue ne quando.* Hic inducit ad cultum ſolius veri Dei per timorē punitionis: pietas & pœna ſufficienter quemlibet inducunt, beneficijs enim Dei incipientes abutuntur, niſi pœna debita caſtigentur. *Ne obliuiſcaris pacti Domini Dei tui.* Fuit confirmatū pactum inter Deum, & Iſrael, cuius prima clauſula fuit, quòd ſolū eum coleret, & hoc pactū confirmatum fuit ſanguine, quia populus ſanguine aſperſus eſt, & altare loco Dei aſperſum eſt, vt patet, Exo. 24. c. & ad Hebr. 9. c. ideo violator magnā pœnā merebatur, ſcil. vt occideretur & diuideretē in fruſta, ſicut illa animalia, quæ diuidebantur, & inter quæ tranſibant ipſi confirmantes fœdera, vt patet Gene. 15. c. de fœdere confirmato inter Deum, & Abrahā, & ideo vocatur fœdus, quia fœda, id eſt, porca diuidebatur in fruſta, vel alia animalia, & tunc diuiſores tranſibant facientes pacta ad ſignandum quemcunq; infringentē fœdera ſic debere dilacerari, de quo Paulus Oroſius in fine 3. de Ormeſta mundi. *Deus tuus ignis conſumens.* Id eſt acriter puniens, nulla enim grauior, & ſenſibilior punitio eſt, quam ignis, quia inter omnia elementa maxime actiuus eſt. *Deus æmulator.* Id eſt zelator, ſicut vir zelat, vt vxor cum ſolū amet, & ei ſoli copuletur, ita Deus zelat, vt ſolus adoretur. *Si genuerit filios.* Id eſt nō ſolum vos qui in præſenti eſtis puniemini, ſi Deos alienos coleritis, ſed etiā ſi filij veſtri, vel nepotes, & quæcunq; aliæ poſteriorum generationes ſi tale fecerint ſic puniētur. Tenebantur enim filij poſt naſcituri obſeruare iſta præcepta, & patres tenebantur eis narrare vt infra 6. cap. *Patrantes malum.* Scil. colentes, vel ſacrificantes imaginibus, ex ſola enim fabricatione imaginis non incurrebant iſtam pœnam niſi malū patrarent, id eſt adorarent. *Coram Domino Deo veſtro.* Id eſt habentes Deum, & colentes cum hoc Deos alienos, vel. *Coram Deo veſtro.* id eſt in conſpectu eius qui in omni loco eſt: ideo erubeſcere deberetis. *Teſtes inuoco cœlum, & terram.* Hos teſtes inuocabat, quia nullus alius ibi teſtis aderat: ſicut Iacob cumulum lapidū, & terræ teſtem fecit inter ſe & Laban, quia nullus alius audiebat Geneſ. 31. cap. vel per cœlum intelligit cœleſtes creaturas ſcilicet Angelos, & per terram rationales creaturas in terra, ſcilicet homines omnes, vel forte, quia modus communis ſcripturæ eſt, quando aliquis vult ex intenſo animo proclamare, vel aliquos obteſtari, cœlum, & terram dicitur inuocare, vt infra 32. cap. & Eſaiæ. 1. vel forte melius, quia iſta pœna hic poſita extendebatur in omnes

A generationes, ideo ad huiusmodi rei memoriam testes moritutros vocare noluit quorum testimonium cito periret, sed vocauit cœlum, & terram quæ in æternum manent, Ecclesiastes primo cap. *Cito vos esse perituros.* Id est perdetis terram fame; bello, peste, vel alia occasione.

Non habitabitis in ea longo tempore. Ista est secunda pœna, quia non solum peribunt perdentes terram in ea pereuntes, sed etiam de ea expellentur, & hoc erat cõmune, quòd postquam idola coluissent, vel de terra expellerentur, vel in ea existentes exterorum dominio premerentur, vt in libro Iudicum sæpe, & in libro Regum tertio, & 4. Paralipom.

Quomodo istæ pœnæ istis infligebantur.

QVÆSTIO VI.

NON est intelligendum, quòd omnes istæ pœnæ pro qualibet idolorum adoratione infligerentur eis. Sed distinguendum, an idololatria esset à paucis, & occulte, vel à multis, vel maiori parte publice.

Primo modo, non puniebatur totus populus, quia non totus peccauerat committendo, nec corrigere omittendo, quia ignorabat.

Si autem secundo modo totus populus peccabat, & infligebantur ei istæ pœnę, sed non eo ordine quo ponuntur hic, B vel non simul, sed vt ponuntur Leuit. 26. capit. secundum quòd in peccato permanentiores, & incorrigibiliores erant: isti enim in eodem peccato magis puniri debebant, quàm cæteri, qui incorrigibiles non erant, & patet fundamentum, quia pœna datur pro peccato, ergo pro maiori peccato maior pœna, & pro maximo peccato maxima pœna, secundũ regulã Philosophi, in secundo Topicor. si simpliciter ad simpliciter, & magis ac maxime, maioritas autem in peccato est secundum gradus: nam licet culpa prout est deuiatio consistat in indiuisibili, tamen circunstantiæ eius, quod agit, quia positiuum aliquid dicunt, maiores aut minores sunt, & dato, quòd sit priuatio in recedendo à bono, erit maioritas, aut minoritas, secundum quòd illud bonum à quo recedimus maius est, & sic magis peccat ille qui recedit ab hoc bono, quod est recta fides, vel colere Deum, quam ille qui recedit ab hoc bono, quod est ieiunare in die iniuncto ab Ecclesia, vel dicitur aliquis magis peccare, secundum quòd intensiori animo inhæret malo: peccatum namque & bona operatio principaliter consistit in actu interiori, in eodem genere peccati, secundum quod animus noster tenacius intensiusque illi malo inhæret, peccatum maius, vel minus est, esse autem incorrigibilẽ est gradus vltimus tenacitatis, & firmæ inhæsionis peccato, ideo valde magna pœna peccato danda est illi, qui incorrigibiles est, magis quàm ei qui corrigi potest, de modo autem incorrigibilitatis, & quomodo intendatur per gradus Leu. 26. c. aliquid dictum est, & ibi satis C tangit textus: isti enim sic incorrigibilis vltimo supplicio puniri deberent, si simpliciter incorrigibiles, si autem sunt incorrigibiles secundum quid, scil. quòd non possunt corrigi per tales, aut tales pœnas, adhuc vlteriores, & magnas merentur, ideo dicitur hic, quòd non multo tempore in terra permanerent, sed tamen aliquanto tempore permanebant, in quo superuenire poterant aliæ plagæ, & si nõ corrigebantur, ad vltimum captiuabantur. Et patet iste ordo in decem tribubus, quæ vocantur Israel, & idololatriæ vacabant, quia primo fame angustiati sunt, quia tribus annis, & dimidio nõ pluit ad preces Heliæ, vt 3. Reg. 17. & 18. & Iacob. 5. capitu. dicitur: Helias homo erat similis nobis passibilis, oratione orauit, & non pluit annos 3. & menses 6. & rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum, deinde multoties in idololatria permanentes, bellis, & vastationibus afflicti sunt, vt patet in processu tertij, & quarti Regum: ad vltimum ad alias gentes adducti sunt, scil. ad Medos, & Assyrios, vt patet 4. Reg. 17. cap. sic etiam duæ tribus de regno Iuda. Primo propter idololatriã sterilitatem, & famem passæ sunt, vt patet Iohelis primo, quia brucus, locusta, & erugo, terram vastauerunt, deinde bello contriti sunt per vicinos, vnde rex Ægypti eis tributum imposuit, vt 2. Paral. 36. tempore Ioachaz, & tempore Achaz contriti sunt bello à rege Israel, & à rege Syriæ, vt patet Paralip. 2. cap. 28. ad vltimum in Babylonem educti sunt. 4. Regum 24. & 25. & Paralip. 2. cap. vltimo. *Atque dispergetin omnes gentes.* Ista est tertia pœna, quia non solum de terra sua expellerentur, sed etiam in multas gentes dispergerentur, vt magis tristarentur: si enim omnes ad eandem terram delati fuissent, non tantum tristarentur exilij tristitiam sodalitatis gaudio lenientes. Et patet hoc, quia omnis homo naturaliter est animal politicum desiderans viuere in politia, ideo homines perseuerant in politijs, quia ibi delectantur multa mala patientes, nisi à valde duris excedantur secundum vitam, & quia quilibet homo non afficitur ad politiam simpliciter, id est ad quamcunq; politiã, sed ad hanc vel illam determinate, in quibus nati, aut multo tempore conuersati sunt, quia homo nõ est pars politiæ simpliciter, sed quilibet homo est pars alicuius particularis politiæ, & cum habeat vnitatem ad illam politiam, tanquam pars ad totum, separatio ab ea valde dolorosa est, quia omnia naturaliter vnitatem desiderant, cum esse in vnitate seruetur, & quandiu res vnum esse desinit, & esse simpliciter desinit, vt ait Boëtius, de consola. lib. 3. Prosa 11. vbi late de hoc. Cum ergo aliquis ab vnitate politiæ tollitur à ciuitate emissus, valde tristant: declarant hoc exilia facta, nam cum aliquis extra ciuitatem vnam exulat, non totaliter à communicatione hominum excluditur, sed à communicatione huius politiæ, & mansione in hoc loco, & tamen valde qui exulat, tristatur, si tamen homo non esset pars huius politiæ, sed politiæ simpliciter, ad quamcunque politiam iret, eodem modo lætaretur, sed falsum est: sic ergo Iudæi cum nõ solum per captiuitatem excluderentur à patria natali, quæ dulcoris multum habet, vt ait Gualterus Alexandreidis lib. 1. sed etiã tollebatur eis communicatio omnium eorum in terra aliena, quæ mutui solaminis magnam habet virtutem, & cum peccatum filiorum Iuda, & Beniamin non totaliter consummatũ erat, nec ipsi mente obdurati obduratione perfecta, licèt priuarentur sedibus natalibus, scilicet Ierusalem, & alijs vrbibus Iudææ ducti in Babylonem, tamen non segregabantur mutuo, & sic multum consolabantur, quasi totum genus suum adhuc stare videntes, consummata autem iniquitate in morte Saluatoris, & indurato corde super solidissimos silices adamantinos pessima condignos persequente sorte, nunc sic eis ad miseriam cumulate accidit, quòd in omnes gentes venditi, & delati sunt. *Remanebitis pauci in nationibus.* Alia pœna, scilicet, quòd in terra hostili pereant, & quòd ad nihilum reducantur, qui in bello perierunt. *Ad quas vos ducturus est dominus.* Id est ad quas vos duci permittet, vel duci faciet, quia non solum permittit Deus mala infligi malis, sed etiam mouet punitores ad puniendum: nam alias non esset differentia inter culpam, & pœnam, cum Deus etiam culpas fieri permittat, quia si non permitteret nullus peccare posset, licet in culpa nullam causalitatem tribuat, & iam in pœnarum illatione non esset differentia, sed necesse est dicere quasdam punitiones factas per homines magis esse à Deo volitas quã F aliàs, dicendum ergo non solum Deus punitionem in malis fieri permittit, sed etiam punitores quodammodo incitat ad puniendum, & dat eis virtutem ad pugnandum, & delendũ malos, sic patet Abacuc. 1. cap. vbi adducit, quòd Deus fecit fortem Nabuchodonosor regem, vt puniret iniquitates populorum cum dicitur, domine in iudicium posuisti eum, & fortem, vt corriperes fundasti eum, peccant tamen interdum isti sic corripientes alios, qui nõ bono zelo corripiunt, sed vt ditentur, & supra modum percutiunt, victoriam sibi tribuentes, & sic dicitur ibidem de Nabuchodonosor, quòd ipse gloriatus fuit fecisse in virtute sua, & non in Deo cœli, ideo Deus tradidit eum in manus Medorum, & Persarum, vt patet Abacuc. 2. & 3. cap. isti tamen in quantum ad puniendum positi sunt, Deus fortificat eos, sic patet Esai. 5. ca. de Nabuchodon. quem Deus vocare dicitur ad destruendũ Hebræos, cum habetur in litera, & eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, nec laborans in eo, nec dormitabit, neque dormiet, nec rumpetur cingulũ renum eius, nec soluetur corrigia calceamenti eius, sic ait Hier. quod Deus fecisset Nabuchodonosor fortem, & quod plus est, vocat eum seruum, quia dissipaturus erat terras quas Deus dissipari volebat, sic patet Hier. 27. cap. cum dicitur, & nunc itaq; ego dedi omnes terras istas in manũ Nabucho-

Omnia desiderant vnitatem naturaliter.

D

E

A donosor regis Babylonis serui mei, insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant ei, & seruiant illi omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius donec cõsummetur tempus terræ eius, & ipsius, & seruient ei gentes multæ, & reges magni, gens autem, & regnũ quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, in gladio, & peste visitabo super gentem illam ait dominus. *Ibique seruietis dijs hominum.* Alia pœna, ꝙ etiam in terra hostili cogantur adorare Deos lapideos manufactos, quia sicut volentes peccauerunt Deos colendo, ita post nolentes adorare cogerentur, vt hoc idem post sit in pœnã, quòd ante fuerat in culpã, simile patet Hier. 5. c. cum dicitur Israelitis à Deo, sicut dereliquistis me, & seruiuistis Deo alieno in terra vestra, sic seruietis alienis in terra non vestra, & non intelligitur quod Deus faciat aliquẽ adorare Deos alienos quantamcunq; culpam cõmiserit, nec potest hoc esse datũ in pœnam, quia colere Deos alienos verissime est culpa, si ergo Deus faceret nos directe colere Deos alienos, Deus esset auctor culpæ, & nos peccaremus, sed ad hoc, quòd haberet rationem pœnæ oporteret, quòd Deus directe intenderet illud, sicut directe intendit aliquem occidere, vel à statu suo deijcere, sed est sensus, quòd ex quo ipsi noluerunt seruire Deo in terra sua, quòd ducentur in terram alienam, vsq; huc est pœna directa, quia Deus hoc intendit infligere, sed quia ipsi adducti in terrã alienam videbunt coli Deos, habebunt

B occasionẽ ad colendum ipsi: & hoc rursus, quòd ipsi ducantur in terrã alienam in qua possint habere occasionẽ ad peccandũ, est pœna, quia peccata sua hoc demeruerũt, sed in his omnibus manet incõcussa arbitrij libertas: nam ad id, quod directe est pœna, nõ est potestas liberi arbitrij: nam postquã isti peccabant, non erat in potestate eorum, quòd non ducerentur in terram alienam, quia inuiti ducebantur per hostes, etiã non erat in potestate eorum, quòd ipsi nõ haberent occasionem peccandi in terra illa, quia dato, quòd ipsi nollent talia. fiebant inter gentes ad quas isti portabantur, ex quibus possent sumere occasionẽ peccandi in terra illa. Aliud, scil. peccare colendo Deos alienos non est directe pœna, sed culpa, ideo potestas liberi arbitrij erat super hoc, scil. quòd licet viderent aliqua ex quibus possent induci ad colendum idola, nõn cogebantur tamen colere idola, sicut cogebantur esse in terra aliena, & de qualibet alia quæ directe est pœna. *Cumque ibi quæsieris.* Hic promittit conuersis materiam, quia manus domini redeuntibus nunquam clauditur. *Cumque ibi quæsieris Dominum Deum tuum.* Id est etiam existens in terra hostili, si quæsieris Deũ conuertendo te ad eum in veritate, ibi inuenies eum, quia ibi miserebitur tui. Quòd autẽ Hebræi in captiuitate inuenirent dominum stat dupliciter, aut quantũ ad relaxationem culpæ, & appositionem gratiæ, aut quantũ ad mutationem pœnæ, scil. captiuitatis quam sustinerent, quantũ ad primũ generale est, quòd vbicunq; Iudæi inquisierint dominũ inuenient eum, & non solum Iudęi, sed

C *Cuius virtutis sit peccatorum contritio.* etiam quicunq; gentiles, quia contritio de peccatis semper fuit, & est huius virtutis, ꝙ delere possit facinora, vt patet Ezech. 18. c. & ca. 3. & isto modo sicut captiuitas decem tribuum Israel, quæ sunt in terra Medorum inter Aylan, & Gozan, quando inquirunt dominũ inueniunt, licet nunquã Iudæi liberãdi sint, vt sæpissime Prophetæ dixerunt, & patet de Thobia Seniore qui vir iustus erat, & mortuus in captiuitate illa, vt patet Thob. vlti. & tamẽ Deus misertus fuit eius, quia in ipsa captiuitate quæsiuit eum in toto corde: hoc etiam modo captiuitas duarũ tribuũ Iuda, & Beniamin, nunquam terminanda est, quia nunquã redibunt in terrã illam, tamen quandocunq; in toto corde inquirunt Deum inueniunt eum, quia peccatũ eorum fuit in occasione Messiæ, & negatione eius coram Pilato, propter quod incurrerunt omnes pœnas quas habent, quando tamen in toto corde conteruntur de peccato facto cõtra Messiam subijciendo legi eius efficiuntur Christiani, & baptismali fonte abluti ab omnibus culpis absterguntur. Secundum est, quòd Deum inueniant isti cõmutantem pœnam captiuitatis, quam intulerat, & quantũ ad hoc est considerandum, quia aut peccatum pro quo captiuabantur isti, erat totaliter consummatũ, aut non: si peccatum non erat totaliter consummatũ dominus reducebat eos in terram suam, quando toto corde conuertebantur ad eum, sic patet de captiuitate Babylonica, in qua cum doluissent de sceleribus suis post septuaginta annos, quos vaticinatus fuerat Hierem. cap. 29. cum dicitur, cum incæperint impleri in Babylone septuaginta anni visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum: si autem peccatũ esset totaliter consummatum, nunquã reducebat eos dominus, sicut patet in decem tribubus, quæ nunquã ad terrã suam reductæ sunt, nec vnquam reducendæ, sic etiam de tribu Iuda & Beniamin, quia cõsummauerunt peccatũ suum in morte Messiæ, post captiuitatem, & dispersionem factam per Romanos, nunquam in terrã suam redierunt, quia ibi nulli nunc Iudæi habitabant, nec morari sinuntur. Cum autem hic, & magis clare infr. 30. cap. dicitur, scil. ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gẽtibus ad quas dispersit te dominus Deus tuus, obedieris q; eius imperijs, sicut ego hodie tibi præcipio, cum filijs tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua, reducet te dominus de captiuitate tua, atq; miserebitur, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit, si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te reducet dominus Deus tuus, videtur innui de reuersione Iudæorũ de captiuitatibus suis, quandocunque toto corde, & tota anima pœnituerint. Intelligendum est de captiuitatibus solis ad quas ducti sunt propter peccata, quæ videntur non consummata, de quibus ante diximus, vt de peccato propter, quod fuit inducta Babylonis captiuitas, si tamen peccata sint consummata, vt supra declaratũ est, nunquam remittitur pœna illa quantumcunque pro hoc oretur. E

Quando peccatum est consummmatum nobis non est notum.

QVÆSTIO VII.

QVANDO autem peccatũ sit consummatum, ita quòd pœna eius mutabilis non sit, non est nobis notum, sed soli diuinæ sententiæ, ideo nos semper pro mutatione pœnæ orare possumus tanquam incerti quid sit, donec Deus nobis imponat silentium, ne rogemus super talem rem sicut factũ est ad Moysen cui mandauit Deus nihil vltra loqui de hac re vt patet præcedenti cap. Nec est inconueniens aliquam pœnam pro culpa statutam esse, quæ nunquã precibus commutetur, remissa culpa, quantæcunq; sint preces, & contritio, vt patet de sententia pœnali lata contra Moysen, quòd non intraret in terram Chanaan vltra Iordanem: nam manifestũ est quòd Moyses doluit acriter, quia Deum offendisset: nam vir iustus valde erat, & fecit Deus per eum aliqua mirabilia post istam offensionem, si tamen de malo illo non pœnituisset, nihil horum factum fuisset, quia nunc ipse esset actualiter malus vir, sed præcedenti cap. ponitur quomodo valde rogauerit Moyses Deum, vt relaxaret ei istam pœnam, Deus tamen nunquam voluit cum dicitur, precatusq; sum Deum in tempore illo dicens, domine Deus tu incæpisti ostendere F seruo magnitudinem tuam, manumq; fortissimam, nec est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ: Transibo ergo, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum, iratusque est mihi dominus propter vos, & dixit mihi, sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me: ergo Deus quantumcunque vero atque contrito corde rogatus fuerit, vt aliquam culpam cum pœna sua deleat, non ex hoc sequitur necessario, quòd Deus illam pœnam auferat, vel commutet, vt patuit in oratione Moysi, & non exauditione. *Si tamen toto corde.* Tunc aliquis toto corde Deum quærit, cum omnem spem auxilij sui in co ponit, non sperando in aliquo terreno, & tales exaudiuntur, quia Deus prope est inuocantibus eum in veritate. *Et tota tribulatione animæ tuæ.* Id est in perfecto dolore, & contritione præteritæ culpæ: tunc totaliter anima tribulatur, quando totaliter conteritur, ideo cor contritum contribulatum dicititur, vt Psalm. 50. *Postquam te inuenerint quæ prædicta sunt.* Post pœnam solent aliqui recognoscere suam culpam, quia vexatio dat intellectum, & sic Iudæi nunquã ad Deum conuerbantur, nisi cum angustiarentur, vnde cum occideret eos, quærebant eum Psalm. 77. & clamabant ad Deum cum tribularentur Psal. 106. *Nouissimo tempore.* Id est in fine temporis quo completur pœna tibi inflicta à Deo. *Et audies vocem eius.* Scilicet promittentis tibi veniam. *Quia misericors est.* Et

Quia quærit Deum tota corde.

ex nil-

A ex misericordia te exaudit. *Non dimittet te.* Scilicet in potestate extraneorum, vt deleant te. *Nec omnino delebit te.* Non solum nō dimittet te destrui, sed etiā nec ipse destruet te peste, fame aut alio morbo. *Nec obliuiscetur pacti, quod iurauit patribus tuis.* Quia promisit, quod semen eorum dilataretur, & maneret in seculū, sic patet Psal. 88. visitabo in virga delicta eorum, misericordiam meam nō auferam ab eis. *Interroga de diebus antiquis.* Hic iterum per familiaritatem, & beneficia persuadet veri Dei solius cultum, demonstrando nunquam tantum beneficiū alicui genti fuisse datum. *Interroga de diebus antiquis.* Id est de rebus factis in diebus antiquis. *A summo cœli vsque ad summum eius.* Id est à principio terræ habitabilis quæ est versus vnam summitatē cœli, vsq; ad aliam partem oppositam, scil. ab oriente ad occidentem. *Si facta est aliquando huiusmodi res.* Id est, si tanto dilectio Dei ad aliquem populum demonstrata est. *Vt audiret populus vocem Dei loquentis.* In datione legis nunquā hoc aliqui populi accidit. *Sicut tu audisti.* Verba loquentis decem præcepta. *Et vidisti.* Montem fumigantem, & ignem vsque ad cœlum, & in Hebræo dicitur. *Audisti, & vixisti.* Id est miraculū fuit hoc, quòd vocem domini audires, & viueres. *Vt ingrederetur.* More humano dicit, quia Deus non ingessus est Ægyptum vt inde tolleret Israel, nec inde exiuit cum eduxit Israel quia vbique semper est, & non solum vbique, sed etiam extra omnem locum, quia

B Deum esse in omni loco & nihil amplius est esse finitū: nam omnia loca simul sumpta, cum sint diuersæ superficies corporum continentium, faciunt vnum finitū, quia locus est in corpore fundatus, non quidem in corpore locato, sed in ipso corpore naturali, aut mathematico, vel quantitatiuo, vt vt accidens fundatum in suo subiecto: cum autē Deus infinitus sit ergo non solum vbiq; est, sed extra omnē locum, & super omnem locum, & infra omnem locum, cum ergo omnia occupet, & plusquā omnia, ideo poterat moueri ad aliquam partem loci, quia moueri dicit acquirere locum, & deperdere locum, quod autē acquirit locum, nō erat ante in illo loco quod nunc acquirit, & quod locū deperdit, aliquando fuit in loco in quo nunc non est, ergo non vbiq; est, sed Deus vbiq; est, & non solum vbique, sed etiam extra omnē locum, ergo Deus nō mouetur, sed ingredi est moueri, ergo Deus nō fuit ingressus in Ægyptū, quia in Ægypto ante erat, & semper ibi fuit quandiu Ægyptus fuit, dicitur autem Deus ingredi vel egredi, secundū virtutis specialis operationē: nam licet Deus ante in Ægypto extitisset, tamen non operabatur ad speciale circa Iudæos ibi existentes, nunc autē eos de terra illa eduxit per signa, & portenta magna, ergo dicitur ad illos ingressus fuisse tanquam ante nunquam eduxisset illos, & nunc educeret. *Et tolleret sibi gentem de medio nationum.* Id est acciperet pro se aliquam gentem quæ captiua esset in medio nationum extranearum, sicut vobit fecit, multæ enim aliæ

C gentes in alijs partibus orbis captiuæ erant, quas tamen non liberauit à iugo. *Per tentationes.* Id est singulariter tentando, quia primo verbis mandatorijs Dei dictum est Pharaoni, quòd dimitteret populum, & sic tentatus noluit. *Per signa.* Mirabilia, sicut conuersionem colubri in virgam, & virgæ in colubrum, quæ erant signa, quòd mandatū Dei à Deo erat. *Et portenta.* Id est signa, vel miracula dicuntur per immissionem plagarum. *Per pugnam.* Quia Deus pugnauit pro Israel in transitu maris rubri, vnde dixerunt Ægyptij Exod. 14. c. fugiamus Israelem, quia dominus pugnat pro eis. *Et manum robustam.* Scilicet in eductione, quia videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus mortuos suos recedebant Iudæi asportantes diuitias Ægyptiorū, & nihil illis obstare valebat. *Cogente eos Deo.* Vt Exodi 12. & Num. 33. cā. *Extentum brachium.* Ad defendendum, & hostes deprimendum. *Et horribiles visiones.* In noctibus, siue in somno, siue vigilia, apparebāt Ægyptijs terribiles visiones, scil. personæ tristes, & sonitus terribilis, & subitaneus irruens metus, & multa quæ habentur sapientiæ 17. & 18. cap. & iste visiones acciderunt eis inter alias plagas continue etiā ante missionē plagarum. *Videntibus oculis tuis.* Quia Iudæi viderunt eis plagas infligi, sed nullam earū passi sunt. *Vt scires quoniam dominus.* Scilicet, qui regit te, & dominatur tibi. *Ipse est Deus.* Poterant cuidenrer hoc Iudæi cognoscere, quia videbant eum facere mirabilia, quæ nullus de dijs gentium, vel aliqua naturalis virtus facere posset, ideo subditur. *Et non est alius præter ipsum.* Id est, nullus alius

D facere hæc poterat, si enim dij Ægyptiorum potuissent ista facere, licet crederent eum esse Deum, crederent etiam alios esse Deos, sed quia nullus potuit, ideo ipse solus est, patet hoc quia magi Pharaonis operabantur in virtute Deorum suorum, scil. in virtute dæmonum quos Deos arbitrabantur, sed non potuerunt facere magi Pharaonis omnia signa quæ faciebant Moyses, & Aaron: nam cum Aaron eduxisset cyniphes, & ipsi tentassent educere, & nō potuissent dixerunt, digitus Dei est hic, vt patet Exod. 8. cap. non est autem credibile, quòd si dij Ægyptiorum, id est, dæmones quos ipsi putabant Deos suos, si potuissent plura miracula agere non egissent, Deus autem quem Hebræi colunt fecit omnia mirabilia, & super ipsos Deos Ægyptiorum fecit iudicia comminuendo, vel incinerando, vel liquefaciendo idola eorum, vt patet Exod. 12. & Nu. 33. ca. ergo iste Deus Hebræorū qui ista faciebat, est Deus verus, & nullus alius præter ipsum, cum nullus alius talia facere potuerit, vt inductum est. *De cœlo audire te fecit.* Id est de aëre qui vocatur cœlum Matth. 13. cap. aues cœli comederunt, & Psalm. 8. volucres cœli, vox enim quam Israel audiebat formabatur in altitudine montis Synai de medio ignis. *Vocem suam.* Id est vocem Angeli qui loquebatur in persona Dei: non enim Deus loquebatur, nec tabulas scripsit, sed Angeli hoc faciebant, ad Galat. 3. ca. lex ordinata per Angelos in manu mediatoris, id est Moysi, hoc

E patet per regulam datam, & conclusionem, Exod. cap. nam conclusum fuit, quòd licèt in lege veteri sæpe dicatur Deus locutus, aut operans aliquid, nunquam tamen Deus aliquid illorum locutus fuit, aut operatus est, sed Angelus Dei qui loco Dei loquebatur, aut agebat fuit etiā data regula, quòd nunquam Deus aliquid agit, aut dicit, licet dicatur agere aut dicere, nisi illud sit tale, quod potentiam substantiæ creatæ transcendat, sicut creare, aut in istanti aliquid facere, vel peccata remittere, aut gratiam conferre, quia talia potentiæ infinitæ sunt, omnia autem alia naturaliter fieri possibilia, aut quæ substantiæ creatæ terminos nō excedant, nō per Deum, sed per Angelos fiunt, vt non moueatur ordo ministrorum Dei: nam si Deus omnia per se ageret, superfluum esset habere ministrantes, & assistentes, sed Dan. 7. cap. dicitur millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, de quibus magis diximus Exod. 3. c. *Et in terra ostendit tibi suum ignem maximum.* Ille ignis videbatur erumpere de cacumine montis, ideo dicitur in terra, & erat maximus, quia vsque ad cœlum pertingere videbatur, vt patet supra: vox autem audiebatur non quasi formaretur immediate super verticem montis, sed in medio altitudinis ignis formabatur, ideo dicitur de cœlo. *Quia dilexit patres tuos.* Ambulauerunt enim coram eo in corde perfecto, vt patet de Abraham qui filium suum vnigenitum Isaac ad immolandū mandato Dei duxit, vt patet Genes. 22. cap. pro quo Deus ei magnam obedientiam, & potissima merita reputauit, vt patet ibidem

F cum dicitur, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam quę est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes: tantum enim in corde perfecto Abraham ambulauit, & Deo placuit, vt ipse mereretur omnes promissiones compleri in posteris, vt patet Genes. 8. capitu. dum dicitur scio, quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant, viam Domini, & custodiant iustitiam, & iudicium, vt adducat dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum, de hoc multa diximus Genes. 25. cap. *Et elegit semen eorum post eos.* Merito patrum. *Eduxit te præcedens in virtute.* Quia Angelus præcedebat eos in columna nubis ad defendendum eos, vnde cum Ægyptij Israelitas à tergo insequerentur, Angelus qui præcedebat in nube conuertit sed ad posteriorem partem exercitus, vt non viderent eos. Exod. 14. cap. & sic iste Angelus qui erat adiutor Hebræorum non solum præcedebat eos, sed etiam aliquando subsequebatur secundum, quòd videbat expedire, vt patet in exemplo iam assignato: non enim necesse erat semper præcedere, sed aliquando subsequi.

Deus quando dicatur agere, vel dicere.

Quare Angelus dicebatur præcedere, non subsequi.

QVÆSTIO VIII.

QVARE ergo dicebatur Angelus præcedere & non subsequi? Respondetur, quòd Angelus ille, qui erat in columna ignis, & nubis, quæ eadem erat, vt patet ex dictis Exod. 13. cap. semper præcedebat, semel autem solum legitur subsequentiam factam fuisse, scil. quando Ægyptij apud mare rubrum veniebant super Hebræos, & Angelus qui erat in priori parte exercitus cum nube, transtulit nubem, ad posteriorem partem, vt illuminaret Hebræos, & obscuraret Ægyptios: sic enim dicitur quòd columna erat tenebrosa, & illuminans noctem, & non fuit facta talis mutatio postea, quia non expediuit: vel forte, & melius ista præcessio Angeli non intelligitur de Angelo præcedeute in columna nubis, sed de Angelo præcedente Israelitas, intrans inter eos in regiones hostiles ad terrendum corda hostium, & hoc satis patet ex contextu literæ cum dicitur. *Præcedens in virtute, vt deleret nationes maximas fortiores te in introitu tuo.* Id est antequã tu introires, & iste Angelus nunquam subsequebatur, cum ea, quæ post tergum manerent, domita iam essent, & de hoc dicitur Exod. 23. cap. ecce. ego mittam Angelum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paraui, obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo, quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, & præcedet te Angelus meus, & introducet ad Amorrhæum, Ethęum, & Pherezęum. *Vt deleret nationes maximas.* Scilicet gentes habitantes in terra promissionis, quæ multæ erant. *Fortiores te.* Quia erant maiores statura quam Israelitę, & erant ibi gigantes, Num. 13. & supra 1. capitu.

In introitu tuo. Vt locum dent tibi in terra, sic Exo. 23. terrorem mittã in præcursum tuum, & crabrones qui prius fugabunt Euæum, Ethæum, &c, *In possessionem.* Vt totũ ius illius haberent, patres enim illorũ, scil. Abrahã, Isaac Iacob, licet habuerunt eam, nõ habuerunt in possessionẽ, sed in peregrinationẽ, vt patet in Gen. sæpe. *Sicut cernis in præsenti die.* Quia iam fuerat data terra duorũ regum Amorrhæorum Seon, & Og: & sic de alia certi esse poterant. *Scito ergo.* Infert ex superioribus conclusionẽ intentam, scil. quòd latria soli Deo tribuenda sit. *Scito ergo hodie.* i. iam nũc scire poteris ex his quæ vidisti, ꝙ Deus tuus vere Deus sit. *Sit in cœlo sursum, & in terra deorsum.* Quia cœlũ, & terrã, & omnia implet Deus verus Hebræorũ: vocauit se Deum qui supra, & qui infra, nam si Deus vocaretur Deus supernorũ solũ, cum gentiles ponerẽt Deos supernorũ, & infernorũ, putarent Iudæi præter Deum suum verũ qui esset ad superiora, necesse esse ponere aliũ ad inferiora: nam tres filios antiqua gentilitas prodidit Saturnũ habuisse, Iouem, Neptunũ, & Plutonem, quos Deos fecerunt, & eis machinã vniuersi distribuerũt. scil. Ioui cœlestia, & habitabilia, Neptuno aquas, Plutoni inferna, si ergo Deus Hebræorũ vocaretur cœli solũ, oportebat constituere alium Deum aquæ, & aliũ Deum infernorũ: nam antiqui etiã cuilibet rei Deum attribuerunt, vt montibus Deum iugatiuũ vallibus deam Valloniã præfecerunt, Rusinã deam agrorum dominã esse fecerunt, nullam namq; rem sine Deo reliquerunt, de hoc Aug. de Ciui. Dei. lib. 6. c. 9. & patet 3. Reg. 20. ca. vbi dixerunt Syri serui Benadad regis Damasci, dij montium sunt dij eorũ, ideo præualuerunt aduersus nos, in vallibus autẽ superabimus eos, & respondit dominus, quia dixerunt Deus montiũ est dominus, & nõ valliũ tradam omnem hanc multitudinẽ in manu tua, & hoc fuit in vallibus vbi Syri bellum parauerant, & hoc rationabiliter dici oportebat, nam cum Deus ponatur summũ inter omniũ, aut oportebat omnia esse vnum ad omnia, ita quòd esset Deus omniũ, siue valliũ, siue montiũ, siue agrorum, & omniũ aliarum rerum, aut oportebit cuilibet rei vnũ Deum ponere, quia nulla res, sine summo rectore relinqui debet: gentiles autẽ, quia non putabat vnum aliquẽ Deum omnibus sufficere, posuerunt cuilibet rei Deum suum, licet aliqui voluerunt omnia esse vnum Deum, siue terrã, siue aquam, & omnes aliæ res quæ sunt elementa, aut elementatæ res, & isto modo dixit Virgilius Iouis omnium plena, de quo large disputat Aug. in 7. de Ciuit. Dei, & Lucret. 9. lib. dixit Iupiter est quicquid vides, hæc tamẽ opinio paucis placuit, ideo Deorũ numerositatem posuerunt ad hoc, ergo cum nos ponamus Deum virtutem esse infinitã, & infinitã essentiam, cõgruenter ponimus vnũ Deum, & ille nominatur Deus simpliciter, quia nõ exprimitur, ꝙ sit Deus terræ, vel aquæ, siue ignis, vel aliarũ rerum, & quando magis exprimere volumus, vocamus eum Deum cœli, quia cœlũ optima pars vniuersi est, vel quia ea quæ cœlestia sunt abscondita sunt, sic Deus noster absconditus est, quia non est corporeus, sed purus spiritus, vt patet Ioã. 4. c. ad euitandũ autem iodololatriã in positione pluriũ Deorũ vocatus fuit, Deus verus, Deus omniũ locorũ, siue eorũ qui supra cœlum, siue eorũ qui infra in terra, vel aqua, vel intra concauitates terræ, vbicunq; aliquid sit aut nominetur. *Vt bene sit tibi, & filijs tuis.* Patres boni merentur misericordiam pro filijs vsq; in mille generationes. Exod. 34. c. *Et permaneas multo tempore super terram.* Per completionẽ præceptorũ merebantur vitã, & tranquillitatẽ in terra sua, quia qui facit legẽ viuet in ea Leui. 18. & ad Rom. 10. c. *Tunc separauit Moyses.* Hic ponitur tertiũ, scil. ciuitatũ refugij separatio. *Tres ciuitates trans Iordanẽ.* De his Nu. 35. c. vbi plurima diximus. *Ad orientalem plagam.* Respectu alterius terræ nouem tribuũ quæ erat vltra Iordanẽ, sic habetur Num. 32. c. nam si acciperetur hic plaga orientalis respectu omniũ locorũ, in quibus habitabãt Israelitæ, cum totam terrã regis Seon, & regis Og occupassent duæ tribus, & dimidia, vt patet supra 3. cap. vocaretur plaga orientalis terra illa regis Seon in cõfinio Moabitarũ, & Ammonitarũ, circa torrentẽ Arnon, & ciuitatẽ Ar, de quibus supra 2. & 3. c. dictũ fuit sed falsum est quia istę tres ciuitates sunt circa confinia regnorũ Amorrhæorum, & regna Chanaan, & sic sunt respectu terræ duorũ regũ Amorrhęorum occidentalia loca, & respectu terræ Chanaan quæ erat ad occidentẽ Iordanis, vocantur ad orientẽ. *Vt confugiat ad eas qui occiderit nolens.* Conditiones requisitæ in confugientibus, & qualiter causa ventilaretur de effusione sanguinis habetur Num. 35. c. *Nec fuit inimicus ante vnum, & alterum diem.* Id est qui nõ erat inimicus occisi à paucis diebus: si enim inimicus esset, non præsumeretur à casu, sed ab intentione occidisse. *Bosor in solitudine.* In tribu Rubẽ fuit vna, in tribu Gad alia, in dimidia parte Manasse alia. *Et Ramoth in Galaad.* Galaad fuit data partim tribui Gad, partim dimidiæ tribui Manasse, vt patet supra 3. c. & in illa parte Galaad, quã habebat tribus Gad erat ciuitas Ramoth, pro qua postea fuit pugna inter reges Israel, & Iuda cum rege Syriæ 3. Reg. 22. c. *Ista est lex.* Postquã satis monuit ab idololatria cauere, hic incipit legis recapitulationẽ. *Ista est lex.* Scil. quæ infra narrabitur, & signat lex omne genus præceptorũ indifferenter. *Et testimonia.* Id est præcepta decalogi quæ vocantur testimonia, id est pacta conuenta, & testificata inter Deum, & populũ, alia præcepta nõ audiuit Israel à Deo per Angelũ, sed per Moysen, nec cum tanta solennitate. *Cæremoniæ.* Id est cæremonialia præcepta. *Et iudicia.* Id est præcepta iudicialia. *Trans Iordanem.* Id est citra Iordanẽ, scil. antequam transirent Iordanẽ. *In valle contra Phanum Phegor.* Id est contra montem Moabitarum in quo erat quoddam templũ Belphegor, & fuit ista vltima mansio, quæ dicitur Belsethin, vt patet Num. 33. ca. in isto loco erant, quando mulieres Moabitides, & Madianitæ adductæ consilio Balaã arioli à Moabitis descenderunt portantes Deos suos de mõte Moabitarũ, & venientes Hebręos recipiebant ad concubitum prius facta immolatione idolo Phegor, vt patet Numer. 23. cap. & in eod. loco manserunt, quãdo missi sunt duodecim mille viri de Israelitis ad pugnãdum contra Madianitas, vt patet Num. 31. c. & ibidem manserunt quousq; venerunt, & in eodem loco Moyses recitauit totum istum librũ præsentibus omnibus Israelitis, vt patet hic, & demonstratur hoc, quia vallis contra Phanum Phegor est, quæ iacet ad radices mõtis altissimi, in quo erat templum, vel Phanum, Phegor, & in hoc maledicere volebat Balaam filios Israel, vt patet Num. 23. cap. cum dicitur, duxit eum ad excelsa Phegor, sed iste mons in quo stabat Balaam, coniunctissimus est Iordani, quia radices eius tangunt vallẽ Pentapolis, per quam transit Iordanis, de quo in libro de diuisione Terræ sanctæ.

In terra Seon regis Amorrhæi. Quia illa loca campestria, & piana,

Latria soli Deo est tribuenda

Legis epilogus.

plana, per quæ tunc incedebant Israelitæ erant de terra Seon, quam iam acquisierant, & coniuncta erat finibus Moabitarum, & quando dicitiur, quòd castrametati sunt in campestribus Moab, vel in planioribus locis Moab, vt patet Num. 33. cap. non sunt loca illa in terra Moabitarum, sed in terra Amorrhæorũ, sed vocantur campestria Moab, quia subiacent, vel protendũtur à montibus claudẽtibus terrã Moab. *Quem percussit Moyses per seipsum.* Quia tunc egressus fuerat cum alijs pugnatoribus ad bellum, licet iam magnæ ætatis esset, scil. 120. annorũ, vt infra 31. c. *Et Og regis Basan.* Licet Basan non sit nomen regni Og, nec maior pars regni quantum ad diuisionem terræ patet, quia data fui tota Basan, & terra Argob, & pars Galaad dimidiæ tribui Manasse, quod nõ fuisset si esset maior pars regni, quia tunc alijs duabus tribubus modicum daretur secundũ proportionẽ, tamen denominatur regnũ ab illa terra, quia illa fuit fortè principiũ, & origo regni illius, sicut nunc est in multis regnis. *Qui erant trans Iordanem ad solis ortum.* Id est, quòd illa terra erat magis orientalis quã Iordanis, terra autẽ nouem tribuũ, & dimidiæ erat trans Iordanẽ ad occidentalem plagam, itaq; Iordanis erat magis orientalis quàm terra illa. *Ab Aroer.* Isti termini terræ huius positi fuerunt supra 3. cap. *Qui est Hermon.* Qui vocatur Sanyr ab Amorrhæis, & Sarion à Sydonis, & Hebraice Hermon de quo præced. cap.

Opinio quorundam quantum distat mons Hermon à Tabor.

QVÆSTIO IX.

ET distat iste mons duobus miliaribus, id est vna leuca à monte Tabor, in quo Christus transfiguratus est, ad radices huius montis Hermon occurrit Melchisedech rex Salem Abrahæ reuertenti de pugna contra quatuor reges, & obtulit panem, & vinũ, vt patet Gen. 14. c. Aliqui sic voluerunt, sed falsum est: nam licet verum sit, quòd mons Tabor distat duobus miliaribus à monte Hermon, & licet ad radices montis Hermon occurrerit Melchisedech venienti à cæde 4. Regum: tamen nõ est idem mons Hermon iste, & ille, & patet, quia mons Tabor est 4. miliaribus, à Nazareth cõtra orientem, id est duabus leucis, & vltra montem Tabor magis ad orientẽ est mons Hermõ duobus miliaribus, id est vna leuca, sed Nazareth est in sorte Iudæ ad partem multum Meridianam terræ Chanaan, ergo est mons Hermon satis Meridianus in terra Chanaan, sed iste mons Hermõ de quo hic dicitur est in latere Septentrionali terræ Chanaan tangẽs terram duorũ regum Amorrhæorũ, & terrã Phœniciæ apud Sydonem, ideo Sydonij vocant illũ montem Sarion: vocant, & Amorrhæi Sanir, item quia apud montẽ Hermon obuiauit Melchisedech rex Salem Abrahæ reuerentiã cædẽ 4. Regum, sed Melchisedech non exiret extra regnum suum, scil. extra regnũ Ierusalẽ, sed illud tunc modicũ erat, cum multi reges ponantur in terra Chananæorum, quia Iosue 31. occidit, & manserunt multi alij, ergo non extenderetur regnum Ierusalem tantũ, vt peruenire ad montẽ Hermon, qui est in extremitate Septentrionali terræ Chanaan. Item dato, quòd regnũ Melchisedech illuc extenderetur, impossibile erat, ꝙ Melchisedech occurrisset Abrahæ apud montem Hermon, qui est in latere Septentrionali, nam Abrahã persecutus fuerat 4. reges exeuntes de Sodomis per latus Meridianũ terræ Chanaan vsq; ad læuam Damasci, vt patet Gen. 14. cap. sed Damascus est ad partem Meridianã terræ Chanaan, cum sit metropolis Idumæi, & Idumæa, siue terra Edom sit in latere Meridiano terræ Chanaan, vt patet Num. 34. c. concluditur ergo, quòd iste mons Hermon, & ille qui est apud montem Tabor, vbi Melchisedech occurrit Abrahæ, non sunt idem mons, sed vterq; vocatur Hermon, quia sic frequenter accidit in sacra Scriptura duo loca habere idem nomen, sic patet Exod. 17. c. vbi dicitur, quòd quando Moyses stans in Raphidin eduxit aquã de petra percussit petram Oreb, sed tamẽ manifestũ est, quòd Oreb est nomen montis, & signat montem, qui vocatur mons Synai, & post mansionem quæ est in Raphidin sequitur mansio in Synai, vel Oreb, sed illud nomen dicitur de duobus locis distinctis, de quo magis Exodi 17. cap. dictum fuis. *Vsque ad mare solitudinis.* Id est vsque ad mare mortuum.

Situs Damasci.

CAPITVLVM V.

VOCAVIT QVE Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum. Audi Israel cæremonias atq; iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie. Discite ea, & opere complete. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Oreb. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum, qui in præsentiarum sumus, & viuimus.

VOcauit. Posito quodam magno, & maxime necessario mandato, scilicet de cauendo idololatriam, hic consequenter ponitur totius legis narratio. Et tanguntur tria. Primum quædam ad præcepta præparatio. Secundo præceptorum narratio. Tertio quorundã cõsequentiũ dispositio. Secundum ibi. *Ego dominus Deus tuus.* Tertium ibi. *Hæc verba locutus est. Vocauit Moyses omnem Israelem.* Vt nullus post contradicere posset, & omnes se crederent obligatos.

An nomine Israel intelligantur principes solum.

QVÆSTIO I.

ALIQVI volunt, quòd omnis Israel dicitur pro principibus multitudinis, qui continent totam multitudinem in virtute, sed non omnes conuenerunt, sed falsum est, omnes enim conuenerunt principes, & maiores natu, doctores, totus populus, liberi, & vxores, & aduenæ qui morantur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas, vt patet infra 29. cap. de hoc magis diximus supra 1. cap in principio. *Discite ea, & complete opere.* Nihil scire proficit, nisi compleantur immo nocet, quia seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis, ratio huius est, quia legalis consideratio qualis ista est non est speculatiua, sed practica, finis autem practicæ non est veritas, sed operatio, vel bonum, quod est obiectum mouens operantem, vt patet 2. Metaph. sicut ergo vana est consideratio speculatiua, per quam nulla habetur veritas, ita vana est cõsideratio practica per quam nõ habetur actio, sic ait Philosophus 2. Ethic. cap. 2. prius negocium non est cõsiderationis gratia, sed operationis: non enim, vt sciamus addiscimus, sed vt boni fiamus. *Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus.* Id est ipse per seipsum dedit nobis decem præcepta in vocem tubæ in Oreb, id est in monte Synai. *Non cum patribus vestris iniit fœdus.* In hoc demonstrat eis magnum Dei beneficium, quia cum patribus eorum non firmauit Deus pactum dando legem, sed cum ipsis: licet enim promissiones datæ sunt Abrahæ, sed lex non data est eis, sed per Moysen, 430. ann. post factas promissiones ad Galat. 3. c. Et si arguas contra, quia Gen. 15. c. dicitur in illa die pepigit dominus fœdus cum Abraham dicens, semini tuo dabo terram hanc. Respondetur, quòd fœdus proprie est confirmatio alicuius pacti, vel conditionis cum animalium occisione, ita quòd ipsi paciscentes transeant inter diuisiones animalium, quia tunc dicendũ est, quòd Deus fecit bis fœdera cum Iudæis: semel cum istis qui erant tempore Moysi, & aliàs cum patre eorum Abraham: primo enim cum Abraham initum est fœdus, & secundo cum illis qui erant tempore Moysi, & quia ista fœdera sunt confirmationes aliquorum pactorum, Dicendum est, quòd fuerunt duo pacta. Primum pactũ fuit in quo Deus promisit Abrahæ dare omnem terram Chanaan à fluuio Ægypti vsque ad flumen magnum Euphratem, & ad huiusmodi confirmationem fuit factum fœdus, scilicet, quòd mandato Dei Abrahã diuisit vaccam, & caprã, & arietem, & posuit partes alteras secus, & deinde Deus per flammam ignis transibat inter diuisiones, & Abraham quoque, ad signandũ, quòd si pactum illud quis infringeret debebat diuidi, sicut illa cadauera, ideo de Abraham nõ habetur expressũ, quòd transierit, nec erat necesse ipsum transire, licet aliqui volunt, ꝙ transierit, quia transire inter diuisiones est ad significationẽ, vt supra dictum fuit, vt teneatur pactũ, sed in illo pacto nihil promittebat Abraham, sed solum

Duo fuerunt pacta quæ Deus pepigit.

A recipiebat famulationem factam à Deo, ideo Deus ſolum trãſire debebat, & ſic habetur in textu, quòd loco eius tranſibat flamma inter diuiſiones: iſtis autem Hebræis qui tempore Moyſi erant fuit quoddam pactum cum Deo, in quo ipſe Deus promiſit eos recipere in populum peculiarem, vt patet Exod. 19. cap. faciendo eis ſpecialia beneficia, & ipſi Hebræi promiſerunt recipere mandata quæ ab ipſo audiebant, & quæ poſtea diceret eis Moyſes, vt patet infra in litera, ad confirmationem autẽ huius pacti mutui fuit facta immolatio animaliũ, vt habetur Exo. 24. c. & ſanguis illorum fuit aſperſus ſuper altare, & ſuper librũ legis loco Dei, & deinde ſuper totum populũ, vt patet eod. ca. & ad Hebræos 9. fuit autẽ vtriuſq; hic facta aſperſio, ſcil. Dei, & populi, quia vterq; hic aliquid promittebat, vt ſuper declarauimus, nunc ergo, quando dicit litera, quòd Deus iniuit fœdus cum iſtis, & non cum patribus eorum, verum eſt quantũ ad fœdus poſitum in confirmationem legis, quia lex non fuit data Abrahæ, vel alicui de antiquis patribus, ſed ſolis iſtis qui nunc erant, ſed quantũ ad promiſſiones factas de terra Chanaan, fuit initum fœdus cum Abraham, & non cum poſteris qui nunc ſupererant. *Qui in præſentiarum ſumus.* Id eſt nunc ſumus: in præſentiarum eſt vna pars, & eſt aduerbium temporis. *Facie ad faciẽ locutus eſt vobis.* Id eſt Deus per ſe, vel per Angelum dixit vobis iſta non mediate aliquo homine denunciante, non intelligas facie ad faciem, ita quod populus Deũ videret, quia vt dictum fuit præcedenti cap. vocem audierunt, formam aliquam penitus non viderunt.

Dupliciter Deus nobis loquitur.

QVÆSTIO II.

DEVS duplicite: conſueuit nobis loqui, aut per prophetas ſuos declarantes quid ipſe intendat, aut per Angelos ſuos, per ſe namque nunquam loquitur nobiſcum, vt declarauimus Exod. 3. cap. quia mutaretur inutiliter ordo aſſiſtentium, & miniſtrantium, de quibus Dan. 7. cap. quando autem loquitur nobis per aliquem Prophetam, dicimus, quòd non loquatur facie ad faciem, quia ſatis nobis perſpicuum eſt, quòd ille qui nobis loquitur nõ eſt Deus, ſed nuncius eius, quando autem Deus nobis loquitur per Angelum, ſiue loquatur in aſſumpta figura viri Angelus loco Dei, ſiue ſola vox audiatur, dicit loqui facie ad faciem, tanquam ipſe per ſeipſum ad nos loquatur, & non in ſubiecto homine. Et hoc eſt, quia nos neſcimus diſtinguere an ipſe ſit qui vocem formet, an aliquis Angelus, ſicut ſcimus, quando aliquis à Deo mittitur homo, quem nos cognoſcamus, ideo aliquando cum videmus Angelos loco Dei nobis apparentes dicimur vidiſſe Deum facie ad faciem, ſic patet de Iacob Gen. 32. c. qui cum vidiſſet Angelum qui luctabatur cum eo dixit, vidi dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea, aliquando ſolam vocem ab Angelis loco Dei formatam audiuimus nulla penitus viſa imagine, & dicimur Deum facie ad faciem, vel audire, vel videre, ſic patet hic, quia Hebræi audierũt vocem Angeli loquentis de medio ignis loco Dei, & formam, aut imaginem penitus non viderunt, vt patet 6. in litera tamen dicuntur audiſſe dominum loquentem facie ad faciem, vt patet hic. *Ego ſequeſter.* Id eſt iudex, vel medius, ſiue interpres. *Vt annunciarem vobis verba eius.* Id eſt verba quæ poſt dationem decem præceptorum de cæremonijs, & iudicijs mihi dixit, quantum ad verba decem præceptorum non fuit Moyſes medius, quia Deus per Angelum ſuum annunciauit populo. *Timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem.* Iſta eſt cauſa quare Moyſes locut⁹ eſt eis, & nõ Deus. *Et non aſcendiſtis in montem.* Sicut ego aſcendi ad loquendum cum domino, etiam Deus illis ſub pœna mortis mandauit, ne aliquis aſcenderet in montem, nec tangeret Exod. 19. ca. *Ego dominus Deus.* Hic ponitur ſecundũ, ſcil. præceptorũ narratio, & quia iſta præcepta ſunt ea quæ habentur Exod. 20. c. quantum ad ſubſtantiam ſignificationis tamen aliqua verba mutata ſunt, & aliqua addita, vel diminuta, vt de obſeruatione ſabbati dicitur hic obſerua diem ſabbati Exod. 20. dicitur memento, vt diem ſabbati obſerues. Vnde dixit Rabbi Sal. quòd vox Dei erat vna, & duo reſonabat, quod impoſſibile eſt naturaliter, quia vno ictu plectri vnicam vocem formamus, Deus autẽ faciebat, vt eadem vox ſola ſonaret duo. Nos enim alia prolatione dicimus Petrus, alia Ioannes Deus autem eadem voce dicebat, obſerua diem ſabbati, vel memorare diem ſabbati. Et probat, quia habetur in Pſalm. ſemel locutus eſt Deus, & dixit duo. Sed hoc non poteſt ſtare, quia licet poſſibile eſſet Deo, tamen nõ ſoluit difficultatem: poſſet enim hoc intelligi ſi tot dicerentur hic, quot Exo. 20. per diuerſa verba, ſed aliqua dicuntur Exod. quæ hic tacentur, vt de cauſa obſeruationis ſabbati.

Dicendum ergo, quòd Moyſes repetens legem magis curauit de ſententia quàm de verbis, ideo ſi aliqua verba mutata ſunt, nihil refert, & præcepta iſta licet data ſint, tamen non ſunt de iure poſitiuo, ſed de naturali, vnde non ſolum obligabant Iudæos, ſed etiam alias gentes, quia gentes quæ legẽ non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, ad Rom. 2. cap. & non ſolum obligabant Iudæos poſt dationem legis, ſed etiam ante dationem, quare ergo data ſunt cum natura inſint? Dicit Aben Ezra, quòd ad aliquam ſignificationem rerum, vt mandatum de ſabbato datum fuit ad memoriam requiei Dei ab operibus quæ creauit, & ſic in alijs cauſa dari poteſt, ſed latet nos.

Lex vetus erat vmbra futurorũ.

Sed hoc falſum eſt, quia cauſa datur ſignificationis in cæremonialibus ſolum, vel iudicialibus quæ de ſe nec bona nec mala erant, ſed ideo data ſunt, vt aliquid ſignificarent, quia lex vmbra erat futurorum, ad Coloſ. 2. capitu.

Et quando obijcit, quòd ſabbatum, quod in decalogo eſt cauſam habet ſignificationis, ſcil. memoriam creationis.

Reſpondendum quòd præceptum de ſabbato quantum ad limitationem certæ diei cæremoniale eſt, vt ipſe vult, & ſic in ſignificationem datum eſt. Item ſi præcepta decalogi eſſent in ſignificationẽ data, eſſent vmbratilia, & ceſſarent veniente veritate vel ſignato, ſed falſum: quia præcepta nunquam aboleri poſſunt, cum fundentur in principijs naturalis rationis. Dicendum ergo quòd præcepta iſta ideo ſunt, quia id quod per ſe malum eſt prohibent, vel bonum neceſſarium eſt dicunt: ideo ſolam rationis regulationem conſiderant abſolute, nec aliquam ſignificationem attendunt, ſed data ſunt, vt ea quæ naturaliter agere vel cauere indeterminate monemur, explicite & determinate ſub his decem præceptis colligerentur, & non fuit hæc ſuperflua doctrina, quia aliqui ita ſunt ſimplices, vt quæ intra ſentiunt ignorent: vtile ergo fuit, vt ea quæ nobis natura docente, ſed cõfuſa cognita ſunt, ſub quadã breui collectione magis per modũ doctrinæ, quã cõſtitutionis traderentur, licet iſta per Dei mandatũ maiorem obligationẽ ſortita ſint: vnde grauius peccabant Iudæi agentes contra aliquod illorũ præceptorum poſt legem datam quã ante legem, & ratio quia ſicut Deus ſpecialia promiſit Iſraelitis ſi obſeruarent iſta mandata ab eo data, magis quàm alijs gentibus, quæ ex naturali inſtinctu iſta ſeruabant, ergo etiam maiores pœnæ debentur eis ſi contra ipſa agerent quàm alijs gentibus: ſed ante legem datam Iudæi ſeruabant iſta ſola conſcientia dictante, ergo tunc minus puniebantur & minus merebantur.

Opin. aa.

Quando dicimus Deum nobis loqui facie ad faciem.

An grauitas tranſgreſſionis ſit ſecundum ordinem præceptorum, ita quòd magis peccet tranſgrediens contra ſecundum quàm contra tertium, & de ordinatione illorum inter ſe, & aſſimulatione.

QVÆSTIO III.

ET dicit Rabbi Abraham Aben Ezra, quod iſta præcepta ſunt grauioris culpæ cum ea tranſgredimur ſecundum ordinem prioritatis, ita quod primum grauius quàm ſecundum, & ſecundum quam tertium, & ſic conſequenter, & ſic magis peccat qui adorat deos alienos, quàm qui accipit nomen Dei fruſtra, & ſine reuerentia. Sed falſum eſt, quia maioris culpæ eſt hominem occidere quàm ſabbatum violare, ſed prius ponitur in mandatũ de ſabbato quã de homicidio. Et ſi dicatur, quòd maius eſt mandatum de ſabbato quam de homicidio, quia violans ſabbatum negat mundi creationem & quietem Dei ab operibus. Reſpondetur quod ſic accipiendo mandatum de ſabbato maius eſt quam mandatũ de non ſumendo nomen Dei in vanum: minus peccatũ eſt Deum ſine reuerentia nominare, quã negare Deum mundũ

creauiſſe,

A creauisse, & etiam maius mandatum est istud quam primum de non colendo idola, quia aliquis poterit confiteri Deum verum esse, & omnipotentē, & cum alijs perfectionibus, & cum hoc colet idola credens semper illa aliquam virtutē, vel bonum habere, vt Iudæi qui tempore captiuitatis Babylonicæ manserunt in terra, transierunt in Ægyptum, & dixerunt non seruiemus domino Deo, sed sacrificia offeremus reginæ cœli, quia cum illi sacrificaremus, saturati fuimus panibus, & malum non vidimus: cum autem cessauimus offerre libamina, gladio & peste consumpti sumus Hiere. 44. cap. sic etiam dicitur de Samaritanis habitantibus in terra nouem tribuum & dimidiæ, qui Deum timebant, sed nihilominus idolis seruiebant, vt patet 4. Reg. 17. cap. qui autem negat creationem negat Deum esse omnipotentē: vnde philosophus, ideo dicebat mundum non esse creatum, sed æternum & increatum, quia non putabat aliquam tantam potentiam esse, quæ materiam sine aliquo prę suppositio gigneret vel faceret, & sicut patet in 7. & 8. Phi. Deum solum infinitū duratione dicit, non autē essentia vel potestate, sed tamen hoc minus vitiū est quā Deum esse totaliter negare sicut dixit stultus in corde suo non est Deus. Psal. 13. & 52. maximū, ergo vitiū est Deū esse negare, quia qui negat esse negat omnē pfectionē, quia subiectū boni & perfecti est esse, qui autē negat Deum esse omnipotentē, adhuc potest cōcedere de Deo multas perfectiones, vt Arist. qui ponit octo maximas perfectiones Dei in 12. met. & tamē omnipotentem negat esse. Sic Prothagoras philosophus deos esse in dubiū reuocauit, Diagoras totaliter esse negauit, vt ait Lactantius de nat. deor. lib. 1. ca. 2. & Epicurus deos nihil scire, nec etiam esse dixit, vt ait Aug. 18. de ciu. Dei. Dicendū ergo quod nō ordinantur prę cepta secundū ordinē grauitatis, sed secundū q̄ pertinēt ad Deū, vel ad proximū: ponuntur ergo primo omnia quę pertinent ad Deum, deinde omnia quæ pertinent ad proximos, & licet cæteris paribus valde maior offensa est, quæ fit Deo quā proximo: quia valde magis est ęternā quam temporalem lædere maiestatem, vt in c. vergentis ext. de hæred. habetur tamen aliquando maior est offensa proximi quā solius Dei? in omni tamē offensa proximi includitur offensa Dei quia aliàs nō puniremur æternaliter, vel non incurreremus odium Dei propter malū illatum proximo. Sunt autem 10. præcepta, vt sunt decem prędicamenta, sicut enim omnia entia quę mere sunt præter maximum & minimum, id est, præter Deum & materiam primam reperiuntur in istis. 10. generibus tanquā primus decem rerum principijs, ita omnia naturalia & cōstituta iura in his sunt secundū rem, vel secundū originē, sunt enim decem prędicamenta decē iuris naturalis explicitę cōclusiones, in quibus omnes alię iuris naturalis partes implicite sunt & iura positiua recte constituta quædā iuris naturalis particulares determinationes sunt, vel assimulantur numero denario qui radix est omniū numerorū post: quia cum aliquis accesserit ad decē, rursus fit cōuersio ad vnitatē, & deinde in viginti qui est secūdus denarius rursum replicatur vnitas, & sic in 30. & 40. & cōsequenter in omnibus numeris: sunt ergo recte denarij quidā articuli, id est membra, vel sectiones numerorū, sicut articuli manuū, sic omnia ista decem præcepta radix omniū aliorum præceptorum sunt, & alia nihil sunt, nisi quædā explicitæ magis istorū replicationes. Aben Ezra vult secundū quosdā naturales sapientes, q̄ decē præcepta sint, sicut nouem orbes, ita quod primū præceptū non assimiletur alicui orbi propter immutabilitatē diuinæ essentiæ, licet possit empyreo cœlo lucido vniformi, & immobili cōparari: sed Iudæi nō cognoscunt hoc cœlū, & ad hanc cōparationem sic ordinant, q̄ illud. Ego sum Dominus Deus tuus. Sit vnum præceptū, & secundum sit non habebis deos alienos. Tertium nō accipiens nomen &c. quartum obserua sabbatum, & ista 4. ponuntur in prima tabula quæ sunt solum ad Deum: manent autē alia sex præcepta ad proximum in secunda tabula, ideo vltima duo, scil. Non cōcupisces rem proximi, & aliud, scil. Non concupisces vxorē faciunt vnum præceptū: nos autem præcepta primæ tabulæ, scil. respectu Dei tria solum ponimus, quia primū non diuidimus, quia ego sum Dominus Deus, non est præceptū, cum nihil per illud mandetur, & præceptum de concupiscentia diuidimus, quia multum distat concupiscere causa vxoris à cupiditate rerū ex obiecto, & ex habitu vel passione, quia concupiscere vxorem ab intemperantia & desiderio tactus prouenit: concupiscere res ad auaritiam vel naturæ curuitatem pertinet: ideo circa concupiscentiā vxoris alterius potest esse intemperentia vel incontinentia simpliciter, sed circa desiderium rerum possessarum cæterarumq; pecuniarū non est intemperantia, vel incontinentia, vt declarat philosophus. 7. Ethi. & secundū assignationē illam. Secundū mandatū de non colendo deos alienos ad nonam sphęram pertinet, quæ motu suo omnes octo inferiores contrario motu versat, scil. ab oriente ad occidentem, deinde ad punctum occidentis, in 24. horis: & quia ibi prohibetur cultus alterius cuiuslibet rei præter vnum Deum, prohibetur etiam cultus nonæ sphęræ: aliqui enim illam colebant putantes esse Deum, quia videri non potest cum non habeat aliquam stellam, ideo dixerunt substantiam incorpoream esse mouentem orbes, vnde multis antiquorum incognita fuit, & solum 8. orbes qui videri possunt posuerunt. Tertium mandatū de nō sumēdo in vanum nomen domini octauæ sphęræ, quæ est orbis signorū, conuenit, quia sicut ibi in tanta stellarū multitudine, & diuerso lumine, & constellationū varijs significationibus diuina potestas & bonitas ostenditur, ita in hoc quòd etiam nomen sine magna reuerentia nominare non licet. Quartum mandatum de sabbato septimo orbi, scil. Saturni conuenit, qui planeta maliuolus est, & dominatur in sabbatis, ideo dicunt, q̄ Deus mandauit ab omni opere abstinere: quia illis diebus incipientes, opera non prosperantur. Sed ista assignatio multū intentioni legislatoris discordat: intendebat enim legislator eos reuocare ab omni superstitione & idololatria, sed docere eos obseruationem illius diei ex hac causa erat reducere eos ad colendū omnem militiam cœli tanquam potentem eis bonum, aut malum agere, vt postea coluerunt, vt patet 4. Reg. 22. & Hier. 44. cap. Et Hier. 20. cap. hoc valde prohibuit cum propheta induceret nos ad non timendum astra cœli, & dixit iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, & non solum Iudæis, qui ad idololatriā erant proni, hoc malum erat, sed etiam nobis de quibus nō ita præsumitur, vt habetur ad Gala. 4. dies obseruatis menses, tempora, & annos, timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis. Quintum præceptum de honore patris sextæ sphęrę, scil. Iouis conuenit, quia planeta beniuolus est aliorum malitias temporans, & faciens ad recte distribuere: impendere autem honorē parentibus iusta distributio est, quia illis multum naturaliter obligamur, quia multa ab eis recepimus, vt patet 9. Ethi. Sed secundum Gentiliū historiam, ista assignatio non congruit, quia Iupiter patrem vere de regno expulit: vnde Saturnus Iouem filium fugiens de Creta nobilissima Græcorum insula, quę nunc Candia nominatur, quæ regnum suum erat, in Italiam profugus nauigauit, ibidem Italicos adhuc brutaliter viuentes agriculturam docens, vt ait Ouid. lib. 1. Fastorum. Fabulantur etiam ei virilia abscidisse, sed hoc magis ad cœli significationem quam ad historiæ veritatem pertinet: dicitur Iupiter Saturni genitalia abscindere, quia vis generandi vel causandi malum quæ in Saturno est bonitate naturæ Iouis totaliter scinditur, vel temporatur. Sextum præceptum non occides quinto orbi, scil. Marti conuenit. Mars enim suo distemperato colore choleram incendit, iram excitat, bella mouet, & sanguinis significat effusionem, cauendum ergo ne propter iram in nobis genitam forte per naturā huius planetæ ad effundendum sanguinem transgrediamur. Septimum mandatum est non fornicaberis, quod mutato ordine orbi Veneris conuenit, cuius qualitas est multiplicare materiā seminalē: planeta beniuolus est, sed cuilibet cedit cui adiūgitur, siue bono, vel malo, sicut fornicariæ faciunt. Octauū mandatū est nō furaberis, & conuenit orbi cui ex magna luce conuenit aliorū obfuscare splendorē, & potentior alijs est in agendo: isti duo modi furi conueniunt, scil. per occultationē nullo vidente furari, vel per maiorē potentiam inuitū dominū expoliare.

Nonum mandatum est non falsum testimonium dices, q̄ secundæ sphærę, scil. Mercurij cōueniunt: est enim Mercurius in verbis & in fraudibus potēs. Et sic Mercurius dicitur. secundū Isidorum 8. etym. quasi medius currens, quia inter homines medius est: & ob hoc apponit ei poetica fictio talaria ad volandum, vt patet circa finem secundi Metamor.

Esse est subiectum boni & perfecti

Opin. Doct. de præcep. ordinatione.

Opin. Rabbi Aben de assimilatione præceptorū ad nonum orbem cœl.

A vt cito volet, quia sermo inter nos cito discurrit, dicitur etiã virgam portare ad mitigandum serpentes, quia sermones dulces mitigant furorem, & odia radicata, quæ sunt, vt quædam venena, vt patet prouerb. 15. cap.

Decimum præceptum de non concupiscendo, cui primus orbis, scil. Lunæ conuenit, quæ omnibus orbibus planetarũ inferior est, & multũ in his inferioribus operatur, de quibus concupiscentia nostra inordinata est. *Ego Dominus Deus tuus.* Secundũ Hebræos est hoc primum mandatum, & si dicatur contra eos, quia in hoc nihil mandatur posset responderi, q̃ licet directe non mandatur, tamen indirecte, vel ex consequenti, quia demonstratur Deum Israel esse verum Deum, ex quo sequitur quod cultus sibi debetur, ideo ponentes hoc esse præceptũ necessario dicere debent, quòd in isto primo mandato præcipitur cultus Dei, & in secundo prohibetur cultus idoli: nos autem dicimus, quòd hoc præceptum non est, sed quoddam assumptũ ad præceptũ, quia hic prohibetur cultus idolorum: causa præponitur, quia ego sum Deus tuus, id est, ego sum Deus verus. *Qui eduxi te de terra Ægypti.* Ponit singulare beneficiũ quod nulli alteri genti factum est, per quod ad exhibendũ cultum verum duci debent, & narratur hoc beneficium, quia hoc maximũ erat eorum quæ à Deo receperant, & licet maiora eis Deus daturus erat, scil. vitam æternam, quia tamen animalis homo non percipit, B quæ sunt spiritus Dei, sed solis carnalibus, & quæ præsentia oculis cõspicit, delectatur: ad Corin. 1. cap. 2. inter beneficia ista, quæ ipsi videre poterant hoc erat maius.

Et dicit Ra. Aben Ezra, quòd secundum cœli vim & dispositionẽ maiori tempore Israelitæ in Ægypto teneri debebant, sed Deus supra motum cęli operatus fuit illos liberans: si autem sic vel aliter verum fuerit non multum refert, quia etiam si secundum motum & dispositionẽ cœlestium corporum essent illo tempore exituri, nõ poterant tamen illo modo egredi, scil. renuentibus Ægyptijs, & in columna nubis, & diuiso mari rubro, & sic aliquà quæ naturaliter fieri possent Deus supra naturaliter operatur, sicut aliquis morbus multis medicinis & magno tempore curari possent, Deus autẽ illum subito sanat, vt socrũ Petri quæ febribus tenebatur sanauit. Luc. 4. cap. *De domo seruitutis.* Id est illa terra nõ erat terra tua, sed terra in qua inuitus seruiebas. *Non habebis Deos alienos.* Id est nõ adorabis aliquas res, vel imagines, quas Gentiles deos vocant: nam ista locutio est secundũ existimationem hominum, quia secundum veritatẽ nullus est Deus alienus aut dij alieni, quia si nullus est Deus præter vnum Deum: ergo nullus est præter eum Deus alienus, aut non alienus, sed quia homines putabant esse illos deos, vocat eos scriptura deos: tales autem quia alieni sunt, id est, quia coluntur à gentibus, quæ sunt alienæ à lege Dei à nobis colendi non sunt. *Non facies sculptile.* Id est statuam ligneam, lapideam, C vel metallinam, quæ per cauationem, vel sculpturam figuratur. *Nec similitudinem.* Id est imaginem pictam nõ corpoream, sed superficialem. *Omnium quæ in cœlo.* Id est stellarũ. *Et quæ in terram.* Hominum, bestiarum, vel reptilium. *Et quæ versantur in aquis.* Id est piscium. *Sub terra.* Quia terra videtur altior aqua: quia aqua per prona, & concaua terræ illabitur, sic habetur Psal. 23. quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina: tamen secundum veritatẽ & ordinem elementorum, terra inferior est: licet aqua infima videatur, quia non potens terminari termino suo, quia fluxibilis, quærit terminare termino alieno secundũ concauitatem infima petens: sed non infimum simpliciter, quia hoc terrę conuenit. *Non adorabis.* Exhibendo reuerentiam in motu capitis, vel aliarũ partium corporis. *Nec coles.* Offerendo vel thurificando. *Ego sum Dominus Deus.* Hic retrahit à malo idololatriæ per comminatam punitionem, quia patres peccantes puniũtur, & filij, & nepotes, & vsque ad quartam generationem, quia vsq; ad illam generationem possunt viuere homines, & erudire filios, & nepotes in malo, quod illi sequentes puniuntur, vt pater eorum sine pœna, vel quia Deus filios, & alios vsq; ad quartam generationem punit temporaliter pro peccato patris, æternaliter autem nullus pro alio punitur. Et sic habetur Ezech. 18. anima quæ peccauerit ipsa morietur, & hoc magis concordat quam prior expositio, quia dicitur infra, quia in bene agentibus benefacit bonis, & filijs eorum vsq; in mille generationes.

D *Differentia magna est in Deo inter misereri & punire. Et quare punitio peccati non extenditur vltra quartam generationem.*

QVÆSTIO IIII.

ET sic datur differentia inter misereri & punire in Deo, quia enim Deo misereri proprium est, vsq; ad mille generationes miseretur, & quia punire non est ei ita proprium, solum vsq; ad generationem quartam punit in his qui oderunt eum.

Aliqui intelligunt hoc de filijs, scil. quòd Deus punit peccata patrum in filios vsq; ad quartam generationẽ, quando filij & nepotes oderunt Deum, id est sunt mali, & intelligunt de pœna æterna, quæ etiã filijs, & nepotibus infligitur. Sed melius dicitur, quòd intelligitur de ipsis patribus, & est sensus, q̃ quando aliqui oderunt Deum, & sic malũ operantur, pro peccato eorum, aliquando filij vsq; ad quartã generationem puniuntur temporaliter, & ratio, quia si filij, sicut patres Deum oderint, cõsequenter nõ solũ vsq; ad quartã generationẽ, sed etiã vsq; decem mille puniuntur, debet enim necessario hoc referri ad ipsos patres peccãtes, vel bene agentes, scil. q̃ si bene egerint patres, Deus miseretur filiorũ suorum vsq; in mille generationes, vel vsq; in multas, quia ponitur numer⁹ certus pro incerto: si autẽ patres male egerint, Deus punit eos, & filios suos vsq; in quartã generationẽ propter peccata patrũ: nam si hoc intelligeret, vt aliqui volũt de ipsis filijs, cũ dicitur his, qui oderunt me, scil. q̃ si patres sint mali Deus puniet peccata patrũ in filios vsq; in quartã generationem his, qui oderunt me, id est si filij istorũ peccantium oderint me, scil. peccantes, sicut patres sui. Sed hoc falsum est primo, quia quando filij oderunt Deum, sicut patres sui, non puniuntur pro peccato patrũ, sed pro peccato suo, quia dato quod non fuisset peccatum patrum, si tamen filij mali essent ipsi punirentur, sed hic dicitur, quòd peccatũ patrum punitur in filios, ergo nõ puniuntur solum filij peccatorum, quando ipsi sunt peccatores, sed etiã pro patribus suis. Item quia si solum punirentur filij malorum hominum quando ipsi sunt mali, sicut patres eorum, scil. quòd oderunt Deum: non solum punirentur vsq; ad quartam generationem, sed etiam vsq; ad decem mille generationes, vel vsque infinitum quia quicunq; peccauerit à Deo punietur, sed hic ponitur tanquam aliquid speciale vsque in quartam generationem. Item quia dicere vsque in quartam generationem habet relationem ad aliquid præcedens, cum ergo dicatur peccatum patris punitur in filios vsq; in tertiam & quartam generationem, necesse est dicere, quòd ipsum peccatũ patris est, cuius punitio duret vsq; in quartam generationem, & non F peccatũ filiorum: nam si quilibet pro peccato suo puniatur, non punitur in tertiã vel quartam, vel in aliquam. Item quia si qui punitur pro suo peccato puniretur, nõ esset differentia quantum ad bene agentes ad male agentes: nam sicut quilibet pro peccato suo punitur, ita pro suo bene facto mercedẽ recipit, ergo sicut benefacientes vsque in mille generationes præmium recipiunt, ita male agentes vsque ad mille generationes, vel vltra pro suis delictis cruciabuntur, sed hic facit scriptura mentionẽ differentiæ, quia in peccantibus assignat punitionem vsq; ad quartũ gradum vel generationes, & in bene agentibus assignantur mille generationes. Item quia quando dicitur, q̃ Deus seruat misericordiam suam in mille generationes in his, qui diligunt eum: si accipiatur solum quod Deus benefaciat bonis pro suis benefactis, sequuntur duo inconuenientia.

Primum quòd Deus solum præmium det bene agentibus vsq; in mille generationes, ergo consummatis illis mille generationibus Deus non seruabit misericordiam suam ad bene agentes, quod falsum est, quia quomodocunque aliquis bene agat Deus miserebitur ei dando præmium meriti sui. Secundum inconueniens, quia nescietur vbi incipiant illæ mille generationes, quia de quolibet bene agente dicitur, q̃ Deus miserebitur vsque in mille generationes, quilibet ergo dubitaret vtrum illæ generationes essent finitæ, & sic de præmio sui boni operis ignoraret. Concludendũ ergo quod hoc intelligatur de ipsis patribus bene vel male agentibus, *Doct. opin. vera.*

scilicet,

A *Quare punitio peccati non extenditur vltra quartã generationem*

scilicet, quòd si pater male agat, Deus punit eum, & filios suos vsq; in quartam generationẽ ad maiorem tristitiam patris, vt tristetur in se, & doloribus filiorum suorum, nepotũ, atq; pronepotũ. Et non extenditur punitio peccati alicuius vltra quartã generationem, quia odia semper restringuntur, & fauores ampliantur, vt patet de regulis iuris. in 6. in regula odia, & quando aliquis bonus est diligens Deum, Deus seruat misericordiam suam ad illum vsq; in mille generationes, id est, vsq; in multas & plures, cum Deus pro merito patrum plus prosperat, quàm pro demerito maiorum puniat: nam ad quartam generationem tantũ est punitio. Item quia Deus vult hic ponere magnam pœnam, vt moneat à peccato recedere, sed non est valde magna quando aliquis punitur solus pro peccatis suis; sed quando peccans & sua posteritas puniuntur: secundum primam expositionẽ solum intelligeretur, quòd quilibet Deum odio habens puniretur quod solum est in seipso. Item quia fit hic similitudo de benefaciente ad malefacientem, sicut ergo benefaciens remuneratur, & filij, & alij sequentes sine proprijs meritis, ex merito patris bonũ recipiunt, ita filij peccatorum sine demeritis suis aliquando ex demeritis patrum punientur, sed in hoc est differentia, quia benefacientes ad mille generationes, male agentes solũ ad 4. *Et faciens misericordiam in multa millia.* Aliquandò dicitur ad mille generationes, vt infra 7. ca. aliquando in

B millia sine alia additione, vt patet Exod. 34. cap. quomodocunq; ponatur semper stat numerus certus pro incerto, quia non est nobis determinatum vsq; quot generationes proficiat bonum patris, nec est semper eodem modo, quia aliter prosunt magna merita patrum, aliter parua, & filij aliqui dispositi sunt bonum pro patris merito recipere, & aliqui proprijs actibus demerentur, vt merita patrũ eis non suffragentur. Sicut dicimus de existentibus in purgatorio, alij magis alij minus orationibus ecclesiæ iuuantur secundum quòd viuentes meruerunt, vt magis vel minus iuuarentur. Et satis patet in Abraham, quia merito eius non deleuit Dominus posteros suos, & filij Esau, qui mali erant, tamẽ quia descendebant de semine Abrahæ dedit eis victoriam contra hostes, vt expellerent eos de terra, & acciperent eam in possessionẽ, vt patet supra 2. cap. sic de Dauid cuius merito conseruatum fuit regnum in stirpe eius vsq; ad captiuitatem Babylonis, & post vsq; ad aduentum Christi, licèt permixta cum Leuitica tribu, quod periturũ erat peccatis Salomonis, & sequentiũ, vt patet 3. Reg. 11. cap. & psal. 88. *Non vsurpabis nomen Dei tui.* Vsurpare est rem illicite assumere, vel quod vni pertinet alteri attribuere, & vocatur etiam abuti: Deus enim nomen nõ habet, nec nomine indiget, quia nomen ad notificationem rei inuentũ est: Deus autẽ summe notus est, sed Deus nomẽ habuit, vt in illo eum lauderemus, vel inuocaremus. Qui ergo nomine Dei ad aliquas magicas artes vtitur proferẽdo illud in maleficijs, vel incantationibus, vsurpat illud veb abu

C *Deus ipse summe notus est.* titur, & mulũ peccat, quia si testamentũ Dei peccatori nominare malũ est, vt Psal. 49. peccatori autẽ dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentũ meum per os tuum? quanto magis peccatũ erat pollutis labijs & inutiliter illud accipere? dicitur etiã frustra accipi, quando ita accipitur quasi si non acciperetur, id est cum pauca reuerentia, vel illud vilipendendo, vt si aliquis aliquid per nomen Dei promisisset vel affirmasset, vt si illud non cõpleret, vel quod asseruit verum non esset, frustra Dei nomen assumebat, quia tantũ pro illo faciebat, quantũ si illud non assumsisset, & in hoc multũ vilipenditur nomen Dei, quia vt nihilũ reputatur: detestabile est, quòd per vitam patris iurantes cõpleant, & per nomen Dei promittentes nihil faciamus. In Ægypto mos est, vt si quis per vitam, vel salutem regis iurauerit, & nõ compleuerit morte moriatur, à qua liberari non potest etiã si se auro & lapidibus preciosis ponderaret: quanto magis cum nomen Dei nostri ore assumimus, qui rex regum est, & dominus dominantiũ, Apoc. 1. c. aliquando frustra assumitur, cum in cõmunibus verbis, ex continuo vsu, sine aliqua necessitate, vel congruentia profertur, & tamen non mentimur. Et iste modus minor est alijs modis, quia in alijs malum est ex parte rei, quia ad res detestabiles & magicas profertur, vel ad confirmationẽ falsitatis, & etiam sine reuerentia & timore assumitur, in isto autẽ solum est error, quia non adhibetur timor & reuerentia, sed ex parte rei malum non est. *Quia non erit impunitus.* In hoc præcepto solo ponitur pœna, quia homines assuefacti erant iurare, nec hoc peccatum vel magnum quid esse putabant, ideo ad monstrandum malum esse pœnam comminatur. *Qui super re vana nomen eius assumpserit.* Quanto magis qui super re illicita vel falsa iurauit: vanum enim est quod licitum est, verum est, sed necessarium non est, vt sermones communes pondus non habentes: abstinendum ergo est à iuramento frequenti, quia vir multum iurans replebitur iniquitate: ideo Iacobus dicit: ante omnia fratres mei nolite iurare: Iacob. 5. & Christus sit sermo vester est est, & non non. Matth. 5. & hæc omnia extra de iureiur. cap. & si Christus. Vtendum tamen est iuramento cum tempus & causa exposcit, maxime cum in iudicio petitur. Qui enim nullo modo iuramentũ patrare vult, hæreticus iudicatur: vnde quidam ab ecclesia damnati sunt, quia iuramentum omnibus modis illicitũ esse dicebant. *Obserua diem sabbati.* In hoc præcepto aliquid morale est, aliquid vero cæremoniale, quòd autẽ aliquo tempore Deo vacare debeamus morale est, vt eius beneficiorum recordemur, & laudes debitas referamus, & cogitando de Deo ascendamus in cognitionem, & amorem æternorum, vt ei toto pectore inhæreamus exhibentes debitã seruitutem: hoc enim omnis homo iudicaret qui aliquam veri Dei cognitionẽ haberet. Sed alia sunt cæremonialia, scil. quòd isto vel isto die fiat, & ideo hoc mutatũ, quia quod sabbato ad memoriam creationis fiebat, nunc Dominica die ad memoriam resurrectionis obseruamus, quia magis opera recreationis quã creationis attendimus, imò opera creationis propter opera recreationis in sacra scriptura ponuntur ad Rom. 15. quæcunq; scripta sunt ad nostram doctrinã scripta sunt: doctrina autẽ ad regenerationem pertinet. Erat etiã cæremoniale quantitas obseruationis, scil. abstinere ab omni opere, ita vt cibos illa die parare non liceret, nec ignem accendere: Exod. 35. c. hoc etiam cessauit, quia nò tantũ arctamur nos, sicut Iudæi in obseruatione festorũ, quia licet nobis ignem accendere, & cibos parare: de his latius diximus Leu. 23. c. & latissime Exod. 12. c. in quæstione magna de obseruatione festorũ. Etiã cæremoniale est, quòd vna die integra, scil. 24. horis ab opere vacaremus, & ꝙ hoc qualibet hebdomada fieret semel, sed istæ cæremoniæ non mutatæ sunt, quia nõ habebant spirituales significationes: aliæ autẽ cæremoniæ, ideo mutatæ sunt, quia vmbra erant futurorũ: veniente ergo veritate non debuit manere figura, quia tunc protestaremur Christũ nõ venisse, sicut Iudæi sancti antiquitus in istis cæremonijs vixerũt professentes per eas se expectare Messiam futurũ, absit autẽ à nobis Messiam expectare, nisi vt ad iudicandũ venturũ. Quòd autẽ vna die fieret integra, vel qualibet hebdomada, solum tangit circunstantiam actus, & nõ aliquam significationem.

D *Abstinendũ est à frequenti iuramẽto.*

Sabbati obseruantia qualis.

E

F

An præcepta legis nouæ aliqua sint cæremonialia, aliqua iudicialia, aliqua moralia, vt in lege veteri,

QVÆSTIO V.

VNDE & in lege noua cæremoniæ aliquæ manent quæ fuerunt in veteri lege. Vnde distingui possunt præcepta legis nouæ in moralia, cæremonialia, & iudicialia, moralia autem sæpe in nouo testamento repetuntur, vt Matth. 19. vbi quasi omnia ponuntur, & in multis alijs locis. Iudicialia sunt quæ statum Ecclesiæ, & personarum, inter se ipsas tangunt, vt qualis esse debet Episcopus, qualis diaconus, vt prima ad Timoth. 3. cap. qualis esse debet status conuersorum se non scandalizantium, vt ad Rom. 14. & 1. Corint. 8. qualiter nos ad infideles habere debemus: prima ad Cor. 9. c. & 10. qualis debet esse status coniugatorum, vt 1. Cor. 7. & sic de multis alijs: alia cæremonialia sunt, scil. quibus quilibet immediate se in Deum habet, & ista sunt principaliter sacramenta nouæ legis, sic in veteri legi erant sacrificia, & sic habetur Mat. 28. de baptis. Ioã. 3. c. & de eucharistia Matt. 26. & Io. 6. c. Et de confirmatione: actuũ. 9. c. & de sacra vnctione. Iacob. 5. c. Et sic de alijs sacramentis. Et eodẽ modo de omnibus præceptis, vel consilijs quibus homo se immediate habet in Deum. Sed differunt cæremonialia, & iudicialia legis nouæ à veteri lege, quia hic præcepta cæremonialia, & iudicialia mutabilia non sunt, sed in legi veteri mutabilia

erant:

A erant: ratio diuersitatis est, quia esse præceptorum in lege veteri erat significatio futurorum: cum autem hoc significatum desineret esse futurum, & inciperet esse præteritum, necesse erat signum etiam variari: in lege autem noua si aliqua cæremonialia signãt, referuntur ad præteritũ, & hoc impossibile est desinere, etiam si infinitũ tempus transeat, quia impossibile est esse ingenita quę iam sunt genita, vt ait Agathõ, & patet 6. Ethi. ideo in lege noua ęqualis durationis sunt cęremonialia, & iudicialia cum moralibus, manent ergo in æternum, quia huic legi altera nõ succedet. *Vt sanctifices eum.* Id est, vt ad cultũ meum applices laudibus meis, & memoriæ beneficiorũ insistendo, nihil diem obseruare valet à laboribus vacando, nisi Deo applicetur siue sanctificetur, eum illa die spiritualiter venerando, ideo valde errant qui dies festos ad solam quietẽ à labore introductos putant, quid enim ad Deum pertinet, quòd nos laboremus siue quiescamus? solum à nobis laudem requirit, in eo meditationẽ, quæ si cum labore corporis perfecte stare possent, à labore corporis nũquam abstinere mandasset, sed quia anima nostra quanto plura attendit, tanto minus quodlibet illorum attendit, ideo vt vni perfecte inhæreat, ab omni alio opere vacare præcipitur. Sabbatum autẽ ꝙ requies dicitur nõ à requie corporali, sed ab spirituali nomen accepit: sabbatũ ergo nõ custodiuit, qui Dei laudibus nõ intendit. *Et facies opera tua.* Id est opera ad tuam vtilitatẽ vel seruitium pertinentia, quæ seruilia dicuntur, ergo in septimo die opera mea facies solum. *Id est requies Domini Dei tui.* id est, requies à corporalibus operibus applicata ad seruitium Domini Dei tui. *Bos, & asinus, & omne iumentũ tuum.* Ad magnum honorem & reuerentiam Dei, vt non solũ nos, sed etiã res nostræ Deum laudare videantur, vel quia si res nostræ circa labores nostros essent occupatæ, nos, licet corpore nõ operaremur, mente tamen faceremus curã de illis habẽtes, & hoc satis poterat nos à diuinis abstrahere laudibus. *Et peregrinus qui est intra portas tuas.* id est conuersus de Gentilitate ad iudaismũ, qui habitat intra portas ciuitatis tuæ, quia isti tenebãtur ita obseruare sabbatũ, & totam aliã legẽ, sicut qui de Iudæis orti sunt, & Leu. 24. & Nu. 35. & sup. 1. c. Nam quandocunq; aliquis de Gentilibus volebat cõuerti ad ritũ Iudaicum, circuncisionẽ primo recipiebat, quæ erat distinctiua populi Dei à cæteris populis, cũ poneretur vt signũ, vt patet ad Ro. 4. c. recepta autẽ circuncisione erat perfecte Iudæus, ideo obligabatur ad omnes circunstantias obseruationũ iudaicarũ, sic ait Apostolus ad Gal. 5. c. cum dicitur testificor omni homini circuncidenti se, ꝙ vniuersæ legis faciendæ debitor sit, sic .n. est apud Christianã religionẽ, quòd si aliquis semel susceperit baptismũ, qui est prima ianua credentiũ, & aliquid efficiens hominẽ formaliter Christianũ, obligat ad omnes obseruantias Christianorũ. *Memento quòd seruieris in Ægypto.* Ista est causa superioris, scil. ꝙ seruos, & ancillas, à labore relaxare debent, quia ipsi in Ægypto serui fuerunt, & voluerant, sic eis fieri. *Et eduxit te dominus inde, ideo præcepit vt obserues diem sabbati.* Non est intelligendũ, ꝙ propter eductionẽ de Ægypto mandauerit Deus sabbatũ custodiri, quia sabbatum nihil signat de eductione Ægypti, sed datum fuit sabbatũ propter significationẽ creationis & quietis, vt patet Exo. 20. c. quod ergo dicitur hic est intelligendũ, quia Deus fecit magnũ beneficium educendo eos de Ægypto, ideo eis mandatũ sabbati dare iuste potuit, & ipsi recipere debuerunt tanquã grati de beneficio accepto: potest etiã referri ad quietem seruorũ in sabbato, & est sensus, quia eduxit te Deus de Ægyto in qua seruiebas, ideo mandat tibi, quòd seruis miserearis permittendo eos in sabbato quiescere, sicut tibi fieri in Ægypto desiderabas, vel ideo dedi tibi mandatũ, quòd quiescerent serui in sabbato, vt memoreris, quòd te inde eduxerim, & ista est congruentissima expositio, vt sicut per quietẽ illius diei Deus eos memores faciebat de creatione mundi, ita per quietem seruorũ in illa die memores sint eductionis de Ægyptiaca seruitute. *Honora patrem tuum.* In exhibitione reuerentiæ ei se inclinando, & mandatis obediendo. Et subsidium corporale cum indigent impendendo, vt Christus determinauit contra Pharisæorum traditionẽ, qui dicebant satis esse verbo parentes honorare, & templo dona offerre. Sed Christus multũ eos redarguit, quia ex auaritia hoc dicebant, vt patet Marc. 7. c. cum dicitur bene irritũ facitis præceptũ Dei, vt traditionem vestram seruetis: Moyses enim dixit honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri aut matri morte moriatur: vos autẽ dicitis si dixerit homo patri aut matri corban, quod est donũ quodcunq; ex me tibi proficiet, & vltra non dimittitis eum quicquã facere patri aut matri rescindentes verbũ Dei per traditionẽ vestram, & hoc etiam respectu dominorũ vel prelatorum dicitur quibus naturaliter obedire tenemur, quia nos regulant, & nostri curam gerunt, licet magis de patre & matre carnalibus intelligimus, quia ab eis esse nutrimentum & disciplinam assumpsimus: nullus enim dominus temporalis tantũ dare potest. *Sicut præcepit tibi dominus.* Id est Exod. 20. quando dedit legem. *Vt longo tempore viuas.* In nullo alio præcepto præmiũ ponitur nisi in isto, vt inducantur homines ad honorandũ parentes, & iuste honoranti patrem longitudo vitæ promittitur, vt qui honorat essendi principium, in essendi diturnitate præmietur. *Et bene sit tibi in terra, quam Deus daturus est tibi.* Id est vt in ea omniũ rerum affluentiam habeas, & in pace viuas, vt qui nutrientẽ se honorat, affluentem in rebus temporalibus nutritionẽ inueniat, & promittuntur hic ista terrena, quia Deus rudi populo loquebatur, qui spiritualia non capiebat, sed vtrunq; habet, quia ista temporalia accipit & vitam æternã meretur, quia honor patris cum charitate meritorius actus est vitæ æternæ. *Non occides.* opere, nec consilio, nec concensu, nec permissione: homicidij reus videtur qui aliquẽ occidi permittit, quem iuste à morte eripere posset: vnde nõ caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desunt obuiare, extra de homicidio. c. sicut dignũ, Et hoc nec directe nec indirecte, scil. subtrahendo cibum, vel alia necessaria in articulo necessitatis: vnde Augusti. pasce fame morientẽ, quod si nõ paueris occidisti, nec odiendo, vel detrahendo, vel inuidendo, quia per ista occidere dicimur, quia qui odit fratrẽ suum homicida est, prima Ioan. 3. cap. maxime in detrahendo, quia honorẽ, famam, & nominis celebritatẽ destruimus, quæ mors ciuilis est. Principes autẽ & domini tẽporales, & omnes personæ publicæ iudicandi auctoritatẽ habentes, iuste occidere possunt, quia gladius eis à Deo datus est ad vindictã malorũ, & bonorũ laudem: ad Ro. 13. & prima Petri 2. cap. & extra de homic. c. in Archiepiscopatu, & quia solũ ea prohibentur, quæ ab intẽtione fiunt, & regulari possunt, ideo causalia homicidia, quæ præuideri nõ possuntr nec à voluntate imperantur, sub hoc præcepto non cõprahenduntur. *Non mœchaberis.* Omnis coitus qui sine matrimonij fœdere fit, prohibetur hic, siue simplex fornicatio cum soluta, siue adulterium cum coniugata, siue virginũ stupra, siue consanguinearum incestus, siue detestabilis cum masculis, pecoribus iumentis alijs, quæ magis necessariũ est silentio occultare. *Non furtum facies.* Siue occulte inuito Domino subtrahendo, siue palam per potentiã rapiendo, & in hoc præcepto omnes iniustæ extorsiones sunt, quas domini vel prælati in subditos exercẽt, & omnes illicita rei acquisitio, sicut per vsuram, & fraudulentos cõtractus, iniustas emptiones, vel venditiones, & alia quæ cõmutationes humanas respiciunt, vt paragogia, serui seductio, de quibus philosophus. 5. Ethic. *Nec loqueris contra proximũ tuum falsum testimoniũ.* Qui enim cõtra Deũ falsum testimoniũ dicit, scil. falsa asserendo, vel vera negando, qualiter hæretici faciunt, grauissime peccant, & ad primũ præceptum ista reducuntur, in quo demonstratur vnitas, veritas & bonitas, & summa potentia Dei. Contra proximũ falsum testimoniũ istis duobus modis dicitur, scil. vera negando, & falsa asserendo, siue in iudicio, siue extra iudicium, & grauius tamen qui in iudicio, quia per tale testimoniũ infamia inducitur, & pœna infligitur, & ibi non solum nocet illi contra quem testimonium profert, sed etiam Deo offensam facit, & iudici, vt ait Aug. & habetur extra de crimine falsi. c. falsidicus, siue iuramento, affirmet, siue sine iuramento: grauius tamen qui iurat, quia contra duo præcepta committit, scil. contra 2. & 8. Et ad hoc genus reducuntur omnes susurrationes, detractationes, & generaliter omnes murmurationes, & famæ proximi obnubilationes, quæ omnia de vitiatis radicibus, scil. inuidia & ira procedunt. *Non concupisces vxorem proximi.* Ex hoc patet quod omnis homo proximus est, quia nullius vxorem concupiscere licite possumus: hic autem interiorem actum malum reprimit, cum ante exteriorem reprehendisset.

B

C

D

E

F

Obligat circuncisio Iudæos, vt baptismus Christianos

Non occidere quotupliciter intelligatur.

Duobus modis falsum testimonium contra proximum dicitur

A

Quid intelligitur nomine concupiſcentiæ, & de regulatione virium animæ.

QVÆSTIO VI.

ET non eſt intelligendum, quòd concupiſcentia vxoris, vel rerum alienarum ſolùm vitium ſit, quia maius peccatum eſt deſiderium occidendi, & deſiderium colendi idola, quia ſi aliquis diceret, quòd vellet colere idola, lapidibus moriebatur, infrà 13. cap. ſed non occideretur aliquis ſi diceret, quòd vellet commiſceri vxori alterius, niſi vltrà proceſſiſſet. Ponitur autem hic hoc præceptum propter duo: Primò vt demonſtretur, quòd actus interior per ſe peccatum eſſe poteſt, vel ad meritum, & intelligamus per iſtam concupiſcentiam omne aliud malum deſiderium. Secundò & maximè, vt eos arceret ab eo ad quod multum inclinati erant: deſiderare enim vxorem, vel rem alterius, ad concupiſcibilem pertinet, quæ de delectabilibus eſt, quæ multùm inclinant. Deſiderium autem occidendi ad iraſcibilem pertinet, deſiderium autem colendi idola ad partem rationalem, quæ ſolùm ſunt de bono, & non de delectabili, niſi ex aliqua ſuppoſitione, ideo non tantùm inclinant, quare non tam expreſsè prohibentur. *Non domum.* Id eſt, nullam rem proximi, ſiue viuentem, ſiue immobilem, ſiue non viuentem, ſiue mobilem, ſiue artificialem, ſiue naturalem: patent omnia exempla in litera. *Non ancillam.* Ancillam aliquis concupiſcere poteſt dupliciter, ſcilicet ad carnalem commixtionem, & tunc pertinet ad præceptum de vxore: ſi autem concupiſcat ad ſeruitium, pertinet ad hoc præceptum. Iſta decem præcepta ſunt decem communiſſimæ totius hominis regulati propoſitiones. Et quia potentiæ paſſiuę in ſuis actibus regulari non poſſunt, quia voluntatis imperio non ſubiacent: ſolas illas quę aliquo modo actiuæ & paſſiuæ ſunt, regulare debemus, & iſtæ propriè inclinatiuæ vocantur, & ſunt tres, ſcilicet, rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis. Et non turbetur aliquis, quia dicimus rationalem regulari, cùm ipſa omnium actuum regula ſit, vt patet 2. Ethic. in c. de diffinitione virtutis, dicitur enim rationalis regulari, cùm circa aliqua, quæ per ſolã partem rationalem deſideramus, benè nos habemus, vt circa famam, honorem, deſiderium ſciendi, cultum Dei, & ſimilia quæ non concupiſcimus per iraſcibilem, nec concupiſcibilem, quia nulla animalia, niſi rationalia, hæc concupiſcunt. Sed regulat & regulatur rationalis, quia duas partes habet, ſcilicet intellectum qui regulat, & voluntatem quæ regulatur: vnde regulatur rationalis reſpectu Dei, & reſpectu noſtri: reſpectu Dei, quantum ad cultum ſibi principaliter debitum, & ſic eſt primum præceptum de non colendo deos alienos, aut circa vſum nominis Dei, & circa hoc eſt ſecundum præceptum de non aſſumendo nomen Dei in vanum, aut circa

B

C aliquid quod propter ipſum facimus, vt nos ad eum reducamus, & ſic eſt tertium mandatum de cuſtodia ſabbati, in quo ad ſolum honorem Dei ſine aliqua noſtra vel proximorum vtilitate nos in Deum reducimus per contemplationem, vacando ab operibus corporalibus: aut regulatur rationalis circa aliquid quod proximo debetur, ſcilicet circa honorem, & ſubſidium maioribus exhibendum, & ſic eſt mandatũ quartum de honorando parentes. Secunda potentia vel vis regulabilis eſt iraſcibilis, & iſta & ſequẽs nõ ſunt circa Deum: nõ enim habet aliquid Deus reſpectu cuius ira ſit vel concupiſcentia. Et ſi dicas contra, quia circa Deum vt maximum bonum ſpes, vel deſperatio eſt, & etiam Deum concupiſcimus, vt nos beatificãtem, & ſic communiter dicimus, quòd Deum amamus amore amicitiæ, & amore concupiſcentiæ.

Reſpondetur, quòd ſpes & deſperatio ad iraſcibilem pertinent reſpectu alicuius magni boni, quod naturaliter habere poſſumus, aut quod ſaltem naturaliter cognoſcatur, licèt naturaliter haberi non poſſit, ſicut hominem habere immortalitatem naturaliter cognoſcibile eſt, quia per mortem cognoſcitur immortalitas, tamen immortalitas naturaliter haberi non poteſt: ſic etiam montem aureum naturaliter cognoſcimus, licèt nõſit per phantaſticã compoſitionem, tamen naturaliter haberi non poteſt, ideo naturaliter haberi poteſt deſperatio de immortalitate, vel de monte aureo, quæ pertinet ad iraſcibilem: illud autẽ bonum circa quod eſt ſpes noſtra in Deo, aut deſperatio, naturaliter cognoſci non poteſt: nam licèt, vt ait Apoſtolus ad Rom. 1. c. inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius deitas, & licèt fortè naturaliter cognoſcere poſſem⁹, quòd Deus eſt, & bonorũ remunerator eſt, vt videtur innuere Apoſtolus ad Hebr. 11. c. tamẽ quòd Deus tali vel tali modo remuneraturus ſit nos, naturaliter cognoſcibile non eſt, ideo cognoſcere, quòd Deus pro bono opere noſtro facto in charitate dabit nobis vitam æternam, ſcilicet viſionem claram de ſeipſo, & fruitionem perfectam, naturaliter cognoſcibile non eſt, nec vnquam quiſq; hominum cognouiſſet, niſi Prophetæ illud enunciaſſent, vt patet Eſai. 64. c. cùm dicitur: à ſeculo non audierunt, nec auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te quæ præparaſti diligẽtibus ſiue expectantibus te, & Apoſtolus 1. ad Corint. 2. c. ait: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Chriſtus autem huius veritatis ſupernaturalis primus explicitus reuelator ſæpiſſimè in Euangelio promittit benè agentibus vitam æternam: vnde primi ſermones quos euangelizauit de hoc fuerunt: nam cùm prædicare incœpiſſet, dixit: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum, vt patet Matth. 4. c. cùm ergo ſpes & deſperatio quę ſunt ad Deum, vt circa aliquid maximum, id eſt, vt promittit nos ex ſuaſione glorificandos, excedat naturam, quia nec naturaliter haberi poteſt, ſed ex ſola gratia, vt patet Matth. 19. c. vbi cùm Chriſtus quædam ad ſaluationem dixiſſet, quæ diſcipulis ſuis valdè dura videbantur, ſubiunxit litera: auditis his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe? Aſpiciens autẽ Ieſus dixit eis, apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia ſunt poſſibilia, & ſicut naturaliter haberi non poteſt, ita nec cognoſci, vt ſuprà inductum eſt: ſpes ergo quæ de Deo habetur, non ponitur in iraſcibili, qa iraſcibilis ſit vis animæ, quicquid in ea ponitur, aut eſt motus quidam, qui vocatur paſſio iræ, aut quidam habitus benè aut malè regulatiuus, qui eſt habitus moralis, qui naturaliter acquiri poteſt: ponitur ergo ſpes de Deo in voluntate noſtra, & non gignitur à nobis iſta virtus, ſed à Deo infunditur, cùm ponatur de Theologicis, licèt quotidie magis ac magis de Deo per lectionem ſacrarum Scripturarum cognoſcentes firmius expectamus, & aliquis qui ſperare non videbatur, iam ſperat, ſic ait Apoſtolus ad Romanos 15. cap. quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus: ſic dicitur de Fide, ſic de Charitate, quòd non ſunt motus paſſionum, ſed quidam ſupernaturaliter infuſi de ſupernaturali bono amabili, aut credibili: de deſperatione autem quæ oppoſita Spei, aliter eſt dicendum, ſcilicet, quòd non ſit ſupernaturaliter à Deo nobis infuſa, ſed à nobis voluntariè gignitur: ſi enim Deus gigneret deſperationem ſicut gignit ſpem, cùm per deſperationem mereamur pœnam æternam, Deus

F exiſteret principalis actor peccati noſtri, & ipſe nos iniuſtè damnaret, quod nefas eſt: nos autem per deſperationem gignimus, quæ inſurgit ex quodam defectu: ideo non requirit cauſalitatem poſitiuam alicuius virtutis.

D

E

Iraſcibilis eſt anima paſſio.

Damnari & ſaluari ſunt circa idem.

QVÆSTIO VII.

ET non eſt inconueniens, quòd iſti duo habitus ſint circa idem obiectum ſupernaturaliter cognitum, & bonus inducatur naturaliter, & alius ſuper naturam, ſicut patet de ſaluatione & damnatione, quæ ſunt aliquo modo actus, & aliquo modo paſſiones: nam circa idem eſt ſaluari, & damnari: ſaluari namq; eſt adipiſci illud ſummum bonum: damnari autem eſt deficere ab illo, ſed ſaluatio noſtra eſt à Deo, vt patet Matthæi decimonono cap. vt ſuprà diximus: damnatio autem eſt à nobis, ſic patet Oſeæ duodecimo capite, cùm dicitur: Perditio tua Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum, id eſt perditio eſt tua, ſcilicet à te: auxilium autem, id eſt ſaluatio tantummodo ex me: ſic ergo patet, quòd ſpes virtus ſupernaturalis eſt nobis à Deo infuſa: nam Deum naturaliter habere non poſſumus, ideo ſpes circa illum vir-

A

tus infusa est, & non passio : desperatio à nobis, quia à Deo naturaliter deficere possumus, cùm sit bonum maximè à nobis elongatum. Sic est in nobis naturalis amor respectu rerum naturalium: sed amor erga Deum charitas est, scilicet habitus infusus, sic de concupiscentia: si enim Deum amore concupiscentiæ diligimus, illa concupiscentia non est aliqua passio naturalis in potentia concupiscibili, sed quidam amor in voluntate rationali, quo ordinatè Deum amamus, vt nos beatificantem, & dicitur amor concupiscentiæ, quia ibi Deũ ad nos volumus, sed nec propter hoc eo vtimur, sed fruimur, immò necesse est bonum fruibile amore concupiscentiæ amari, & sic felicitatem amamus.

Quid sit amor amicitiæ et amor concupiscẽtiæ.

De amore amicitiæ circa Deum, & amore concupiscentię dicendum est, quòd amor amicitiæ est, quando amamus aliquid propter seipsum, vel saltem amamus ipsum, & non amamus illud vt bonum nobis. Amor concupiscentiæ dicitur, cùm amamus aliquid non vt ipsum in se diligamus, & aliquid ad ipsum diligamus, sed quòd ipsum ad nos volumus, sic enim nos amamus vinum, aut equum, aut librum, vt ait Philosophus 8. Ethic. non quidem quòd ego velim bonum equo, scilicet, vt ipse bonus sit in se, sed amo equum, id est cõcupisco, quia volo eum pro me, sic de vino, ego enim non desidero aliquod bonum vino in se, sed desidero vinum ad me, scilicet, vt ipsum habeam. non est ergo ad equum vel vinum amor amicitiæ, sed amor concupiscentiæ, si autem ego

B

amo patrem meum, non amo eum amore concupiscentiæ, sed amore amicitiæ, quia non volo ego patrem pro me, sicut volo pro me pecunias, vel vinum, sed amo eum, quia volo pro ipso bonum, scilicet quòd vellem eum esse incolumem, & honoratum, ditatum, & sic de alijs bonis quæ ei volo: illa enim bona amo amore concupiscentiæ, quia pro alio, scilicet pro patre ipsa volo: patrem autem amore amicitiæ amo solum, & non concupiscentiæ, quia non diligo eum pro me, vel pro alijs rebus, sed alia diligo propter ipsum.

Duplici amore Deũ amamus.

Circa Deum sunt isti duo amores: nam amamus eum amore concupiscentiæ, quando non amamus ipsum, vt ipsi bonum sit in se, sed amamus eum, tanquam bonum nobis, scilicet tanquam bonum beatificans nos, & sic nos desiderare Deum videre, vel amare eum, vt det nobis vitam æternam, est amarè eum amore concupiscentiæ, quia eum pro nobis concupiscimus.

Sed dicet aliquis, videtur quòd amare Deum amore concupiscentiæ, sit amor deordinatus, & consequenter peccatũ, quia videtur esse hoc vti fruendis. Si autem nos desideremus Deum, vt nobis det aliquid, desideramus ipsum propter alterum, & sic vtimur ipso quo frui debebamus, sicut si ego colam Deum, vt faciam me diuitem, vel pulchrum, aut sapientem, pecco mortaliter, quia ipsum ad alterum diligo: sic ergo hic.

C

Respondetur, quòd ratio peccati in vtendo fruendis, & & fruendo vtendis est in hoc, quia mutatur ordo, & gradus bonorum: nam bonum secundùm seipsum est diligibile, quia bonum est, quod omnia appetunt, vt patet in principio 1. Ethicorum. si ergo aliquid magis bonum est, magis diligibile est, si maximè bonum, maximè diligibile, per regulam communem Philosophi 2. Topicorum. si simpliciter ad simpliciter, & magis, ac maximè: secundùm ergo hoc si aliquid quod magis amabile est, minus amatur, vel si aliquid quod minus amabile est, magis amatur, mutatur ordo naturalis diligibilium & peccatur, quia in practicis error peccatum est: Deus enim omnium entium optimum est, ideo maximè diligibile est, si autem nos aliquam rem magis quàm Deum diligamus, iam peruertimus ordinem amoris, & peccamus.

* * *

D

De distinctione eorum quæ diliguntur, & quæ sit dilectio ad Deum.

QVÆSTIO VIII.

PRÆTER hoc considerandum est, quòd eorum quæ diliguntur, quædam diliguntur vt fines, quædam vt ea quæ sunt ad finem: fines autem ratione maioris boni magis diliguntur, & inter ipsos fines subordinatos fines architectonici sunt nobiliores, & amabiliores, vt ait Aristot. in principio 1. Ethic. quandocunque ergo aliqua res propter alteram diligitur, minus diligitur, quàm illa propter quam diligitur: si ergo aliquis diligat Deum propter aliquam aliam rem, & dicat se diligere Deum super omnia, includit contradictionem. cùm ergo quisquam Deum diligit, vt eum diuitem faciat, Deum diligit amore concupiscentiæ: tamen peruertit ordinem diligendi, quia per se & vt finem intentum intendit diuitem esse, & diligit: Deum autem diligit nõ quidem secundùm se, sed secundùm alterum, scil. inquantum proficit nobis ad esse diuites: fruimur ergo hic vtensibili, & vtimur fruibili, & peccamus valdè, quia Deum non, vt finem diligimus, sed vt id, quod est ad finem: quando autem Deum amamus amore concupiscentiæ, vt nos beatificet, nulla peruersitas ordinis est, quia sic Deus summum bonum est, & finis architectonicus, ita nos eum concupiscimus, vt finem vltimum & summum bonum: beatitudo enim est summũ bonum & finis, & ipsam desideramus propter se, atque alia propter ipsam. Cùm ergo desideramus Deum tanquam beatitudinem nostram, desideramus eum, vt finem, & summum bonum, & sic nullo modo mutatur gradus bonitatis diuinæ, qa nihil ei præponitur, nec potest Deus in maiori gradu diligi, quàm vt finis architectonicus diligatur. Amor ergo iste concupiscentiæ quo amamus eum, vt beatificantem nos, amor ordinatus est, & sic notãter dicitur, quòd nõ diligimus Deũ vt bonum pro bonis, sed vt bonum nobis, quia ly pro notat causam finalem, & hoc mandat nobis Deus, vt amemus eum concupiscendo eum nobis, quia sic magnum bonum profitemur in eo, cùm dicamus nos indigere ipso tanquam summo bono perficiente nos, & vult vt velimus nos ipsum, qui est summum bonum, communicare nobis suam bonitatem, quia bonum sui ipsius est diffusiuum, & in isto amore contingit nos frui Deo, quia frui est quiescere in aliquo bono totaliter delectabili & completissimo, quod satiet radicitus appetitum: hoc autem non est, nisi quando nos volumus adhærere illi bono completissimo, per cuius adhæsionẽ replemur & hoc est illud bonum concupiscere. Amamus autem Deum amore amicitiæ, cùm amamus ipsum, non tanquam facientem nobis aliquod bonum, sed vt ipsi bonum sit, scil. quia volumus, quòd Deo multæ laudes dentur, & quòd multos cultores habeat, & quòd in omni terra nominetur gloria eius.

E

F

Nam licèt ipse istis bonis, quæ nos facimus non indigeat, tamen nos valdè meremur, quia ista ei vel pro eo diligimus, & gratos nos habet, & isto modo amantes eum dicimus, quòd benedictio, & claritas, & gratiarũ actio, & fortitudo sit Deo nostro, & petet quòd ista Deo valdè acceptentur: nam Deus ordinatus diligit nosipsos, quàm nosipsi diligamus alterutrum: nam ipse totaliter liberaliter diligit, nos autem aliqualiter curui sumus. sed sic est apud homines, quòd si aliquis valdè diues & potens habeat amicum pauperem, etiam si nullũ bonum pauper diuiti conferre potest, si tamen placet sibi valdè, quia amicus suus diues est in tanta prosperitate, & desiderat, quòd semper in eadem maneat, amicus diues recipiet hoc in gratia, & acceptabit voluntatẽ amici pauperis dato, quòd vltrà nihil conferre possit à fortiori ergo Deus qui liberalius diligit, acceptabit voluntatem quãdo nos desideramus, quòd magnæ laudes dentur ei, vel quòd bonos & multos cultores habeat, & sic de cæteris.

Amor amicitiæ maior est ad Deũ quàm amor cõcupiscẽtiæ.

Si autem quæras quis amor istorum ad Deum sit maior? Respondetur, quòd sine dubio valdè maior est amor amicitiæ, quam amor concupiscentiæ, id est quòd valdè maius & melius est desiderare, quòd Deo dentur multæ laudes, quàm desiderare, vt det nobis vitam æternam, quod est desiderare, vt summum bonum nostrum. Et patet, quia licèt istos duos amores ad Deum habere debeamus, tamen solus amor amicitiæ

A

citiæ eſt amor charitatis: amare namque Deum, ſcilicet volendo pro eo, vt ei dentur multæ laudes, eſt amare eum ex charitate, ſed amare eum vt det nobis vitam æternam, nõ eſt habere charitatem ad Deum, ſed habere charitatem ad nos, ſcilicet, velle nobis ſummum bonum: ideo diligendo Deum amore concupiſcentiæ nihil meremur, quia non eſt propriè diligere, ſed concupiſcere, niſi fortè mereamur per accidens, ſcilicet inquantum nos habentes iſtum actum ſumus in charitate, & ſic meremur in comedendo, vel dormiendo, qui sũt indifferentes: nam charitas eſt radix merendi, ſuper quemcunque ergo actum cadat, qui ſit compoſſibilis cum charitate, faciet eum meritorium. Et ideo ſi aliquis ſolùm concupiſcat Deum, vt det ei vitam æternam, nihil magis meretur quàm ſi nihil concupiſceret, vel quàm ſi dormiret: ideo ad actum contritionis non ſufficit quòd aliquis deſideret vitam æternam, ſed quòd Deum diligat ex charitate, ſcilicet amore amicitiæ: etiam patent ſupradicta, quia nullus poteſt diligere Deum amore amicitiæ quin ſit in charitate, quia vel ante ſtabat in charitate, vel per iſtum actum reducitur ad charitatẽ: ſed poſſumus amare Deum amore concupiſcentiæ exiſtentes in multis peccatis: nam aliquis qui actualiter eſt furans, vel eſt in alijs peccatis, poterit deſiderare vitam æternam, ſed impoſſibile eſt cum peccato mortali exiſtere amorem amicitiæ ad Deum. Patet ergo de his, & ſi cùm iraſcibilis malum aliquando proſequitur deſtruendo totaliter, & ſic eſt mors quæ pertinet ad homicidium, aut aliquid in re deſtruendo, & ſic faciendo perdi bonam famam: vel res, & eſt falſum teſtimonium, quod pertinet ad octauum præceptum. Tertia & vltima quæ regulatur eſt concupiſcibilis, & eſt circa bonum delectabile. Et tunc fit vitium dupliciter, vel in actu interiori, vel in exteriori, aut quantum ad id quod eſt delectabile tactui, & ſic eſt nonum de non concupiſcenda vxore proximi, aut quantum ad res vtiles, quæ in delectabile tactui ſiue guſtui ordinantur, & ſic eſt decimum præceptum de non concupiſcendis rebus proximi. Si autem conſideretur quantum ad actum exteriorem, eodem modo diſtinguendo, ſcilicet aut in delectabile tactui, & ſic eſt ſextum mandatum de non fornicando, aut de vtili, & ſic eſt ſeptimum de non furando.

Charitas eſt radix merẽdi

B

Hæc ſunt verba. Hic ponitur tertium, ſcilicet quorundam conſequentium diſpoſitio. *Hæc ſunt verba.* Hoc dicit Moyſes, q.d. non intelligatis, quòd hæc à me ipſo nouiter fingo: quia Deus iſta vobis locutus eſt in monte Oreb. *Ad omnem multitudinem veſtram.* Quaſi dicat, quando Dominus dicebat iſta in monte Oreb, omnes eratis congregati audientes, vt colligitur Exod. 19. cap. vbi mandauit Deus Moyſi, vt purificaret populum vſque in diem tertium, & poſtea ſequitur, quòd eduxit eos extra loca caſtrorum ad radices montis, vt audirẽt Deum loquentem in tuba, & hoc poſſibile erat, quia innuebatur pactum ſempiternum cum toto populo, in quo imponebatur ei onus durarum obſeruationum: ideo omnes vt cõſentirent, debebant ei præſentes eſſe. Et licèt quantum ad præcepta decem moralia, quæ Deus per Angelum dixit, omnes obligati eſſent naturaliter: ideo quando recitarentur cogerentur conſentire, cùm iniuncta eſſet iam eis obligatio: tamen ad præcepta cæremonialia vel iudicialia non erant naturaliter obligati: ideo requirebatur nouus eorum conſenſus, ad quem confirmandum totus populus venire debebat, vt non viderentur obligatæ certæ ſingulares perſonæ, ſed totus populus, & conſequenter ſucceſſores eorum. *In monte.* Scilicet in mõte Oreb, ſiue Synai, qui erat apud eos, cùm de nullo alio faciat Scriptura tam ſpecialem mẽtionem, quòd quocunque nomine nuncupetur intelligitur ſatis quid ſit. *De medio ignis.* Præcedenti cap. iſta expoſita ſunt, ſcilicet quòd de monte Synai, in quo iſta fiebant, videbatur erumpere ignis magnus de cacumine montis, & ille ignis tendebat in altum, nec tamen videbatur ibi eſſe aliquis ignis, niſi quia fumus magnus emittebatur: cauſa erat, quia nubes denſiſſima operuerat montem, & in medio montis in altum, vbi erat ignis, eleuabatur quiddam valdè obſcurum, & illud vocatur caligo: quia nubes impreſſio eſt quædam condenſata ad modum nebulæ, & eſt aliquo modo nebula, licèt denſitas faciat aliquando ad obſcuritatem, interdum autem ad maiorem perſpicuitatem: nã id quod nigrum eſt, ſi fuerit denſum, erit tanto magis nigrum: ſi autem fuerit candidum ex dẽſatione erit

Quorũdam cõſequentium diſpoſitio quæ fiebant in monte, dum loqueretur Deus

C

fulgidius: nubes tamen hic impreſſionem aliquo modo lucidam ſignat: caligo eſt impreſſio meteorica valdè obſcura & denſa, & iſta duo erant in monte: nubes enim quantum ad extremitates montis diſtantes à medio, de quo videbatur erumpere ignis: caligo autem quantum ad medium, in quo fumus aſcendebat de cacumine montis, & in illa caligine videbatur formari vox tubæ, quæ ſonabat omnes iſtas voces, de quibus dictum fuit, de his clariùs innuitur Exod. 19. c. *Nihil addens.* Id eſt, non dixit plura verba quàm iſta, ſcilicet in ſententia: ſed in verbis ſic, quia ibi data fuit cauſa de obſeruatione ſabbati, ſcilicet quia Deus illa die quieuit ab omni opere ſuo: hic autem non ponitur cauſa. *Et ſcripſit ea in tabulis.* Scilicet, angelus: quia angeli fuerunt miniſtri legis, & eam Moyſi dederunt, ad Galat. 3. Lex confirmata per angelos in manu Mediatoris, & hoc intelligitur tam de primis tabulis, quæ fractæ fuerunt, quàm de ſecundis quæ manſerunt. Vtræque enim digito Dei, id eſt mandato Dei, & miniſterio angelorum conſcriptæ fuerunt: ſed differentia eſt, quia primæ creatæ ſunt nouiter à Deo, vt patet Exod. 32. tabulas factas opere Dei, & deinde ſcriptas digito eius vocat: tabulæ ſecundæ per Moyſen dolatæ & diſpoſitæ ſunt, vt patet Exod. 34. c. *Quas tradidit mihi.* Aſcenderat Moyſes in montem, & ſteterat ibi quadraginta diebus cum Domino, poſt quos dedit ei tabulas, ſcilicet primas quæ fuerant factæ opere Dei, id eſt nouiter creatæ; & deinde angelorum miniſterio ſcriptæ, quod vocatur ſcriptũ eſſe digito Dei: has tulit ſecum Moyſes, & fregit, quia vidit populum idololatraſſe, & occiſis 23. millibus conuerſus orauit pro eis Dominum 40. diebus continuè, & poſt hos mandauit ei Deus dolare, & præſcindere alias tabulas, quas angeli ſcripſerunt iuxta verba priorum, de quo Exod. 34. cap. nunc de tabulis ſecundis curat, quia iſtæ manſerunt apud eos, & erant in arca fœderis: de omnibus latè habetur infrà 9. c. in litera. Fuerunt autem iſtæ tabulæ datæ in teſtimonium, vel probationem, quòd Deus dediſſet mandata: nam ſi fortè aliquis negare vellet Deum dediſſe legem Hebræis, probari poterat oſtenſis illis tabulis, quales ſcribi non potuiſſent opere humano: & illa continebant verba præceptorum. *Audiſtis vocẽ de medio tenebrarum.* Quia ignis, in quo voces audiebantur, tenebroſus aliqualiter erat: cauſa aſſignata fuit præcedenti c. *Et montem ardere.* Id eſt, igne circundari, licèt non conſumeretur. *Principes tribuum.* Sicut erant duodecim tribus, ita erant principes duodecim. & iſti erant qui veniebant per lineã primogenitorum directè ab ipſo capite tribus alicuius: iſti principes tribuum erant magnæ dignitatis: quia in omnibus actibus principalibus ipſi præponebantur cæteris: vnde quando in dedicatione tabernaculi, & conſecratione ſacerdotum totus Iſraël obtulit Domino quilibet vt potuit, oblationes tamen tamen iſtorum duodecim principum ſolùm nominantur, vt patet Num. 7. cap. & ſic erat in caſtrametationibus, & mutationibus ad actus publicos, & generaliter in omnibus, in quibus aliquis honor intendebatur. *Et maiores natu.* Id eſt, homines de maiori progenie, vel maioris ætatis, id eſt qui maiori tempore ante natus eſt. Et vtroque modo accipitur in Scriptura, ſed magis pro ſenibus, vt patet Gen. 48. vbi Manaſſe maior natu vocatur Ephraim, ſed ambo fratres erant: dicitur tamen propter ætatem, quia Manaſſe primogenitus erat: & ſic accipitur hic: vt patet in Hebræo, vbi habetur (zaquin) quod ſignat ſeniores. *Ecce oſtendit nobis Dominus maieſtatem.* Dicitur maieſtas, id eſt maior ſtatus: & eſt quædam mirabilis diſpoſitio, vel honor apparens in facie, & apparatu habentis: & quia à maioritate dicitur, ſolis maximis conuenit, vnde ſoli Deo proprijſſimè, in cuius aſpectu mirabilis gloria apparet, quantam nec oculus vidit, nec auris audiuit. Illa nãque eſt, cuius aſpectu beati efficimur: ad homines tamen ex quadam remotiſſima & æquiuoca ſimilitudine tranſumpta eſt, non tamen niſi ad maximos, ſcilicet ad reges, & Imperatores, qui ſuper alios mortales quadam apparatus, & honoris excellentia fulgent.

Maieſtas qd ſit.

D

E

F

An Iudæis patuit Dei maiestas.

QVÆSTIO IX.

ISTA autem Maiestas Dei Iudæis non patuit, quia ipse dixit Exod.33.cap.non videbit me homo & viuet. Cùm autem Maiestas à maiori statu dicatur, maiestas Dei dicetur maximus status eius: iste autem est status fulgoris, vel magnitudinis eius, secundùm quod reuelatur alicui per essentiam, quæ est totum bonum, & altissimus gradus perfectionis: istam autem Hebræi non viderunt: nam solus Moyses dicitur vidisse Deum per essentiam, scilicet, sine figuris & ænigmate, vt patet Numer.12.cap.cùm dicitur, non per ænigmata & figuras Deum videt: alij autem non solùm vulgares qui minimum gradum perfectionis in videndo Deum tenuerunt, sed etiam ipsi Prophetæ contemporanei Deum per essentiam non videbant, sed per vocem quandam in vigilia formatã, siue imagine visibili, aut per sõniales figuras, scil. visionem imaginariam, vt patet Numer.12.cùm dicitur: si quis inter vos Propheta est, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad illum: per apparitionem in visione intelligitur visio alicuius imaginis, in qua angelus loco Dei apparebat, & formabat verba, aut locutio in voce formata, sine aliqua apparenti imagine: per locutionem in somnio intelligitur visio imaginaria, aut formæ phantasticæ, per quas interdum quis sibi videtur audire, aut videtur videre.

Concluditur ergo quòd cùm Iudæi siue Prophetæ, siue non Propheta non viderint Deum per essentiam prætlùm Moysen, quòd non viderint propriè maiestatem Si autem dicatur hic vidisse maiestatem Dei. Hoc est qu viderint quædam insignia aduenientis maiestatis: signtem quæ viderunt sunt ista, quia licèt non viderunt maiestatem, viderunt tamen quædam signa maiestatem præfigurantia, scilicet montem ardere vsque ad cœlum, & vocem magnam, & terribilem in tuba, qualia ad demonstrationem aduentus alicuius puræ creaturę nunquam apparuerunt. *Et magnitudinem suam.* Id est fortitudinem vel potentiam suam. *Et probauimus hodie quòd loquente Deo cum homine vixerit homo.* Id est experti fuimus magnum Dei beneficium, scilicet, quòd ipse nobiscum locutus fuerit, & non mortui fuerimus: putabant enim, quòd nullus viuens audire posset vocem Dei, quia terribilis est vt ipsi senserunt: antiqui enim sicut existimabant maximum entium, scilicet id quo nihil melius excogitari potest, vt ait Anselmus: ita existimabant Deum esse maximum terribilium. Et sicut in animalibus, dum aliqua animalia fortiora & terribiliora sunt, ita existimabant Deum esse habentem vocem terribilissimam, & visum valdè formidolosum: ideo quicunque Deum audiret, putabant quòd moreretur, vel quicunque eum videret: de auditu patet, quia qui istam vocem audierunt quam putabant esse Dei, existimabant, quòd qui vocem Dei audiret, moreretur: cùm autem audierunt istam vocem, & non mortui sunt, admirati sunt: & receperunt hoc pro valdè magno beneficio, dicentes: Probauimus hodie quòd loquente Deo cum homine vixerit homo: putabant etiam quòd quicunq; videret Deũ, moreretur, quia putabant eum visu valdè terribilem: sic patet Iudicum 13. cap. cùm vidissent Manue pater Samsonis & vxor sua angelum Domini dixit Manue moriemur, quia vidimus Deum: sed secundùm veritatem Deus nec est terribilis visu, nec placidus, nec auditu: quia Deus secundùm se nec videtur, nec auditur: si tamen referatur videre & audire ad animam, per quam Deus perceptibilis est, Deus est summum visibile, & audibile, continens in se omne delectamentum, cum delectationis & boni fontale principium sit. Deus tamen in subiecto figuratur, id est angelus apparens loco Dei, in aliqua corporea imagine assumpta, apparebat aliqualiter terribilis: & vt populus ille, qui valdè rudis & imperfectus erat, & solo timore ad Deum ducibilis, ad reuerentiam Dei in angelis per quendam terrorem apparentium angelorum moueretur. Ideo siue appararent vulgaribus hominibus, siue magnis Prophetis, apparebant aliqualiter terribiles, de quo Daniel 10.cap. cùm dicitur ad angelum qui venerat ad reuelandum secreta: Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me virium.

Cur ergo moriemur. Ita fortis videbatur illa vox, quòd si amplius eam audirent, putabant se confestim morituros, quia humana fragilitas maiestatem Dei ferre non valet: vnde Daniel viso angelo propter refulgentiam excedentem corruit in terram, & dissolutæ sunt compages renum eum, Dan.10.c. & satis patet per ea quæ sequuntur.

Et deuorabit nos hic ignis maximus. Videbatur eis, quòd ille ignis semper magis ac magis crescebat, & si multum Deus moraretur loquendo, accederet ignis, & consumeret eos. Et hoc erat, quia iste ignis ante à principio videbatur solùm erumpere de vertice montis, postea magis ac magis videbatur prolabi per conuexa montis, & appropinquare versus Hebræos, qui stabant tunc extra castra ad radices montis, vt patet Exodi 19.cap. iste tamen ignis maximus non erat ignis clarus, ita quòd multum videretur, sed erat fumosus valdè: dum tamen fumus continuè descenderet versus radices montis, satis patebat quòd descenderet ille ignis.

Si enim vltrà vocem Domini audierimus moriemur. Non potẽtes magnitudinem eius tolerare. *Quid est omnis caro.* Quasi dicat, nihil est vt tam terribilem vocem audiat. In omni sensatione debet esse proportio potentiæ sensitiuæ, & obiecti sensibilis, aliàs excellens sensibile corrumpet sensum, vt Philosophus ait 2.de Anima: potentia aũt auditiua debilis est, vt à tãta voce patiatur. Quia Deus volebat illam vocem formare sic terribilem, & improportionatam eorum potentiæ auditiuæ, vt ipsi ex tanta superabundantia obiecti sensibilis timorem conciperent, & inciperent timere Deum, & subijci ei: populus namque imperfectus valdè qui nunquam Dei amorem tenuerat, aut iugo legis subditus fuerat, per timorẽ manum erudiendus erat: & hoc fecit Deus, vt patet Exod.20.c. .n cùm totus populus exhorruisset terribiles voces Dei, & lamasset ad Moysen, dicens: Loquere tu nobis & audiemus, & nõ loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur, ait Moyses: nolite timere, vt enim probaret vos venit Dominus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.

In lege autem noua apparuit Spiritus sanctus in forma delectabili: nam linguæ igneæ non erant aliquo modo terribiles, cùm ibi non esset fumus, aut vox terribilis conturbans eos, licèt prius fuissent facti quidam soni aduenientis Spiritus. *Vocem Domini Dei viuentis.* In Hebræo dicitur: *Vocem Deorũ viuentium.* Quia dicitur: *Elohyn hayn.* Si autem singulariter diceretur, esset *Elohe hai.* Et respondet Aben Ezra quod hic dicitur de Deo cum angelis, quia vtebatur Deus angelis, vt ministris. Sed hoc nihil est, quia siue Deus, siue angelus loqueretur, vnus est qui loquebatur. Item quia Gen.1. cap. vbi nos dicimus: In principio creauit Deus, in Hebræo habetur Elohyn pluraliter: & tamen ibi non potest referri ad angelos, qa angeli non creabant, nec aliquid disponebant: quia creationi non subijcitur aliquid in disponendo, sed de nihilo producitur: ideo dicendum quòd Moyses voluit hic diuinarum personarum monstrare pluralitatem, vel est modus loquendi Hebraicus ponens plurale pro singulari aliquando.

Qui de medio ignis loquitur. Et hoc magis terrorem augebat, quia vox auribus insupportabilis erat: & ignis sui timorem nimium ingerebat.

Tu magis accede. Sciebat enim populus Moysen sanctum virum esse, & Dei secretarium: ideo credebant quòd Deus non appareret ei ita terribilis sicut apparuerat ipsis, vel quia si Moyses solus ad Deum iret, nõ esset necesse Deum clamare voce magna: & sic ibi sine periculo manerent.

Quod cùm audisset Dominus. Probabile est, quòd præcepta illa dicebantur in voce tubæ multum distinctè: & fiebat aliqua morula in fine cuiuslibet: in fine autem omnium magna mora interiecta, quasi præcepta alterius modi esset Dominus incœpturus, cœpit populus clamare ad Moysen, ne magis eis loqueretur: non est verisimile quòd sonante voce ipsi ad Moysen loquerentur dimittentes audire præcepta Dei: & tunc posita petitione populi Moyses accessit ad Dominum, quòd autem ipse & Aaron & filij eius stabant ad radices montis separati à reliquo populo, vt patet Exod.19.c.

Quis det talem eos habere mentem. Scilicet vt sic animo habeant, qualiter ore proferunt, vel vt post ita velint, & faciant sicut nunc dicunt: sciebat enim Deus quòd post auerterent se à verbis eius, & idolũ colerent. & loquitur hic Deus per modum optantis, quia Deus omnem hominem vult saluum fieri, &

A ri,& ad veritatis agnitionem venire,1.Timoth.2.capite. Ideo omnes ad hanc veritatem agnoscendam illuminat, quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan.1.capite.

Quomodo Deus sæpè in Scriptura videtur aliqua desiderare quasi facere non posit, & quædam rationes quæ videntur probare omnes circulationes quas Christus fecit in redemptione fuisse superfluas. Et de materia prædestinationis quædam inquisitio, & consilium tutum atque amplectendum.

QVÆSTIO X.

ET istud Dei desiderium patet in multis, nam licèt ipse omnia possit facere, quæ velit, ita vt simpliciter non sit necesse ei aliquid optare, tamen loquendo ex suppositione, scilicet ex sua prædestinatione, & præscientia æterna aliquando videtur aliquid desiderare, quasi facere non possit: & patet in multis locis prophetiarum, vbi videtur desiderare quòd Iudæi faciant rectas vias suas, & tamen in ipso est facere rectas vias nostras: quia sine ipso nihil possumus facere, & aliquando hoc in metaphoris dicit,vt patet Esai.quinto cap. de vinea, & dicit quòd expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas,id est expectauit cum desiderio in eis fructum bonorum operum,tanquam colonus cum desiderio expectat fructum terræ optimum, sed inuenit labruscas, id est mala opera. Quod autem de bonis & malis operibus intelligatur, & non de aliqua materiali vinea,subdit Esaias in eodem cap.dicens,vinea Domini exercituum domus Israël, & vir Iuda germen delectabile eius: & alibi cùm Deus se desiderare reperire aliquos bonos indicaret, dixit: ficus præcoctas desiderauit anima mea, & in Euangelijs sæpè, vt patet Ioan. 4. cap. cùm Christus locutus fuisset ad mulierem Samaritanam apud puteum, & discipuli apportauissent ei cibos de ciuitate, cùm iam esset hora, & plusquam hora sumendi cibos,flagrans desiderio animarum,dixit: Ego cibum habeo manducare, quê vos nescitis. & post: Cibus meus est, vt perficiam voluntatem eius qui misit me,& perficiam opus eius. & alibi dicit de se Deus volens animam ad se conuertere dicit: Ego sto ad ostium, & pulso, & si quis aperuerit introibo, & intrabo cum eo:sed quis nisi Deus dare potest, vt aliquis bonam voluntatem habeat? nullus inquam,quia ipse dat benè velle,& perficere:quomodo ergo desiderat?

B Quo Deus nobis dat gratiã.

Respondeti posset quòd Deus gratiam dat, sed liberum arbitrium gratiam repudiare potest,vel ea non vti, sicut omnes actualiter habentes gratiam si incipiant malè operari sicut 12.cap.durantes nõ vtuntur gratia quam habent,quia gratia liberum arbitrium non cogit, sed perficit: in eis autem quos Deus diligit, non solùm gratiam gratificantem infundit,sed etiam confortat, vt tentationibus non succumbant, & gratiam non deserant: cùm ergo hoc in quolibet homine Deus facere posset,quomodo desiderare dicitur? quia hoc etiam sæpè de Christo dicitur, vt patet Luc. 19. quòd vidit ciuitatem Hierusalem,& fleuit super illam compatiens cæcitati eorum, & de peccato dolens: & tamen ipse ab oculis eorum absconderat mala superuentura ipsis,quæ si audiuissent, fortè pœniterent, & poterat eis tantam gratiam dare vt conuerterentur.

C

Et si dicas, quòd non vult Deus sic totaliter mouere liberum arbitrium,vt homo sine aliquo labore conuertatur, sed alios modos inquirit:ideo multum Christus in prædicatione laborauit.Et sic est de redemptione: potuerat enim eos sola voluntate redimere, sed mortem subiuit amarissimam. Sed adhuc stat argumentum: quia etiam per istos labores, & istis maiores in millecuplo Christus neq; vnum ad se conuertisset, nisi eos interius gratia illustrasset. Et patet in Apostolis, qui cùm stetissent cum Christo magno tempore, tamen adhuc quasi carnales & imperfecti erant: erant enim cõtentiones inter eos,quis maior esset, vt patet Matth. 18. cap.& post mortem Christi ante ascensionem eum de terrenis interrogabant,scilicet,si restitueret regnum Israël illo tempore,Act. 1.cap.cùm autem superuenit Spiritus sanctus,repleti sunt vsque ad summum, vt magis illo tempore modico profecerint, quàm toto tempore quo cum Christo conuersati sunt, etiam si mille annis cum eis stetissent: ideo imminente passione prædixit eis,quòd vtile erat quod ab eis recederet, vt mitteretur paraclitus, Ioan.16. cap. quanto tempore cum Christo steterunt,cum quodam amore humano dilexerunt,vt patet ad Corinth.2.ca. & 5. & si aliquando Christum secundùm carnem cognouimus,nunc autem non cognoscimus: gratia ergo interior est quæ hominem conuertit,& sic patet Act.13. cap.crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam: alij autem suis demeritis exigentibus gratiam Dei, vt Euangelio crederent eius,non acceperunt. Si tamen istis qui non crediderunt,ad credendum gratiam dedisset, ipsi etiam firmissimè vt nos credidissent. Si autem dicas, quòd isti demeritis suis exigentibus gratiam nõ recipiunt.confiteor quidem hoc clarissimè. Sed quomodo illis qui conuersi sunt, & erant in paribus vel maioribus peccatis, gratia vt conuerterentur data est?quia ita demerita istius sicut illius gratiam apponi non merebantur: per æqualia enim peccata æqualiter demeremur.

D

Respondetur, quòd siue iste conuersus siue non conuersus gratiam non merebantur, vel vt magis dicam per peccata sua apponi gratiam demerebantur:sed isti immerito gratiam dedit,alteri immerito gratiam dare noluit. Aliquando etiam electis suis gratiam non apponit, sed eos in magna peccata permittit cadere,sed in fine conuertit: ideo considerans hoc Esaias clamabat ad Dominum, dicens: Quare errare nos fecisti de vijs tuis? induraſti cor nostrum ne timeremus te? Esa. 63.cap.hæc omnia ab vno primo principio dependent, scilicet, quia hos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius:ideo omnia sibi cooperabuntur in bonum,siue bona siue mala: quia secundùm propositum, id est electionẽ Dei vocati sunt sancti,ad Rom.8.cap. eis autem qui non electi sunt,non cooperantur omnia in bonum: quia licèt Deus eis ex liberalitate gratiam temporaliter concedit, ipsi tamen operabuntur malè,vt eam amittant, & in malo finiant.Est ergo tota prædestinatorum vita ex Dei gratia:quia ex gratia antequam sint, eliguntur: & ex gratia post in mala decidentes ad bona eriguntur. Cùm malis autem qui dãnabuntur Deus aliquando ex gratia se habet, eis gratiam gratificantem temporalem tribuendo, quam nunquam perderent nisi proprijs demeritis exigentibus aliquãdo iustè, scilicet, eis propter demerita gratiam non apponendo: nunquam autem iniustè, quia in pœnis citrà mensuram semper punit. Non possunt ergo damnati de alio conqueri, nisi quòd Deus eos non elegit: sed nec propter hoc conqueri possunt, vt patet ad Rom. 9.quis est homo qui Deo respondeat?nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Beati ergo quos Deus ante secula,antequam quicquam boni,aut mali agerent, immò antequam aliquid essent, in suam sortem elegit, vt habitent cum eo in domo sua, & in secula seculorum laudẽt eum. Maximum ergo beneficium quod Deus alicui homini impartitur,est ipsum ab æterno ad se eligere:omnium autem alia ad hoc quædam viæ sunt, vt Natiuitas Christi in carne, Passio,& Euãgelicæ legis datio. Quid.n.alicui prodest Christum passum fuisse si ad vltimum in inferno damnabitur?inter has autem præpositas rationes licèt aliqualiter videantur sibi cohærere, intricatissimæ subapparent difficultates, quas proferre superfluum, immò pernitiosum credo: cùm nulla latenus earum pateat dissolutio: intantum vt Apostolus ad Romanos 11.cogatur ex admiratione clamare:O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius,& inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini,aut quis consiliarius eius fuit?

E Totaprædestinatorũ vita est ex Dei gratia.

Qui propriè beati in hoc seculo dici possunt.

F

Consulerem ergo cuilibet fideli, vt se ex Dei gratia crederet prædestinatum: sed ad hoc peruenire non posse sine magnis laboribus,vt sic desperans non recedat ab omni opere bono. Et ne nimium credulus gratiæ prædestinationis sine aliquo opere se gloriam adepturum putet: quia id quod per prædestinationem promissum est,& plerumque sine magnis laboribus, & sanctorum precibus adipisci non possumus, vt ait Gregorius primo Dialogorum, quia Deus sic præordinauit, vt sanctorum precibus quod promisit, adipiscamur.Et ponit exemplum de Isaac: prædixerat & promiserat ei Deus,quòd in semine eius benedicerentur omnes gen-

Bonum consiliũ autoris in materia prædestinationis.

tes, & multiplicaretur ſicut arena quæ eſt in littore maris, & tamen vxorem ſterilem ei dedit, & per 20. annos ſtans cum ea filios habere non potuit, donec ex magnis, continuis, & deuotis precibus tranſactis 20. annis duos gemellos ſuſcepit, vt patet Geneſ. 26. c. Et hoc quidem monet Apoſtolus 1. ad Corint. 13. c. nunc autem manent in nobis Fides, Spes, Charitas: Spes autem eſt certa expectatio beatitudinis ex gratia Dei: ſed nullus poſſet certè expectare vitam æternam, niſi ſe crederet prædeſtinatum, quia aliàs impoſſibile eſt: ergo licet nobis, immò debemus credere nos fore prædeſtinatos. Et ſi aliquando diabolica inſurgat tentatio, proponēs nobis eſſe nos à Deo præſcitos, non aſſentiamus ei, ſed totis viribus eam fugiamus: quia nulla tentatio quàm iſta periculoſior eſt: tangit enim in radice: Humiliemur ergo coram Domino toto corde, quia fidelis eſt, & ſeipſum negare non poteſt, & exaudiet nos inuocantes, & quærentes eum in veritate: quia voluntatem timentium ſe facit. Et aſſuefiamus colloquijs ſpiritualiū virorum, qui nos precibus, & commonitionibus à malo reuocent. Et vacemus aſſiduè lectioni ſacrarum Scripturarum, in quibus miſericordiæ eius infinitæ demonſtrantur. Conſiderantes quòd pro nobis Chriſtus orauerit, Ioan. 17. c. tantæ autem auctoritatis fuit illa oratio cum clamore valido, quòd pro ſua reuerentia exauditus eſt, ad Hebr. 5. hęc enim & ſimilia frequentius relegentes in ardorem & ſpem æternorum bonorum accendemur: quia quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta, vt per patientiam, & conſolationē Scripturarum ſpem habeamus, id eſt certam expectationem vitæ æternæ, ad Roman. 15. cap. *Vade ergo & dic eis.* Quia tunc Moyſes ſtabat cum Domino in monte petens de eo quod populus dixerat. *Reuertimini in tentoria veſtra.* Erant enim caſtra aliqualiter ſeparata à loco, vbi populus conuenerat ad audiēdam legem: & poſt reuerſi ſunt, manente Moyſe cum Domino, quod patet Exod. 19. c. quia populus fixerat caſtra ſeparata à monte, in locis planioribus, & cùm debuit Deus loqui ad populum, eduxit eos Moyſes de caſtris vſque ad radices montis, & ibi ſtantes audierunt, vt patet illic in litera: dictis autē verbis mandauit Deus vt reuerterentur à loco illo in tentoria ſua. *Tu verò ſta hic.* Dictis iſtis propoſuit Deus Moyſi quædam præcepta iudicialia quæ habentur Exod. 21. & 22. & 23. c. & poſt deſcendit ad populum, & denunciauit eis verba illa, & mandauit quòd redirent in tentoria ſua: & facto manè ſequētis diei confirmauit legem in ſanguine, & aſcendit ad Deum in monte, & ibi manſit per 40. dies quouſque habuit tabulas: vt patet Exod. 24. c. & 32. c. deinde poſt adorationem idoli, & occiſionem adorātium, aſcendit & ſtetit 80. diebus, 40. orando pro peccato, & alijs 40. vt acciperet ſecundas tabulas: de his latiùs diximus Exod. 33. c. & patet infrà 9. & 10. c. ſecundùm veritatem tamen hoc non concluditur. Hebræi enim volunt quòd fuerint omnes dies quibus ſtetit Moyſes coram Domino 120. & hos diuidunt per ter 40. ſcilicet 40. pro primis tabulis, & 40. orando poſtea pro peccato vituli, & 40. pro tabulis ſecundis: ſed inſpiciendo veritatem literæ, infrà 9. c. vbi iſta dicuntur: reperietur Moyſes ſtetiſſe bis 40. ſcilicet primò pro tabulis, ſecundò pro peccato: pro ſecundis aūt tabulis vtrū ſteterit 40. diebus, nō innuit litera, ſed ſatis videtur, quòd quotquot illi fuerunt extra alia 40. fuerunt. *Cuſtodite igitur.* Id eſt, ex quo iſta præcepta cum tanta auctoritate & diligentia vobis data ſunt, cuſtodite ea. *Non declinabitis ad dextram, nec ad ſiniſtram.* Id eſt, ad nullam partem, quia virtus in medio eſt: ideo ad quamcunq; partem declinetur, vitium eſt: ſic enim eſt de lege iuſta: eſt enim recta ratio, ideo quomodocunque declinemus in obliquum incidimus, vt patet 2. Ethic. c. de medio virtutis. *Vt benè ſit vobis.* Tria hic promittuntur: Primò vita, ſcilicet quòd non morerentur ægritudinibus & ſubitis mortibus, vt patet Exod. 23. & infrà 7. cap. auferet à te omnem infirmitatem Ægypti. Secundò affluentiam temporalium, quæ dicitur bene eſſe: vt Eſai. primo, Si audieritis, & in mandatis meis ambulaueritis, bona terræ comedetis. Tertiò dierum longitudo, ſcilicet vt protelentur dies veſtri.

* * *

Notent viri ſācti, & confeſſores ac prædicatores Euāgelici, vt inſtruant populum in his.

CAPVT VI.

HAEC ſunt præcepta & cæremoniæ atque iudicia quæ mandauit Dominus Deus veſter: vt docerem vos, vt faciatis ea in terra ad quam tranſgredimini poſſidendam: vt timeas Dominum Deum tuum: vt cuſtodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filijs ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui.

HÆC *ſunt.* Poſitis ſuprà præceptis decalogi: hic ſubiunguntur alia præcepta.

Quomodo tantùm ſunt duo præcepta decalogi. Et quòd in amore Dei & proximi tota lex pendet virtualiter.

QVÆSTIO I.

ET iſta ſe habent dupliciter: quia quædam ſunt quaſi quædam præcepta generaliſſima, ex quibus inferuntur omnia præcepta decalogi: aut ſunt quaſi quædam concluſiones, aut determinationes, ſiue additiones præceptorum decalogi. Prima autem quæ principia ſunt, duo præcepta charitatis ſunt, ſcilicet amor Dei & proximi, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ, ſcilicet virtualiter, Matth. 22. c. quia ſicut in principijs omnes cōcluſiones in virtute ſunt: quare infinita vocantur in virtute: ſic in his omnia alia præcepta, quare tota lex ex eis pendere dicitur. Et patet, quia iſta vocantur maxima mandata legis, Matth. 22. cap. Sic enim eſt in genere propoſitionum ſpeculatiuarum, quia quædam ſunt concluſiones, quædam principia: & in principijs quædam ſunt incomplexa ſicut diffinitiones quas in qualibet arte ponimus principia propria illius artis: & Euclides in libris ſuis, qui vocantur libri elementorum, à diffinitionibus incipit. Alia ſunt principia complexa: & iſta ſunt duplicia, quia quædam ſunt fundata ſuper terminos communes, qui non pertinent ad aliqualem artem ſpecialem, vt eſſe, & non eſſe, totum & pars, æquale & inæquale, aut fundantur ſuper terminos proprios alicuius artis: quando enim fundantur ſuper terminos alicuius artis dicuntur ſolùm petitiones vel ſuppoſitiones, aut poſitiones: vt iſtę, quòd à puncto in punctum contingit rectam lineam ducere: & nullas duas lineas rectas ſuperficiem claudere poſſe, & ſimiles: quia iſtæ fundantur ſuper punctum, & lineam, & ſuperficiem: quæ pertinent ad ſolam conſiderationem geometricam: ſi autem termini ſuper quos fundantur, ſunt communes: vt eſſe, & non eſſe, totum & pars, &c. vocantur tales propoſitiones maximæ, vel communes animi conceptiones, ſiue dignitates. Sicut ergo eſt in iſtis quæ ſpeculatiua ſunt, ita eſt in practicis, quòd propoſitiones fundatæ ſuper terminos communes totius humani agibilis, vocantur communes animi conceptiones, vel maximæ: ſicut ſunt iſta præcepta de amore Dei, & proximi: quia in eis omnia alia virtualiter includuntur, ſic patet ad Romanos 13. ca. cùm dicitur: Perfectio legis charitas. & aliud, ſcilicet: Qui proximum diligit, legem impleuit: ſed nec ponuntur inter præcepta decalogi, nec inter cæremonialia, vel iudicialia: ergo principia ſunt omnium & immediatius præceptorum decalogi: quia illa fundantur in dilectione Dei, & proximi. Alia præcepta ſunt determinationes, ſiue additiones præceptorum decalogi, quæ cæremonialia vocantur, & iudicialia: iudicialia quidem quæ determinant nos in amore proximi per conuictum: præcepta decalogi quæ multum ſunt generalia, dupliciter nos ordinant: quædam in Deum, quædam in proximum, & omnium iſtorum ſunt determinationes: præcepta enim decalogi quæ pertinent ad Deum, dirigunt nos in cultu Dei, ſcilicet, qualiter ei honorem debitum impendamus, & dedecus non inferamus: & quia hoc multipliciter contingit fieri, factæ ſunt determinationes, quæ vocantur præcepta cæremonialia: quia iſta nos dirigunt in ſolum Deum, quantum ad omnia in quibus nos habemus ad Deum: & quia inter cætera ritus colendi præcipuus eſt, vt declaratum fuit Exodi decimooctauo capitulo. cùm ibi ſpecialiter ex-

prima-

primatur:ideo dirigunt nos in modum colendi Deum diuersimodè quantum ad diuersa,alia sunt præcepta decalogi quæ dirigunt nos quantum ad proximum, vt sunt omnia quæ ponunt in secunda tabula: & vnum quod ponitur in prima: & quia in istis fiunt multæ variationes, contingit esse variationes horum: & ista vocantur præcepta iudicialia, id est,dirigentia statum hominum vnius respectu altetius: & sic omnia genera præceptorum reducuntur ad modos determinationis præceptorum decalogi:& ipsa præcepta decalogi sunt, vt quædam limitationes duorum præceptorum simpliciter primorum. Ista tamen genera duo mandatorum, scil.cæremonialia,& iudicialia sunt,quæ in tota lege magis intenduntur. De primo genere mandatorum tractat ab hinc vsque ad 12. cap.de secundo genere à 12.c.vlteriùs: & rursus primò ponit ad ista mandata quædam incitamenta,secundò inducit conclusionem intentam infrà cap.11. Et tanguntur hic quinque. Primò generalis admonitio. Secundò ponitur Dei dilectio. Tertiò subiungitur separationis à Deo occasio. Quartò timendi Deum ratio. Quintò ad posterorum quæstiones responsio,secunda ibi. *Audi Israel.* Tertia ibi.*Cumq; introduxerit.* Quarta ibi.*Dominum Deum tuum timebis.* Quinta ibi. *Cùm interrogauerit.Hæc sunt præcepta.* Scilicet quæ infrà sequuntur, sunt præcepta, scilicet,de amore Dei, & proximi, quæ sunt aliorum principia: nec potest intelligi decalogus præceptorum hic: quoniam iam suprà recitata sunt,nec vltrà sic recitantur. *Cæremoniæ.* Id est,præcepta cæremonialia. *Iudicia.*Id est,præcepta iudicialia.*Quæ mandauit Deus vt docerem vos.* Quia alia præcepta decalogi ipse vos per se docuit, hæc autem mihi dixit,vt vos docerem. *Vt faciatis ea in terra ad quam transgredimini.* Quia ista præcepta obligauerunt eos, postquàm intrauerunt in terram promissionis: in deserto enim quilibet quod sibi videbatur faciebat, vt patet infrà 12.cap.

Quæ præcepta obligabant Iudæos in deserto, ad obseruantiam.

QVÆSTIO II.

SED quantum ad hoc distinguendum est, quia quædam sunt præcepta cæremonialia,aut iudicialia,quæ non poterãt expediri in deserto aliquo modo: quæ requirebãt secundùm suam naturam circunstantiam loci,& personarum,quę in deserto nullo modo reperiri poterat: alia sunt quæ non determinant aliquam circumstantiam, nec habebant maiorem in vna terra quàm in altera.

Quantum ad primum modum, scil. ad illa præcepta quæ aliquo modo determinant sibi loca, vel circũstantias alias,vt patet de celebratione agni paschalis, quia ista fieri non debebant in qualibet terra, sed solùm in eo loco, quem elegisset Dominus,vt patet infrà 16.c.sic etiam patet de sacrificijs quę non in quolibet loco offerri debebant,sed solùm in eo quem Dominꝰ elegisset,vt patet infrà 12.cùm dicitur, caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quẽ elegerit Dominus Deus tuus in vna tribuum tuarum: & licèt fortè in deserto existentes possent offerre,quia secum habebant tabernaculum, in quo obligabantur homines offerre,vt patet suprà Num.17.c.& infrà 12. tamen nõ erat eis opportunitas,quia erãt in motu:ideo nesciebãt quãdo erat tempus faciendi ista,cùm nescirent, vtrum quãdo vellent ipsi facere sacrificia moueretur nubes, & deberẽt necessariò sequi: ideo non obligabantur in deserto ad faciendum sacrificium iuge vespertinum & matutinum, de quo Deus mandauit Nume.28.& 29.c. & etiam quantum ad quasdam alias oblationes solùm tenebãtur qui non essent in terra Chanaan, vt patet Nume.15.c. cùm dicitur cùm feceritis terram habitationis vestræ & feceritis, vt ingrediamini in eam: facietis in oblationem &c. ista ergo & similia nunquàm reperiuntur compleri nisi in terra Chanaan: quia determinabant certum locũ: & ideo in deserto quãtum ad ista faciebat qlibet quod volebat,cùm non essent obligati: quia hoc non habebat opportunitatem in deserto vt fieret: quia erant cõtinuè in motu,nec poterant vacare sacrificijs: etiam quia in sacrificijs requirebatur certa pars vini in quolibet animali immolato cũ incenderetur,& certa pars farinæ,vt patet Numer.15. & 28.c. in deserto autem nec farinam nec vinum habebãt: non ergo poterant aliquo modo fieri in deserto, etiã Phase non poterat immolari in deserto,quia debebãt fieri quędam cæremoniæ quæ in deserto haberi non poterant, scil.comedere illud cum azymis,vt patet Exo.12.c. etiã nõ poterat obseruari Pascha Azymorum,scil.septem dies in azymis, vt patet Exo.12. nec Pentecoste,vel alia festa, in quibus requirebantur determinationes, quæ non poterant haberi in deserto, & de istis dicitur infrà 12.c. *Ne facietis ibi.*Id est,in terra promissa nobis, quæ hic facimus hodiè singuli quod sibi rectum videtur:neque enim vsque in præsens tempus venistis in requiem & possessionem,quam Dominus Deus daturus est vobis,quasi dicat ibi tenebimini obseruare ista cæremonialia,hic autẽ non: quia non habetis hic opportunitatem ad obseruandum ea sicut ibi habebitis data requie.

Alia sunt cæremonialia quæ non concernebant determinationem alicuius loci vel temporis, sed vbique compleri possunt, sicut circuncisio quæ non magis determinat vnum locum quàm alterum: sic potuerat ista cæremonia distinctiua populi Deum colentis in deserto obseruari, sed Hebræi non obseruauerunt illam: nam nullus in deserto circuncisus fuit, vt patet Iosue quinto cap. sed omnes illos circuncidit Iosue antequàm accederent ad aliquem locum Chananæorum in Galgalis: aliæ sunt cæremoniæ etiam quæ non determinant locum, sicut obseruatio sabbati, & ista in deserto fuit,in quantum fuit ex parte Hebræorum, vt patet Exod. 16.c. quia illo die non mandauit manna colligi, aut quicquam ad cibum parari,idem patet Exod.31.& 35. vbi vetuit incendi ignem illa die in domibus suis, & patet magis,quia quidam homo colligens ligna in sabbato, in deserto lapidatus est, vt patet Numer.15.c. aliquando tamen in motu eorum per desertum secundùm directionem nubis fracta fuit obseruatio sabbati: aliæ etiam obseruationes fuerunt cæremoniales custoditæ in deserto, vt separatio leprosorum & immundorum à sanis, vt patet Numer.5.c. & sic inuenire de alijs poterimus. *Vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias mandata.* Fundamentum & motiuum principium obseruationis mãdatorum est timor viris imperfectis,sicut amor viris perfectis. *Quæ ego præcipio tibi & filijs ac nepotibus tuis.* Quia non solùm præsentes obligãtur, sed etiam successores, quando patres obligãt se, & filios suos ad aliquam conditionem honestam, dato quòd filij paruuli sint tunc, ita quòd consentire non possint, quod est de natura obligationis: tamen cùm peruenerint ad ætatem adultã, obligantur obligatione patrum suorum: & si nollent tenere obligationem quã fecerant sui maiores,non debent habere hæreditatem paternam. Nihil autem magis bonum & iustum erat quàm lex Dei,ad quam cùm obligarentur patres,necesse erat filios obligari, maximè,quia si non obligarentur de iure filij obligatis patribus, tamen necesse erat eos hic obligari: quia Deus volebat eos obligari cùm dicat, quòd patres & filij obligentur,& custodiant ista in æternum, & ponitur hic causa huius dicti,scil.vt viuãt multo tempore: quia sicut honorantes patres erant longæui super terram, vt patet Exod.20.ita custodientes præcepta Dei viuant longo tempore, & è contrario, illi qui non obseruabant præcepta Dei pauco tempore viuebant, sicut patet Psalm.54. viri sanguinum non dimidiabunt dies suos, qui autem custodiunt mandata Dei,viuunt in eis.vt patet Leuit.18. & ad Rom.10. cap. *Audi Israel.* Hic ponitur secundum, scilicet Dei dilectio. *Vt facias quæ præcepit tibi Dominus.* Siue ea quæ per se tibi mandauit vt præcepta decalogi,siue ea quæ mihi dixit, vt tibi ex parte sua mandarem: vtraque enim Deus mandabat, quia qui per alium facit per seipsum facere videtur. *Et multiplicetis amplius.* Tunc satis erant multiplicati, quia erant plures quàm sexcentum millia, vt patet Nume.vigesimosexto cap.sed tamen rogabat magis multiplicari, vt patet suprà primo cap.addat Deus ad hunc numerum multa millia, quia nondum peruenerant ad tantam multitudinem, quantam Deus promisit, scilicet sicut stellæ cœli, & arena quæ est in littore maris, Genes.13. & 15.cap.Et rogabat pro hac multitudine, & dicit debere mandatis Dei vt inducat istam multitudinem: quia licèt ista sit quoddam bonum temporale quod secundum se satis paruum est,tamen Deus promiserat eis ista, quia imperfecti erant, vt patet Genes.15.cap. & 22. Scilicet, quòd essent sicut

Dei dilectio.

A

stellæ cœli & arena quæ est in littore maris: ideo non erat contemnenda huiusmodi promissio, sed orandum ad illam habendam: quod frequentibus orationibus, & præceptorũ Dei obseruatione adepturi erãt, vt patet Gen. 18. c vbi dicit Deus quod Abraham meretur, vt omnia quæ dicta sunt à Deo impleantur in semine suo: quia custoditurus erat mandata Dei, & mandaturus filijs suis & domui suæ post se, vt custodiant mandata Dei. *Sicut pollicitus est Dominus dare tibi terram*, Gen. 15. cap. & in multis locis.

Differentia inter voluntatẽ & intellectũ, & q̃ hic p̃cedit.

Dominus Deus vester Deus vnus est. Id est, non est Deus noster sicut dij falsi aliarum gentium, qui plures sunt: & hoc tangit informationem intellectus quantum ad fidem: Intellectus & voluntas sunt duæ potentiæ sic naturaliter ordinatæ, quòd nulla actio in volitiua fit nisi facta apprehensione secundùm intellectum: nam omnis inclinatio in natura fit per apprehensionem præcedentem, sed intellectus habet se vt apprehendens, voluntas autem vt ad aliquid inclinans: ideo nunquàm potest fieri inclinatio voluntatis ad aliquid, nisi intellectus præcognoscat illud: ideo cùm hic Legislator vellet hic informare populum inclinando eos ad amorem Dei, oportebat vt prius illustraret intellectum demonstrans, quis esset ille Deus amandus, & vtrum vnus: aut plures, vt non plures amemus quàm sunt: gentiles enim qui cuilibet rei deos attribuebant plures deos faciebant. Iudæi autem qui veritatem rei ab ipso Deo recipiebant, vnum solum Deum iudicare debebant, & illum solum diligere. *Diliges Dominum.* Sicut in eis quæ naturaliter amamus, semper cognitio amorem præcedit: ita in his quæ supernaturaliter diligimus, supernaturalis cognitio quæ est fides reuelata ex auditu legis, præcedit charitatem, quæ est habitus dilectionis supernaturaliter infusus: ideo posita doctrina fidei quam de Deo credere debemus, sequitur qualiter amare debemus.

B

Ex toto corde tuo. Id est, ex toto voluntatis conatu, qui vocatur cor, quia cordi amare vulgari nomine attribuimus. *Ex tota anima tua.* Id est, ex omnibus viribus animæ sensitiuæ: illas per imperium voluntatis regulando ad Dei amorem. *Ex tota fortitudine.* Id est, secundùm totam potentiam executiuam: ita quod quãtum voluntas tua ad aliquod maximum diligibile moueri potest, tantum fac vt mouearis: & quãtum vires animæ sensitiuæ obedire possunt voluntati subordinanti eas ad aliquem finem, tantùm obediant & regulentur.

C

Et quantum fortitudo tua. Id est, vires tuæ executiuæ possunt tantum pro Deo facias, vel patiaris: & hic consummatur vera dilectio quæ Deo perfectè inhærere facit. Hoc præceptum magnum est: quia fortissimã inhæsionem ad Deum facit, est autẽ fortissima inhæsio, quando alicui rei ita inhæremus, quod nulli alteri inhæremus: nam potentiæ nostræ finitæ sunt: dum ergo pluribus intendunt ad singula minores fiunt, vt ait Gregor. in primo dialogo. si ergo per intellectum aut per voluntatem pluribus rebus inhæreamus, ita quòd plura intelligamus, aut plura velimus: non est perfecta inhæsio, quia quodlibet illorum facit, ne inhæsio ad alterum sit perfecta, & sic dicebat Augustinus de amore perfecto Dei: Dominus minus te amat, qui cum alio te amat, quasi dicat, quod ad hoc quòd perfectè amaret, oportebat vt eum solum amaret: tunc ergo Deum ex toto corde, vel ex tota anima diligemus, quando ei totam animam nostram applicabimus, scilicet quòd intellectus noster solum eum intelligat, & nihil alterum: & voluntas nostra solum eum diligat, & nihil alterum: & vires nostræ sensitiuæ soli illi intendant, & in eo solo satientur.

An istud præceptum diliges Deum tota mente, &c. possit in via compleri.

QVÆSTIO III.

IN vita ista istud præceptum compleri non potest tam ex parte naturæ nostræ, quàm ex parte ipsius obiecti diuini intelligibilis & volibilis: ex parte naturę nostræ patet: quia natura nostra hic imperfectionis modum tenet: & ideo indiget cibis, & potib⁹, & quiete per somnum: cùm autem intendat istis non potest Deo intendere: vel si aliquo modo intendere potest in assumptione cibi, & potus, tamen non perfectè intendere potest, quia quando aliqua potentia receptiua, vel recipit, vel intendit duobus, neutri perfectè intendit: cùm neutri intendat ex seipsa tota, sed istud præceptum esse intendendum ex tota anima, scilicet, quia anima totaliter feratur in ipsum, & in nullum alterum: Non potest etiam istud præceptum compleri ex repugnantia ipsius obiecti diuini intelligibilis & volibilis, quia ad hoc quòd aliqua potentia passiua apprehensiua intendat totaliter alicui soli obiecto, oportet vt illud obiectum sit tale, quòd eam totaliter repleat: sed Deus non est huiusmodi obiectum nobis, dum sumus in via, quia non præsentatur nobis sub illa clara luce, vt est perfectissimum ens inter omnia entia, vel maximum bonum inter bona: sed apparet nobis sub quodam ænigmate, vt non videatur in eo perfecta ratio entitat s, aut perfectissimus gradus bonitatis: & licèt nos ex fide confiteamur ipsum Deum esse summum bonum, secundùm quam captiuamus nostrum intellectum in obsequium Christi, vt patet 2. Corinth. 10. cap. tamen non apparet sic perfectè intellectui nostro: nam si fides non præcederet in nobis, quæ est ex auditu, nunquàm talibus veritatibus assentiremus. In prima autem omnia ista erunt, quia intellectus noster erit ibi supernaturaliter eleuatus data sibi capacitate, vt possit intelligere illud summum ens: & apparebit tunc illud summum ens sub clarissimo lumine suo, sicuti est: & replebitur intellectus noster applicatus enti intelligibili infinito: & nullum aliud iàm intelligere poterit, cùm nullum sit quòd tantæ sit actiuitatis, vt illo immutante actualiter obiectum possit distrahere ab illa consideratione & trahere ad se: quia tunc oporteret vt istud secundum obiectum sit maioritatis, scilicet in actiuitate quàm primum, sed nullum obiectum intelligibile est magis intelligibile quàm Deus: ergo applicito intellectu nostro ad Deum clarè visum non poterit ab illo distrahi: cùm nihil sit quòd distrahere possit: Deus etiam summum bonum est, & fons totius boni: applicata ergo voluntate nostra ad fontem suum, ita replebitur & inebriabitur q̃ nihil aliud velit aut desideret cùm ibi quietetur totum desiderium appetitus nostri, sicut dicebat Dauid Psalmo 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua: nullum ergo desiderabile erit quòd voluntatem nostram à Deo distrahere possit, & in se trahere: quia nullum maius Deo est, nec nobis apparere poterit. Hic autem multa distrahunt nos à Deo, quia possunt nobis maiora bona videri quàm amor, quia nondum Deum cognouimus sicuti est, ibi autem nequaquàm.

D

E

Notandum de intellectu & voluntate.

Non tamen est intelligendum, quòd intellectus noster & voluntas in vita æterna solum Deum diligat, & intelligat, ita quod nihil aliud: quia omnia alia intelliget, & omnia bona diliget, tamen non eo modo quo hic: quia dum hic vnam rem intelligimus, ab intellectione alterius distrahimur, sic dicit Philosophus tertio Topicorum, contingit plura scire, vnum tamen intelligere: & dum vnam rem actualiter amamus ab amore actuali aliarum desistimus, ibi è contrario: nam cùm maximè Deum intellexerimus actualiter, tunc actualiter omne ens intelligibile actualiter perfectè speculabimur: & hoc, quia Deus omnia eminenter continet, ideo intellecto illo, omnia quæ sunt necessariò intelliguntur, sic ait Gregorius in 4. dialog. quid est quòd non videant qui videntem omnia vident? Est enim Deus ars plena formarum viuentium, id est, quædam idea perfectissima omnium rerum, & sunt ibi clariùs & perfectiùs quàm in suo genere, vel in seipsis: homo enim & lapis perfectiùs & manifestiùs sunt in idea diuina quàm in seipsis: ideo qui cognouerit Deum, perfectiùs cognoscet ibi hominem, aut lapidem, vel quamlibet aliam rem, quam si eam solam oculis suis inspiceret: & ratio est, q̃a res in seipsis non habẽt esse totaliter perfectum, sed quodammodò mortuum: in Deo autem omnia entia siue viuentia siue non viuentia habent esse viuens, id est, perfectum & clarum, sic patet Ioan. 1. cap. quod factum est in ipso vita erat, id est, omnia quæ creata sunt antequàm crearentur viuebant in Deo, & nunc viuunt, sicut ergo si aliquis respiceret aliquod speculum, non solùm videret illud speculum, sed etiam omnes imagines repræsentatas in illo speculo: Ita cùm Deus sit idea, & speculum perfectissimum, in quo res perfectiùs apparent quàm in seipsis, viso Deo omnia clarè videbuntur.

F

Omnia in Deo p̃fectiora sunt q̃ in seipsis.

Et sic est de amore: quia cùm ipse sit totum bonum, est

A *In Deo est ordo diligibilium.*

maximè diligibile:& in eo est ordo diligibilium: dilecto ergo ipso omnia diligemus quæ diligibilia sunt: & sic istud mandatum complebimus toto intellectu ei vacantes, id est, nullam partem intellectus nostri ad aliud distrahentes: & tota voluntate eum amantes nunquàm eam eo relicto ad aliud conuertens: & sicut istæ potentiæ superiores replebuntur ab vbertate illius beatificæ visionis,ita omnes aliæ tam intra caput quàm sensus exteriores, vel vires qualescunque replebuntur ab illo super excellenti bono refluente ad exteriora, sic patet Ioan.10.cap. ingredientur & egredientur, & pascua inuenient: quod exponit Augustinus de illa beatifica visione,in qua non solùm lætabuntur intùs, sed extra. Sed hoc non est præceptum: ideo distinguendum est, quia Christus vocauit hoc præceptum: diligere enim Deum ex corde,anima,& fortitudine præceptum est, sed diligere ex toto corde, tota anima,tota fortitudine præceptum excedit, immò omne consilium, quia in via consilia à viris perfectis implentur: hoc autem nunquàm impletur, nisi in vita æterna, quia ibi ex Dei visione roborabimur: hic autem nos mortalitatis defectus impedit, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem: ad impletionem autem huius requiritur continua in Deo cogitatio qualis erit in patria: ponitur autem hoc præceptum, vt si totum non compleamus, saltem implere desideremus, vel sciamus nihil supra Deum, vel æqualiter Deo esse amandum: quia quod per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit. *Eruntq; verba hæc.* De dilectione Dei. *In corde tuo.* Scilicet vt multum in illis aduertas,quia ab eis omne bonum dependet: & narrabis ea filijs tuis, scilicet, quando teneri sunt: vt hæc doctrina eorum cordibus profundiùs & tenaciùs infigatur:quia vt ait Philosophus 2. Ethicorum non modicum differt sic vel sic à iuuene assuefieri, quia impressiones primæ fortissimæ suat: quia radicaliter inhærent,vnde Horatius:

B

Quem noua testa capit semper seruabit odorem.

Et ideo Romanorum pueri Virgilium ante alia addiscunt,vt velut eximius Poëtarum teneris imbibitus annis non possit facilè aboleri, vt ait August.1.de ciuitate Dei,cap.3. *Et meditaberis ea sedens in domo tua.* Id est,quando cessat homo à laboribus,quia tunc congruentior fit meditatio:cessat enim anima ab omni extrinseco labore,& magis ad speculandum colligitur,ideo in cogitatione fortior est.

Ambulas in itinere. Id est,quando laboras.Intelligitur enim omnis labor per itinerationem,& loquitur magis de itinerationis,sicut homines ponentes exempla vtuntur eis quæ magis occurrunt,& magis in vsu habent: nullus autem alius labor magis occurrebat Moysi quàm itinerare, quia per quadraginta annos nullum alium habuerunt in deserto. *Dormiens.* Id est,dum stas in lecto vigilans quod vocatur hic dormire,quia stare in lecto ad dormiendum est:in dormiẽdo autem nullus meditari potest præcepta Dei, quia in dormientibus cessant rationales potentiæ, & animales, & intenduntur naturales,vt patet in lib.2. de somno & vigilia: ideo non potest dari præceptum de dormientibus, sed potest intelligi de somnio,scil.quòd in somnis meditemur præcepta Dei, sicut meditamur alia vana.

C

Quomodo in somnio mandata Dei benè possumus meditari.

QVÆSTIO IIII.

SED dicetur quod non est hoc in potestate nostra, quia voluntas non potest directè vel indirectè imperare ibi phantasiæ.

Sed respondetur, quod benè possumus in somnio meditari mandata Dei, si velimus in vigilia illa meditari efficaciter:ideo dicit Philosophus 1.Ethico.quod per somnium,siue dormitionem differt prauus à studioso: factis autem quibusdam transmutationibus meliora fiunt phantasmata studiosi: & tunc est sensus, quòd taliter in die assuefiamus in meditatione horum,quòd in nocte etiam nobis in somnijs veniant. Et sic decepit quidam familiaris dominũ suum: consueuerat enim familiaris ea mala quę per diem dicebat, & in somnijs dicere: vnde dominus cognoscebat omnes iniquitates eius, videns autem seruus ille mala sua palàm fieri prudẽti consilio ductus, qualibet nocte ante accubitum orationes quasdam cũ attẽtione recitabat, vt fortis impressio causaretur:ex quo fiebat,vt easdẽ in somnijs recitaret, & sic dominus putans eũ studiosum fore illusus est. *Atq; cõsurgens.* Vnde inoleuit in bonis Christianis, vt cùm à lecto surrexerint à Dei laudibus incipiant,vel aliquid sanctum meditentur. Et per ista quatuor hic posita omne tempus includitur, quo homo debet in Dei laudem vacare,sic habetur Psalm.1.Et in lege eius meditabatur die ac nocte,sed non est intelligendum sic quòd omni tempore meditetur,quia tunc non posset facere alia. Item si aliquis velit continuò Deum meditari, vel intelligere, non posset, quia deficiunt & fatigantur organa ex corruptibilitate naturæ: vnde fit quod aliquando aliquem volentes fixè & efficaciter contemplari, subitò ad aliud transferantur: ideo intelligitur quantum ad tempora necessaria: & sic dicitur de clericis nunquàm Psalterium cadat de manu tua,scilicet tempore conuenienti, & ad hoc determinato: vel quòd habeas ista secundùm habitum, scilicet, quòd nunquàm contrario acquiescas: præcepta enim affirmatiua,siue moralia,siue cæremonialia,siue iudicialia, in lege veteri vel noua nunquàm pro semper obligauerunt: præcepta autem negatiua cuiuscunque generis,& ad semper,& pro semper obligant.

D

Differentia inter præcepta affirmatiua, & negatiua quãtum ad obseruationem.

E

Et ligabis ea quasi signum in manu tua. Sic habetur Exod.13.c. & custodiunt hoc Iudæi ad literam: quia tempore orationis appendunt cartulam continentem ab illa parte. Audi Israel vsque cùm introduxerit, in brachio dextro, sed intellectus huius literæ est quantum ad tropologiam quandam: nam non potest semper sacra scriptura impleri ad literam, nec in liteta hoc vult quod sonat, vt patet sæpissimè in Prophetis,& maximè Esai.vndecimo cap. vbi dicitur,quod Leo vt bos paleas comedet: vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus ministrabit eis: sed hoc nunquàm fuit nec erit, sed intelligitur quantum ad quandam metaphoram: & ille est sensus literalis scripturæ, sic in isto loco non debebant ista poni in manu, quia nulla vtilitas erat ponere talia in manu: sacra autem scriptura nunquàm mandat inutilia, sed est sensus quòd ista præcepta debemus tradere executioni & cogitare: & quia cogitatio est per intellectum,intellectus autem est quidam visus animæ, vt patet in fine sexto Ethicorum, ideo dicitur, quod debent esse ante visum nostri, quia debemus assiduè ea contemplari: & quia manus est ad operationem, tunc dicuntur esse in manu,quando operationi applicantur, patet infrà, vel aliàs intelliguntur magis referendo ad sensum parabolicum, scilicet, quod sicut quando aliquis mouetur inter oculos per motum suum, facit vt semper videatur mouens potentiam visiuam ad se contemplandum: ita debent esse ista præcepta Dei apud nos continuò in nostra recordatione, quasi inter oculos mouerentur:& sicut interdum cùm alicui commendatur aliquod negotium, vt non obliuiscatur, illud alligatur digito eius, vel manui eius aliquod filum pendens: & dato, quòd ille diuertat ad alia, quando tamen viderit illud filum ligatum & pendens, necessariò reducitur in memoriam eius rei quæ recommendata est, sic nos debemus exhibere taliter dispositos, vt redeamus continuò, vel saltem multotiens ad memoriam istorum præceptorum tanquàm haberemus filum pendens in manu. *Et mouebuntur inter oculos tuos.* Exo.13.dicitur quasi monimentum ante oculos tuos: & vtrunque Iudęi ad literam seruant:quia faciunt aliam cartulam continentem eadem verba, & ligant eam quibusdam corrigijs,vt pendeat in fronte,& illa mouetur inter oculos. *Scribesq; ea in limine, & postibus domus tuæ.* Et hoc obseruant Iudæi in aliquę cedula prædicta verba scribentes: & faciunt aliquas concauitates in ligno mittentes cedulam, & cooperientes aliquo metallo manente aliquo foramine, per quod videri possit. Sed ista sic ad literam obseruata cæremoniæ inutiles sunt: nec fuit Legislatoris intentio eos ad talia instruere, & patet: quia multæ sunt similes locutiones in sacra scriptura,& maximè in Prophetis:quæ licèt in sensu parabolico hoc innuant,tamen in literali sensu aliud signant.

F

Litera sensus.

Intelligendum ergo est quando dicitur, quod ista præcepta debẽt appendi in manu,id est quod debẽt tradi executioni,quod signatur per manũ quę est maximè organum operatiuũ:nihil enim proficeret mandata scire,& ea mẽte retinere

A

nisi secundùm illa operaremur, doctrina enim moralis inanis est nisi reducatur ad operari, vt patet 2. Ethic. ideo primò dicitur de manu, inter oculos moueri debent, quia in cogitatione nostra assiduè versari debent: in postibus domus scribi dicuntur, quia siue exeamus, siue ingrediamur domum, mandata Dei cogitare debemus. Et sequendo istum sensum qui est verus sensus literæ prius ponitur quòd debeamus portare tāquàm signum in brachio, id est, quòd debeamus operari secundùm mandata quàm moueantur inter oculos nostros, id est, quòd debeamus ea continuè cogitare.

In humana operatione intellectus, et voluntas sūt prima principia.

Ordo tamen secundùm naturam operationis est contrarius, quia operatio ista quæ hic signatur per manum, pertinet ad potentias executiuas in operatione tamen humana, cùm intellectus & voluntas dicantur esse principia prima: quia intellectus vt iudicans, & consulens: & voluntas vt iudicatū eligens: deinde sequitur operatio ptinens ad potētias operatiuas, & est posterior: q a tñ in moralibus operatio est finis, vt patet in 2. Ethic. & finis licèt dicat esse posterior in executione, est tamē prior in intentione, & mouet agentē, vt innuit Aristot. in 1. Ethi. qui volens ponere virtutes, quæ sunt principia directiua actuum humanornm, ante omnia de fine tractauit in ipso, 1. Ethicor. quia tamen finis etiam posterior est in executione, tractatis omnibus virtutibus & consequentibus ad virtutes redijt ad tractandum de illo in vltimo libro Ethicorum, scilicet in 10. sic hic cùm operatio dicatur esse finis, quia tamen ipsa est quæ magis attenditur, posita fuit in principio.

B

Cumq; introduxerit. Hic ponitur tertium, scilicet separationis à Deo occasio. *Cum introduxerit te.* Loquitur hic ad nouē tribus & dimidiam, quę nondum introductæ fuerant in terram suam: aliæ autem duæ & dimidia iam acceperant possessionem citta Iordanem, vt patet suprà 3. cap. *Pro qua iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob.* Cuilibet istorum per se facta fuit promissio Abrahæ, Gen. 13. & 15. cap. Isaac Gen. 26. Iacob Gen. 34. in multis locis reperitur hoc dictum, scilicet, quòd Deus iurauerit patribus Hebræorum dare eis terram Chanaan, vt patet Gen. 50. vbi dicitur: quod Deus iurauit Abrahæ, & Isaac, & Iacob dare eis terram Chanaan: idem patet Exod. 6. & 13. & Num. 11. & in multis alijs locis scripturæ, sed locus vbi iurauerit cuilibet istorum non reperitur: de Abraham reperitur quòd Deus irauerit ei complere in eo & semini suo promissiones factas, vt patet Gen. 22. c. cùm dicitur per memetipsum iuraui dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi: & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ: de Isaac & Iacob non reperitur vbi iurauerit eis Dominus: sed dato, quòd nunquam eis iurauerit, satis est quod iurauit Abrahæ pro se, & semine suo: quia si Deus aliquo modo obligaretur iuramento, vel aliquo alio genere obligationis, tantùm obligatus fuisset ex illa iuratione facta Abrahæ complere in posteris, & cuilibet illorum obligabatur sicut ipsi Abrahæ: quam hoc significauit cùm dixit ad Isaac, Genes. 26. cap. tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has complens iuramentum quod spopondi Abrahæ patri tuo. Iudicabat ergo Dominus ex illo iuramento obligationem inductam ad quemlibet posterorum: ergo licèt non iurauerit Deus cuilibet istorum trium Patriarcharum per se, satis est quòd iurauerit Abrahæ: & iurando illi se obligauerit cæteris posteris ex virtute verborum iuramenti.

C

Et dederit tibi ciuitates magnas. Istud est impedimentum, siue occasio obliuiscendi Deum, scilicet euenire prospera. Sic enim homines benefactorum suorum obliuiscuntur venientibus prosperis, vt Genes. 40. cap. de magistro pincernarum qui oblitus fuit Ioseph. Et sic Iudæis post euenit, vt prophetice prædixit Moyses infrà 32. cap. incrassatus & dilatatus recalcitrauit: incrassatus & dilatatus recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum.

Quomodo frui est in aliquo vltimate quietari: & quomodo in aduersitate constituti magis cognoscere Deum esse maximum bonum solent.

Qvæstio V.

D

Ratio fundamentalis huius est: quia maximum bonum secundùm veritatem vel quod à nobis maximum bonum existimatur, est quod mouet ad fruitionem suam: frui autem est in aliquo vltimate quietari & delectari, ita quod nihil vltrà quæratur: vt si aliquis inueniret aliquod bonum, quòd ita iudicaret bonum, vt nullum aliud bonum vltrà vellet, & in eo quiescere vellet totaliter, diceretur propriè illo frui: licèt dicamus largè quod omnibus illis quæ propter se appetimus, fruimur: si tamn nos aliquo fruamur propriè, oportet vt illud ponatur tanquàm maximum bonum: quia si non poneretur vt maximum bonum, adhuc aliquid alterum desideremus in ratione summi boni: & sic non quietaremur in illo priori: nunc ergo qualitercunque se habeat siue prosperè, siue infœliciter: quia est homo intellectiuum considerans ordinem in rebus, oportet vt semper intelligat esse ordinem in bonis, & aliquid putet esse maius bonum omnibus alijs: & necesse est ex natura rei vt fruatur illo bono, quod maximum esse intelligit: qui autem est in aduersitate non habet apud se aliquod bonum de bonis fallacibus fortunæ quæ possit frui: ideo cogitur redire ad vera bona, & cognoscit Deum esse maximum bonum. Et ista est causa, quare homines in laboribus aut ægritudinibus magis Deum cognoscunt quàm alijs temporibus sanitatis, & prosperitatis: quia tunc non habent aliquod bonum quo fruantur: & ideo necesse est conuerti ad aliquod fruibile: sed non attinet ei magis vnum quàm alterum, ideo conuertitur ad verum fruibile, quia intellectus non impeditus intelligit verum. Ex hoc etiam sequitur, quod in angustijs cognoscūt homines veros amicos, quia alia bona deserunt hominem solis amicis manentibus: ideo non possumus frui alijs bonis: fruimur ergo amicis dicentes veros amicos esse summa bona. Cùm autem euenerit status prosperitatis, adhærent aliqua bona fortunæ quæ ante non inhærebant: & quia illa habent quandam similitudinem verorum bonorum secundùm fallacem opinionem, possumus frui illis bonis: incipientes autem illa bona habere quæ habent rationem maximorum bonorum, incipimus frui illis, & quia fruitio soli vni pertinet quod optimum existimamus, cùm tale habeamus, illi totaliter inhæremus omnia alia relinquentes: & sic qui ante nulla bona fortunæ habebat, non habebat aliquid apud se quo frueretur, & quia necesse est frui aliquo, cùm semper aliquid existimemus tanquàm maximum inter bona, conuertimur ad verum bonum cùm nihil impediat, si autem adueniant nobis magis bona fortunæ, vt habere ciuitates grandes, & similia, quia ista possumus existimare vt maxima bona, possumus frui illis: cùm autem incipiamus frui, necesse est vt cætera postponamus, cū nulla alia bona in eodē gradu ponamus, Hebręi autem existentes in deserto non habebant aliquod bonum quod maximum possent existimare, ideo ad Deum conuertebantur, quando autem intrarent in terram Chanaan inciperent habere ciuitates magnas munitas, & domos pulchras: poterant eas optimum existimare & consequenter frui, & tunc naturaliter necesse est obliuisci Dei, cum aliud magis ametur quàm ipse, scil. id quo fruimur, & in præsentia eius quod maximè immutat, id quod minoris est potestatis impossibile est immutare.

E

F

Et domos plenas multarum opum. Omnes illas opes de manu hostium accipiebant, nec aliquem destruebant nisi viros, & mulieres, magnos & paruulos, cætera autem suscipiebāt sibi. Et quia quando pugnabant cōtra Chananæos, istos in terra sua non poterant effugere, sed comprehendebant eos intra ipsam ciuitatem, aut apud ciuitatem debellabant eos, & non poterant fugere, non poterant secum portare quicquam de omnibus illis quæ possidebant, sicut ergo Chananæi ante diuites erant, ita oportebat manere domos eorum plenas omnibus illis diuitijs quas antè possidebant, cùm ipsi habitatores morerentur in ciuitatibus, vel apud ciuitates, & nihil secum portare possent fugientes ad alia loca.

A

Et cisternas quas non fodisti. Terra illa non abundat in aquis, ideo collectiones subterraneas aquarum faciebant, quas cisternas vocant: non solùm ista inuenturi erant Iudæi in terra Chanaan, sed etiam alias possessiones immobiles vt vineas, agros, & olueta, & sicut priora, scilicet ciuitates magnæ, & pulchræ mouere poterant multos ad fruitionem, ita etiam ista, quia maximè Hebræi desiderabant ea: vt ergo tolleret totalem occasionem recessus à Deo, quæ erat per obliuionẽ diuinorũ beneficiorum, & obliuio causatur ex fruitione alicuius rei extra: nec Deus nominauit omnia, vt scirent Hebræi cauendum esse à animio amore circa talia, qui faceret obliuisci omnia alia, ideo notanter dixit caue ne obliuiscaris, quasi dicat, licèt tu reminiscaris diuinorum beneficiorum, & velis eum super omnia diligere, tamen si amorem magnum apponis istis rebus nunquàm videbis donec Deum totaliter obliuiscaris istis bonis per fruitionem adhærens: hoc namq; naturaliter inducitur, vt si quis vno bono fruatur, cętera minus eo amet, ideo admonebat Psalmista amorem non esse ponendum in diuitijs, etiam si eas haberemus dicens, si diuitiæ affluãt, nolite cor apponere, Psal. 61. *Dominum Deum tuum timebis.* Hic pnitur quartum scilicet timẽdi Deum ratio, & hæc satis conuenit superioribus, quia qui Deum timet eius non obliuiscitur. *Ipsi soli seruies.* Id est, nõ adorabis alium Dominum cum eo, sicut fecerunt Samaritani, quarto Regum 17. cap. quia ipse solus Deus est: dij autem gentium dæmonia sunt, Psal. 95.

B

Quo seruiendus solus Deus.

Aduertendum quòd licèt dicatur hic soli Deo seruiendum, & solus Deus timendus: tamen nec soli Deo seruiendũ est, nec eum solum timere debemus, nam patres, & dominos timemus, & dominis seruimus. Inde enim opera seruilia dicuntur, quia per ea homo seruit homini: dominos autem esse timendos manifestat Malach. 1. cap. dicens: si ego sum Deus vbi est amor meus? si Dominus vbi est timor meus? quasi dicat, quod dominis timor debetur: patrem etiam filij timent, & inde timorem filialem à seruili distinguimus, & vxores timent viros, inde timorẽ castum à cæteris separamus. Ad hoc respondetur, quod potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd Deus loquatur hic solũ de timore Dei, & mandando solum Deum timeri aut sibi seruiri non excludat cætera res, quæ non sunt dij aut existimantur dij, sed excludant ita eadem specie scilicet in specie deorũ, si aliquos alios præter illum vnum imaginemur, & est sensus.

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. Id est, licèt timeas Deum, & seruias ei, & timeas homines & seruias eis, tamen nõ timeas alium Deum, sed istum solum, nec alteri Deo aut dijs seruias, sed huic soli. Alio modo potest hoc intelligi, quòd excludantur omnia alia, quæ non sunt Deus, & tunc non excludentur respectu huius actus, qui est timere aut seruire, sed respectu vtriusque accepti cum quadam determinatione graduali: & tunc est sensus, quod Deus solus timendus est, non quidem quòd eum timeamus & nullum alterum, sed quòd eum timeamus in tali gradu timoris, scilicet cum tanta reuerẽtia & terrore si oportuerit, vt nullum alium hominem, aut Deum existimatum in tali gradu timoris timeamus: hoc demonstrauit Christus Matth. cap. decimo dicens: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui corpus & animam potest perdere in gehẽnam, quasi dicat, licèt aliquis timor sit ad terrenos, ille valdè modicus debet esse: timor autem qui ad Deum valdè magnus: sic etiam Deo soli seruiendum esse mandauit, quia licèt patribus dominis seruiamus, Deo tamen in tali gradu seruire debemus, scilicet totam nostram animam ei præsto offerentes cum maxima affectione, & cum hoc quædam reuerentia adorationis nimia tanquàm ad nostrum Deum, & creatorem: iste autem gradus seruitij nulli rei præter Deum communicandus est, quia iam perueretur ordo dilectionis, cùm aliquid Deo maius bonum arbitraremur, vel apud nos constitueremus: cætera ergo diligibilia diligentes, aut hominibus seruientes nunquàm in tali gradu cuiquam seruire debeamus: ideo Deo soli seruiendum est, quia ei excellentissimè seruiendum est.

C

Ac per nomen illius iurabis. Non est hoc præceptum, sicut de timendo, vel de adorando, sed permissio quædam, quia videbat Deus Iudæos ad iurãdum pronos, & ne per nomina idolorum iurarent quæ execrabilia erant, Psalm. 15. nec memor ero nominum eorum per labia mea, permisit eis per nomen suum iurare.

D

An iuramentum sit frequentandum, vt Iudæi dicunt, vel magis nunquàm iurandum est, nisi ex necessitate.

QVÆSTIO VI.

VNDE aliqui Iudæi errauerunt ex hoc loco dicẽtes iuramentum esse actum religionis, & frequentandum sicut cultus Dei, vel orare: sed falsum est, quia nunquàm iurandum est nisi ex necessitate, aliàs esset contra secundum præceptũ de non accipiendo nomen Dei in vanũ, tunc enim in vanũ assumitur, cùm sine necessitate nomẽ eius profertur, & sic determinauit Christus Matt. 5. c. sit sermo vester est est, non non. *Non ibitis post Deos alienos,* id est, non sequimini cultum eorũ: vel non ibitis ad consulendum eos sicut Ochozias rex Israel misit ad consulendum Beelzebub Deum Acharon, 4. Reg. 1. ca. dicitur cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non quòd liceret consulere Deos aliarum gentium qui procul erant, vel ire post eos colendo eos, quia æquale peccatũ erat colere hunc vel illum Deum, sed dicitur de dijs qui in circuitu sunt, qa lex semper attendit id quod est maius periculũ, maius periculũ est, quòd à malis vicinis efficiat malus quàm ab illis qui valdè procul: cùm autem Iudæi aliquo modo communicaturi essent cum gentibus, quæ in circuitu eorũ erant, poterãt scire eorum cęremonias in cultu deorum suorum, & inclinarentur ad faciendũ easdẽ cæremonias Deo suo, velut colerent illum Deum: cum gentibus autem semotis ad extremitates mundi nulla erant eis commercia: ideo non poterant scire de cæremonijs deorum suorum ne inclinarentur ad illos, quia inuisa diligere possumus, incognita autem nequaquàm. *Quoniam Deus æmulator Deus tuus.* Id est, Deus tuus zelotes est volens sibi sacrificari, & se solùm consuli sicut vir zelat vxorem: quia vult ab ea solus diligi.

E

Deus tuus in medio tui, id est, Deus tuus solùm est zelotes respectu vestri, non autem respectu aliarum gentium, qa etiam si aliquis de gentilibus idola colat, non irascitur nec zelat eũ Deus, quia permisit eos ambulare in concupiscentijs suis, si autem aliquis vestrum alios deos colat Deus zelat, quia vos populus eius estis, vt patet suprà 4. cap. & infrà 7. sicut vir zelat vxorem suam, & irascitur ei, si fornicetur: aliis autem non. *Ne quando irascatur furor Domini Dei tui cõtra te.* Refertur ad superiora, scilicet nõ ibitis post deos alienos, ne quando irascatur Dominus: quasi dicat Deus non habet aliquam occasionem ex qua citiùs cõtra nos irascatur, quàm si colamus deos alienos, quia istud peccatum maximum est, vt patet Exod. 32. cap. cùm dixit Moyses ad Aaron redarguens eum quòd fecisset vitulos in quibus populus idololatrauit, quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum, sic etiam de vxore, licèt enim vxor esset in aliquo contra virum nunquàm tamen ita irascitur, sicut si ipsa diligat alium virum, cui carnaliter commisceatur: irascitur ergo vehemens furor Domini super talia.

F

Maxima & vltima pœna auferri de superficie terræ.

Et auferat te de superficie terræ, id est, destruat te totaliter, ita quòd non sis in aliqua terra: ista est maxima & vltima pœnarũ, qa in tota superficie terræ non relinquamur, nã aliquando puniuntur homines perdendo terram suam, cùm ducuntur in terram hostium captiui, & ista magna pœna est, qa relinquitur natalis terra quæ multum decoris habet, & omnes homines allicit, vt ait Gualterus Alexandreidis libro primo: perduntur etiam diuitiæ quas tollunt filij alienorum, perditur politica cõsolatio: cùm homo sit animal naturaliter gaudens in politia, & determinatũ ad aliquam politiam: manent tamen adhuc aliqua gaudia, aut species gaudiorum, quia licèt homo à terra sua expellatur, non tamen totaliter expellit terra, quia in alia terra manet, vbi adhuc lætari potest; qui autem auferrur à superficie terræ in nulla parte orbis manet: qa omnia loca orbis in superficie terræ manent, qui autem sic à superficie terræ expellitur, cùm non possit à tota terra expelli, necesse est, vt constituatur infra terram: hoc autem pertinet ad defunctos, qui in terræ visceribus occultantur, ne fœtore aut figuræ horrore cæteros viuentes fastidiant & infestent: cùm ergo dicitur Deus auferet aliquem de superficie terræ, est sensus, qp occidet eũ & faciet abscondi, infrà sper-

A *Quid sit tentare Deum.*

ficiem terræ. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentare est experimentum velle capere de aliqua re, sicut qui equum currere facit solùm vt videat an benè vel malè currat: sic tentare Deum dicitur qui agit vt sciat vtrùm Deus subueniat, & valdè magnum peccatum est tentatio Dei, quia reducitur ad genus infidelitatis, vel præsumptionis, quæ maxima peccata sunt, vt declarauimus Exod. 16. & 17. Patet in amicis: ille amicum suum tentat, quem firmum esse non putat, vt sciat quantum in illo sit ad necessitatis articulum, qui autem amicum certissimum habet, de cuius fidelitate nullatenùs dubitat, nunquàm eum tentat: sicut qui equum optimum cursorem esse cognoscat, eum non tentat, sed in necessitatibus vtitur eo, qui autem nondum cognouit, tentat eum experimentum accipiens, qui ergo Deum tentat, non confidit totaliter in bonitate vel potentia Dei, quia si confideret non tentaret, & sic infidelis est, quia de Dei bonitate vel potentia dubitauit, discredere enim potentiæ Dei infidelitas est, quia est negare aliquid esse in Deo: discredere autem bonitati Dei diffidentia est, & est contra spem, vt si aliquis crederet, quod Deus aliquid facere poterat, sed non crederet quòd faceret etiam si iustè vel in necessitate petatur: hoc tamen aliquando infidelitas vocarur, quia spes & fides aliquando vno nomine nominantur, & sic dixit Christus Petro modicæ fidei quare dubitasti? Matth. octauo, & 14. cap.

Præsumptio in Deum quæ sit

B

Aliquando reducitur tentatio Dei ad præsumptionem, & voco præsumptionem desiderium cognoscendi secreta quæ homini cognoscere non licet, vt si aliquis crederet Deum esse potentem ad omnia, & quòd in necessitatibus semper succurrere vellet, sed scire vel experiri velit qualiter in tali casu ageret, & hæc præsumptio magnum peccatum est, qui ergo aliquid rectè petere debet vt exaudiatur à Deo, opposita horum habere debet: primò, quòd sit in necessitate, & tunc non est præsumptio, nec tentatio sicut qui equum currere facit: quia fugit hostes suos non tentat equum, ita qui in necessitate ad Dei auxilium currit, Deum tentare non dicitur, quia experimentum non quærit.

Ex duobus oratio ex audiatur.

Secundum, quòd sine dubitatione ad Deum veniat, scilicet intelligens quod Deus facere potest, & quod in necessitatibus faciet, vt non sit incredulus, nec desperans. Et ista duo tangit Iacobus cap. 1. Canonicæ suæ, dicens, postulet autem in fide nihil hæsitans, in fide, id est, credens quod Deus facere potest, nihil hæsitans, id est, credens certissimè, quòd si ipse in necessitate petit, & iustè exaudietur, quia Deus voluntatem timentium se faciet, Psalm. 144. Et subiungit, quod aliter petentes nihil assequuntur dicens: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui à vento mouetur, & circumfertur: non existimet ergo homo ille, quòd accipiat aliquid à Deo.

Sicut tentasti in loco tentationis, scilicet in Raphidin vbi Deum pro aqua tentauerunt, vt patet Exod. 17. cap. Dixerunt enim, est ne Dominus inter nos an non?

C

Aliqui volunt quod tentatio ista fuit, quia Iudæi plures portabant aquam in vasis suis de mansione præcedente, quæ vocatur Halus, & tamen petebant aquam, & tunc erat tentatio quæ est præsumptionis, quia volebant experiri qualiter Deus eis aquas daret sine aliqua necessitate, sicut qui cibum quærere non vult, expectans quod Deus ei cibum præsentabit.

Sed melius videtur quod isti in necessitate existentes tentauerunt, quia fortè Deum impotentem ad dandum eis aquam crediderunt, sic patet Psalm. 77. nunquid poterit Deus parare mensam populo suo in deserto, & tunc est sensus.

Est Deus inter nos an non, id est, nunquid Deus, qui est inter nos poterit facere ista, vel nunquid nos habemus Deum inter nos potentem nobis auxiliari an non, vel poterat esse tentatio diffidentiæ, quia licèt crederent Deum esse potentem, tamen dubitabant vtrum eis aquam dare vellet, & tunc est sensus, nunquid est Deus inter nos, scilicet, qui succurrere vellet inopiæ nostræ an non. *Custodi præcepta,* impedimentum intrandi in terram illam, vel recessus à Deo est non custodire mandata: ideo amouentur. *Custodire præcepta,* scilicet moralia vel decalogi.

Testimonia, id est, præcepta iudicialia.

Quæ differentia sit inter testimonium, & præceptum. Et cæremoniæ qua ratione constituantur.

QVÆSTIO VII.

PROPRIE testimonia sunt mandata decalogi, per quæ inter Deum & Israel firmamentum positum est: alia autem præcepta largo modo testimonia nominantur. *Et cæremonias.* Istud est tertium genus præceptorum, dicuntur autem cæremoniæ quidam ritus, vel obseruationes, secundùm quas se habet homo ad Deum, nam si sint aliqui modi constituti ab hominibus, secundùm quos se habeant homines inter se, illi non vocantur cæremoniæ: nam cæremoniæ dicuntur ritus purè legales, scilicet qui non insurgunt à voluntate determinante magis hoc quàm illud secundùm rationem naturalem, sed à pura voluntate legislatoris volentis hoc, vel illud solùm, & cæremoniæ secundùm istum modum dicuntur esse quoddam extremum ad ius naturale distantissimum, intermedium autem est aliquid quòd non sit purè à ratione naturali determinante hoc, & nullo modo alterũ, nec purè à voluntate quod habet aliquid rationis naturalis: quia dependet ex illa tanquàm determinatio explicita, & istud est genus præceptorum iudicialium: nam præcepta iudicialia magis connectuntur rationi quàm cæremonialia, quia in iudicialibus licèt non immediatè determinentur à ratione naturali ad sic esse, ita quòd nullo modo possint esse aliter, tamen quilibet respiciens illa poterit videre quomodo dependeant, vt communiter de iure naturali, licèt quidam eorum non habent aliquam rationem sed solam voluntatẽ, vt quòd inter præsentes fiat præscriptio in decem annis, & nõ in nouem: & sic de multis alijs in præfixione, vel determinatione temporis vel terminorum ad faciendum aliquid, sed ista rara sunt, alia aũt vt cõmuniter licèt applicentur ad materias particulares, tamen benè apparet dependentia eorũ à iure naturali vniuersali: in cęremonialibus aũt non patet hoc, qa dato quòd aliquis respiciat quare tales cęremoniæ sic aut sic fiant, non poterit reperire aliquã rationem mouentem nisi solam voluntatẽ constituẽtis, vt patet in cæremonijs sacrificiorum, & in emundationibus leprosorũ, & in emundatione aut probatione zelotipiæ, & in obseruatione Nazaræorum, & similibus, nam rarò reperiri potest ratio, quæ videatur insurgere ex naturali ratione sic aut sic determinante, sicut videtur esse in iudicialibus, quæ nunquàm possunt vocari cæremoniæ, præcepta autẽ legalia conuenienter vocantur cæremoniæ, de his latè diximus Leuit. vlt. c. & ibi vide. *Et fac quod bonum est & placitum in conspectu Domini.* Hoc enim Deus vult vt nos faciamus quod ipse vult, sic dicitur Gen. 17. c. ambula coram me, & esto perfectus, id est, ambula iuxta volũtatem meam, nam ambulare coram Deo nihil aliud est quàm ambulare, vt ipse vult: & dicitur hoc, quia aliqui homines videntur bono zelo moueri, & faciunt quod sibi videtur malũ non esse. Et tamen errant, quia non attendunt: nam vt ait Salomon in Prouerb. est via quæ videtur homini bona, & extrema eius ducunt ad mortem, ideo nullus quantumcunq; bonum habeat zelum innitatur prudẽtiæ suæ ambulans vt sibi bonum videtur: sed inquirat vtrum Deus aliter velit, sicut dicit Apostolus ad Roman. 12. cap. nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt sciatis, quæ sit volũtas Dei bona, & beneplacens, & perfecta: ideo sanctus Dauid orabat in Psalm. 5. dicens, dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam, id est, dirige viam meam non secundùm quod mihi videtur bona, sed secundum quod tibi. Et dicitur hic quod bonum est, & beneplacitum in conspectu Dei, quia id quod bonum est secundùm seipsum, est beneplacitum in conspectu Dei, nam Deus bonum vult, & delectatur in eo, quandocunque ergo reperiatur bonũ quòd sit verè bonum Deus delectatur in eo, sed quia iudicium humanum valdè defectibile est, & interdum perturbatur à passionibus, ideo id quod bonum est malum iudicant, & è contrario, & sic Deus non vult fieri quod bonum videtur hominibus, sed quod bonum est simpliciter, & hoc est ei beneplacitum.

D

E

F

Quid sit coram Deo ambulare.

Sed dices quomodo ego sciam quid est bonum, aut beneplacitum in conspectu Dei?

Quo sciatur ad sit bonũ.

Respondetur quod id quod Deus mandat, est simpliciter

bonum,

bonum, quia ipse cognoscit omnem veritatem, & mandat id fieri quod bonum est, cùm ergo mandatum suum reperiatur circa aliquam rem, sic agere debemus, vt mandatur, & non declinare ad dexteram, vel sinistram, dato quòd nobis videatur aliter esse agendum, quia illa est voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta: cùm autem mandatum Dei non reperitur circa aliquod agibile, tũc vel consulere peritiores oportet si dubium est, & aliquid magnitudinis habet sui: aut agere secundùm conscientiam nostram, quia vt ait Apostolus: hæc est gloria nostra testimonium conscietiæ nostræ, & tunc etiã dicimur agere, quod placitum est in conspectu Dei, quia nos studemus agere quod beneplacitum est ei, quia non inuenimus præceptum eius quantum ad tale agibile, & iudicamus secundùm conscientiam, quam ipse nobis dedit sicut dicitur hic. *De qua iurauit patribus tuis*, id est, quod iurauit patribus tuis, vt deleret ex ea omnes hostes, & daret eam eis & semini suo: quomodo autem iurauerit eis vtrum cuilibet eorum per se, vel omnibus simul, vel vni pro omnibus, suprà in isto cap. declaratũ fuit. *Vt deleret omnes inimicos tuos.* Hoc habetur Gen. 15. vbi promittitur terra decem gentium, & expulsio earundem de locis suis, vel potest referri ista clausula ad tempus Moysi: in quo clarè promissa est sæpè destructio istarum gentium, vt patet Exo. 23. & sæpè eis mandata est, vt Num. 34. c. & inf. 20. & patet quia dicitur. *Sicut locutus est.* Ita quòd possessio terræ referatur ad iuramentum patrum, & deletio gentium referatur, sicut locutus est. Quod fuit tempore Moysi.

B *Cùm interrogauerit te.* Hic ponitur 5. scilicet ad quæstiones posterorum responsio. *Filius tuus cras.* Significat magnũ tempus post futurum, quando filij qui nascerentur propter antiquitatem facti obliti essent beneficiorum Dei. *Quid sibi volũt testimonia hæc*, id est, præcepta, moralia, quasi dicat, quis nobis tantũ onus imposuit, scil. quòd seruaremus ista mandata, vel propter quam causam, vel ad quem finem posita sunt? *Serui eramus Pharaõis in Ægypto, & eduxit nos Dominus Deus de Ægypto.* Ratio redditur ex naturali obligatione, seruus emptitius tenetur ad omnia quæ mandat ei Dominus, sed Deus vos liberauit de magna seruitute Ægyptiaca, ideo iustè potuit imponere vobis quamcunq; legem vellet. *In manu forti.* Deus cùm nec pedem nec manum habeat, quia lineamenta nec descriptiones corporales habet: ideo nõ poterat educere in manu, nec in pede, nec in aliquo altero membro, sed ista dicuntur secundùm metaphoram, quibus tota scriptura plena est, sic enim dicitur Exod. 19. cap. vos ipsi vidistis quid fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, constat tamen, quod Deus non conduxit Hebræos per desertum super alas aquilarum, nec struthionum, aut vulturũ, sed est metaphora quam declarauimus Exod. 19. cap. sic hic scriptura sacra volens condescẽdere modo nostro intelligendi, designat nobis, vt virum fortem bellatorem Deum, vt patet Exod. 15. cap. cùm dicitur Dominus quasi vir pugnator,

C licèt in Hebræo dicat ibidẽ, Dominus vir pugnator, sic ergo vir pugnator in fortitudine brachij sui destruit hostes, ita Deus, qui omnipotens est, & destruẽs quos voluerit, & saluãs quos voluerit, dicitur operari in manu forti, id est, in fortitudine brachij sui percutientis hostes, quemadmodum faciunt viri fortes pugnantes. *Et fecit signa atq; prodigia magna, & pessima in Ægypto.* Quæ sunt miracula solum ostensiua potentiæ & nõ inflictiua pœnæ, prodigia dicuntur hic miracula infligentia pœnam, de primo vt conuersio virgæ in colubrum, de secundo vt grando maxima, & tenebræ, & mors primogenitorum: ideo vocantur prodigia pessima quantum ad malum pœnæ, quia magnum malum Ægyptijs attulerunt.

Quæ differentia sit inter signum, prodigium, & iudicium.

QVÆSTIO VIII.

TRIA ponuntur hic, scilicet signa, iudicia, & prodigia, & possunt esse diuersa vel idem, quòd sint diuersa, vt quòd signa dicantur quædam miracula demõstratiua veritatem eius qui loquebatur, scil. quod Moyses dicebat se à Deo missum, & cùm negaretur faciebat ista miracula, scil. conuertere virgam in colubrũ, & è cõtrario. & hoc vocabat signum, quia signũ erat per hoc quod ista quæ dicebat Moyses vera erant, qa in signum veritatis suæ adducebat tale miraculum, quod satis apparebat à Deo esse, & signabat illum qui loquebatur tanq; à Deo verè fuisse missum. Iudicia vocãtur miracula inflictiua pœnę, sed nõ magnę pœnę, sicut fuerũt aliquę plagæ inter alias omnibus minores. Prodigia vocãtur magnæ plagæ sicut suprà dictũ est, sed magis videtur quòd hic accipiantur oĩa pro eodem materialiter, sed differunt formaliter, vel secundùm rationẽ, nam omnia ista videntur fuisse plagæ inflictiuæ doloris, sed istæ possunt vocari signa inquantũ considerantur vt quædã facta, quæ nõ possunt esse nisi per naturalem potentiã, sed indigent potentia supernaturali, & sic necesse est quòd faciat Deus, aut aliqs in virtute Dei, sed Deus nunquàm est testis falsitatis, ergo necesse est quod quandocunq; ad probationẽ alicuius dicti adducuntur vera miracula, quæ nullus potest agere nisi Deus, quòd illud dictũ verum fuerit, cùm Deus nunquàm esset falsitatis testis, quòd tamen esset, si ad confirmationẽ alicuius dicti falsi faceret miracula, ergo talia qualia faciebat Moyses inferendo pœnas magnas Ægyptijs, erat signũ quod ipse erat missus à Deo, in cuius nomine loquebatur: vocantur autem istæ pœnæ iudicia, qa iudiciũ dicuntur pœnæ inflictæ, vel qa iustè infliguntur, vel qa causa eius nobis ignota est, de primo modo dicimus, quãdo videmus aliquem multũ peccantem, & posteà conspicimus eum multum puniri, dicimus quod iudicium Dei fuit, scilicet quod taliter agens puniretur: alio modo dicũtur iudicia Dei qũ pœnarũ causæ ignorantur, vel non plenè cognoscuntur, & sic quãdo aliqui qui boni valdè, vel satis boni videbant puniuntur, dicimus qp iudiciũ Dei fuit. i. sententia Dei occulta nobis, & sic dicit Psal. 35. iudicia Dei abyssus multa, id est, sententiæ Dei sunt nobis multũ obscuræ. Hic autẽ accipiuntur iudicia in primo modo, quia in Ægyptijs satis videbatur rationale, qp Deus debuisset complere vltionem suam, quia toties mandato eius restitisset: & ideo exercuit in eos, & in Deos suos iudicia, id est, iustas pœnas: & sic patet Exo. 12. cùm dicitur: percutiam omne primogenitum in terra Ægypti, & in cunctis dijs Ægypti faciam iudicia ego Dominus: idem patet Nume. 33. c. cùm dicitur, egressi sunt filij Israel videntibus Ægyptijs: nam & in dijs eorũ exercuerat vltionem, prodigia vocantur ista inquantum erant magnæ pœnæ valdè, quæ sunt procul à digito, id est, procul à potẽtia nostra: quia naturalis potentia talia agere non potest, patet hoc considerando ipsas pœnas inflictas, quas nullus de sapientibus vel necromanticis Ægyptiorum, vel de dijs eorum talia potuit facere, vel fieri prohibere. Vocantur tamen aliquãdo prodigia ipsa miracula magna, quæ nulli pœnam inferunt, sed solũ miracula magna sunt, & sic habetur Act. 6. c. quod Stephan⁹ plenus gratia faciebat prodigia & signa magna in populo: dicuntur tamen ista prodigia semper retẽta significatione termini, scil. prodigia, id est, procul à digito, qa talia miracula ita magna sunt, quod verum est ea nõ posse fieri naturaliter, sed per aliquam potentiam, scil. diuinam, quæ valdè procul est à potentia nostra. *Contra Pharaonem & omnem domum illius.* Isti enim magis torquebantur istis plagis, quia se duriùs contra Hebræos habebant, & ab istis omne consilium malũ, & pœna cõtra eos procedebat. *In cõspectu vestro.* Quia licèt Hebręi morarentur in terra Gessen, quæ ad vnã extremitatem Ægypti est, vt colligitur Gen. 46. c. tamen sciebant vicinis Ægyptijs paratas istas plagas: etiã & meliùs, quia in terra Gessen non solũ habitabant Iudæi, sed etiã Ægyptij in omnibus locis & ciuitatibus illis Hebræorum: & in illis Ægyptijs fuerunt omnes pœnæ inflictæ sicut alijs qui morabãtur per totum Ægyptũ, & ista oculis suis videbant Hebræi, & fiebant in conspectu suo, vt declarauimus Exo. 7. hoc patet clariùs Exod. 12. c. vbi immolato phase mandauit de sanguine agni poni in superliminari domus, & super vtrumque postem: vt cùm veniret Angelus percutiens transiret domos illas, si tamen ipsi Hebræi non habitassent inter Ægyptios frustrà fuisset ponere illum sanguinem, quia tunc nullam domũ deberet Angelus percutiens trãsire, & nullam percutere, cùm de primogenitis Hebræorum nullus in illa peste perierit.

D *Deus nunq̃ est testis falsitatis.*

E

F

Item patet Exod. 3. & 11. cap. vbi dicitur quod postulabit mulier ab hospita sua, & à vicina vasa aurea & argentea, & vir ab amico suo, ergo videtur, quod Hebræi multi morabantur in domibus Ægyptiorum, & habebant etiam Ægyptios pro vicinis: ergo inter Hebræos morabantur Ægyptij, quo-

rum possent videre inflictiones pœnarũ, potest etiam referri hõc ad vnam pœnam inflictam simul corã toto populo Hebræorum, & fuit subuersio Ægyptiorum in mari rubro, cùm conuertit Dominus aquas maris rubri super Ægyptios, & vnus ex eis non remansit. Et viderunt Hebræi omnes Ægyptios iacentes mortuos in littore maris, & cantauerunt Domino laudes super illos, vt patet Exo. 14. c.

Legitimũ in sacra scriptura qũo accipiatur

Præcepit q̃, nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc.

Accipitur legitimum generaliter pro omne quod in lege scriptũ est siue morale, siue iudiciale, proprijssimè accipitur pro cæremoniale, quod est purè positiuum, & à sola legislatoris intentione dependet, qualia sunt ritus sacrificiorum, non tamen propriè assumi potest legitimũ pro iudiciali præcepto, quod magis à ratione dependere videtur. Et ista duo ponit Phil. 5. Ethico. iustum legale est quod stat in videri, vel nõ videri, vt sacrificare vnam capram, vel duas oues: etiam sententialia per sacrificium tangit cæremonialia, per sententialia tãgit iura foralia inter homines, phil. autem vtitur isto nomine legale aliqualiter magis largè distinguens illud cõtra ius naturale dicens, policiti autem iusti hoc quidem naturale hoc autem legale est, & sic omne ius vocat legale quod non est naturale. De diffinitione autem iuris naturalis posita à philosopho qualiter intelligi debeat, dixim⁹ Exo. 20. & Leuit. 27. c. ius autem legale vocat ipse omne alterum ius pertinens ad homines, vel ad deos, sed differt, quia in iuribus humanis quædam sunt iura vniuersaliter posita, quæ licèt non dicantur principia iuris naturalis omnia nota, sunt tamen conclusiones speciales iuris naturalis deductæ à sapientibus scilicet à legislatoribus: quia sapientis est ordinare, vt ait Aristot. in principio primi Metaphy. & sicut in speculatiuis principia, quæ sunt per se nota, & conclusiones quæ sunt notæ non per se, sed ex inductione per principia, dicuntur simul pertinere ad materiã speculatiuam: ita in agibilibus principia vniuersalia iuris naturalis, & conclusiones inductæ per modum determinationum à iure naturali, dicuntur pertinere simul ad ius naturale, & ideo talia iudicialia non vocantur legalia secundùm phil. sed naturalia, alia autem iudicialia, quæ ponuntur interdum ex sola voluntate legislatoris, & subditorum, nam voluntas principis facit ius, quia quod principi placuit legis vigorem habuit, vt patet institutis de iure naturali & ciuili, & gentium in §. principum quoque placita ista: namque facta à sola voluntate principis sine aliqua ratione vocantur legalia: nam competit eis diffinitio iuris legalis, quã ponit philosophus in 5. Ethic. scil. legale est quod à principio quidem non differt: differt autem cùm positum est, id est, antequàm ponatur ius tale non magis differt sic agere, quàm contrario modo: sed cùm positum fuerit differt, id est, magis refert sic se habere quàm aliter, cuius latiorem declarationẽ posui Exo. 20. cap. Aliquando iudicialia non ponuntur vniuersaliter, sed sumuntur in particularibus, vt sententiæ iudicum quæ dantur super facto certo, & non extenduntur ad aliqua alia similia vel dissimilia: & tamen accipiũtur vt ius: q̃a res iudicata accipitur vt ius: aliquando etiam aliqua quæ non sunt iudicialia, & tamen sunt leges dicentes ius alicuius personæ vocantur legalia: quemadmodum priuilegia si ponantur per modum legis vel statuti: & tamen sint indulta in fauorem vnius personæ, vt in quadã ciuitate statutum fuit, quòd coleretur Brasida, & fierent ei sacrificia, quia multa bona fecerat ciuitati. Aliquando considerantur aliqua iudicialia tanquàm determinationes pœnarum, vel præfixiones terminorũ: & vocantur legalia, quia non dicitur sic magis facere quàm sic, vt statuere quòd detur pro redemptione captiuorum tantum vel tantum, cùm non sit maior ratio dare quinqua quàm sex: aliquando accipiuntur alia quæ nullo modo sunt iudicialiia, sed pertinent ad cultũ deorum, vt sacrificare capras, vel arietes, vel oues, & sic de alijs, quia in his non est aliqua ratio, sed sola voluntas: quamuis Ouidius in libro Fastorum dat rationes illorũ rituum & sacrificiorum, sic enim promittit in principio libri primi dicens.

Legale quid sit

Tempora cum causis latium digesta per orbem, canam.

Quatuor ergo sunt quę pertinẽt ad ius legale in quibus sdistinguitur à iure naturali, & illa quatuor hic assignauimus: & tangit omnia illa Philosophus 5. Ethic. in diffinitione iusti legalis cùm decitur, legale est quod à principio puidem non differt, differt autem cùm positum fuerit, vt captiuos mina redimi, & sacrificare capram, sed non duas oues, adhuc autem quæcunque in singularibus legem ponunt, vt sacrificare Brasidæ, & sententia. Primum de quatuor supradictis notatur in quantum dicitur, & sententialia, secundum notatur, quantũ dicitur, adhuc quæcunque in singularibus legem ponunt vt sacrificare Brasidæ, tertium notatur cùm dicitur, vt captiuos mina redimi, quartum notatur in quantum dicitur, vel sacrificare capram, sed non duas oues, (cũctis diebus sicut est hodie.) Refertur hõc ad tempus prosperitatis, quando patres docerent filios mandata Dei, & est intellectus, sicut nunc abundamus in diuitijs, & tranquilli sumus custodiendo mandata Dei, ita erit in futurum: quandocunq; ea custodierimus vel potest referri ad tempus Moysi, & est sensus, dicebat Moyses populo vos dicetis filijs vestris, quod quandocunq; mandata legis seruauerint benè sibi erit, sicut nunc est nobis, tũc enim abundabat populus diuitijs, & pace debellatis Madianitis quinque regibus, vt patet Num. trigesimoprimo c. & duobus regibus Amorrhęis, Num. 21. & possessa terra Amorrhæorum, & diuisa, suprà 3. ca. *Errą, vestri misericos.* Liberando vos à cunctis miserijs quæ superuenire possunt. *Coram Domino Deo nostro.* Est mutatio personæ, quia deberet dici corã eo, quia ipse misericors erat, & sic frequenter fit mutatio in scriptura, vt Psal. 3. in versic. vlt. quia cùm loquitur in tertia persona, rursum conuertitur ad secundam, sed in Hebræo aliter habetur scilicet. *Erit nobis iustitia*, id est, nos erimus iusti faciendo, non solùm bona temporalia habebimus, sed etiam hoc agendo boni erimus, & tunc non est mutatio personæ.

Caput VII.

Gentes delere mãdauit.

CVM verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas corã te: Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, & Chananæum, & & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum septem gentes, multo maioris numeri quàm tu es, & robustiores te, tradideritq; eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsq; ad internecionem.

CVM verò. Suprà dictum fuit de impedimentis amandi & timendi Deum, quæ proueniunt quodammodò à seipsis, hic agitur de impedimentis prouenientibus ab aduersarijs.

Et tanguntur tria.

Primum indebita pietas.

Secundum impugnandi & resistendi timiditas ibi. *Si dixeris in corde.*

Tertiò illicitorum cupiditas ibi. *Sculptilia eorum.*

Et deleuerit multas gentes ante te. Et sic promiserat eis quòd mitteret Angelum suum ant eos, qui disperderet omnes habitatores trans Iordanem in terra promissa. *Ethæum & Gergesæum.* Hic ponuntur septem gentes quas Deus deleturus erat vt traderet possessionem earum Israelitis, sed Gen. 15. ponuntur decem gentes, quarum terras Deus daturus erat Iudæis, scilicet istæ septem & Cethmonęi, Cinęi, Cenezæi, sed de istis tribus gentibus non legitur, quòd aliquam Deus Iudęis subiecisset.

Quomodo has septem gentes Deus tradidit Iudæis, & quando.

Quæstio I.

ET si dicas, quod licèt tempore Iosue istæ septem solùm subiectæ fuerint, sed post tempore regum subiectæ fuerunt. Sed hoc non tenet, quia tempore Iosue non fuerũt subiectæ omnes istæ septem gentes, quia adhuc manserant Iebusæi habitantes Hierusalem, & in multis locis post mortem Iosue, etiam vsque ad tempora Dauid, vt patet Iud. 1. & 5. Reg. & 1. Paral. 11. c. ideo dicendum quod reges Iudæorum solùm subiecerunt aliquã partem illarum septem gẽtium, quæ autẽ subiecta non fuerat, deleuerũt eã, sed in illa parte librorum Regum siue Paral. legitur quòd Iudæi tales gẽtes subie-

cissent

A

cissent, ideo aliqui Iudæi dixerunt quod istæ tres gẽtes subijcientur tempore Messiæ, sed hoc nihil est, quia siue secũdùm fidem nostram, siue errorem, quem ipsi nunc habent, Messias omnibus gentib⁹ dominaturus erat, quomodo ergo illæ tres gentes specialiter eis subijciendę promitterẽtur pro tempore Messiæ, si omnes aliæ subijciendæ erant? ideo cogentur confiteri quod ista ante tempus Messiæ compleda erant. Potest ergo rationabiliter respõderi q̃ illæ tres gentes non fuerunt deletæ ab Israelitis, sed ab Idumæis, Moabitis, & Ammonitis, & ratio est, qa istæ decẽ gentes promissæ fuerunt Abrahæ pro semine suo, sed Idumæi de semine Abrahæ sunt, quia sunt filij Esau, & Esau fuit nepos Abrahæ, Moabitæ & Ammonitæ non sunt de semine Abrahæ, sed sunt filij Loth qui fuit filius fratris Abrahæ, scil. Aram, vt patet Gen. 11. c. & secutus fuit Abraham exeundo cum eo de terra cognationis suæ, & cum eo iuit in Ægyptum, vt patet Gen. 11. & 13. c. ideo dilexit eum valdè Abraham, vt patet Gen. 13. & 14. liberando eum à 4. regib. Et ideo propter merita Abrahæ dedit duas gẽtes Ammonitis, & Moabitis filijs sui amici, & reputant sub semine Abrahæ, & confirmatur hoc, quia sup. 2. c. dicitur, q̃ non pugnarent Iudæi contra Idumęos, Moabitas, & Ammonitas: quia Deus dederat eis terras illas quas tunc possidebãt, & adiuuerat vt expellerent inde habitatores eorum, sed contra nullam aliam gentem prohibiti sunt pugnare: nec etiam contra Madianitas qui erant de semine Abrahæ per vxorem suam Cethuram, Gen. 25. c. de nulla alia gente dicitur, q̃ tradiderit Deus terram aliquam in possessionem suam, & satis colligitur ex 2. cap. sup. quod ista terra illis trib⁹ populis promissa sit: quia vocatur terra possessionis suæ: suus, proprietatem denotat, quam isti habuerunt per promissionem Dei. Et etiam verisimile est, quia terra Moabitarum, Ammonitarum, & Idumæorum terram promissionis Iudæorum tangit in circuitu ab oriente, & meridie, vt diximus suprà 3. cap. Et sic essent omnes istæ decem gentes coniunctæ.

B

Item quia promissio istarum decem gentium soli Abrahæ facta fuit: post autẽ in Ægypto quando Deus primò promisit populo Iudæorũ, quòd eos inde educeret sòlùm promisit eis se daturum istas septem gentes, vt patet Exod. 3. c. licèt ibi ponantur Gergesæi sicut hic, quia rarissimè nominãtur Gergesæi in sacra scriptura: ideo videtur, quòd aliæ tres gentes alijs datæ erant: sed de nullo ita potest dici sicut de Ammonitis, & Moabitis, atq; Idumæis, vt patuit.

Et si obijcias, quod non potest intelligi de istis, quia gentes quas isti deleuerunt, non vocabantur Cinæi, Cenezæi, Cethmonæi, sicut dicitur Gene. 15. sed Horræi, Emim, zommin, vt suprà 2. cap.

Respondetur, quod hoc non militat, quia nomina gentiũ multotiens mutantur, ideo illi qui vocabantur tẽpore Abrahæ sic, vocarentur fortè aliter tempore quo introierunt Iudæi terram promissionis, maximè cùm inter hæc fluxerint 470. anni, vt probatum fuit Num. vlt. cap.

C

Item quia multotiens aliquæ gentes multis nominibus nominantur, sicut vnus homo multa nomina habet, sic vocabantur Troiani, Dardanides, Troes, Teucri, vt patet in libris Æneidos Vergilij.

Item quia Emim Zommim non erant nomina propria illarum gentium, quas Ammonitæ & Moabitæ deleuerũt: sed ipsi eis ista nomina imposuerunt ab effectu, vt patet suprà 2. c. ideo datis adhuc eis istis nominibus vocarentur nominibus suis proprijs, scil. Cinæi, Cenezæi, Cethmonæi. Et patet hoc magis in litera Hebraica vbi ista nomina quæ imposuerunt Ammonitæ, & Moabitæ istis gentibus non erant propria: sed quædam cognomẽta quæ sunt nomina appellatiua, & sic non tollerentur nomina propria sua.

Et si arguas quod non potuerunt dari istæ tres gentes nominatæ in Genesi Ammonitis, Moabitis, & Idumæis, quia ꝓmissio facta Abrahæ mãsit in solo Isaac: & benedictio Isaac in solo Iacob, & post per lineã rectam Iacob, quia vt ait Apostolus ad Galat. 3. c. Abrahæ factæ sunt repromissiones in semine vno, scil. de quo Messias futurus erat: ergo cũ de Iacob Christus venerit, ista promissio in filijs Iacob impleta est.

Respondetur quod repromissio de semine in quo benedicerentur omnes gentes solùm facta fuit in semine Abrahæ per Isaac, & Iacob, quæ erat magna promissio, scil. de Messia nasciturο de semine illo, promissio autem de possessione terrę temporalis & terrena erat: ideo ista filijs carnalibus communicari poterat quantum ad partem, quia Israelitis illæ septem gentes sufficiebant delendæ: ideo aliæ tres alijs traditæ sunt qui de semine illo aliquo modo erant Amorrhæorum, & Chananæorum, quando hic dicit, quod tradet in manus eorũ Amorrhæum cùm iam tradiderit reges Amorrhæorũ Og, & Seon: quomodo etiã tradere debebat Chananæũ, cùm iam tradidisset in manus eorum Chananęum regem Arad, vt patet Nume. 21. c. & deleuit Israel vrbes eius sub anathemate. Vnde dicet aliquis quod isti duo reges Amorrhæorum non fuerunt de Amorrhæis, quos promisit Deus dare in manus Iudæorum. Sed non potest stare, quia Deus non dedit eis nisi gentes quas promiserat: sed terra istorum tradita fuit eis in possessionem, ergo promissa fuerat: necesse est ergo Amorrhæos, qui sunt vltra Iordanem, quos adhuc debellaturi erãt, & Amorrhæos citra Iordanem, quos iam deleuerant, esse eandem gentem.

D

E

F

Amorrhæi qui dicantur in sacra scriptura.

QVÆSTIO II.

VNDE respondetur, quod Amorrhæi dicuntur multipliciter: si enim accipiantur largè vocantur Amorrhæi omnes gentes quas Hebræi deleuerunt, vt patet Iosue 24. c. an dijs Amorrhæorum in quorum terra habitatis, sed manifestum quod non habitabat totus Israel ad quem loquebatur Iosue in terra Amorrhęi populi, sed etiam in terra aliarum sex gentium. Aliquãdo accipitur Amorrhæus pro quodam populo descendẽte de Chanaam, vt patet Gen. 10. Et sic promittitur eis Amorrhęorum populus, Gen. 15. c. Et iste populus partim erat citra Iordanem cum terra illorum duorum regum Amorrhæorum Seon & Og, partim trans Iordanem. Et hoc patet, quia terra Amorrhæorum circundat & tangit terram promissionis, quæ est trans Iordanem, in parte septentrionali in monte Hermon, vt patet sup. 3. qa ille mons diuidit tres gẽtes vt ibi dicitur: & terra Amorrhæorum citra Iordanem est versus septentrionem, vt patet Iosue 13. c. Et sic vtraq; contiguabitur Iordane intermedio, cuius figurã potes sic habere, designata terra quæ est citra Iordanẽ, & quæ vltrà, & quæ monte Hermon qui est in latere septentrionis illius terræ: ideo in libro Num. quãdo dicit de bello & victoria cõtra Seon & Og: nõ dicitur q̃ deuicerunt omnes Amorrhęos, sed quod debellauerunt duos reges Amorrhæos, vt sup. 3. ca. ergo videt quod adhuc superant alij reges Amorrhæi, scil. citra Iordanẽ: alio modo accipit strictissimè pro illa parte gẽtis Amorrhęorũ quæ erat trans Iordanẽ: quæ erat in possessione nouẽ tribuũ & dimidiæ: & isto modo accipitur hic, quando arguis de Chananæis respondetur, quod Chananæi prout dicunt vnũ populum de septem populis Chananæorũ generaliter dictorum erat populus habitans in introitu terræ illius trans Iordanẽ ad occidentalem plagã illius terrę, & versus lattus meridianũ, vt patet Nu. 13. cùm dicit Chananęus habitat circa mare, & circa fluenta Iordanis: fluuius autẽ Iordanis ad Orientem illius terræ est, vt ex multis locis huius libri, Iosue atq; Iudicum concluditur, & istos subiecerunt Israelitæ transeuntes Iordanẽ. De Chananæo aũt rege Arad, de quo dicitur Nu. 21. c. respondeti potest multipliciter: vno modo q̃ rex illius terræ, scil. Arad erat Chananæus: & sic debellãdo illos nõ debellabat Chananæos, & patet simile de Balach filio Sephor qui erat rex Moabitarũ, & tamen ipse erat de genere Madianitarum, vt colligitur Num. 22. c. & 25. ex his quæ ipse faciebat cum Madianitis. Sed hoc non potest stare, qa Num. 14. c. dicitur Amalechites, & Chananęus ante vos sunt, quorũ gladio corruetis, & posteà dicitur, descenditq; Amalechites & Chananęus qui habitabant in monte, isti autem non possunt accipi pro regibus, sed pro populis, quia Amalechites nõ est nomen viri sed populi, nomen autem viri est Amalech, Chananæus etiam non est nomen viri, sed gentis, ergo non solùm rex Arad erat Chananęus, sed etiam populus suus. Et si dicas quòd Chananæus rex Arad non est idẽ quod ille Chananęus qui erat apud Amalechitem populũ, de quo Nu. 14. Respondetur quod idem erat, & patet ex situ terræ, qa quãdo pugnauit Chananęus & Amalechites cõtra Israel, erat Israel in Cades, vt patet Nu. 13. qa ibi inuenerunt exploratores ca-

A

ſtrametantem Iſrael,& immediatè in eadem caſtrametatione pugnauit cõtra eos Amalechites,& Chananæus,ſed in ſecunda vice, quãdo pugnauit Chananæus rex Arad contra Iſrael, erat Iſrael apud Cades:mouerat namque de Cades,& venerat in montem Hor,& ibi pugnauit Chananæus contra Iſrael,vt colligitur Num.20.& 21.& 33.cap.

Item patet hoc clariùs Num.21.cap.nam cùm Chananęus rex Arad feciſſet prædam in Iſrael, ſequitur quòd Iſrael voto ſe obligans ait:ſi tradideris populum iſtum, in manu mea delebo vrbes eius,& ſequitur de reſponſione, exaudiuit Dominus preces Iſrael,& tradidit Chananæum quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius,& ſic patet quod Chananęus erat populus, quia petiuit Iſrael populũ illum dari in manus ſuas, & tũc ſequitur quòd tradidit Dominus Chananæum in manus eius,& tamen id quod Deus fecit, fuit ſecũdùm formam petitionis Iſrael, quia dicitur in litera, exaudiuit Dominus preces Iſrael.

Doct. reſpõſio

Dicendum ergo aliter, ſcil.quòd iſti Chananęi, qui habitabant apud Amalechitas non erant de genere illorum Chananæorum, qui habitabant in terra Chanaan: ſicut alquando ſunt aliquæ gentes diuerſæ,nominatæ eodem nomine,tamen non pertinent ad idem genus: vel aliter,quod iſtæ gentes Chananęæ erant de genere aliorum Chananæorum, ſed quia diſtantes erant ab alijs terris,quas poſſeſſuri erant Iſraëlitæ,non promiſſę fuĕrunt eis, diſtãtia autem patet,quia poſt Cades,& montem Hor venenernnt ad terram Chananæi regis Arad,vt patet Nume.21.c.deinde iuerunt ad terram campeſtrem circumeundo terram Edom, vt patet eod.cap. poſtquàm autem magno tempore circũierun montem Seyr,quæ eſt terra Edom, venerunt ad torrentem Zareth, vt patet ſuprà 2.cap.deinde tranſierunt per Moabitas, qui erãt,inde venerunt ad torrentem Arnon,& intrauerunt terram duorum regum Amorrhęorum,vt patet eod.c.iſta autem ſatis magna diſtantia eſt,vt patet in ſubiecta figura.

B

Vel poteſt dici,licèt quòd iſta terra fuiſſet promiſſa Iſraelitis,nõ poterant habitare in ea, quia poſuerũt eã anathema, vt patet Nu.21.c.cùm dicitur, at Iſrael voto ſe obligans ait: ſi tradideris populum iſtum in manu mea delebo vrbes eius, exaudiuit Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius,& vocauit nomen loci illius Orma,id eſt,Anathema.

Illud quod ſi anathema non licet redire in vſus humanos.

Dicendum tamen ſecundùm veritatem, quòd illa ſecunda ſolutio eſt verior, tamen quocunq; modo dicatur, Iſrael nõ poterat habitare in terra illorum Chananęorum,q̃a illam fecerat anathema, quandocunq; autem aliquid fit anathema remouetur ab humanis vſibus, vt iam nõ liceat redire in humanos vſus,ſicut factum fuit de ciuitate Hierico,in qua omnia conſumpta ſunt ferro, & igne præter aurum, & argentũ, & æs,& ferrum,quę venerunt in ſanctuarium Domini,ita q̃ nihil omninò venit ad vſus humanos, & ipſa ciuitatis mãſio interdicta fuit,ne quis hominũ ibi auderet habitare,vel fundare ſedes, & ſi quis fundaret in primogenito ſuo, iacere debebat fundamenta, & in nouiſſimo liberorũ ſuorum ponere portas,vt patet Ioſue 6.c. ſic ergo cùm tota iſta terra Chananæi regis Arad ſubiecta fuiſſet Anathemati, nõ poterat Iſrael habitare in ea:ideo deſtructa illa receſſit vlteriùs quærẽs alias ſedes,tanquàm illa ſedes nihil ad eum pertineret: & ſic nihil attinet viciſſe iſtos Chananæos, quia poſt hos manebant alij multo plures habitantes in terra Chanaam vltra Iordanem.

C

Notandum pene literam.

Multo maiores quàm tu es. Non eſt intelligendum,quòd quęlibet illarũ eſſet maior,quàm Iſraelitæ,quia tunc nõ indigerẽt, niſi terra vnius, vel ad plus duarum gentium,vt ſpacioſiſſimi eſſent,ſed omnes iſtæ ſimul erant maiores in numero, quàm Iſrael,ideo gratia Dei fuit, quòd pauci multos vincerent, & patet,quia Deus non dedit immediatè terras omnium iſtarum ſeptem gentium Iſraelitis, quia ipſi non poſſent replere,& totã colere,vel habitare, donec vlteriùs multiplicarentur,ne inſurgerent contra eos beſtiæ,quæ nutrirentur in terra non habitata, vt Exod.23.cap.& infrà,in textu. *Et robuſtiores te.* Iſti ſeptem populi Chananæorum excellebant Hebręos in duobus.

Primò,quia licèt de iſtis ſeptem gentibus non eſſet maior,quàm totus Iſrael,tamen omnes iſtæ gentes ſeptem erant maioris numeri,quàm Iſrael, non poterant ergo pugnare Iſraelitæ contra eos.

D

Secundum erat,quia populi Chananęorum,id eſt,illarum ſeptem gentium erãt viribus robuſtiores,quàm Iſraelitę, ita quòd quilibet de Chananæis erat fortior, quàm quilibet de Iſraelitis,& ratio erat, quia Iſraelitæ nati fuerant in Ægypto, & in deſertis Arabiæ, quæ eſt terra multum calida, quia multum meridiana,terra Chanaam quæ eſt in tertio climate, erat temperatior: ideo Chananæi erãt robuſtiores:miraculum ergo erat, quòd Hebræi vincerent Chananæorum populos ſeptem. *Percuties eas vſq; ad internecionem,* id eſt,vſq; ad mortẽ: iſtæ ſeptem gentes nimis peccatrices erant coram Domino in enormibus & infandis immunditijs carnis: & ideo diuina ſentẽtia erat ad totalem deletionẽ eorum,& ſeminis ſui condemnati,vt patet Leuit.18.cap.Si autem filij Iſrael quos Deus miniſtros iuſtitiæ faciebat,eis contra Dei voluntatem parcerent,& cum eis iungerent connubia: traderet Deus Iſraelitas in manus eorum: & eſſent eis in occaſionem mali,& in pœnam,vt patet Nume.34. & Ioſue 23. cap. *Non inibis cum eis fœdus.* Dimittendo eos in terra, vt ſeruiant tibi ſub tributo, vel ſub alia conditione. *Nec miſereberis eorum,* ſcil.dimittendo ſaltem eos viuos ſine rebus & patria in alias gẽtes abire, quia poſt concitarent alias nationes contra Iſraelitas,vel quia iſtæ gentes iam meruerãt mortem, ideo nolebat Deus quòd manerent in terra viuentes. *Filiam tuam non dabis filio eius.* Ne cogat eam idolis immolare, & gignat idololatras filios. *Nec filiam illius accipies filio tuo.* Ne ipſa eliciat eum & peruertat ad Idolorum culturam, ſicut peruerterũt mulieres cor Salomonis,& illexerunt vt idola coleret, & fecit templa idolorum in ſenectute mala,vt patet 3.Regum 11.cap. *Iraſcetur q̃ furor Domini.* Id eſt,iuſtè mouebitur ad puniendum te ſi hæc feceris. *Aras eorum ſubuertite.* Id eſt, altaria in quibus ſacrificabatur idolis. *Statuas.* Id eſt,corporeas ſimilitudines quaa adorabãt, & idem intelligendum eſt de figuris ſolùm pictis ad honorem idolorum, quas colebant,ſed fit mentio de ſtatuis, quia iſtis magis vtebantur gentiles, quia magis ſignificatiuæ erãt: omnia enim idola deorum vt colligi poteſt ex varijs hiſtorijs Romanorum,& poematibus metallica,lignea, ſeu lapidea erant: aliqui autem dij erant qui ſtatuam,nec aliquam ſimilitudinem habebant,vt Veſta quam flammam vocant, vt ait Ouidius in 3.Faſtorũ, cùm dico Veſtam purè intellige flammam.Et quia ignis pingi, nec ſtatuificari poteſt, quia inſtabilis formæ eſt: nulla ſtatua nec ſimilitudo ponebatur, ſed continuus ignis in templo eius ardebat. Et propter hanc cauſam Deus Iſraelitis in igne apparuit, vt patet ſuprà 4.cap.ne aliquod ſculptile vel imaginem fabricarent. *Lucos ſuccidite,* id eſt,loca nemoroſa conſita apud aras,in quibus luxurijs vacabant poſt ſacrificia Priapi.

E

Qualia erant ſacrificia Priapi. Et quod ob appetitus carnales implendos cultus veterum deorum ſuſcipiebantur.

QVÆSTIO III.

F

ET hoc patet, quia in ſacrificijs Priapi erat omne genus abominationis in coitu,tam in coitu maſculorum ad inuicem,qui vocantur maſculi effœminati,id eſt,habentes vicem fœminarum:erat etiã communis concubitus virorum cũ fœminis nullo obſeruato fœdere matrimonij, & hoc magnum vitium erat in gentibus, atque in Iſrael, & fiebat in locis aliqualiter abſconditis, ſcil. vel in locis obſcuris propter multitudinem arborum tollẽtium lucem Solis,& tales arbores conferebant gentiles apud altaria ſua, vt facto ſacrificio Priapi in altare tota turba confluueret indifferẽter ſub arboribus illis ad vera ſacra Priapi, quæ erãt in coitibus, ſi aũt loca fuiſſent in propatulo, humana verecũdia erubeſceret corã ſe inuicem coire: nam quantumcunque homines turpes ſunt, iſtam verecundiam nunquàm perdiderunt, vt in occulto velint talia ſolatia habere præter eos Philoſophos qui ſub ſpecie rationis introduxerunt,vt coniuges quæ licitè cõiungun tur,in patulo coniungerentur,quia omne licitum publicum eſſe volebant, Tullius tamen in illis libris qui de republica ſcripti ſunt loquens de coitu coniugũ dixit, omnia rectè facta in lucem ſe collocari deſiderant, hoc aũt recte factum,id eſt,coitus matrimonialis cùm ſciri velit, videri non vult: iſti autẽ Philoſophi qui à canibus dicti ſunt, id eſt,canini pro eo quòd caninam impudentiã habeant, quorum princeps fuit

Dioge-

Diogenes philoſoph. in ꝓpatulo, in vicis, & plateis, corã alijs hominibus ad vxores carnaliter accedebãt: & quia alij homines hoc deteſtabantur, conſpuebant in eos, & iaciebant puluerem, lutum, atq; lapides ſuper eos tanquàm ſuper immundas atq; deteſtãdas belluas: ipſi autem pro hoc clauum in manu portabant, vt ſi quis eorum coitum in propatulo impediret, eum clauo impeterẽt velut hoſtem, ſed quia humana verecundia prævaluit, iſta impudica coitus licentia abolita eſt: ob hoc ergo iſti in locis obſcuris arborum iungebantur.

Aliquando autem conueniebant iſti qui faciebant ſacra Priapi ad caueas ſubterraneas expletis ſacris, & ibi in obſcuro coibant, habebant autem principem ſuper ſe dirigentem ne tumultuarentur in accipiẽdo ſinguli ſingulas, & ſic vniebantur, fuit autem in ſacris iſtis nefandis princeps Maacha mater regis Aſa, regis Iuda, ſed poſteà ipſe prohibuit ne eſſet princeps huiuſmodi ſacrorum, de quo 3. Reg. 15. cap. cùm dicitur, & fecit Aſa rectum in conſpectu Domini ſicut fecerat Dauid pater eius, & abſtulit effœminatos de terra, purgauitq; vniuerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres eius, & Maacha matrem ſuam amouit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco eius, quem conſecrauerat, ſubterque ſpecum eius, & confregit ſimulachrũ turpiſſimum combuſſit illud in torrente Cedron, vel vocatur lucus ſecundùm Hebræos quædam imago in tenera arbore per inciſionem figurata, in quæ cum arbore creſcit, & ſicut creſcit arbor ita creſcit in lõgum & latum illa figura impreſſa, vel inciſa in cortice, deinde poſt determinata tempora in circuitu arboris ſtipes dolabatur, vt ſtatua, ſecundùm priorem figurationem, inde abſtraheretur, & fiebat hoc certis temporibus ad recipiẽdam virtutem cœli, ſicut fiunt capita ferrea, de quibus diximus latè Num. 21. c. *Et ſculptilia comburite.* Quando fuerint lignea, quando autem erant lapides cõminuebantur, ſi metallica conflabãt, aurum, & ſimilia, & infundebãt ſub terra, ſicut infodit Iacob aurum & argentum idolorum familiæ ſuæ ſubter terebintum apud Sichen, Gen. 35. vel aliter deſtruebant. *Quia populus ſanctus es Domino.* Id eſt, applicatus ad cultum Dei veri, ideo non debes tangere iſtas immunditias. *Vt ſis eius populus peculiaris.* Id eſt, ſpecialis ſic peculium eſt aliqua pecunia, quam filius familias ſibi habet, quam acquiſiuit, & illa eſt ei ſpecialis, ea autem quæ paterfamilias habet communia ſunt, quia filijs & toti familiæ de eis prouidet. *De cunctis populis.* Sic Exod. 19. cap. quia licèt omnes populi ſint populi Dei, quia eos creauit, & nutrit, & in eſſe gubernat, ſed Iſraelitę ſpeciales fuerunt, quia eis cognitionem de ſeipſo dedit, & ab eis ſolis cultus fuit. *Qui ſunt ſuper terram.*

An ſint antipodes verè, & an ſub terra, vel ſuper.

QVÆSTIO IIII.

NOn ponitur hoc ad differentiam quaſi alij populi ſint ſub terra: nam nulli populi ſunt ſub terra, cùm infra eam nihil eſt, cùm ipſa ſit infra omnia, quia centrum terræ eſt infimum in toto orbe, & licèt antipodes veri ſint, non oportet eos dicere eſſe ſub terra, ſicut aliqui arbitrantur ſic arguentes, ſi aliqui ſunt antipodes, oportet, quòd habeant plantas ad nos verſas, vt patet ex ſignato nominis: nam dicitur antipos ab anti, quod eſt contra, & pes quaſi contra pes, ſed nos ſumus ſupra terram, ergo ipſi ſunt infra terram: ſed iſta conſequentia non valet, quia ipſi ſunt ſupra terram, & nos ſupra terram, nam ſuprà & infra dicuntur reſpectiuè, ſuprà enim in rebus eſt cœlum, quia vltra corpora cœleſtia aſcendẽdo nihil eſt: infrà accipitur ergo per reſpectum ad illa accipiendo ſimpliciter, nos autem cum ſumus in terra, dicimur eſſe ſupra terram, non quidem quia ſumus ex iſta parte vel illa, ſed quia ſumus propinquiores cœlo quàm ipſa terra, ſic autem eſt de noſtris antipodibus, antipodes namq; dicuntur illi homines qui à ſeipſis diſtant per diametrum terræ, vt ponatur aliquis homo in quacunque parte orbis voluerimus, & à pedibus illius protrahatur diameter terræ tranſiens per centrum, terræ, & tranſibit ad aliam extremitatem terræ, homo autem exiſtẽs in illa extremitate quam tangit alia pars diametri, vocaretur antipos alterius. Ex quo ſequitur, quòd ſi aliquis homo ſit in vero puncto orientis, & aliquis in puncto occidentis, illi diſtant vt antipodes, & ſunt ſibi inuicem veri antipodes, & ſic ſi aliquis in puncto ſeptentrionis, & alius in puncto auſtri ſit, erunt antipodes, tunc aũ iſti antipodes ſic ſe habent quod vterq; eſt ſuper terram, nam ille qui eſt in puncto oriẽtis propinquior eſt cœlo quàm terra, quæ eſt ibi in oriente, & qui eſt in puncto occidentis propinquior eſt cœlo quam terra, quæ eſt ibi in occidente, ſi ergo valeret iſta conſequentia, iſte homo eſt ſuper terram, & alius ſibi antipos, ergo eſt infra terrã: ſequeretur inconueniẽs, ſcilicet quòd cœlum eſſet infra terram, nam ſi caput arietis ſit ſuper circulum meridianum, ſcil. in zenit quod eſt in angulo cœli, neceſſe eſt, vt caput libræ ſit in angulo terræ, cùm diſtẽt per totum diametrum cœli: cùm ergo caput arietis ſit ſuper terram, dicetur caput libręinfra terram.

Item cùm hemiſphęrium ſit ſuper horizontem noſtrum, & dicamus eſſe ſuper terrã, aliud hemiſphęriũ erit infra terram, quorum vtrumq; eſt ſatis inconueniens, non eſt ergo homo aliquis infra terrã vel populus, & cùm hic dicitur qui ſuper terrã, ponitur ex ſuperabundantia vel diſtinguens, vtpotè cùm dicimus omnes homines mortales aliquando morientur, cùm tamen non ſit aliquis homo qui non ſit mortalis. *Non quia cunctas.* Hic tollit eis occaſionem gloriandi, quia fortè putarent Iudæi, quod ex meritis, vel bonitate, ſiue excellentia naturali electi ſunt à Deo. *Nobis vnitus eſt Dominus.* Scilicet per ſpecialẽ amorem, & ſingularia beneficia. *Cùm ſitis omnibus populis pauciores,* intelligit hoc ſolùm de magnis populis, qa non eſt verum, quòd quilibet populus maior eſſet numero, quàm Iſrael. *Et cuſtodiuit iuramẽtum quod iurauit patribus veſtris.* Et ſi ex meritis Abrahæ, & aliorũ patrum habuerũt iſtã terrã promiſſam iuxta illud ſupr. 5. c. faciens miſericordiã in multa millia diligẽtibus me: multis enim tẽporibus, & generationibus poſt Abrahã bona multa fecit Deus filijs eius meritis ipſius. *Et ſcies.* Id eſt, per imperitiã rerum geſtarũ cognoſcere poteris. *Quod Dominus Deus tuus.* Id eſt, ille quem tu pro Deo colis. *Ipſe eſt Deus.* Scilicet verè & non ſicut dij gentium. *Fortis.* Potens te liberare de periculis. *Et fidelis.* Id eſt, cuſtodiẽs fidelitatem promiſſionis: & iſta duo erant ſufficientia prouocatiua ad amorem eius. *Cuſtodiens pactum diligentibus ſe.* Quia omnia pacta Dei de benefaciendo alicui genti conditionalia ſunt, iuxta illud ſi cuſtodierint filij tui Teſtamentum meum, Pſal. 131. quando ergo diligebant Deum hi quibus promiſſio facta extiterat, recipiebant proſpera ſecundùm pactum Domini, ſi autem conuerterentur in malum, & Deus quoq; contra eos in malum vertebatur, vt patet Hiere. 18. cap. repentè loquar de gente, &c. *Et his qui cuſtodiunt præcepta eius.* Qui autẽ non cuſtodit pactum Dei, nec Deus ei miſericordiam cuſtodire debet, quia frangenti fidem fides frangatur eidem: hoc autem intelligitur de patribus, ſcil. quòd quando patres diligunt Deum, Deus dat filijs bonum, & ſi patres non cuſtdiãt, non dat filijs Deus bonum propter patres, & ſi dederit dabit ex alia cauſa, ſcil. propter bonitatem ipſorum filiorum: non enim conuertitur iſta conſequentia, Deus dat bona filijs quando patres ſunt boni, ergo quandocunque patres fuerint mali, Deus dabit malum filijs, quia dat Deus bonum filijs ex multiplici cauſa. Item quia Deus ad indulgẽdum promptior eſt, quàm ad condemnandum, quia proprium eſt ei miſereri ſemper & parcere, vt cantat Eccleſia, & non poteſt hoc intelligi de filijs, ſcil. quod quãdo filij diligunt Deum, Deus dabit eis bona, & quando non diligunt Deum, non det eis bona, nam tunc filij meritis ſuis acquirerent bona, & non merito patran, ſed falſum eſt, quia aliquando filij ſunt mali, & Deus facit eis bonum propter patres, qui fuerunt boni, vt patet frequenter in regibus Iuda: nã Deus voluit diuidere regnum Iſrael in diebus Salomonis, ſed propter Dauid patrẽ ſuum diſtulit vſq; ad filium ſuum Roboam, vt patet 3. Reg. 11. c. ſic etiam dicitur de rege Abia 3. Reg. 15. c. cùm dicitur, ambulauit Abia in omnibus peccatis patris ſui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius, ſed propter Dauid dedit Dominus Deus ſuus lucernam in Hieruſalem: ſic etiã patet in multis alijs, de hoc poſuimus multas rationes, Exo. 20. & ſuprà 5. cap. *In mille generationes.* Hoc non refertur ad cuſtodire mandata, ſed ad ſeruare miſericordiam, & eſt ſenſus, quòd ſi aliquis rectè mandata Dei cuſtodiat, Deus cuſtodiet miſericordiam ſuam cum eo, & cum mille generationibus ſuis, id eſt, cum multis, Si autem referatur hoc ad cuſtodire mandata, eſt ſenſus,

Omnia pacta Dei cõditionalia ſũt

Litera ſenſus

A

sus, quod Deus custodit misericordiam suam cum aliquibus si obseruent mandata Dei per mille generationes, sed hoc nihil est, quia etiã si vnus homo solus præcepta custodiat, cum illo seruabit misericordiam suam.

Quomodo intelligitur faciens iustis misericordiam vsq; in mille generationes, & reddens odientibus se statim.

QVÆSTIO V.

ET si dicas quomodo promittit Deus meritis Patrum dare filijs bona in mille generationes, cùm requiratur, quòd etiam illi boni sint, aliàs non custodit pactum, & tunc non habent iam bona meritis Patrum, sed meritis suis?

Respondetur, quòd si Deus alicui viro iusto promissiones faciat pro se, & semine suo, siue filij post boni, siue mali sint, Deus custodiat pactum, & misericordiam suam cum eis, cum bonis quidem perfectè, cum malis imperfectè, de malis quidem si Deus eis pactum, quod cum patribus eorum pepigit obseruat, manifestum est, quoniam ex meritis patrum est, vt seruauit pactum cum Hebræis peccantibus in deserto, & introduxit eos in terram promissam, solùm, quia iurauerat hoc Abraham, Isaac, & Iacob, vt patet sæpè in lib. Numer. & in isto, sic etiam cum Dauid firmauit Deus fœdus, vt maneret Regnum eius in æternum, & post Salomon fuit pessimus vir, & merebatur perdere totum Regnum, vt patet 3. Reg. 11. cap. ita, quòd nullus maneret de stirpe eius, sed Deus seruauit misericordiam suam, quia non abstulit Regnum, sed durabit vsque ad Messiam, & nunc regnat, quia Messias fuit de semine Dauid secundùm carnem, qui nunc Regnum habet, & vsque in seculorum secula iuxta Danielis prophetiam, 2. c. sed non mansit pactum perfectè, sed solùm vna tribus cùm essent 12. vt patet 3. Regum 11. cap. Cùm autem filij boni sunt, tunc magis dubium est, vtrum meritis suis, an patrum suorum pactum ad eos conseruetur, & de hoc non potest dari certa regula, quia possunt aliquando merita filiorum esse maiora meritis Patrum, & tunc satis dici potest, quod meritis filiorum eis misericordia seruatur, sed adhuc hic aliquid est de meritis Patrum, quia aliquando de meritis Patrum filij boni sunt, & gratiam Dei recipiunt, sicut si aliquis vir sanctus deprecetur pro aliquo, qui in peccato mortali est, vt ad gratiã reuertatur, & Deus meritis illius ei gratiam donet: aliquando autem filij boni sunt, sed merita eorum parua sunt ad pacti custodiam, & tunc meritis Patrum custoditur misericordia. *Et reddens odientibus se statim.* Id est, malos immediatè punit, & eos, & aliquando filios eorum vsque in quartam generationem. Secundùm literam translationis Caldaicæ potest esse alius sensus, scilicet, quod boni accipiunt mercedem bonæ operationis. *In mille generationes.* Id est, post mille generationes, scil. in vita æterna, quæ est post omnia tanquam finis, & cõsummatio, & malis immediatè retribuitur, si enim aliquod bonũ faciunt, quia in vita beata mercedem recepturi nõ sunt, hic immediatè in prosperitate temporalium rerum recipit. Sed melior est prima expositio: quia subiungit ita vt disperdat eos, quod ad pœnã pro malo refertur, non ad remunerationem boni. Si autem referri posset ad sensum translationis Caldaicæ benè staret, scil. quod ex eo, quòd Deus iudex est, nec mala impunita sunt, nec bona irremunerata: mali autem qui in malo futuri sunt secundùm Dei altissimam præscientiam, quia aliquando bona egerunt existentes boni secundùm præsentem iustitiam, vtpotè, quia erant tunc in charitate, vel quia fortè egerunt bonum secundùm genus non existentes in charitate, quorum vtrunq; remunerabile est: oportet quòd Deus remuneret illud, & quia in vita æterna remunerationem habituri non sunt, cùm eam non accipient, datur eis hic remuneratio: Interdum tamen non datur eis manifesta remuneratio, sed fortè liberantur ab aliquibus periculis, quæ ex alijs actibus incurrere merebantur, & quia liberatio à periculis, maximè quando pericula nõ instant, non videtur esse bonum cùm non considerare possit, videntur talia beneficia irremunerata transire: interdum autem non proficiunt ista bona, quæ malis fiunt quantum ad aliquid speciale, quòd hic videatur, & tunc proficiũt eis occasionaliter in inferno, scilicet, quod non tantùm cruciantur, quia ista bona egerunt, sicut si nõ egissent ista bona, fortè egissent mala opposita, vel disparata, ex quibus magis cruciarentur. Sed vt dictum est, melior est præcedens expositio: nam in litera nõ ponitur de aliqua remuneratione malorum pro bonis quę egerint, sed de punitione pro malis, quę perpetrauerint cùm dicitur, ita vt disperdas eos: disperdere autem ad punitionem pertinet.

Item Deus intendebat inducere Iudæos ad non idololatrandum, nec frangendum mandata eius: bonis autẽ qui custodiebant mandata rationale erat propositi remunerationẽ: malis autem licet ex alia causa, scil. ex benefacto aliquo deberetur aliqua remuneratio, tamen non debebat hic proponi: nam iste populus reduceretur à malo per timorem, vt patet Exod. 20. c. cùm dicitur, vt enim probaret vos venit Deus, & vt sit terror eius in vobis & non peccetis, cùm ergo intenderet eos reducere à malo, non debebat proponere aliquam remunerationem debitam directè vel indirectè, sed punitionem, sicut proposuit suprà 4. ca. & in multis locis vbicunque agitur de idololatris, sicut Leuit. 26. & 28. c. Item secundùm regulam Philosophi, si oppositum de oppositio, & propositũ de proposito: oportet quòd cùm obseruare mandata, & non obseruare mandata sint opposita, & retributio delectabilis & punitio sint proposita, quòd si retributio delectabilis dicitur de obseruantibus mãdata, ergo punitio debet dici de non obseruantibus, sed hic retributio delectabilis in mille generationes dicitur de obseruantibus, ergo punitio debet dici de non seruantibus.

Item quia Deus intẽdit reducere Hebræos ab idololatria: reductio autem à malo est per timorẽ, quid ergo proficiebat ponere retributionẽ alicius boni, quia hoc est valdè impertinens? Deus autem nihil impertinens diceret, quia locutiones vel ratiocinationes, in quib⁹ ponitur aliquid impertinẽs sunt vituperabiles: de Deo autem nihil vituperabile est concedendum. Dicendum ergo quod est sensus, quod Deus nolebat reducere malos à suo proposito, ita vt non intenderent idololatrare: ad hoc autem promittit bonis retributionem, & hanc vsq; in mille generationes, id est, quod Deus benefaciet benefacientibus, & nõ solùm ipsis, sed etiam filijs, & nepotibus suis, & pronepotibus, quia & omnibus alijs vsque in mille generationes & vltrà. Nunc ergo aliquis malè agẽs posset ex hoc assumere occasionem dubitãdi, credens, quod dato quòd malè ageret Deus puniret non eum, sed aliquos de posteris eius in 3. vel 4. vel alijs generationibus, & per hoc inducerentur ad malum credentes se non puniendos in propria persona: ad tollendum autem hunc errorem & dandum istis maiorem causam timendi dicit Deus, quod retribuet male agentibus non post multas generationes, sed immediatè, scil. quod statim quòd peccauerint statim peccati sui pœnam accipiant, sic patet de multis, vt de colentibus vitulum, quia statim venit Moyses, & occidit viginti tria millia, vt patet Exod. 32. & de concupiscentibus carnes, & murmurantibus contra Deum pro labore itineris, quia in vtrosque ira Dei satis velox fuit, vt patet Numer. 11. & in eos qui murmurauerunt contra Deum & Moysen, & Aaron pro sacrificio, quia statim absorpti sunt à terra, vt patet Nume. 16. cap. sic patet de Maria sorore Moysi, quæ quasi statim, vt murmurauit fuit facta leprosa, vt patet Numer. 12. cap. confirmatur aũt superior sententia per hoc quod dicitur in litera, scil. ita vt disperdat eos, & vltrà non differat protinùs restituens quod meretur, id est, postquàm aliquis peccauerit immediatè punietur à Deo. *Protinùs restituens quod merentur.* Accipitur mereri in malam partem, scil. pro pœna debita malis actibus. *Custodi ergo.* Id est, quia sic est, quod Deus retribuit benè agentibus, & malè agentes punit, custodi mandata, vt te benedicat. *Postquàm audieris.* Scilicet intentione obediendi, audire enim solùm, nec est bonum, nec aliqua pars boni. *Et custodieris.* Scilicet in corde tuo cum intentione ponendi in opere, & feceris actualiter exequendo. *Custodiet Dominus pactum.* Scilicet introducendo te in terram promissionis, vel custodiendo te in ea. *Et diliget.* Id est, habebit te gratum sibi, & ista vocatur gratia gratum faciens, scil. acceptatio Dei, quòd Deus aliquid sibi acceptum habeat, & videantur ei opera illius bona, sicut dicimus seruitorem esse in gratia Domini sui quando placent Dño opera eius. *Ac multiplicabit.*

B *Qũ regnũ de stirpe Dauid durat etiam nunc.*

C *Quare Deus in hoc seculo sæpè remunerat malos.*

D

E *Deus non diceret aliqd̃ impertinens. Resolutio auctoris.*

F

A

Scilicet in bonis temporalibus. *Benedicet fructui ventris tui.* Id est, multiplicabunt filios tuos: benedictio enim semper multiplicationem importat: Deus ponit hic benedictiones custodientium mãdata sua: & quia quædam sunt maiores, quædam minores, ponit eas per ordinem ponens primò maiores: & quia benedictio in filijs maior erat, ponitur vt primò.

Apud antiquos duæ benedictiones potissimæ erant.

QVÆSTIO VI.

ERANT enim apud antiquos duæ benedictiones potissimæ: Prima benedictio erat multiplicatio in filijs. Secunda erat victoria contra hostes, vt patet Genes. 24. cap. cùm venerunt omnes cognati Rebeccæ ipsa volente recedere ad terram Chanaan, dicitur ibi quòd incœperunt precari prospera sorori suæ, & dixerunt: Soror nostra es, crescas in millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum: istas easdem duas benedictiones ponit Deus loquens ad Abraham, vt patet Genes. 22. ca. cùm dicitur: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, licèt tamen istæ essent maximæ duæ benedictiones, potior tamen inter eas erat multiplicatio in filijs: quia ex ista videbatur sequi secunda, & non è contrario: & patet hoc, quia fœlicitas siue beatitudo est maximum bonum, quo nihil maius haberi potest, tamen aliquis dicebatur esse beatus in habendo multos filios, vt patet Genes. 30. cap. in Lia, quæ postquam habuit sex filios quatuor ex se, & duos ex ancilla, putauit se esse beatam, & dixit hoc pro benedictione mea, beatam quippè me dicent mulieres, & propterea appellauit nomen eius Aser, id est beatus, vt patet ex Hebraica interpretatione. erat ergo maxima benedictio multiplicatio liberorum, ideo hanc cæteris præposuit dicens, benedicet fructui ventris tui, id est, multiplicabit filios tuos. *Et fructui terræ tuæ.* Id est segetes, & arborum fructus multiplicabit, scilicet, quia infrà exprimuntur ista, intelligetur solùm de fructu arborũ. *Et armentu.* Id est congregationibus boum vel vaccarum. *Gregibus.* Scilicet congregationibus ouium vel caprarum. *Benedictus eris inter omnes populos.* Id est, multiplicatus inter alios populos: quia nullus populus ita crescebat in filijs, & substantia sicut Israëlitæ, vel quòd omnes populi nominabant te benedictum videntes te abundantem in omnibus: vtrumque autem verum erat. Primum patet de multiplicatione in Ægypto: quia intrauerunt solæ septuaginta animę de domo Iacob, vt patet Genes. 46. & Exodi primo cap. & infrà 10. cap. cùm dicitur: In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: ex istis tamen septuaginta animabus in annis ducentis & decem, quibus mansit posteritas Israël in Ægypto, vt probauimus Genes. 15. & Exod. 12. siue in ducentis & quindecim, vt verius loquamur, ad tantum numerum creuit, vt essent de solis viris bellatoribus plures quàm septingenti mille, vt declarauimus Exodi 1. & 12. cap. licèt Exodi duodecimo ponantur fermè sexcenta millia: hoc autem erat quia multiplicatio eorum erat per modum admirabilem, non sicut in alijs hominibus, sed sicut arbores multiplicant: ita quòd ex vno arbore simul multa poma, vel sicut ex vno grano nascitur vna spica, & interdum ex vno grano in vno stipite, siue culmo nascũtur tres, aut quatuor spicæ, & in qualibet spica multitudo granorum: ita videbatur esse multiplicatio in Hebræis, quia ex vno conceptu non solùm vnus fœtus effunderetur, sed duo, vel tres, & interdum plures: sic patet Exodi primo cap. cùm dicitur: Filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: germinare autem pertinet ad arbores, quę in magna multitudine fructus producũt, & non ad homines. Secundum patet, scilicet, quòd omnes populi vocarent eum beatum, siue benedictum, & hoc erat in duobus: primò in bona ordinatione populi per iustas leges, & cæremonias, quæ ordinant in bonum politicum, & diuinum: in alijs autem populis non erant iudicia, vel cæremoniæ benè ordinatæ: cùm ergo viderent istum populum habere leges ordinatissimas, prædicarent eum beatum, siue benedictum.

B

C

Nullus populus ita crescebat in filijs & substantia sicut Iudæi, & quare.

Est autem differentia inter populum habentem rectas leges, & cæremonias; & inter non habentem tanquam sapientis ad insipientem, sicut insipientes, qui se scire nesciunt reputant fœlices illos quos aliquid scire vident, vt ait Philosophus in primo Ethic. c. 2. conscij autem sibiipsis ignorantiæ eos, qui suprà se aliquid magnum dicunt, admirantur, & sic reputant esse fœlices, vt vult concludere Aristot. quia ibi tractat de positione fœlicitatis, ita illi qui haberent leges, atque cæremonias malè positas, iudicarent esse fœlices Hebræos, qui ista valdè ordinata habebant, vt patet suprà 4. cap. cùm dicitur: Hæc est enim sapientia vestra, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: en populus sapiens, & intelligens, gens magna, nec est alia natio tam grandis. Secundariò vocabantur beati, siue benedicti Israëlitæ à cæteris populis in victoria de hostibus: nam hoc ad maximum bonum reputatum est post multiplicationem filiorũ in antiquis.

D

Item quando valdè magnum bonum volebant alicui imprecari, dicebant: Possideat semen tuum portas inimicorum suorum, vt patet de imprecatione Rebeccæ cognatorum ad ipsam, vt habetur Genes. 24. cap. idem promisit Deus Abrahæ tanquam magnum, scilicet possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, Genes. 22. cap. hoc autem erat in eis cùm vincerent reges multos, & potentes, vt cùm Iosue cum populo Israël occidit 31. reges, vt patet Iosue duodecimo cap. Admirabantur autem alij populi de tantis victorijs, & timebant, vt patet de Moabitis, & Rege eorum Balach, vt habetur Numer. 22. cap. cùm dicitur: Videns autem Balach filius Sephor omnia quæ fecerat Israël Amorrhæo, & quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian, ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere, & non solùm isti, sed etiam omnes alij populi vicini timebant eos tanquam potentissimos hostes, & omnes populi Chananæorum audita fama istorum contimuerunt, nec remansit in eis spiritus, vt patet Iosue 2. cap. cùm dixit Raab Ierichontina ad exploratores Iudæorum: Noui quòd tradiderit vobis Dominus terram hanc, etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis de Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem Seon, & Og, & hęc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, & non remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus.* Sterilitas prouenit ex indispositione seminis ad generandum: ista autem indispositio, siue in masculo, siue in fœmina esse potest. *Omnem languorem, & infirmitates Ægypti.* Sic habetur Exod. 15. fuerunt enim in Ægypto infirmitates inflictæ, vt vesicæ turgentes, & vlcera, Exod. 9. cap. *Sed cunctis hostibus tuis.* Vt conterantur coram te, sicut Ægyptij contriti sunt. *Deuorabis omnes populos.* Gladio eos consumendo, & substantias diripiendo. *Non parcet eis oculus tuus.* Eos aliqua conditione, vel pacto viuos reseruando. Non dabat Deus istam regulam generalem, quia aliquando poterant Hebræi pugnantes hostes victos vendere, vel eos ante victoriam sub conditione pacis accipere, vt patet infrà 20. cap. sed distinguendum, sicut in eodem cap. distinguitur, scilicet quia aut illi populi, contra quos pugnare volebant Hebræi, erant de populis quorum terras in possessionem promiserat eis Deus, aut de alijs gentibus separatis quarum terræ nihil attinebant ad eos: si autem pugnarent contra aliquam ciuitatem existentem procul, quę non attineret ad terram promissam eis; primò pacem offerre debebant, & si populus ciuitatis recepisset pacem, & aperuisset portas, omnes qui erant in ciuitate saluabantur, & seruiebant sub tributo: si autem non reciperent conditionem illam, pugnare debebant Hebræi contra vrbem, & expugnata ea occidere omnes masculos in ore gladij, reseruatis paruulis, qui nondum erant apti ad bellum, & mulieribus, & hos postea vendebant cum reliqua prædasi autẽ ciuitas esset de illis, quæ pertinerent ad terram promissam eis, omnes tam masculos quàm fœminas, magnos & paruulos occidere debebant, nec licebat aliquem eorum ad vitam reseruare sub aliqua conditione, & de his loquitur hic textus, vt patet cùm dicitur; deuorabis cũctos populos, quos

E

F

A Dominus Deus tuus daturus est tibi, id est, omnes quos tibi dare promisit. Et de his subiungitur, nec parcet oculus tuus.

Sed argues, quòd Deus excitabat hic Hebræos ad crudelitatem, & tollebat eis actum virtutis misericordiæ, cùm dicatur: nec parcet oculus tuus.

Respondetur, quòd non tollit aliquem actum virtutis, immò incitat ad actum virtutis: nam si aliquis secundùm legem humanam meretur mortem, non est misericordia si iudex eum à morte liberet, sed est magna impietas, & iniustitia: cùm ergo mandatum Dei sit lex, isti in obediendo mandato Dei non erant immisericordes, immò erant iusti, & obedientes: Ratio autem quare non debebant eis misereri est, quia erant valdè peccatores coram Domino, & fecerant omne genus abominationis, propter quod terra euomuit eos, vt patet Leuit. 18. erant ergo Hebræi ministri legis iustissimæ in occidendo illos peccatores, si autem alicuius eorum misereri vellent, facerent contra legem, & essent valdè iniusti. Alia etiam causa erat, quia si istæ gentes manerent in terta, certissimè mouerent Iudæos ad idololatriam, & tunc à Deo deleren tur ipsi Iudæi, vt patet suprà in litera, cùm dicitur: Non inibis cum eis fœdus. & sequitur; quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis, irasceturque furor Domini, & delebit te citò: sicut ergo aliqua gens gerit iustum bellum contra aliam, quia destruit suam politiam, vel scit

B quod certissimè destruet, nisi expellatur; ita Iudæi poterant iustum bellum gerere contra istos populos quorum terram accepturi erant; nec parcere eis aliquo modo ne essent eis in ruinam, dato quòd Deus hoc expressè non mandaret, nec in hoc erant crudeles; quanto magis, quia Deus tanquam benignus legislator instruxit eos in illo, quod eis vtile erat. *Ne sint in ruinam tibi.* Quia si alium Deum præter me adorares, mox caderes coram hostibus tuis.

Si dixeris in corde tuo. Hic ponitur secundum, scilicet impugnandi, & resistendi timiditas, quia fortè populus Israël territus multitudine hostium non auderet committere bellum, sed pacem iniret, & per hoc Israëlitæ ad idololatriam traherentur, & à Deo recederent. *Plures sunt istæ gentes.* Scilicet simul vnitæ, quàm ego: noli timere, scilicet multitudinem, quæ non est pugna in multis, siue paucis: facilè est enim concludi multos in manus paucorum; primo Machab. 3. cap. *Sed recordare, quæ fecit Dominus.* Quia videns, quòd Deus fecit mirabilia pro te, confidere poteris, quòd etiam nunc faciat. *Plagas.* Distinguit tria genera in plagis, licèt omnes generaliter plagæ nominantur. Plagæ propriè nominantur quæ in persona lædunt, vt vesicæ turgentes, & mors primogenitorum, & ranæ, & cyniphes, & omne genus muscarum: signa vocantur ea, quæ non læserunt in personis, nec demonstrabant maximam potentiam saltem Ægyptijs, sicut conuersio virgæ in colubrum, & conuersio aquarum in sanguinem, quia ista ma

C gi fecerunt, licèt non eo modo quo Deus verè omnia faciebat, malefici autem per quasdam apparentias. portenta erant signa terribilia, sicut tenebræ palpabiles, grando nimia, maris diuisio.

Quid propriè sit plaga.

Manum robustam. Id est, magnitudinem potentiæ, quæ in his patebat. *Brachium extentum.* Quia, vt ait Rab. Sal. Deus apparuit ibi quasi vir pugnator contra Ægyptios bellans, vt habetur in cantico Moysi, Exod. 15. cap. quando autem dedit legem, apparuit quasi senex sedens in throno capite & barba canus, & dixit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ægypto. Sed hoc falsum est, quia ibi in datione legis nullam figuram viderunt, sed solam vocem audierunt, vt patet suprà 4. cap. Et non solùm est falsum, quòd in datione legis apparuerit in figura viri senis, sed etiam quòd suprà mare apparuerit in figura viri pugnantis, quia incidebat tunc Deus inconueniens, quod volebat vitare: nam nolebat eis demonstrare aliquam imaginem, ne mouerentur ad idololatriam: tamen si tunc apparuisset, vt vir pugnator, coluissent Hebræi talem similitudinem: de hoc multas rationes & latè fecimus Exod. c. 15. vbi vide de hoc. *Insuper & crabrones mittet Dominus.* Sic habetur Exod. 23. cap. Et aliqui Iudæi volunt, quòd crabrones sunt infirmitas quædam, ex qua debilitabantur hostes ne resistere possent, & motiuum est, quia dictio Hebraica signans plagam vel morbum, & ea quæ hic ponitur similes sunt, sed litera Chaldaica dicit, quòd erat parua bestia volitans, quę cũ magno impetu hostium oculos percutiebat, vt eos nec videre permitteret, & faciliter caperentur, & ob hoc transtulit Hieron. crabrones, quæ sunt muscæ magnæ natæ in cadaueribus equorum, & fortè istæ muscæ venenosæ erant, quia aculeo, vel punctura occidere poterant fugientes & latentes. *In medio tui est.* Te gubernando, & ab aduersarijs defendendo: Deus enim in medio est omnium nationum, quia vbique per essentiam puram & potentiam est, vt declarauimus Exodi 3. ca. dicebatur tamen hic Deus esse in medio Hebræorum speciali modo per potentiam defendentem, & adiuuantem: nam licèt omnes alias gentes Deus gubernet, & nutriat, tamen Iudæos specialiter adiuuabat contra alias gentes tanquam Dominus solùm Hebræorum, & illæ gentes quę erant hostes Hebræorum, dicebantur esse hostes Dei, quasi Deus esset capitaneus Hebræorum, sic patet in Psalm. 67. cùm dicitur: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: Deus tamen nullos habet inimicos, nisi vocentur inimici eius, inquantum sint inimici Hebræorum: Rectè ergo Deus est in medio Hebræorum, siue ad defensionem ab hostibus, siue quantum ad punitionem peccatorum: de defensione patet hic cùm dicitur: Non timeas eas, quia Dominus tuus in medio tui est, magnus, atque terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo: hoc autem non dicitur de qualibet gente, quòd Deus est in medio eorum ad defendendum eos specialiter contra quamlibet aliam gentem, sed de Iudęis quos specialiter adiuuat: de secundo, scilicet, quòd sit in medio eo-

E rum ad puniendum eos pro peccatis suis, patet suprà 6. cap. quia Deus punit Iudæos idololatrantes, & non punit aliquam aliam gentem cum idololatria, cum dicitur: Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium quæ in circuitu vestro sunt, quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & deleat te de superficie terræ: & istum modum loquẽdi obseruabat populus Hebræorum, dicens: Deum esse inter scipsos si adiuuabat eos: & non esse inter eos si non adiuuabat eos, vt patet Exod. 17. ꝛc. cùm illi, qui quærebant aquam dixerunt, est ne Dominus in nobis an non? non enim dubitabant vtrùm Deus secundùm essentiam magis esset inter ipsos quã inter alias gentes, sed tentabant scire vtrùm ipsos specialiter adiuuaret: nam alias gentes non adiuuabat specialiter, vt satis patebat.

D

Deus in medio est omnium nationum.

Paulatim atque per partes. Quia aliqui de terra trans Iordanem deleti fuerunt tempore Iosue, aliqui tempore Iudicum, aliqui in tempore Regum, qui in processu illorum librorum manifestantur. *Non poteris delere eos pariter.* Id est, non tradam eos simul in manus tuas. *Ne multiplicentur contra te bestiæ terræ.* Quia non erant in tanto numero Iudæi, vt sufficerent populare totam illam terram tunc: ideo in terra inhabitata multiplicarentur bestiæ.

Tradetq; reges eorum in manus tuas. Quia triginta vnus reges traditi sunt in manus Iosue, vt patet Iosue 12. cap. & super

F colla quinque regum posuit pedes totus populus, vt patet Iosue 1. cap. *Et disperdet nomina eorum sub cœlo.* Id est Deus ita delebit istos reges faciendo quòd non maneant ipsi, nec aliquis de semine eorum, ita quòd nomina eorum non sint in tota terra in habitatione hominum: nam cùm pater moritur, & relinquet aliquem filium, non dicitur esse pater mortuus totaliter, vt patet Ecclesiastici 30. cap. cùm dicitur: Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se: sic factum est de regibus Chananæis, quia ipsi totaliter deleti sunt & sua posteritas, vt patet infrà 20. capite. nam in terra illa quam in possessionem accepturi erant, non poterant relinquere aliquem viuentem in specie hominum, siue masculum, siue fœminam, siue magnum, siue paruum: esse autem in superficie terræ in qua homines habitant, est esse sub cœlo, id est, esse immediatè sub cœlo: qui ergo tollitur ne sit in superficie terræ inter viuentes, tollitur ne sit sub cœlo: qui autem moriuntur non manent in superficie terræ, quia sepeliuntur: ideo non dicuntur manere sub cœlo, sed sub terra. nam terra sub cœlo immediatè esse creditur secundùm opinionem vulgarem: quia inter cœlum & terram nullum corpus iudicant esse vulgares homines, cùm nihil videant, & ipsi de solis sensibilibus maximè per visum iudicent: ideo spatium, quod percipitur esse inter cęlum & terram, secundùm ipsos vocatur vacuum, siue inane. Et

A

isto modo loquendi vsi sunt Poëtæ, sequentes vulgarem opinionem: sic enim ait Virgilius in Bucolicis ecloga sexta, quæ incipit:

Prima Syracusio dignata est ludere versu,

& dicit:

Namq; canebat vti magnum per inane coacta.
Semina, terrarumq; animæ marisq; fuissent:

& ponitur inane pro spatio quod est inter cœlum & terram: sic etiam ponit Ouid. Metam. lib. 2. cùm agit de Calypsone versa in vrsam: & de Archade filio eius, cùm dicitur:

Sustulit & celeri raptos per inania vento:
Imposuit cœlo, vicinaq; sydera fecit.

Vocat inania spatia inter cœlum & terram per quæ transiuit Calypso & Archas ad hoc vt stellificarentur. *Nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.* Id est, nullus de istis regibus quantæcunque potentiæ sit, tibi sufficiet resistere, sed cõteres eos, quia Deus sic vult.

An sit verum, quòd nemo poterat resistere Iudæis, ita vt ipsi deberent totam terram promissam subijcere, & capere.

Qvæstio VII.

B

Sed argues, quod multotiens in libro Iosue, & Iudicum habetur contrarium, & patet Iosue 15. cap. cùm dicitur: Iebusæum autem habitatorem Hierusalem non potuerunt filij Iuda delere: habitauitque Iebusæus cum filijs Iuda in Hierusalem vsque ad præsentem diem: ecce ergo qualiter Iebusæi resliterunt Iudæis, & non potuerunt conterere eos, sic patet Iosue decimoseptimo ca. cùm dicitur de filijs Manasse, nec potuerunt filij Manasse subuertere ciuitates, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. Idem patet Iudicum primo cap. cùm dicitur de filijs Dan: Arctauitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora descenderent, & Iudicum 2. cap. dicitur, dimisit ergo Dominus omnes has nationes, & citò subuertere noluit, nec tradidit in manibus Iosue.

Respondetur ad hoc secundùm omnia, quæ in litera dicuntur hic: nam Deus non promisit dare omnes istas gentes in manus Iosue, sed dixit quòd traderentur in manus Hebræorum, & tamen addidit, quòd non possent eas delere Hebræi simul, sed paulatim, & per partes, quia si simul delerentur, non posset populus Hebræorum replere tunc totam illam terram, & crescerent bestiæ contra eos. Ex hoc ergo innuit, quòd aliquę gentes eis possent fortiter resistere, cùm dicitur, quòd non possent eas citò delere: dato ergo quòd ipsi contra omnes illas gentes pugnarent, impossibile erat quòd omnes vincerent; quia Dominus prædixerat, quòd non possent eas simul subuertere. Cùm ergo dicitur hic, quòd nullus posset resistere, donec contereret eum populus Hebræorum potest intelligi dupliciter, vno modo, quòd referantur hæc ad domum Israël totã, & quia domus Israël semper durabat, licèt isti populi Chananæorũ resliterint aliquibus Israëlitis, non tñ resliterunt omnibus, quia ad vltimum destructi sunt ab eis, & facti tributarij, vt patet 2. Paralipom. 8. cap. & sic est sensus, quòd non poterunt resistere tibi, donec deleas eos, id est licèt videantur tibi aliqualiter resistere; quia tamẽ ista resistentia non est semper duratura, non vocatur resistentia: ad vltimum enim contrituri erant Israëlitæ omnes illos populos. Et quando obijcitur, quòd Iebusæi resliterunt tribui Iudæ, & Chananæi tribui Manasse, & Amorrhæi tribui Dan. Non est vera resistentia, quia licèt resliterũt istis hominibus, qui erant de tribubus Israël, non tamen resliterunt toti Israël; quia postea Israël destruxit eos.

C *duplex litera expositio.*

Alio modo, & verius potest ista litera applicari cùm dicitur: Nullus poterit resistere tibi, donec cõteras eos, quòd intelligatur de illis, quos Deus disponebat dare illis, scil. Deus dixit, quòd aliquos immediatè destrueret, & alios post: de illis autem quos Dominus disposuerat subijciendos eis immediatè, nullus poterat resistere, sed conterebantur, vt patet in triginta vno regibus, quos occidit Iosue, vt patet Iosue 12. ca. nam isti licèt multi essent, & magnæ potentiæ, non potuerunt resistere Israëli. Alij namque quos Deus non disposuerat subijciendos eis immediatè, resliterunt eis, & cùm arguis Iebusæos restitisse tribui Iudæ, & Chananæos tribui Manasse, & Amorrhæos tribui Dan, dico quòd non obuiat isti literæ, quia ista intelligitur de illis, quos Deus subijciendos immediatè disposuerat; illi autem qui resliterunt, fuerunt de illis, quos Deus disposuit, postea subijciendos per aliqua temporum interualla.

D

Causa autem quare aliqui de istis gentibus manserunt, ita quòd non immediatè subditæ sunt, fuit triplex. Prima quæ hic exprimitur, scilicet, ne crescerent bestię contra Israëlitas, quia ipsi erant pauci non valentes totam terram illam simul replere: si ergo tota tradita fuisset simul, mansisset magna pars inhabitata, & in illa generarentur, & multiplicarentur serpentes, atque bestiæ, quæ nocerent Israëlitis, de quo etiam Exod. 23. cap.

Secunda causa fuit, quia Israëlitæ peccauerunt, & nõ meruerunt, vt omnes gentes illæ, vel saltem magna pars quę destruenda fuisset successiuè, ita citò destrueretur, sicut destruenda erat, de hoc patet Iudicum 2. cap. cùm dicitur: Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum, vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & Aras eorũ subuerteretis; & noluistis audire vocem meam cùm hoc feceris: quamobrem nolui eos delere à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.

E

Tertia causa fuit ad vtilitatem Hebræorum, vt efficerentur fortes viri, & exercitati in armis, quòd non contingeret si non haberent hostes: fuit ergo expediens eis manere aliquos de Chananæis; & sic dicitur Iud. 3. cap. in principio: Hæ sunt gentes quas dereliquit Dominus, vt erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere cõsuetudinem præliandi: quinq; satrapas, &c.

Sculptilia eorum. Hic ponitur tertium, scilicet, illicitorum cupiditas. *Non concupisces aurum & argẽtum, ex quibus facta sunt.* In Hebrẽo habetur: *Aurum & argentum super ipsa.* Et est sensus, quòd aurum & argentum, quibus cooperiebantur sculptilia, non concupiscerent, vel quòd non concupiscerent aurum, & argentum, quæ darentur pro liberando aliquo idolo, vt si aliquis vellet dare pecunias pro idolo, non venderetur ei, sed destrueretur: primus tamen sensus conuenit rationi, & literæ nostræ. *Nec assumes tibi quicquam ex eis.* Id est non sumes aliquã partem auri, vel argenti de idolis, vt inde facias vasa tibi, nec etiam inde poterat fieri aliquid ad ministerium tabernaculi, quia abominatio est. *Illicitorũ cupiditas*

Ne fias anathema sicut illud. Id est, vt nõ fias separatus à Deo, & maledictus, sicut materia idoli maledicta est.

Quasi spurcitiam detestaberis. Id est, sicut fugis de sordibus, ita fugies ab auro & argento, de quibus sunt idola. *Quia anathema est.* Anathema separationem propriè signat: idolum autẽ anathema est, quia à ministerio Dei, & hominum separatum est, sic qui de illo accipit anathema est, quia à Deo separatur per peccatum inobedientiæ.

F *Anathema qd sit propriè*

Caput VIII.

OMNE mandatum, quod ego præcipio tibi hodie caue diligenter, vt facias, vt possitis viuere, & multiplicemini, ingressique possideatis terram pro qua iurauit Dominus patribus vestris. Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, &c.

Omne. Suprà posita fuerunt impedimenta amandi Deum: hic ponuntur incitamenta ad amandum, & timendum, & tanguntur tria. Primum ponuntur quædam beneficia præterita. Secundò prædicuntur futura ibi (Dominus enim Deus tuus introducet.) Tertiò aliqua repetuntur præterita ibi (Obserua & caue) *Omne mandatum.* Hic præcipiuntur omnia mandata obseruari, quia qui omnia seruat, & in vno peccat, factus est omnium reus, iuxta c. defleat, extr. de regul. iuris. Oportet ergo omnia obseruare, vt benè nobis

sit, &

A

sit,& non claudicemus in duas partes. *Caue diligenter,vt facias.* Multum admonet Deus esse circa mandata sua cauendum, vt opere expleantur.

Iudæi propter duo admoneri debebant circa hæc mandata. Et quòd duo bona in mandatorum custodia dabantur.

Qvæstio I.

ET hoc fit propter duo: Primum, quia si ipsi Iudæi quibus ista mandabantur, erant multum pigri ad faciendum mandata Dei: nam non fuerant assueti iugo legis, ideo non inclinabantur aliquo modo ad talia faciendum, qui autem assueti sunt facere, illa operantur, & inclinantur ad ea, vt patet Threnor.3.cap.cùm dicitur:bonum est homini cùm portauerit iugum ab adolescentia sua,sedebit solitarius & tacebit,quia leuauit se suprà se: ista est autem conditio habitus, vt eum habentes faciliter & delectabiliter operentur. Iudæi autem dissueti erant, quia ab antiquo legem domantem non habuerant: etiam quia Iudæis ista præcepta non erant delectabilia, cùm non tangerent vtilitatem eorum, sed Dei famulatum:ipsi autem ad vtilitatem suam multum inclinati erant,ideo magnum periculum erat,quia quando viderent aliquâ delectabilia sibi, afficerentur ad illa, & relinquerent

B

mandata Dei, vt patet infrà cùm dicitur: Obserua ne postquam comederis,& saturatus fueris, & domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habueris armenta ouium, & greges,argenti & auri,cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum,& non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti: oportebat ergo propter istas malas inclinationes,quæ erant in Iudæis multum admoneri, vt diligẽtissimè custodiant mandata Dei.

Secundò admoneri debebant,quia ista quæ fiebant,debebant fieri propter Deum, & ex mandato Dei: si ergo homines seruientes dominis terrenis propter eorum reuerentiam attentissimi sunt, ne quid in eorum ministerio deficiant, à fortiori cùm Deo ministramus, vel aliquod mandatum eius facimus,diligenter faciendum est, quia reuerentia Dei distat in infinitum à reuerentia hominum: ideo cum magno timore facere debemus mandata Dei cauentes diligentissimè ne quid ibi deficiat, sic patet Psalm. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ideo dicitur maledictus qui facit opus Domini negligenter:ad insinuandum ergo istam reuerentiam in ministrando Deo, & cautelam in actibus dicitur,caue diligenter vt facias, id est sis multùm attentus ad hæc. *Vt posßitis viuere, & multiplicemini.* Duo bona dantur in custodia mandatorum, scilicet longitudo vitæ custodientis,& multiplicatio in posteris: per primum promittitur vita, nam per præcepta cæremonialia legis veteris directè &

C

ex seipsis merebantur homines viuere temporaliter dum ea obseruarent: merebantur etiam habere pacem, & manere in terra sua atque affluere omnibus bonis,sicut patet Esai.1.c.de abundantia rerum temporalium, cùm dicitur:si volueritis & audieritis bona terræ comedetis,quòd si non audieritis & me ad iracundiam prouocaueritis,gladius deuorabit vos:de vita autem temporali patet Leuit.18.c.cùm dicitur, custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis, id est, quando homo fecerit eas, merebitur,vt extendatur ei vita & possit facere eas.Ista namque est differentia inter præcepta legis nouæ & legis veteris,quia secundùm præcepta legis veteris merentur homines,vt viuât in eis facientes ea, secundùm præcepta legis nouæ meretur homo vitam æternam, quæ est vita simpliciter,& quę est saluari:ponit autem hanc differentiam Apostolus ad Rom.10.c.cùm dicitur:Moyses enim scripsit quondam iustitiam quæ est ex lege, qui fecerit homo viuet in ea: & postea subdit de iustitia quæ est per fidem, quòd qui fecerit eam,saluus erit.esse autem saluum, est viuere simpliciter: licèt ergo directè ex obseruatione legalium præceptorum, & iudicialium legis veteris homines merentur vitã in præsenti, & abundantiam temporalium: merebantur tamen vitam æternam inquantum isti actus circa præcepta legis fiebant in charitate: & omnis actus factus in charitate secundùm quod in charitate factus est meritorius vitæ æternæ. *Et recordaberis cuncti itineris.* Suprà monuit mandatorum custodiam,hic ponit causam motiuam,scilicet beneficiorũ memoriam. *Recordaberis cuncti itineris.* Quia in toto itinere fecit Deus specialia beneficia Iudæis, & præter omnia specialia quæ fecit Deus,de quibus in Exod.Leuit. & Num.erant duo generalia & communia beneficia.Primum datio mãnę,quod nunquam defecit quousque comederunt de panibus terræ promissionis, vt patet Iosue 5. cap. Secundum itineris directio in columna nubis quæ nunquam defuit vsque ad terram promissionis,vt patet Exod.13. cap. *Quadraginta annis per desertum.* Scilicet anno & dimidio ab Ægypto vsque Cadesbarne retrocedendo vel directè procedendo vsque ad torrentem Zareth: deinde dimidio anno vsque ad terram promissionis,qui simul sunt quadraginta anni. *Vt afflígeret atque tentaret te.* Num. 14. cap. dicitur, quòd morari debebant in deserto quadraginta annis, quia Deum exasperauerunt in reditu exploratorum: hic autem dicitur ad tentandum quasi hoc propter bonum eorum factum fuerit, & non propter peccatum.

D

Respondetur quòd ista mora directè contracta fuit in deserto propter murmurantes:vt patet Num. 14. cap. sed indirectè fuit propter bonum filiorum paruulorum, magna enim vtilitas fuit paruulis, vt in deserto tanto tempore laborarent, vt vexatio daret eis intellectum, & ad difficilia opera virtutis faciliores fierent: & licèt sententia non fuit data principaliter propter istam causam,sed in pœnam, tamen Legislator loquens toti populo, transfert istam causam ad totum populum.Et dicit Nicolaus,quòd hoc fit per regulam communem Isidori, & Ticonij, scilicet quòd aliquando fit mutatio de parte ad totum:& sic de parte populi cui hoc conueniebat transfertur locutio ad totum. Sed non tenet hoc: non enim potest fieri hic aliqua mutatio:quia manifestum est quod totus populus,ad quem Moyses ista loquebatur, erat de his qui murmurauerant, qnando venerunt exploratores in Cadesbarne:iam enim omnes mortui fuerant, vt patet suprà secundo cap. quia non transierunt torrentem Zareth donec omnes mali mortui fuissent: ista autem dicta fuerũt multo post transitum Zareth: ergo omnes qui ista audiebant, erant de his qui non peccauerant, sed solùm afflicti fuerant vt meliores fierent. Quando autem dicitur, quòd tenuerant moram quadraginta annis in deserto propter peccata sua,& hic dicitur quòd propter suam tentationem & eruditionem:dicitur quòd cùm ista mansio quadraginta annorum fuerit multum laboriosa & afflictiua, data fuit pro peccato eorum, quando murmurauerunt venientibus exploratoribus in Cadesbarne: nam Deus nullam pœnam directè infligit nisi propter peccatum, & hoc maximè in vno populo vel communitate: quia in vna persona singulariter aliquando contrarium reperitur,vt patet in cæco nato Ioan.9.cap.in quo non peccauit ipse nec parentes eius, sed vt gloria Dei manifestaretur in eo: tamen quando punitus fuerat totus populus, manifestum est quòd fuit punitus propter peccatum:& sic notatur Num. 14. cap. & tamen ista punitio fit ad multa: nam Deus cùm sit summum bonum, hoc habet suprà omnes causas agentes naturales, nam in alijs agentibus naturalibus si aliquod malum fiat,non potest ordinari per illa agentia in bonum, Deus autem,vt ait Boëtius de consolat. lib.4.prosa 5. huius potestatis est, vt ea quoque quæ mala sunt ei bona sint: nam quod nos malum agimus ipse in bonum ordinat: quia quòd Hebræi peccarent in Deum malum erat, sed hoc ipse ordinauit in bonum:nam in punitione, quam Deus eis dedit, ordinauit eos ad multa bona, quia ista punitio si fuisset data ab alio iudice, solùm puniuisset eos, & nihil alterum fecit: Deus autem puniuit eos, & fecit vt multa bona eis euenirent, primò quia ipsi tentarentur, & apparerent quæ in eorum animo versabantur, scilicet quòd Iudæi putabant se esse bonos, & non erant,quia virtus in infirmitate perficitur,vt patet secunda ad Corinth. vndecimo capite. ideo per tentationes erudiendi erant, vt sic ipsi de seipsis cognoscerent si boni, vel mali erant; & hoc tangitur hic. Secundum erat, quia Iudæi erant malè assueti in Ægypto ad idololatriam, & si immediatè introissent in terram Chanaan, non fuisset abolita in eis mala consuetudo, & semper mali essent: cùm autem tanto tempore in deserto manserunt, illi qui assueti erant ad idololatriam in Ægypto,mortui sunt in deserto: illi autem qui introierunt in terram Chanaan, erant de illis qui

E

F

Præcepta noua legis ac veteris differunt.

Solui. Deus quamuis sunt ordinat in bonum

nati

A

nati sunt in deserto,& quia ibi non coluerunt idola,nec conuersati cum gentibus idololatris; ideo benè assueti intrarent in terram Chanaan. Tertium erat,quia illi qui egressi fuerant de Ægypto, fuerant timidi valdè, quia antea seruierant, & serui habent semper corda pauida, & inepta ad bellum, cùm non habuerint vnquam liberum motum passionum animositatis, quod facit homines animosos, & sic si ipsi intrassent in terram Chanaan, non possent pugnare contra gentem aliquam: illi autem qui in deserto nati sunt, erant animosi, quia nulli domino seruierant, sed liberè agebant secundùm suam animositatem: patet ergo, quòd licèt isti quadraginta anni fuerint eis dati in pœnam; tamen multum eis profuerunt. *Vt nota fierent quæ in tuo animo versabantur.* Sciebat enim Deus cogitationes eorum, & quales in tribulationibus futuri erant: ipsi autem ignorabant quales in angustijs se haberent: noluit ergo eis Deus demonstrare quales essent eos tribulari permittendo, virtus enim in infirmitate perficitur, 2. ad Corinth. 11. cap. & quia nulli homini cognitum est qualis sit totaliter, & se bonum putans falli posset, demonstrat aliquando Deus in angustijs, vnde fit quòd aliqui, qui se magnos viros existimabant, cum tribulationibus tentati fuerint nihil se esse comperiant, ex quo humiliores fiunt. *Vtrùm custodires mandata illius, an non.* Id est, vtrùm haberes firmam intentionem seruandi mandata, vel non, sicut in cruciatibus patet quis firmam Christi fidem habuerit: ex futuris enim amaritudinibus intentio præterita demonstratur. *Afflixit te penuria cibi & potus.* De cibo patet Exod. 16. cap. de potu Exod. 17.& Num.20.& 21.c. *Et dedit tibi mãna,quod ignorabas tu,& patres tui.* Quia talis cibus naturaliter in aëre fieri non potest in tanto sapore, nec tanta harmonia qualitatum ad conseruationem corporis humani, ideo Iudæi nunquam eum viderunt,quare cùm primò viderunt admirati dixerunt; Manhu, id est, quid est hoc? *Quòd non in solo pane viuit homo.* Vita humana de lege communi per nutrimentum conseruatur, & hoc communiter vocatur panis. Sed aliquando homines sine pane viuunt ex omni verbo, *Quod procedit ex ore Dei.* Id est ex qua cunque re Deus mandat; ita quòd si Deus mandaret comedere colubros, aspides, & basiliscos, siue durissimos lapides, aut omne genus metalli, melius per hæc quàm in delicatissimis cibis nutriremur:aliter potest intelligi, quòd non solùm pane,vel cibo viuere potest homo, sed etiam in sola voluntate Dei nobis declarata,q̃ per os exire dicitur:sicut ea q̃ nos volumus post ore proferimus,& sic applicauit istã auctoritatem Christus Matth.4.cap.respondens Sathanæ suadenti,vt lapides in panes conuerteret ex quibus viueret: innuebat enim ad vitam necessarium esse cibum, ideo Christus excludens hoc dixit: Non in solo pane viuit homo, id est non conseruatur vita humana per solùm panem, sed per voluntatem Dei: ideo si velit nos sine cibo conseruare, ita seruabit, sicut cũ cibo,& sic concludebat nõ esse necessariũ cibum,& ex cõsequenti nec lapides panes fieri;hoc etiam Moyses dicere poterat qui 40.diebus,imò 120.vt aliqui volunt,sine cibo mansit orans pro populo,& petens secundas tabulas,sic & Helias qui ambulauit 40.diebus,& 40. noctibus sine cibo vsque ad montem Oreb,3.Reg.19.c. *Vestimẽtum tuum quo operiebaris nequaquam vetustate defecit.* Dixit Aben Ezra, quòd fortè talis complexionis erat manna,vt sudorem non gigneret,quo vestes perustæ inueterantur, sed non sufficiebat hoc, quia dato quòd nos nunquam sudore perfunderemur,tamen vestimẽta nostra sub breui tempore vetustate attrita deficerent, maximè quia itinerabant: itinerantes autem citissimè vestes atterunt: fuit ergo miraculosa vestibus concessa soliditas, vt nullatenus rumperentur. Erat quoque mirabile, quòd crescentibus eis vestes quoque crescebant, aliàs qui paruuli de Ægypto exierunt paruis induti vestibus, cùm ad maiorem corpulentiam attigissent,vestes non haberent, quod videtur inconueniens,quòd nudi incesserint,cùm dicatur, quòd nihil eis defuit. *Pes tuus non est subtritus.* Id est, læsus ex itinere, quod maximè contingit viatoribus. in Hebræo habetur inflatus,& magis adaptatur,quia prius itineranti pedes per turgentes vesicas inflantur, quàm subterantur.

* * *

B

Quo nõ de solo pane viuit homo.

C

D

Quomodo intelligitur quòd populus nunquam fuit fatigatus ex itinere deserti.

QVÆSTIO II.

SED quomodo stat hoc, quia Num.11.cap. dicitur,quòd dolebat populus labore itineris?

Respondent aliqui, quòd istud beneficium solùm bonis concessum fuit, sicut de manna quantum ad varios sapores dulces:mali autem in itinerando satis laborauerunt.

Posset etiã satis probabiliter dici,quòd nec boni,nec mali pedum subtritionem, siue inflationem passi sunt, sed tamen mali laborauerunt in itinere propter motus velocitatem, & in labore illo non permittebat Dominus eos subteri, vel intumescere,sicut neque vestes malorum consumptæ sunt; etiam si laborauerint, & moti fuerint, vnde atteri debuissent. Posset autem dici,quòd illa die multi de popularibus, qui nõ erant boni,subtriuerint pedes, & inflatos eos habuerint, sed dicitur generaliter,quòd nunquam pedes subtriti sunt: nam fortè in toto illo tempore nunquam alia die pedes subtritos habuerunt, nisi illa, & de modico Scriptura non curat, loquens vniuersaliter: sic patet quantum ad cibum, & potum: nam infrà 29. cap. dicitur,quòd non defuit aliquid Iudæis in quadraginta annis per desertum, & tamen hic dicit, quòd Dominus percussit,atque afflixit eos penuria,& siti: quia tamen hoc rarum fuit,non nominauit hoc Scriptura. Item infrà 26.cap.dicitur, in quadraginta annis Iudæi non comederunt panem in deserto, neque biberunt vinum:constat tamẽ quòd in monte Synai comederunt panem: nam ibi celebrauerunt Phase in secundo anno exitus de Ægypto, Phase tamen sine pane azymo non celebratur, & si fortè dicas, quòd fuit celebratum Phase sine azymis,quia ea non habebant, nõ valet,quia de ista celebratione huius Phase dicitur Num.9.c. faciant filij Israël Phase decimaquarta die mẽsis huius ad vesperum iuxta omnes cæremonias suas, sed comedere azyma erat cæremonia Phase,vt patet Exod. 12. & Numer.9. cap. *En quadragesimus annus est.* Scilicet, ex quo ista beneficia tibi dari cœperunt; & semper continuata sunt, & in hoc magnitudo beneficiorum notatur, quia tanto tempore durauerunt: erat tunc quadragesimus annus ab exitu de Ægypto in mense vndecimo, in quo mortuus est Moyses. *Vt recogites in corde tuo, quia sicut homo erudit filium suum.* Castigationibus eum ad mores compositos reducendo, sic te erudiuit tribulationibus diligens te,quia quos pater non corripit, adulterini filij sunt; ad Hebræos 12. cap. *Vt custodias mandata Domini Dei tui.* Scilicet in corde ea firmiter, & sine obliuione tenendo. *Et ambules in vijs eius.* Id est, vt in operationibus sequaris viam mandatorum.

E

Dominus enim Deus. Hic ponitur secundum, in quo prædicuntur futura. *Terram riuorum.* Adducuntur hic ad amorem per beneficium futurum,scil.quia eis terram bonam daturus erat. *Terram riuorum.* In hoc monstratur excellentia eius super terram Ægypti de qua veniebant, quia illa modicas aquas habebat,sed per artificia & laborem de flumine Nilo aqua educitur, vnde arbores & omnia rigantur. *Aquarum.* Quantum ad paludes vel stagna. *Et fontium.* Pauci enim fontes sunt in Ægypto, quia terra calida, sicut etiam de Lybia dicitur per Lucanum lib.9. de processu Catonis contra æquinoctialem, & Alexandreidis lib.3.de processu Alexandri ad Lybicum Amonem per Syrtes: sunt enim Ægyptus & Lybia conterminæ, habet enim Ægyptus ab Occidente Lybiam: ideo quasi eiusdem sunt complexionis: sed Lybia aliqualiter magis inclinat ad Austrum, ideo feruentior est: pauci autem fontes in Ægypto sunt, & in Lybia ex causa prædicta, scilicet, quia terræ istæ calidæ sunt, & calor Solis exurit humiditatem fontalem conuertens terram in arenas: alia etiam causa est, quia terra illa plana est, & in planis non possunt esse multi fontes, quia aqua non potest eleuari vltrà locum suæ scaturiginis per æquilibram, & quia locus scaturiginis est semper sub terra, & ad hoc quòd erumpat ad planiciem terræ, debet esse in superficie, si ergo detur, quòd tota terra sit perfectè plana,impossibile esset secundùm naturam erumpere aliquem fontem,vbi ergo terra multum plana est, licèt non sit totaliter plana, necesse est paucos fontes erumpere: tales

F

Quib. in locis aqua possit scatere.

autem

autem sunt Ægyptus,& Lybia, scilicet valdè planæ,quia tota terra Meridiana planior est terra Septentrionali:terra autem promissionis est terra multorum fontium,quia est terra montuosa & vallium, vbi necesse est multas scaturigines esse propter inæqualitatem locorum, vt patet infrà vndecimo capit. cùm dicitur: Terra ad quam ingrederis possidendam,non est sicut terra Ægypti de qua existi, vbi in hortorum morem aquæ ducuntur irriguę,sed montuosa est & campestris de cœlo expectans pluuias.

In cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyßi. In vallibus enim vel in campis,qui aliquibus collibus saltem paruis adiacent,fontes nascuntur,& in descensu montium: in summis autem montium verticibus, vel planissima terra fontes non nascuntur, quia non potest aqua magis eleuari quàm ad æqualitatem suæ originis,vt æquilibretur,vt patet 2.Meteor. & ista abundantia aliqualis aquarum bonitatem terrę ad pascua notat,quam antiqui maximè eligebant, quia in pecoribus maior pars substantiæ erat eorum, vnde & regum filij in possessione armentorum & gregum delectabantur: patet de Absolone filio Dauid,qui conuocauit omnes fratres suos die qua totondit greges.2.Reg.13.c.

Terram frumenti. 8. Ponuntur hic frumentum, hordeum, vineæ,ficus,malogranata,oliueta,mel,de quibus soliis dicunt Iudęi esse primitias dandas.Sed non multum videtur,quia de eisdem primitiæ dantur,de quibus decimę,maximè secundū consuetudinem antiquissimorū Iudæorum,qui ista iura strictius quàm nos persoluebant, sed Iudæi tempore Christi de omni genere fructuum & minutissimarum herbarum decimas persoluebant,& hoc Christus approbauit Matth.23.cap. Væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentā,anetum, & ciminum,& reliquistis quæ grauiora sunt legis: hæc oportuit facere,& illa non omittere.

Vbi absq; vlla penuria comedes panem tuum, & rerum abundantia perfrueris. Hoc non fuit semper:nam multotiens famē passi sunt,& sterilitatem magnam terræ,vt patet in Iohele,qui posuit terram duarum tribuum eruca,rubigine, bruco,& locusta consumptam, quod ad quatuor annos videtur pertinere: fuerunt etiam sterilitates aliæ,vt in tempore regis Ioram, qñ obsessa Samaria à rege Benadab, de quo 4.Reg.6.c.dicitur,facta est fames valida in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini 80. argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis: & tunc duæ mulieres præ fame comederunt filium vnius,vt patet in eod.cap. Fuit etiam fames magna in Hierusalem,quando obsessa fuit per seruos regis Senacherib,de quo 4.Regum 19.& 20. & Esai.38. cap. Fuit etiam fames, quando Nabuchodonosor obsedit ciuitatem Hierusalem tempore Sedechiæ, vt patet sæpè in Hierem. sed dicendum,quòd ista promissio Dei fuit,quando Israëlitæ essent boni.Quando autē essent mali, veniebant eis omnia opposita,scil.fames tanta, vt comederent fructum ventris sui,vt patet infrà cap.28. sic autem fuit hic:nam in omnibus istis bellis & alijs temporibus quandocunque fames eis adueniebat,erat in pœna facinorum suorum. *Cuius lapides ferrum sunt.* Sunt enim in terra promissionis minerię metallorum,& maximè in ferro: quod cum de subterraneis locis abstrahitur,quasi lutum durissimum, siue vt lapis niger accipitur,deinde per ignem depuratur, & solidatur; vt 50.distinct. c.ferrum.*Et de montibus æris metalla fodiuntur.* Æs nomen generale est ad omnia metalla:& sic in terra illa sunt mineriæ multorum metallorum. *Vt cùm comederis & saturatus fueris benedicas Domino.* Id est,ad istum finem tibi dantur hæc,vt per ea benedicas Deum: omnia enim Deus propter honorem suum facit directè, vel indirectè, sed satis dici posset, quòd in omnibus quæ facit primò intendit manifestationem gloriæ suæ, deinde intendit bonum nostrum,quia nobis vtitur,ideo necesse est omnia quæ circa nos agit, in aliud ordinare, scilicet in seipsum.

Obserua & caue. Hic ponitur tertium, scilicet narrantur aliqua beneficia præterita. *Ne quando obliuiscaris Domini Dei tui.* Grauissimum omnium vitiorum in benè passis est beneficiorum obliuisci, ideo valdè monentur ne tale vitium incidant. *Et negligas mandata eius.* Hoc consequens est ad præcedens: si enim aliquis beneficiorum Dei obliuiscitur, mandata eius non obseruabit, quia nullam obseruandi rationem inueniet: vt si aliquis seruus obliuiscatur aliquem dominum esse, nec quæ mandauit ei, faciet. Et si arguas quia Deum ordinato diligentes amore non amant,quia nos creauit nosque redemit, vel quia aliqua alia bona egit: sed quia bonus est summè,& Deus est.

Quare Deum amamus.

Respondetur hoc concedendo: sed dico quòd nos non cognoscimus Deum esse, nec bonum esse, nisi quia res ab eo causatas videmus, & quia nobis benefeciisse cognoscimus. Si ergo tollatur beneficiorum memoria & cognitio quæ antecedens est, necesse est nos nescire Deum esse, nec bonum esse, & consequenter mandata obliuisci nescientes cuius fuerint: quia ista ordinatè à memoria beneficiorum dependent. *Et iudicia atq; cæremonias.* Si enim Iudæi illecti per bona temporalia obliuiscerentur mandatorum Dei, peccabant: sic etiam si obliuiscerentur cæremoniarum atque iudiciorum.

Quæ sit differentia inter mandatum,præceptum,cæremonias,& iudicia.

QVÆSTIO III.

MANDATA vocantur hic omnia præcepta decalogi, & cætera præcepta moralia, quæ in decalogo non sunt: cæremoniæ vocantur omnes ritus colendi Deum, & se habendi ad Sanctuarium, vel respectu rerum sacrarum: iudicia vocantur præcepta data in directionem proximi, & pertinent aliqualiter ad actiones forales,sicut leges humanę: omnia autem hæc obseruare oportebat: & in transgressione cuiuslibet erat peccatum mortale, licèt differrent secundùm quantitatem:nam trangressio præceptorum moralium erat grauior,quàm transgressio cæremonialium, vel iudicialium: nam moralia causabant duplicem oblationem, cæremonialia autem,vel iudicialia vnicam,& patet, quia moralia causabant obligationem naturalem, cùm naturaliter cognoscamus debere fieri omnia quæ in decalogo continentur, quia illæ conclusiones sunt priorum principiorum practicorum immediatè elicitæ, & habent quandam notorietatem quam contrahunt ex primis principijs ex quibus immediatè deriuantur,& licèt non sint ita notæ, quòd naturaliter quilibet intellectus sit in actu istarum conclusionum decalogi,siue quòd sit determinatus ad ea, sicut ad prima principia, ita quòd per se sit in cognitione istarum conclusionū, saltem nullo cognoscente, habent tamen talem notorietatem, quòd cuicunque proponantur, statim vt proponantur assentiet illis.

Differentia autem inter principia per se totaliter cognita, scilicet,quòd nullum malum est agendum, & quòd bonum est eligendum,ad istas conclusiones decalogi, est:quia nos aliqua actualiter cognoscimus nullo nobis proponente nec docente, alia autem sunt quæ licèt per nos immediatè non cognoscamus omnes sine aliquo discursu, tamen quando alius proponit, intellectus noster assentit, de his latius diximus Exod. 20. cap. sunt ergo ista præcepta decalogi naturaliter cognita, tanquam conclusiones immediatè à primis principijs: sic autem ait Apostolus ad Romanos 2.cap.Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Prima ergo obligatio in præceptis moralibus est naturalis secundùm quod naturaliter cognoscuntur, vt bona, & debiti rationem habentia, & ista obligatio est ad omnes gentes, nam quilibet quantumcunque extra legem peccat adulterando, occidendo, furando, & sic de cæteris,quæ sunt naturaliter cognita. Secunda obligatio est à positione, quia Deus qui est legislator maximæ auctoritatis, & mandauit cum magna efficacia custodiri ista præcepta moralia decalogi,vt patet Exodi 20.& suprà 5.cap.ergo etiam ex hoc obligabant, & qui ea non obseruaret de Iudæis multum peccaret contemnens Deum latorem horum præceptorum. Ista secūda sola obligatio apud solos Iudæos fuit, & nunc apud omnes Christianos qui cognoscunt ea data fuisse à Deo,aliæ autem gentes ante Christi aduentum, quæ non obligabantur ad legem Iudaicam, non peccabant isto secundo modo, scil. contemnendo diuinam maiestatem, quia eis non fuerat data lex à Deo, sed solùm erat eis innata naturaliter habitualiter, vel verius secundùm quandam leuem ratiocinationem ex principijs naturaliter cognitis.Alia præcepta,scilicet cęremonialia, & iudicialia solùm habebant vnam obligationem,

sci-

A

ſcilicet, quia erant data à Deo legiſlatore: nam naturaliter cæremonialia non obligant, nec iudicialia, quia ſunt particulares determinationes magis dependentes ex voluntate conditoris legis; maxime patet de cæremonialibus, quæ nullam rationem continere videntur, nec prodire ex aliqua radice rationis, iudicialia autem licet, vt in pluribus ſint voluntaria, in quibuſdam ſunt procedentia à ratione naturali, & ſic pertinent iſta duo aliqualiter ad ius quod Ariſt. vocat legale in 5. Ethic. quod antequam ponatur non differt, differt autem cum poſitum fuerit. Minus ergo peccatum erat in tranſgreſſione cęremonialium, aut iudicialium quam moralium, cum grauius ſit agere contra duas obligationes quam contra vnam, qui autem peccat in moralibus agit cõtra duas obligationes, qui autem peccat in cæremonialibus, aut iudicialibus peccat contra vnam, vt declaratum fuit ex præcedẽtibus. *Quas ego præcipio tibi hodie.* Hoc dicebat Moyſes, quia in eadem die cum eſſet propinquus morti ſuæ recitauit totam legem, ſecundum quod in hoc libro ſeriatim continetur. Et non dicit hic quas tibi præcepit Dominus, ſed quas ego præcipio hodie, licet Deus omnia iſta præcepiſſet, quia recentius retinetur recitatio iſta quam Moyſes faciebat in die illo quã præceptio Dei quę præceſſerat à multis diebus, vel aliter, quia iſta recitatio fuit facta in vltimo anno exitus de deſerto, vel vt proprius dicamus manſionis deſerti: nam in 40. ann. exitus de Ægypto facta fuit, vt patet ſupra 1. ca. cum dicitur 40.

B

anno vndecimo menſe, prima die menſis locutus eſt Moyſes ad filios Iſrael omnia quæ præceperat illi Dominus, & omnes iſti qui nunc audiebant erant de illis qui nati fuerant in deſerto, vel de illis qui exierant de Ægypto in parua ætate, ſcilicet, infra annum 19. qui tunc non potuerant multum attendere ad legem, quando lata eſt, ſcilicet, in anno primo exitus de Ægypto: ergo iſtis magis debebat dici, tanquam nouiter diceretur, quam quod diceret eis facietis hoc, vel illud, ſicut mandauit Dominus, cum nihil recordarentur de mandato illo, vel forte non audierant: antecedens patet pro omnibus ſuis partibus, prima pars, ſcilicet, quod omnes iſti qui audiebant legem nũc recitari; nati fuerant in deſerto, vel exierant de Ægypto minores ann. 19. patet, quia vt habetur Numer. 14. c. omnes qui erant de generatione peſſima, id eſt, de duodecim tribubus Iſrael nõ computando Leuitas inter eos, qui viderunt mirabilia Dei in Ægypto, & tentauerunt in deſerto Dominum, morituri erant, nec intrare debebant in terram Chanaan: iſti autem qui hic ligantur iſta ſententia ſecũdum omnes doctores, dicunt illi, qui iam nomen habebant in tribubus & familiis ſuis, quia dicitur nemo de generatione hac peſſima, illi tamen qui nomen habebant in Iſrael, & computati erant inter alios, erant à 20. annis vltra, vt patet Num. 1. cap. de numeratione omnium virorum, qui erant in omnibus tribubus Iſrael, fuit autem facta iſta computatio in principio anni ſecundi in monte Synai, vt patet Num. cap. 1.

C

ergo illi qui non numerati ſunt ibi ad plus erant ann. 18. & dimidij, vel modicum vltra, quando egreſſi ſunt de Ægypto, & patet, quia iſta computatio fuit facta vno anno poſt exitũ de Ægypto, vt patet Num. 1. cap. ergo qui vno anno poſt exitum de Ægypto non erat 20. ann. completorum, quando exiret de Ægypto non eſſet 19. completorum annorum, ſed haberet 18. & aliquid plus, lex autem fuit data in principio anni primi exitus de Ægypto, vt patet Exod. 19. ca. ſcilicet, anni 1. menſe 3. eiuſdem anni: illi ergo qui poſtea non cõputati ſunt cum illis de quibus dicitur Num. 1. ca. ad plus in datione legis quæ fuit in 3. menſe poſt exitum de Ægypto, eſſent ann. 19. completorum, vel inciperent 20. ſed iſta ætas adhuc multum inuenilis, maxime in hominib. rudibus illius ſeculi nõ multum reſpiceret ad legem quæ dabatur: & dato, quod reſpiceret deinde vſq; ad 40. annos, ſcil. ad annum vltimum mãſionis deſerti, non multum recordarentur legis datæ, ſed oportebat denuo recitare ea Moyſen. Quod autem iſti qui audiebant nunc Moyſen recitantem legem, eſſent nati in deſerto, vel exiuiſſent de Ægypto ad plus 18. ann. & cum modico plus patet, quia omnes qui erant 19. annorum completorũ, quando exierunt de Ægypto, erant 20. annorum completorum, quãdo facta fuit illa ſupputatio, de qua Num. 1. ſed ibi computati ſunt omnes qui erant 20. annorum, ergo illi qui erant 19. ann. completorum, quando exierunt de Ægypto, ſupputati ſunt ſed omnes ibi computati mortui ſunt in deſerto, ergo qui erãt 19. annorum completorum in exitu de Ægypto, mortui ſunt in deſerto ex ſententia Dei, vt ſupra inductum eſt, ſed omnes qui mortui ſunt in deſerto ex ſententia Domini, mortui ſunt ante iſtam recitationẽ legis per Moyſen, ergo qui hic audierũt ad plus, quando exierunt de Ægypto, erant 18. annorum, cum modico plus, vel nati fuerunt in deſerto, quod intendebamus probare: antecedẽs patet, ſcilicet, quod qui mortui ſunt in deſerto ex ſententia Dei non viderunt iſtam recitationem: nam omnes illi cõdemnati mortui fuerunt ante tranſitum torrentis Zareth, vt patet ſupra 2. ca. cum dicitur ſurgentes ergo tranſiuimus torrentem Zareth venimuſq; ad eum, tempus autem quo ambulauimus de Cadeſbarne vſq; in torrentem Zareth 38. annorum fuit, donec cõſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris, ſicut iurauerat Dominus: iſta tamen legis repetitio fuit facta multo tempore poſt tranſitum torrentis Zareth: nam poſt torrentem Zareth venerunt in ciuitatem Moabitarum, vt patet ſupra 2. ca. poſtea tranſierunt in terram duorum regum Amorrhæorum tranſito torrente Arnon. Et pugnauit Iſrael, & debellauit illos reges, & accepit terram eorum, & diuiſit duabus tribubus & dimidiæ, & accidit fraus Moabitarum mulierum inducentium Iſraelitas ad ſacrificandum, poſtea bellum cum Madianitis regibus 5. & poſtea cum Moyſes vellet mori, repetiuit legem de qua hic loquimur, iſte ordo patet ex his quę continentur ſupra 2. & 3. cap. & in libro Numerorum inſpiciendo: Multo ergo ante fuit mors omnium

E

condemnatorum, quam repetitio legis: iſti autem qui condemnati erant à Domino propter illam murmurationem de qua Numer. 14. cap. erant viri à 20. annis vltra, & patet, quia omnes viri bellatores condemnati ſunt, ſed viri bellatores accipiebantur à 20. annis, & vltra, vt patet Num. 1. cap. ergo omnes qui erant à viginti annis vltra tempore numerationis, & erant 19. annorum completorum tempore exitus de Ægypto condemnati ſunt, antecedens patet, ſcilicet, quod viri bellatores condemnati fuerunt, quia dicitur ſupra 2. ca. tempus quo ambulauimus de Cadeſbarne vſque torrentem Zareth 38. annorum fuit, donec conſumeretur omnis generatio bellatorum de caſtris, ſicut iurauit Dominus, & poſtea ſequitur: poſtquam autem ceciderunt vniuerſi pugnantes, locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens. *Et domos pulchras ædificaueris.* Si arguatur, quod ſupra 6. cap. dicitur, quod poſſeſſuri eſſent domos plenas opum quas non extruxerunt. Reſpondetur, quod aliquas inuenerunt, & aliquas nouiter ædificauerunt, & vtræque ad obliuionem Dei allicitiuæ erant. *Eleuetur cor tuum.* Omnium rerum abundantia, & naturalium perfectionum pluralitas, & proſperi ſucceſſus hominem ſuper ſeipſum eleuant, vt non ſolum Deum non timeat, ſed etiam ſeipſum Deum faciat, ſicut Alexander proſperis elatus ſucceſſibus ſe hominem faſtidiens Deum nominauit, vt habetur Alexandreidis libr. 2. ſic Nabuchodonoſor ſuper omnes mortales exaltatus dixit, nonne hæc eſt Babylon quam ego ædificaui in fortitudine mea, in domũ regni, in gloriam decoris mei? Dan. 4. cap. & Eſa. 14. cap. Sic etiam fuit de alio Nabuchodonoſor de quo habetur Iudic. cap. 2. cum dicitur: præceperat enim illi Nabuchodonoſor rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari: eodem modo rex Tyri, quia magnis opibus, & potentia abundauit, vocauit ſe Deum, vt patet Ezech. 28. c. cum dicitur, fili hominis dic principi Tyri, hęc dicit Dominus Deus, eo quod eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris, cum ſis homo, & non Deus, & dediſti cor tuum quaſi cor Dei, idem patet de Pharaone rege Ægypti, qui ex eadem cauſa vocauit ſe Deum, vt patet Ezech. 29. ca. vbi dicitur, hæc dicit Dominus. Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti draco magnæ, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum, & poſtea ſequitur, eo quod dixeris fluuius meus eſt, & ego feci eum, idem fiet de Antichriſto qui magnitudine opum elatus, & regum potentia, qui ei adhærebunt, vocabit ſe Deum, vt patet 2. ad Theſſal. cap. 2. cum dicitur, & reuelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe, tanquam ſit Deus. Cauendum ergo ne diuitiæ, aut potentia cor eleuent

D

De cauſa eleuationis hominis ſuper ſeipſũ.

F

A uent ad malum, ideo dicit Psalm. 61. si diuitiæ affluant nolite cor apponere. *Atque terribili.* Quia terribilia animalia ibi videbantur. *In qua erat serpens flatu adurans.* Sunt quidam serpentes quorum tam pestifer flatus est, vt res afflatas adurant. *Scorpio.* Serpens vulgariter cognitus est. *Dipsas.* Serpens breui est, qui siti deficere facit eum quem momorderit, vt ait Solinus in Polistor. ca. de Aphrica, & Isidorus Etymol. 11. de quibus plenissime Lucanus in 9. lib. in Hebræo dicitur. *Siccitas.* Vbi nos dicimus dipsas, quia siti interficit. *Qui eduxit riuos de petra durissima.* Scilicet, in Cades, vt patet Num. 20. cap. & manet adhuc ille fons in Arabia, de quo tota illa terra abundantissime irrigatur, quæ nunc habitata est, vt patet in libro de diuisione Terræ sanctæ. *Et postquam afflixit te.* Patres tuos in deserto mori faciendo. *Et probauit te.* Demonstrando per labores quantæ confidentiæ esses, & sic refertur ad diuersos secundum regulam Ticonij, vel potest referri ad eosdem. *Postquam afflixit te.* Id est, dando tibi tribulationes in solitudine. *Et probauit te.* Scilicet, per istas notificando tibi patientiam, vel stabilitatem tuam. *Ad extremum misertus est tui.* Quia Deus non punit vsq; in finem Psalm. 76. castigatio enim filialis in gaudio consummatur, quia non ex ira, ideo misertus est tui liberando te ab omnibus angustiis, & tradendo tibi hostes tuos cum terra eorum, sicut oculis tuis contemplatus es. *Nec dices in corde tuo fortitudo mea.* Ista inanis gloria est, & grauis

B est, & grauis iniquitas, & dupliciter peccat. Primo quia non Deo quantum debet distribuit: vnde iniustus distributionis est: res enim ita denominari debent, vt sunt, sed istæ operationes à Deo sunt, quia eius manifesta, vel occulta virtute geruntur, in factis autem magnis Dei virtus multum manifesta est, ideo honor pro illa operatione ei attribui deberet. Secundo erat, quia sibi multum arrogans de honore distribuit, quia cum in operationibus talibus solum sit Dei instrumentum, & non ministrans, vel faciens principale, modicum vel nihil de honore sibi deberet attribui, immo nihil, quia instrumentum sic, vel sic operatur non à se, sed vt virtus agentis continuatur, & illud taliter, vel taliter mouens, & magnus error est iste, quia id Deo tollimus, quod ipse principaliter vult, scilicet, laudem Psalm. 49. sacrificium laudis honorificabit me. Et rursus immola Deo sacrificium laudis.

Quod ipse tibi vires præbuerit. Ista est determinatio præcedentis dicti, nam supra admonebantur Hebræi ne dicerent, fortitudo mea, & robur manus meæ mihi hæc omnia præstiterunt.

An obiectio Hebræorum, quod hoc irrationabiliter mandetur sit colorata. Et quod tripliciter dicimus Deum agere aliquid.

Qvæstio IV.

C Sed diceret aliquis Hebræus, quod hoc eis irrationabiliter mandabatur, nam si Deus occidisset hostes eorum ipsis nihil agentibus, sicut fecerat in mari rubro submergendo ibi Ægyptios, vt patet Exodi decimo quarto capitulo, & ibi dictum fuit, nolite timere state, & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim quos nunc videtis nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

Dici potuisset proprie, quod Hebræi non dicerent, fortitudo mea, & robur manus meæ mihi hæc omnia præstiterunt, sed in destructione regum Amorrhæorum Seon, & Og, & in deletione omnium populorum trans Iordanem ipsi multum laborauerunt occidentes reges, & delentes populos, & subuertentes munitiones, ergo dicere poterant, quod fortitudo sua præstiterat eis hæc omnia.

Respondetur, quod ad hoc, quod aliquid vere dicatur, oportet quod nominetur res sicuti est, scilicet, vt sicut est in rebus, ita fiat denominatio in vocibus, nam ab eo quod est res, vel non est; oratio vera, vel falsa dicitur esse: vt ait Arist. 1. Perihermen. si ergo sic est, quod omnia ista bella quæ facta sunt delendo aduersarios Israelitarum fecit Deus; falsum dicerent Hebræi, dicendo quod fortitudo manus suæ, & robur præstiterunt eis hæc omnia.

Ad hoc autem dicendum, quod aliquid Deus agere dicitur tripliciter.

D Vno modo, quia ipse agit per se, aut per Angelos totaliter non mediante aliquo agente naturali.

Secundo modo dicitur agere aliquid, quia licet non facit totum per se, facit tamen aliquam partem rei per se.

Tertio modo dicitur agere Deus, quia licet ipse nihil agat per se, nec totum, nec partem, dat tamen virtutem supra consuetudinem agenti naturali, vt agat, si ergo isti tres modi, aut aliquis illorum reperiatur in bellis factis contra aduersarios Hebræorum, vocabuntur illa bella Domini, & hoc patet, Numer. 21. cap. cum dicitur, vnde dicitur libro Bellorum domini, sicut fecit mari rubro, sic faciet torrentibus Arnon, ex quo innuuntur duo bella Dei, scilicet, bellum factum in mari rubro, & bellum factum in torrentibus Arnon, ista autem duo bella pertinent ad Deum, quia Deus illa egit. Et dicitur illa egisse primo modo quo Deus aliquid facit, scilicet, quando totum per se facit, sic enim fuit primum bellum factum in mari rubro, de quo ipsi Ægyptij testimonium tulerunt dicentes: fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos, & hoc totum fecit Deus, vt dixit Moyses in eodem cap. 14. Exod. scilicet, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis: fuit etiam bellum Dei factum in torrentibus Arnon pertinens ad istum primum modum: nam vt declarabitur latius Numer. 21. cap. Amorrhæi custodientes introitum terræ suæ, quæ incepit apud Arnon, vt habetur eodem capitulo, latuerunt in duobus scopulis oppositis, qui erant circa viam per quam ingressuri erant Israelitæ, E vt quando ingredi vellent ex illo loco, eiicerent saxa grandia super eos, & tela atque sagittas, atq; sic delerent eos, & tunc Deus inclinauit illos scopulos vnum contra alterum, & partes prominentes vnius subintrauerunt concauitates alterius, & vniuersos Amorrhæos inter eas latentes oppresserunt, & tunc redierunt ad statum suum scopuli: vel vt alij volunt, inclinati fuerunt scopuli vsque ad terram planam, & ibi oppresserunt omnes Amorrhæos latentes, patet hoc Numer. 21. cap. cum dicitur, scopuli torrentem inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum, fuit autem istud bellum totaliter Dei, quia nihil Iudæi ibi operati sunt, nec aliqua virtus naturalis. Secundum opus Dei est, quando Deus aliquid agit per se, & non totum, & sic reperiuntur aliqua bella Dei quæ facta sunt à Deo, ita quod maiorem partem eorum Deus per se fecit, vt patet Iosue 10. cap. nam cum pugnaret Iosue contra quinque reges, qui conuenerant ad destruendum Gabaon, & illi fugerent, persecutus fuit eos Iosue, & tunc dicitur quotcunque fugerent filios Israel, & essent ad descensum Iethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo vsq; Azecha, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel, hoc autem bellum de interfectione per lapides grandinis solus Deus egit. Fuit præterea in eodem bello aliud longe maius miraculum, quod Deus solus fecit, scilicet, quod stetit Sol immotus spatio vnius diei, F donec Israel se vindicaret de hostibus suis, vt patet in eodem cap. cum dicitur, tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel: Sol sta contra Gabaon, ne mouearis Luna contra vallem Hayalon, steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis, & hoc etiam vocatur in sacra Scriptura vnum de bellis Domini: nam ea quæ sunt scripta in libro bellorũ Domini, vocãtur bella Domini, sed hoc in libro bellorum Domini scriptum est, namq; Iosue ca. 10. nonne scriptum est in libro Iustorum, stetitq; itaq; Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei, non fuit ante, & postea tam longa dies obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israel, vocatur ibi liber Iustorum, sed liber bellorum Domini, & liber Iustorum idem sunt, vt patet ex his quæ declarauimus Exod. 17. cap. Tertium opus Dei dicitur, quando Deus non operatur totum per se, nec partes per se, sed dat virtutem operanti, nam ille agere dicitur qui principium agendi habet, qui ergo virtutem agendi elargitur agere dicitur, sed in hoc est differentia, quia Deus est causa prima; & causa prima ex conditione sua habet causalitatem vniuersalem influendo in omnes res, & dando eis virtutem qua sint & agant: sic dicit Beatus Paulus Actor. 17. cap. vbi dicitur, Deus est in quo viuimus, mouemur, & sumus, vt quidam vestrorum Poetarum dixerunt: idem innuitur in libro de cau-

Idem sunt liber Iustorũ, & liber bellorum Domini.

Deus est causa prima.

A

sis in prima propositione, scilicet, omnis causa primaria pluinfluit in effectum quam causa secundaria, & quantum ad istam administrationem virtutis in agendo non dicimus hic, quod Deus aliquid agat, quia tunc cum in omnia influat dans virtutem agendi omnia agere diceretur, quod dicere non consueuimus: alio modo Deus dicitur dare virtutem agendi creaturæ, quando non solum dat ei virtutem agendi consueto modo naturæ, sed excessiue tribuit virtutem ex aliqua causa particulari vel ratione, & hoc cum alicui homini dat maiores vires quam consueuerit, habere à sua complexione, vel maius pondus, sicut legitur de Beata Lucia, quod licet multi homines primo, deinde multa iuga boum conarentur eam de vno loco mouere, immobilis mansit, isto tertio modo dicitur Deus egisse omnia bella Hebræorum contra aduersarios suos ad expulsionem eorum de terra, nam dabat maiorem animositatem Iudæis quam consueuerant habere, & timorem incutiebat hostibus, & vertebant eos, & fugabant, & tamen non videbatur Deus hic aliquid totaliter per se agere, sed agebat per Israelitas dando eis virtutem ad agendum, de hoc patet Exodi vigesimo tertio capitulo, cum dicitur, terrorem tuum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum terga vertam, emittens prius crabrones qui fugabunt Euæum, Chananæum, &cæt. sic etiam patet supra, nam istæ Gentes, quas deleuerunt Hebræi erant

B

multo plures, & robustiores quam Iudæi, vt patet supra septimo capitulo, ideo Iudæi non auderent pugnare contra illos, quod multitudine, & robore minores erant patet, quia Deus laudauit populos istos de magna fortitudine dicens, ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus, vt habetur Amos secundo capitulo. Hebræi autem qui alias nullo modo Amorrhæos aggressuri erant, & nunc incitante Domino, & apponente animositatem magis quam alias Hebræi habituri essent, recte à Domino taliter adiuti sunt, vt ipse, & non Hebræi fecisse dicatur hæc bella. Et si opponat Hebræus ego manibus propriis contra Chananæos pugnaui, & occidi eos, ergo ego feci ista bella, & non Deus. Respondet litera, quod non concludit istud argumentum, nam licet Hebræorum manibus ista facta sunt, tamen non fecerunt ipsi, quia non erant vires agendi ab ipsis, sed à Domino cum dicitur, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, & sicut instrumenta agendi, vt dolabra, & cætera, licet immediate tangant ipsam materiam, quæ transmutatur secundum artem: tamen non dicuntur ipsa instrumenta agere, sed illi qui mouent ea: nam vires ad agendum, vel ad hoc, quod moueantur sic vel sic, nõ sunt in ipsis instrumentis, sed in mouentibus instrumenta, ita cum hic ipsi Iudæi essent instrumenta Dei, & non præstarent ipsi vires ad agendum ista, sed Deus, vt patet in litera: ergo Deus

C

dicebatur ista agere: non tamen est omnimoda comparatio inter actionem instrumenti ad mouentem, & inter Iudæos pugnantes, & Deum vires apponentem: nam instrumentum solum se habete in ratione passiui, nam non habet in se aliquod principium sui motus in quantum instrumentum, licet habeat principium sui motus, in quantum ens naturale, scilicet, lapis, vel ferrum, aut lignum: etiam quia instrumentum non habet aliquam cognitionem ad motum, vel operationem, sed ex sua motione passiua aliud ad quod applicatur sic, vel sic disponitur: Iudæi autem licet concordarent cum instrumento in eo, quod vires recipiebant à Deo, sicut instrumentum à mouente; tamen ipsi habebant in se aliquod principium sui motus: nam non se habebant totaliter per modum passiui, sicut instrumentum, sed per modum actiui cui vires augentur, etiam quia ipsi habebant cognitionem practicam ad hoc, scilicet, qualiter esset bellandum, quia tamen Deus eis tantas vires, & animositates posuit, cum quibus faciliter deuicerunt, sine quibus nullo modo vicissent, nec saltem aggressi fuissent, Deus agere dicitur hic, & sic pertinet hoc ad tertium modum actionis Dei, quando nihil per se agit, sed dat vires agendi alicui rei. *Et robur manus meæ.* Et non dicitur robur manuum mearum, quia agentes in bello duabus manibus agunt: respondetur, quod pugnantes duabus manibus pugnant, sed pugna est duplex quædam est defensiua sui ipsius, alia est offensiua alterius, & vtraque necessaria est in quolibet bello, & vna fit per vnam manum, alia per alteram geritu, manus dextra agit pugnam offensiuam, & manus sinistra pugnam defensiuam, quia sinistra est ad ferendum aptior vt portetur in ea Clipeus, vt ait Isidorus Etymol. lib. vndecimo cap. de homine, & partibus eius, licet Plato in sua politia admonuit debere fieri homines ambi dextros, vt ait Philosophus in 2. Politicorum cap. vltimo, in fine, quia ergo licet nos vtraque manu pugnemus, cum solum manu dextra pugnemus in hostem, per solam illam manum dicimur vincere hostes, & sic dicere poterant hic Hebræi, quod fortitudo manus suæ fecerat hæc omnia, id est, fortitudo solius manus dextræ qua pugnabant in hostem: sic frequenter in libr. Exod. cum fiat metaphora de Deo, tanquam de forti viro pugnante dicitur, quod eduxit filios Israel de Ægypto in manu forti, & brachio excelso, nominans solum vnum brachium, cum tamen vir fortis pugnet duobus brachiis quia ibi de solo brachio dextro intelligitur. *Vt impleret pactum suum, quod iurauit patribus tuis.* Vnde merito Abrahæ, & Isaac isti fuerunt introducti in terram promissam, quia Deus retribuit bene agentibus in mille generationes, vt supra quinto capitulo. *Sicut præsens indicat dies.* Ad superiora refertur, scilicet, quod Deus præstitit tibi vires ad faciendum opera fortia, scilicet, occidendo reges Amorrhæos & Madianitas, & Amalechitas: Exodi decimo septimo, Numer. 21. & 31. capitulo, & hoc nunc manifestum est, quia iam factum erat, sic ergo certissime de futuro promisso expectari debet. *Si autem oblitus fueris Dei tui, & secutus fueris Deos alienos.* Ista se

E

concomitantur, qui Deum verum quantum ad cultum, fidem, & memoriam derelinquit, Deos alienos immediate sequitur, quod nulla gens sine Deo est siue vero, siue falso. *Secutus fueris Deos.* Scilicet, quærendo ab eis in dubiis responsum, & faciendo quæ ipsi mandant. *Coluerisque illos.* Offerendo, vel thurificando. *Et adoraueris.* Te coram eis humiliando.

Nulla gens est sine Deo vero, vel falso.

Quæ sunt cæremoniæ, siue actus ex quibus quis cognoscitur idolatrare.

QVÆSTIO V.

ISTA duo principaliter prohibentur, scilicet, sacrificare eis, vel humiliare se coram eis, quia ista magis exhibentur Deo, & magis specialia sunt ei, quam aliqua alia: nam licet alia genera obsequiorum Deo fieri possint, tamen ista magis specialia sunt, quia alia communia sunt ei cum hominibus, & maxime primum quod est sacrificium, nam nullus vnquam hominum sacrificium obtulit, nisi vero Deo, aut illi quem tenebat pro Deo: signat ergo istud obsequium expresse Deitatem secundum intentionem ipsius offerentis: nam ex eo, quod offert dare, protestatur illum cui offert esse Deũ, licet non loquatur, adoratio autem est aliquid speciale multum pertinẽs ad Deum, nam licet homines adoremus, id est,

F

quia coram eis capita inclinamus, aut genua flectimus, tamẽ nõ eodem modo, sicut Deum adoramus, & ista adoratio magnam voluntatis affectionem notat, quam Deus super omnia à nobis exigit, vt patet Ioan. 4. ca. Deus spiritus est, & eos qui eum adorare debent, oportet in spiritu adorare: hoc idẽ patet Micheæ 6. cap. cum inquirit in quo Deus delectatur, & dicit, quid dignum offeram Domino, curuare genu Deo excelso, nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? nũquid placari potest Dominus in millibus arietum, aũt in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? indicabo homo quid sit bonum, & quid Dominus quærat à te, vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo, hoc vero vltimum signat magnam affectionem cordis nostri secũdum quã placatur Deus, quamuis ergo ista duo hic clare exprimantur solum, tamen non est intelligendum, quod omnia alia circa idola sint concessa: nam nihil quod aliquomodo redundat ad honorem alicuius de diis, quos gentes colũt, facere debebat: vnde si aliquis de Iudæis esset bonus politor lapidum, aut aurifex, vel argẽtarius, & daret sibi aliquis gentilis multas pecunias, vt sculperet aliquem Deum, vel faceret fusilem de auro, & argento, nullo modo facere debebat, etiam si totum mũdum ei daret, nec si eum non facientem occisurus

Pugna est duplex.

A

ciſurus eſſet, vel ſi aliquis pauper Iudæus eſſet, & darentur ei pecuniæ, vt emundaret templum alicuius Dei gentilis, facere nullo modo debebat: eodem modo textor Iudæus nō deberet aliquid texere pro honore, vel vſu tēpli idolorum, generaliter autem nulli Iudæo licebat aliquid agere, quod pertineret ad cultum Deorum gentilium, vel ſi ipſe ſciret ad illum eſſe applicandum. *Ecce nunc prædico tibi.* Id eſt, annuncio, propheto. *Quod omnino diſpereas.* Id eſt, quod totaliter deſtrueris, ita quod nihil de te remaneat, ſic dicitur ſupra 6. cap. ne quando iraſcatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de ſuperficie terræ. Sciendum tamen, quod non quandocunq; Iudæi auerterentur à Deo colentes idola Deus diſperditurus erat eos, ſed expectabat vtrum conuerterentur, & non fierent incorrigibiles, nō delebat eos totaliter, nam cum Iſraelitæ, tam decem tribus quæ vocabantur Iſrael, ſiue duæ quæ vocabantur Iuda, ſæpe coluerint idola, vt patet Exod. 3. & 4. Reg. & ex ſecundo libro Paralip. & in libris Prophetarum, ſæpius deleti fuiſſent, ita quod non remanſiſſet ex eis neq; vngula, tamen nunquam diſperdidit eos donec deſperata fuit plaga eorum: nam iſtum ordinem tenebat Deus in corrigendo eos, quod primo cum peccarent immitteret in eos famem; deinde hoſtes ſi non corrigerentur, quod ſi nec ſic hoſtibus vaſtantibus terram eorum corrigerentur, mittebat hoſtes qui ducerent eos captiuos extra terram ſuam, & ſi ibi conuerterentur, reducebat eos Dominus, vt patet ſupra 4. cap. & infra 30. vt fuit in captiuitate Babylonica, ſi autem rurſus peccarent, & indurarentur, diſperdebat eos Dominus, vt patet de captiuitate decem tribuum, quæ nunquam reditura erat, nec rediit, de quo Oſeæ duodecimo capitulo, ſic etiam de tribubus duabus Iuda, & Beniamin, poſtquam venerunt ad conſummationem malorum occidendo Meſſiam. Et poſtea expectati ad conuerſionem per quadraginta annos, aut amplius, & prædicantibus ibi Apoſtolis, & ipſis negligentibus verbum Dei, & blaſphemantibus illud, vt patet Actor. 13. cap. ſuperuenerunt Romani, & diſperdiderunt eos vſque in æternum, de modo iſtarum punitionum patet Leuit. 26. cap. in litera, & infra 28. cap. *Sicut gentes quas deleuit Dominus.* Quia iſtæ gentes ſic pro peccatis ſuis magnis perierunt, vt patet Leuit. 18. capitulo, ſed non pro idololatria: ſolum enim zelabat Deus crimen idololatriæ in Iudæis non autem in gentilibus, vt patet præced. capitulo, ſed alia peccata quæ forte non erant de ſe tantæ grauitatis, valde à Deo in gentilibus punita ſunt, vt concubitus maſculorum in Sodomitis Geneſ. 19. cap. & iſtas ſeptem gentes ad fornicationes varias prouocauit Eſaiæ 13. & 14. capitulo, & Hierem. 52. & mala multa contra Iudæos exercuit, ſic etiam Niniuitę perierunt, quia multum ſanguinem fuderant, vt patet Naum ſecundo & tertio capitulo, quodlibet autem iſtorum peccatorum minoris grauitatis eſt, quam idololatria, ſed nūquam legitur, quod Deus aliquos gentiles pro ſola idololatria puniuiſſet, & ratio eſt, quia concubitus maſculorum, beſtiarum, & perſonarum coniunctiſſimarum, vt patris, & filiæ, matris, & filij, & effuſio iniuſta ſanguinis manifeſtiſſime ſunt contra naturam, & ipſum, vt nullus de hoc dubitare valeat. De cultu Dei vnius, & cognitione eius, licet tantum naturaliter cognoſci poteſt, quantum ad ſalutem requiritur, ſcilicet, quia Deus eſt, & quia remunerator eſt, vt ad Hebræos vndecimo capitulo habetur, ita vt inexcuſabiles ſint, vt ad Roman. 1. quantum ad damnationem æternam, tamen non ſunt iſta ita clara, ſicut de vitiis carnalibus ſupradictis, ideo illa duplicem pœnam merentur, ſcilicet, æternam, & hic ſpecialiter temporalem, & hoc aliqualiter patet, quia nullam excuſationem habebant peccantes ſic carnaliter, & effundendo ſanguinem, ſed qui idola colebant, aliquam excuſationem, licet non ſufficientem habebāt dicentes, nemo nos conduxit Matth. 20. cap. id eſt, nullus Propheta, vel Angelus nos inſtruxit in tali cultu: Iudei autem nullam excuſationem circa idololatriam habebant, cum totiens præmonerentur: ideo in hoc peccato grauius quam in aliis puniebantur. Poteſt autem aſſignari alia ratio: Deus enim dicitur eſſe æmulator, vel zelator in Iudæis, & in nulla alia gente, vt patet ſupra ſexto capitul. cum diciuur, non ibitis poſt Deos alienos cunctarum gentium quæ in circuitu veſtro ſunt, quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui, id eſt, ſolum Deus in nobis eſt æmulator, vel zelator, & non in aliqua aliarum gentium, ſed in hoc non vetatur quin Deus puniat alias gentes, quia bene eas puniuit cum peccauerunt, vt ſupra diximus, ſed vocatur ſolum æmulator inter Hebræos, nam æmulator non ſignat vniuerſaliter punitorem, quia tunc eſſet ſenſus, quod ſolum in Iudæis Deus erat punitor, ſed æmulator idem eſt quod zelator, dicitur zelator qui zelum habet: zelus autem eſt amor priuatus nolens habere conſortium in amato, & iſte zelus pertinet ad coniuges, quia vir zelat vxorem ſuam, ſcilicet, quod vult ſolus ab ipſa amari, ita quod ipſa ipſum ſolum amet, & ei ſoli corpus ſuum cuſtodiat, nec vnquam viro alteri copuletur, ita Deus zelator dicitur, quātum ad cultum diuinum: nam ſicut coniux vult amorē coniugis, & corporis fruitionem ad ipſum ſolum ſeruari, ideo dicitur illud zelare; ita Deus dicitur zelare iſtum actum qui eſt colere, quia vult, quod nullus alius coleretur: hunc tamen zelum non habet ad omnes gentes, ſed ad ſolos Hebræos, & ratio eſt, quia eodem modo ſe habet Deus ad Hebræos, ſicut vir ad vxorem ſuam, ideo illa quæ zelat vir in ſola vxore ſua, zelat Deus pro tempore illo in ſolis Hebræis, & illa quæ vitari velit vir non ſolum ab vxore ſua, ſed etiam ab omnibus aliis, eadem punit Deus non ſolum in Hebræis, ſed etiam in aliis populis, zelat autem quilibet vir in vxore ſua hoc, ſcilicet, amorem, & corporis coniunctionem, quia vult, quod ei ſoli coniungatur, & eum ſolum amet de aliorum autem vxorihus non curat vtrum adulterentur: ſic etiam Deus iſtud, quod eſt colere eum ſolum, & non alios Deos zelat in Iudeis, talis namque eſt amor colentis ad eum quem colit, qualis amor viri ad vxorem, quia vterque eſt fruitiuus, licet non deberet hoc competere vtrique. Et ſicut in hoc ſolo actu vocatur mulier adultera, ſcilicet, ſi virum deſerens alteri commiſceatur, ita in hoc ſolo peccato dicebantur Iudæi fornicari, ſi idola colerent: in aliis autem non dicebantur fornicari, iſta locutio patet ſæpiſſime in Ezechiele, in Oſeæ, in Hieremia, & Eſaia: Deus ergo hoc peccatum in ſolis Hebræis puniebat, & zelabat, ſicut vir in ſola vxore ſua hoc zelat, ideo licet aliæ gentes colerent idola, Deus non puniebat eas, & ſic dicitur ſupra 6. cap. Deus æmulator, id eſt, zelator Dominus Deus tuus in medio tui, id eſt, ſolum zelat, & punit hoc peccatum in te, & in nulla alia gente, & ſicut vir quædam alia crimina non ſolum punit in ſua vxore, ſed etiam puniri vellet in aliis, tam viris quam vxoribus, vt homicidia, furta, & falſa teſtimonia, cæteraque ſimilia, ita ſunt quædam peccata quæ non ſolum punit Deus in Hebræis qui ſunt tanquam vxor eius, ſed etiam in omnibus aliis gentibus, vt patet de criminibus ſupra notatis, ſcilicet, coitibus maſculorum, & pecorum, effuſionibus ſanguinum, direptionibus pauperum, & in aliis in hunc modum, in quibus puniuit alias gentes ſupra nominatas, & puniturus erat Hebræos ſi in hoc delinquerent, ſic patet Leuit. decimo octauo capitulo, cum dicitur: omnes enim execrationes iſtas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerūt eam, cauete ergo ne, & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis, ſicut euomuit gētem iſtam quæ fuit ante vos. Quod autem Deus ſe habuerit ad Iudæos, vt vir ad vxorem patet, quia cum omnes populi ſint Dei, & ad eum pertinent, Deus ſolos Iudæos accepit ſpecialiter: tanquam vir accepit vxorem ſuam ſpecialiter dimittens omnes alias: patet hoc Exod. 19. cap. cum dicitur, ſi ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta, idem patet ſupra ſeptimo capitulo, & patet magis, quod iſta electio Dei, quantum ad populum Hebræorum fuerit quaſi accipere eos in vxorem, nam ſicut amor, qui eſt inter virum, & vxorem, vel inter virum & aliquam mulierem, quam ardentiſſime amat, dicitur conglutinare eos, ita dicitur Deus conglutinatus Hebræis: quod enim virum, & fœminam amor nimius conglutinet; patet Geneſ. 34. cap. cum dicitur, de Dina filia Iacob, quam cum vidiſſet Sichen filius Emor Euæi ptincipis terræ adamauit eam, & rapuit, dormiuitq; cum ea vi opprimens virginem, & conglutinata eſt anima eius cum ea. Deus etiam dicitur eodem modo conglutinatus Hebræis quaſi amator, vt patet infra 10. cap. cum dicitur en Domini cœlum eſt, & cœlum cœli, & terra, & omnia quæ in ea ſunt, patribus tuis conglutinatus eſt, & amauit eos: elegitque ſemen eorum poſt eos, clarius etiam patet hoc Oſeę 3. cap. vbi Deus dicitur deſpon-

B

C

D

E

F

Notandum.

Naturaliter de Deo tantū cognoſcitur, quantum ad ſalutē requiritur.

Quare in idolatria dicebātur Iudæi fornicari.

Quomodo Deus ſe habuerit ad Iudæos, ſicut vir ad vxorē.

desponsare sibi totum Israel, quasi vxorem cum dicit, & sponsabo te mihi in sempiternum,& sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide,& scies, quia ego Dominus, rationabiliter ergo debuit Deus zelare in Iudæis ea quę vir zelat in vxore sua, & punire ea quæ vir punit in ea, & hoc concludit totum, Amos capitulo tertio, cum dicit, audite verbum,quod locutus est Dominus super vos filij Israel, super omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens: tantummodo vos cognoui ex nomine ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras, scilicet,tam illas quas vir punit in sola vxore,quam illas quas vult puniri generaliter in omnibus.

CAPVT IX.

AVDI Israel. Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas, & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cœlum vsque muratas: populum magnum, atque sublimem filios Enachim, quos ipse vidisti, & audisti: quibus nullus potest ex aduerso resistere, &c.

AVdi. Supra posita fuerunt incitamenta ad amorem per benefacere,hic ponuntur incitamenta per peccata remittere.

Et primo ponitur error populi. Secundo reconciliatio Dei, capitulo sequenti, & tanguntur duo. Primo præmittitur quædam prælocutio. Secundo subiungitur peccatorum eorum historica narratio ibi. *Memento ne obliuiscaris. Tu transgredieris hodie.* Id est,in breui: non enim eadem die Iordanem transierunt, quia primo recitauit Moyses omnia verba libri huius:deinde mortuus est,& planxit totus Israel eum triginta diebus, vt patet infra vltimo cap. & post hæc interiectis aliquibus diebus transiuerunt Iordanem, vnde Moyses locutus fuit ista verba quadragesimo anno,mense vndecimo, die prima,vt patet supra primo cap.& transierunt Iordanem decimo die,mensis primi, vt patet Iosue 4. cap. fluxerunt ergo inter diem qua dixit ista Moyses,vsque diem qua transierunt Iordanem duo menses,& nouem dies. *Vt possideas nationes maximas.* Id est,terram maximarum nationum:non enim possederunt nationes, quia non erat eis licitum aliquem viuum dimittere, vt eum redigerent in seruitutem, Numeri trigesimo quarto,& supra 7.cap.

Et fortiores te ciuitates ingentes. Maximas in numero hominum : fortiores in robore corporum.

Et ad cœlum vsque muratas. Id est,altos habentes muros: hyperbole est : sic enim dicitur supra 1. cap. de terra Chanaam: vrbes magnæ, & ad cœlum vsque muratæ.

Quare sacra Scriptura sæpe vtitur figura, quæ dicitur hyperbole.

QVÆSTIO I.

VTITVR autem sæpissime sacra Scriptura ista hyperbole,& poetæ vtuntur ista figura,sic patet Alexandreidis libr.3.cum agitur de captione Cyri, & fœminis plorantibus,& dicitur,

Aurea fœmineus perstringit sydera clamor.

Id est,clamor mulierum accedebat vsque ad sydera:ratio autem quare vtatur sacra Scriptura ista figura est duplex.

Prima,vt imitetur modum loquendi vulgarem:nam si sacra Scriptura declararet res eodem modo, quo sunt, sæpissime nihil intelligere possemus, vt patet, quando loquitur de Deo, nam cum noster modus intelligendi multum sit differens à modo essendi eius, si ita Scriptura sacra per Spiritum sanctum protulisset res de Deo, vt sunt; nihil intelligeremus, quia vt ait Aristoteles, secundo Metaphy. oculus noctuæ, sicut se habet ad lumen Solis, ita intellectus noster ad ea, quæ sunt notissima in natura: decuit ergo, immo oportuit, quod sacra Scriptura conformaretur nostro modo intelligendi, & loquendi, sed nos per hyperbolem frequentamus, etiam sacra Scriptura vti debet ea.

Secunda ratio, quare sacra Scriptura vtitur hyperbole est ad commouendum animos, nam animus noster mouetur à magnitudine rerum auditarum, vt ergo sacra Scriptura interdum,nos commoueat ad attentionem,& cautelam malorum, vtitur hyperbole, & est hyperbole in sacra Scriptura, maxime in comminatione pœnarum, quia sæpe Deus comminatur acrius, quam postea puniat, sicut patet Lucæ decimo nono cap. quando Christus prædixit destructionem Ierusalem, dicens, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur, sed satis notum est, quod licet Ierusalem per Titum,& Vespasianum destructa fuerit, tamen aliqui parietes saltem manebant, in quibus erat lapis super lapidem, vel saltem in fundamento domorum, & magnorum ædificiorũ. Hic autem rationabiliter vtitur scriptura hyperbole: est enim hic vtraque ratio prima propter concordare modo loquendi vulgari: loquitur autem hic sacra Scriptura de se hyperbolice, quia sic locuti fuerant supra exploratores Israelitarum dicentes: vrbes magnæ,& ad cęlum vsque muratæ supra 1.cap.secunda ratio etiam est hic ad commouendum animos Israelitarum, nam vult distinguere scriptura inter ciuitates Ægypti, & ciuitates terræ Chanaan : ciuitates namque terræ Ægypti non habent fortes munitiones, neq; magnas, quia terra illa multum arenosa paucos lapides habet, & non possunt ibi fieri munitiones de lapidibus, sed oportet, vt fiãt de lateribus de cocto luto : sic enim filij Israel qui captiui tenebantur in terra illa,cogebantur ad opera durissima luti, & lateris : nam cum ædificia quæ de lateribus fiunt calce media cum arena ligari deberent, & in Ægypto lapides ad faciendum calcem rari reperiantur, oportet lateres luto inter medio ligare,& sic opus est fragilius,& non potest valde tendere in altum, quia lutum faciliter cederet tanto oneri, & soluerentur ædificia, non possunt ergo ciuitates terræ Ægypti habere fortes munitiones, & altissimas, sicut aliæ terræ fundamentum, patet Exod. 1. cap. vbi dicitur, quod filij Israel cogebantur ad opera durissima luti,& lateris, & non dixit lateris, & calcis, siue bituminis, quia in Ægypto talia, aut nulla, aut rara sunt ex ratione assignata, & de tali opere, & materia ædificauerunt filij Israel vrbes duas Pharaoni, quæ vocantur vrbes tabernaculorum,scilicet, Phiton,& Rameses: dicit ergo scriptura, quod munitiones terræ Chanaan non sunt ita paruæ, & debiles, sicut munitiones terræ Ægypti, quia terra Chanaan non est arenosa, sicut terra Ægypti, quia est temperatior, scilicet,in principio quarti climatis,& est terra mõtuosa, & campestris, vt patet infra vndecimo capitulo, ideo sunt ibi lapides multi ad construendas vrbes,& cætera ædificia. Et in hoc magna delectatio esse debuisset Israelitis, quia Deus certificabat eos de acquisitione terræ promissionis, quod cito intrarent in eam ad possidendam eam cum dicitur hic, tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas,& fortiores te,ex alia parte dicebat eis,quod illæ ciuitates essent pulchrę,& bene muratæ muris altissimis, gaudere ergo debebant,quia non intrabant quasi pugnaturi contra illas vrbes,sed quasi possessuri eas:si enim viribus suis pugnandum fore arbitrarentur, displiceret eis, tam fortiter esse munitas ciuitates illas, tanquam sic non possent eas bello subiicere, & etiam dicit sacra Scriptura istam terram esse muratam vsq; in cęlum,quia intendit ducere Israelitas in desiderium eius,& quia tunc desideratur magis res, cum magis laudatur, laudat illam terram sacra Scriptura, sicut autẽ laus alicuius terræ est esse fertilem in fructibus,& salubrem in dispositione aeris, & aquarum, ita laus ciuitatum est esse valde muratas, quia per hoc contra ciues hostes securi sunt, si autem Deus non laudasset istam terram Hebræis, cito ipsi negligerent eam: nam etiam postquam Deus laudauit eam,ipsi despexerunt eam pro nihilo habentes sic patet Psal.105. cum dicitur, & pro nihilo habuerũt terram desiderabilem, sic etiam patet Num.14.cap.cum dicitur, vtinam mortui essemus in Ægypto,& non in hac vasta solitudine, vtinam pereamus, & nõ inducat nos Dominus in terram istam, multum etiam laudauit Moyses istam terram supra 3.ca. vocans eam terram optimam, & scriptura vocat eam sæpissime terram fluentem lacte & melle,hęc autem vt illam gentem diffidentem ad desiderium beneficij sui, & reputationem inducat (atque sublimem) in staturæ proceritate,Num.13.cap. *Filios Enachim.* Id est, homines de genere Giganteo. *Quos ipse vidisti, & audisti.*

Laus terræ quid sit.

A Soli exploratores viderunt Gigantes in Ebron, vt patet Numer. 13. cap. de quibus solum duo, scilicet, Caleb, & Iosue supererant, alij enim decem illico perierunt, Numer. 14. ca. sed transfertur ad totum populum secundum regulam Ticonij. *Quibus nullus potest ex aduerso resistere.* Quia viribus robustissimi sunt, nullus eos audet expectare in bello, immo solo aspectu cæteros turbant: vnde Emim, id est, terrificantes nominabantur, sed istos Gigantes deleuit Caleb de Ebron, vt habetur Iosue 15. cap. *Scies ergo hodie.* Potest accipi hodie pro die in qua ista loquebatur, & tunc est sensus. *Hodie scies.* Id est, scire poteris ex præcedentibus Dei beneficiis, quod Deus transiuit ante te, potest accipi hodie pro tempore cito venturo, vt supra diximus, & tunc est sensus, quod hodie, id est, in die qua Iordanem transieris. *Scies, quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te.* Quia ibi demonstrabit miraculum, per quod patebit ipsum ante te transire, scilicet, diuidendo, & siccando Iordanem, vt Iosue 3. & 4. cap. *Ignis deuorans atque consumens.* Hoc ad hostes Israelitarum dicitur, quia Deus illos destruxit totaliter. Et vocatur ignis, quia nulla res est, nec elementum, nec elementa quæ tantum, & æquiuelociter consumat, Deus autem velociter ista operatus est in tantum, vt vna die à Iosue quinque reges, cum nimia multitudine penitus deleti sint Iosue 10. cap. *Qui conterat eos.* Id est, vulneret. *Deleat.* Id est, occidat. *Disperdat.* Id est, totaliter, vel multipliciter perdat, siue destruat. *Ne dicas in corde tuo.* Hoc est principium ad narrandum peccata Israelitarum, ne crederent se suis virtutibus illa attigisse. *Cum deleuerit eos.* Id est, postquam deleuerit. *Propter iustitiam meam introduxit me Dominus.* Nullus enim quantumcunque sanctus de hoc potest gloriari, quia licet aliquis gratiam habens possit per illam mereri vitam æternam, vel alia bona secundum Dei ordinationem, tamē illam gratiam à se non habuit, neque eam meruit: alioquin gratia non esset gratia ad Roman. 10. ca. ideo istam gratiam per quam meretur à Deo habuit, meritum ergo à Deo habuit, quare non poterit recte gloriari: ideo Apostolus in nullo gloriandum esse iudicat, nisi in infirmitatibus, 2. ad Corinth. 11. si gloriari oportet, quæ infirmitatis sunt gloriabor, ratio huius adhuc patet, quia gloria dicitur clara cognitio cum laude: laus autem est sermo explicans magnitudinem, quod quando de aliquo magna narrantur, tunc dicitur laudari: magnitudo est in aliquo qui vere magna facit: Hebrei autem nihil magnum fecerunt, nam si gentes fortes Amorrhæorum destruxerunt, non ipsi destruxerunt, sed Deus, & si contendant, quod ipsi manibus suis hoc egerunt, dicendum est eis, quod non fecerunt viribus suis, sed Deus donauit eis vires specialiter ad hoc, nam si relicti fuissent suæ naturali fortitudini, non potuissent delere, nec vnum ex Amorrhæis, quin potius ipsi ab Amorrhæis subito deleti fuissent, qui erant populi fortissimi: sic dicitur præcedenti cap. non diceres in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ mihi hæc omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum super quo iurauit patribus tuis: nihil enim laudandi sunt Hebræi cum magnum nihil fecerint, quia qui ab alio accipit, vel in virtute alicuius alterum vincit, gloriari non debet quasi ipse fecerit: sic ait Apostolus nihil habes, quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? laudes autem illi qui magnitudinem egit dādæ sunt, scilicet, Deo, qui vt ignis vorans, atq; cōsumens velociter contriuit, deleuit, disperdidit, vniuersas nationes has. *Cum propter impietates suas istæ deletæ inter nationes.* Id est, non fuerunt istę deletæ, vt tu introducereris, sed ideo tu introductus es, quia istę propter iniquitates suas delendę erant, Deus nunquam aliqnem destruit vt alium plantet, vel nunquam vnum deprimit, vt aliū eleuet, quia potest vno eleuato alterum eleuare, vel vno non destructo alterum plantare, quia potentia eius est infinita, Domini autem temporales hoc faciunt, qui habentes potentiam multum limitatam cum vnū hominem multum in potentia eleuare voluerint, aut multum ditare, vel honorare; necesse est, vt alios deprimant, & depauperent, nam tota potentia, & diuitiæ, & honor alicuius Domini temporalis in seruos suos sufficiēter distributa sunt, si ergo aliquem alium vult ditare, vel ad magnam potētiam, siue honores eleuare, cum non habeat aliqua alia præter ea, quæ seruis suis distributa erant, necesse est, vt vni tollat ad alteri largiendum, vnum deprimat ad alterum eleuandum.

B

Cur in nullo est gloriandum. nisi in infirmitatibus.

C

Deus nō destruit, vel deprimit vnum vt aliū eleuet, quia est potentia infinita.

D Et hoc est, quod obiicit Boetius contra pecunias in secundo, de consolatio. probans, quod fœlices non faciant, quia non faciunt vnum diuitem sine alterius paupertate, vt patet in Prosa quinta eiusdem, cum dicitur, at eadem, scilicet, pecunia, si apud vnum quanta est vbique gentium congregetur, cæteros sui inopes fecerit, & vox quidem tota pariter multum replet auditum, vestræ vero diuitiæ, nisi comminutæ in plures transire non possunt, quod cum factum est pauperes, necesse est faciant, quos relinquunt, o igitur angustas inopesque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniūt. Deus autem non est huiusmodi conditionis, nam est potentiæ infinitæ, ideo licet nunc multos diuites fecerit non depauperando istos, potest aliquo modo ditiores facere, quia diuitiæ eius nulla largitione exhauriuntur.

Infinitum quid.

Nam infinitum est, cuius quātitatem accipientibus semper est aliquid vltra sumere: huiusmodi sunt diuitiæ Dei, potest quotidie facere plures diuitias quam factæ sunt, & sic de honore, & potentia, & fama, & robore corporis, & acutie intellectus, nā ista multis distribueret, nihil tollendo eis, potest multo pluribus talia concedere, & sicut est de istis, ita est de gratia gratum faciente, quia licet eam multis dederit, adhuc potest multos alios gratificare, & sic Deus volebat dare Iudęis terram bonam, quia promiserat patribus eorum, ad hoc autem non erat necesse ei expellere populos Chananæorum de terra sua: nam illis non expulsis poterat Deus prouidere Iudæis de alia terra, ita bona, aut meliori, nullo alteri genti nocendo: nam potuisset deserta Arabiæ quæ sunt terra vastissima, & tunc inhabitata ex defectu aquæ, & indispositione terræ, facere optimæ complexionis, & abundantissimam in fructibus, ita quod Israelitæ optime ibi morarentur, & adhuc melius, quam in terra Chanaan, quia tamen Deus est infinite bonus, & ob hoc sibi soli competit, vt ex eo, quod malum est bona eliciat, vt ait Boetius, de consolat. libr. 4. Prosa 6. cum populi Chananæorum mererentur expelli de terra sua propter malitias suas, & Deus eos expulsurus erat atque deleturus, etiam si nullam aliam gentem ad terram illam introducere deberet, & tamen ex hoc malo, quod erat pœnale, scilicet, Chananæos expelli de terra sua, elicuit hoc bonum quod erat Israelitas introduci in illam, & ista est clara mentio literæ, scilicet, non enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terram eorum, sed quia illæ egerunt impietatem introeunte te deletæ sunt, ideo antequam iniquitates istarum completæ essent, Deus non expulit eas, nec tradidit terram Iudæis, sic patet Genes. 15. capitulo, cum promisisset Deus Abrahæ, quod in quarta generatione introduceret progeniem suam in terram illam, reddidit causam quare non immediate introducebat dicens: nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus, istas ergo Deus propter iniquitates suas expulit, te autem elegit, non quia tu bonus eras, sed quia sic iurauerat patribus tuis, impietates autem istorum fuerunt carnalia vitia enormia, Leuit. 18. cap. *Non enim propter iustitias tuas.* Id est, propter opera tua iusta.

E

Deus ex malo bonū elicit & hoc soli ipsi competit.

F

Et æquitatem cordis tui. Id est, rectitudinem voluntatis interiorem ad bene operandum, in his duobus omne bonum opus perficitur, scilicet, in bona, & recta voluntate, & debita executione.

Quibus perficitur opus bonum.

Vt compleret verbum suum. Quasi dicat, gentes istæ delendæ erant propter peccata sua, & quia terra vacua manere non debebat, aliqua alia gens introducenda erat. Quare autem te magis quam alias gentes introduceret, non fuit, quia iustior eras, sed vt Deus compleret, quod iurauerat patribus tuis.

Inobedientia, quomodo maior quocunq; vitio. Et obedientia virtus excellentissima.

Cum durissimæ ceruicis sis. Id est, valde inobediens: non enim voluisti Deo recte subiici. Et arguit sic Moyses, quodlibet malum facit hominem iniustum esse, quanto magis ceruicis duricies. Est enim inobedientia quocunq; vitio maior, quia idololatriæ comparatur, primo Regum decimo quinto cap. melior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere: est enim obedientia excellentissima virtus: inobedictia enim inter vitia maximum est per regulam oppositorum habituum. Est enim obedientia virtus, quā Philosophus

quinto

A quinto Ethicorum, iuſtitiam legalem vocat, quam dicit omnes virtutes excellere, ſicut lucifer omnia caſtra, & ratio, quia quælibet virtus proprium actum habet, vt temperantia circa delectationes, & triſtitias: fortitudo circa timores, & audacias, & ſic conſequenter de aliis virtutibus, iuſtitia autem legalis omnium virtutum actus habet, & per eam non fornicamur, non maledicimus, non rapimus, non occidimus, non dimittimus ſcutum in bello, & aliter omne bonum facimus, mala cuncta fugientes, quia lex omnia mala vetat, & cuncta bona imperat, ſcilicet, non fornicari, non lædere, non dimittere ſcutum in bello, vt patet 5. Ethicorum eodem modo per obedientiam omnia mala cauemus, & bona inſequimur, quæ in lege Dei conſcripta ſunt, differt autem obedientia, ſiue iuſtitia legalis ab aliis virtutibus ſecundum id, à quo operationis regulatio principaliter eſt: ſi enim aliquis det eleemoſynam, quia recta ratio ſecundum habitum liberalitatis inclinat eum ad dandum, ſecundum liberalitatem operatur, & ſi ab illicito delectabili abſtineat, quia ſic ratio recta iudicat voluntate inclinante temperatus, vel continens eſt, ſi autem eleemoſynam, quia lex mandat pauperi ſubueniri, & abſtineat à delectabili illicito, quia lex mandat non fornicari obediens, ſiue iuſtus legaliter eſt, idem modus aſſignabitur in actu manſuetudinis, fortitudinis, & cæterarum virtutum: ideo inobedientia idololatriæ comparatur, quia idololatria omnia mala radicaliter continet, ſicut inobedientia, vt 1. Re. 15. c. de nullo alio vitio legimus, quòd idololatria cõparetur.

B

An iuſtitia legalis ſit obedientia totius legis. Et quomodo intelligatur. Et quæ ſit comparatio inter iuſtitiam legalem, & obedientiam.

QVÆSTIO II.

DICTVM fuit hic, quòd iuſtitia legalis eſt obedientia totius legis, quod quidem non eſt ſimpliciter verum, nam ſi intelligatur hoc, quantum ad ipſos ſubiectos legi, verum eſt aliquo modo, & non totaliter, nam multa per iuſtitiam legalem volumus, quæ non ſunt ſcripta in legibus, quãdo tamen daretur perfecta legiſlatio in ſubditis, non oportebat eſſe prudentiam, ſed ſolam obedientiam, vt ait Ariſtoteles in tertio Politicor. ex quo videtur, quòd quando eſt perfecta legiſlatio, ſicut ſemper eſt, quod ſubditi non ſolum indigent obedientia ad faciendum bonum, ſed etiam prudentia, quia aliqua bona ſunt, quæ ſunt extra legem: etiam ad quæ tamen dirigit iuſtitia legalis.

De prælatis autem, & dominis manifeſtum eſt, quod non eſt in eis idẽ obedientia, & iuſtitia legalis, quia obedientia nõ debet eſſe in eis, cum obedientia ſit reſpectu alicuius maioris.

C Aliqui tamen voluerunt, quod iuſtitia legalis ſimpliciter eſſet obedientia totius legis: lex enim omnia bona præcipit, vt patet quinto Ethicorum, cum aliquis agit aliquod bonũ, quia mandat lex, vocatur iuſtus legaliter, & iſto modo actus omnium virtutum poſſunt cadere in iuſtitia legali, ſi autem aliquis non fornicetur, quia turpe eſt, ſolum temperatus eſt, ſi autem non fornicetur, quia lex vetat fornicari, obediens eſt, & hoc tenet aliqualiter Franciſcus de Mayronis ſuper tertium ſummarium. Sed non proprie dicitur, quòd iuſtitia legalis ſit obedientia. Primo, quia iuſtitia legalis eſt amplior, & nobilior quam obedientia, amplior quidem, quia obedientia ſolum extenditur, quantum ad ea quæ in lege ſcripta ſunt, vel à rectore politiæ mandantur, iuſtitia autem legalis comprehendit omnem actum humanum: nullus eſt enim actus, ſiue de quo data eſt lex, ſiue de quo non eſt data, quin ad bonum commune ordinare non poſſumus, ad plura ergo valde iuſtitia legalis quàm obedientia eſt. Item ſecundo, quia iuſtitia legalis eſt nobilior, altior, & perfectior quam obedientia, quia nobilior, & perfectior actio eſt diligere, quam obedire, patet quia obedientia eſt diſpoſitio ad finem, finis autem fruitionis in ipſo amore conſummatur, ſed iuſtus legaliter facit omnia quæ communitati expediunt, non quidem, quia lex mandat, quia dato, quòd lex non mandaret faceret, ſed quia ſunt bona, & vtilia communitati, inquantum diligit communitatem, obediens autem ſolum aliquid agit, quia lex mandat, vel ipſe rector politiæ, ergo perfectior eſt iuſtus legalis. Item ſi iuſtitia legalis eſſet obedientia omnium legum, non eſſet finis legalis iuſtitiæ bonum commune, ſed obedire legi, & licet obediendo legi faceret ad bonum commune, quia lex recta quæ non eſt apoſtediaſmenos ordinat omnia in bonũ commune, vt ait Philoſophus in 5. Ethicorum, in princ. intentio tamen facientis eſſet per ſe ad obedire legi, per accidẽs autem ad procurare bonum commune, ſed contrarium vult Philoſophus in 5. Ethic. nam dicit, quod iuſtitia eſt ad bonũ commune alterius, & particularis iuſtitia directe eſt ad bonũ alicuius particularis. Iuſtitia legalis eſt directe ad bonum commune, & per ſe, ergo non debet primo intendere obedire legi, ſed bonum commune. Item patet hoc, quia iuſtitia legalis dicitur precioſiſſima virtus inter cæteras, ſicut lucifer & heſperus inter ſtellas, vt patet 5. Ethi. in princip. & hoc eſt, quia eſt de maximo bono, cum aliæ virtutes intendant quædam bona particularia, ſed intendere bonum commune eſt maius bonum quam obedire legi: ergo iuſtitia legalis eſt de communi boni, & nõ eſt obedientia. Antecedens patet, quia lex poſita eſt propter bonum commune, cum ſit quædam menſura, vel regula directiua actuum humanorum in bonum commune, vt eſt de ſe nomen. Et patet ſæpe in 5. Ethic. niſi ſit apoſtediaſmenos, id eſt, lex poſita ſine ratione, quæ propriè nõ vocatur lex, ſed finis ſemper eſt nobilior his quæ ad finem, vt patet in Prologo 1. Eth. ergo bonum commune erit maius bonum quam obedientia legis, & ſic nõ debemus procurare bonum commune, vt obediamus legi, ſed obedire legi, vt procuremus bonum commune. Item patet hoc clariſſimè, quia iuſtitia legalis eſt propria virtus principis, cum ipſe ſit perſona publica, & ſicut alij ſe habent ad bona particularia, tanquam ad bona propria, & adæquata, ita princeps ſe habet ad bonum commune, tanquam ad bonum propriũ, & adæquatum ei, ſed princeps nullam obedientiam habet, quia legibus ſubiectus non eſt, vt patet inſtituta quibus modis teſtam. infirmantur. §. vlti. vbi dicitur, diuus Seuerus, & Antoninus ſæpius reſcripſerunt, licet legibus ſoluti ſumus, legibus tamen viuimus, non ergo pertinet obedientia legalis ad principẽ, ergo non eſt obedientia legis iuſtitia legalis, quæ maxime ad principem pertinet. Si ergo dicatur, quòd iuſtitia legalis eſt obedientia totius legis intelligendum eſt, vt ſupra declarauimus. *Memento ne obliuiſcaris.* Hic ponitur ſecundum, ſc. peccatorum eorum hiſtorica narratio. *Quomodo ad iracundiam prouocaueris.* Peccare enim malum eſt, ſed memoria peccati bona eſt, quia humiliorem, & cautiorem hominem reddit, ideo aliquando Deus ſuos cadere permittit, vt meliores fiant, alicui indirectè magis cecidiſſe profuit quam ſtetiſſe alteri: qui enim ſtetiſſe ſe meminit, aut torpore deficit, aut inani gloria cadit, niſi Dei gratia ſpecialiſſima teneatur. Petro enim magis Chriſtum negaſſe quam non negaſſe profuit licet negare malum eſſet, quia teſtatur Euangeliũ, quod poſt negationem amare fleuerit: alij autem Apoſtoli Chriſtum patientem flebant, Petrus autem ſe miſerrimum peccatorem Chriſtum negaſſe inextimabiliter dolebat, & tam valde præcordijs eius doloris ſenſus immerſus eſt, vt quamuis poſt Chriſtum viderit, & Spiritu ſancto repletus fuerit, vſque ad mortem quotidianus ei mœror manſerit, vt teſtatur beatus Clemens in itinerario. Qui autem peccauit, & ſe peccauiſſe oblitus eſt, omnium peſſimum eſt, quia ex obliuione peccati ſe iuſtis æqualem facit, magnam ergo oportet peccatorum manere memoriam.

D

Dictũ pulcherrimũ Cæſarum.

Memoria peccatorũ manere debet.

E

F

Quando memoria, & recordatio peccatorum eſt bona, & quando eſt periculoſa. Et diſtinctio peccatorum elegans. Et quatuor mirabiles regulæ circa hoc. Cautelæ etiam adduntur prudentiſſimæ, quo ad recordationẽ eorum, quæ ad delectationem guſtus, & venereorum pertinent.

QVÆSTIO III.

DE memoria autem peccatorum diſtinguendũ eſt, quia recordari peccata ad quotidie deplorandum ea ſimpliciter bonum ſit, tamen in memoria quorundam peccatorum periculum magnum eſt. Ideo ſciendum, quod peccatorum quædam ſunt, circa tranſgreſſionem rationalis, quædam circa tranſgreſſionem irrationabilis, quædam circa tranſgreſſionem irraſcibilis, quædam circa tranſgreſſionem cõcupiſcibilis. Circa tranſgreſſionem rationalis vis datur re-

A gula generalis, quia omnia peccata facta per transgressionem rationalis vis debent tradi cõtinue memoriæ, nec est aliquod periculum in sæpissime memorando ea: dicuntur peccata facta per vim rationalem illa, quæ fiunt in tali materia circa quam, nec intendit concupiscibilis, nec irascibilis, nec est nobis talis materia communis cum pecoribus, vt circa amorem Dei, circa cultum eius, circa honorem parentum, circa desiderium sciendi, circa appetitum famæ & honoris, nam ad ista nullo modo attingunt bestiæ, sed soli homines, circa omnes istas distinctas memorias contingit errare, & bene agere. Est tamen fundamentum circa istam materiam de memoria peccatorum, quod memorari peccata semper valde bonum est, nisi ex materia peccati reincidamus in illud. Dantur ergo propter hoc 4. regulæ, scilicet, quando ex memoria est periculum reincidendi, & quando non, prima est quam diximus de peccatis factis per transgressionem vis rationalis, quod memoria talium peccatorum nunquam est periculosa, vt si aliquis peccauit diligendo magis temporalia quàm Deum, non est periculosum, quòd continue recordetur de illo, vel si peccauit cõtra cultum, vt si coluit idola, vel obseruauit auguria, vel de Deo male credidit, vel nomen Dei blasphemauit, vel in nomine eius periurus fuit, vel sacram Scripturam corrupit, vel scientiam cecromanticam, aut aliam prohibitam desiderauit, aut honorem indebitum concupiuit, aut se de aliquo iactauit, aut charitati fraternæ, vel bonis proximi

Prima regula.

B inuidit, vel parentibus non obediuit, & sic de infinitis in hũc modum quorum omnia sunt per transgressionem vis rationalis, memoria istorum vtilis est, quia sic conterimus, nec est aliquo modo periculosa, quia ista non sunt talia quæ secundum se sint delectabilia, & possint peruertere iudicium, & sic beato Petro semper profuit memoria negationis Christi: nam Christum negare pertinet ad transgressionem vis rationalis: nam per solam vim rationalem Christus cognoscitur, & per eandem solam Christus negatur, profuit autem, quia quotidie Petrus memorans se tam enorme delictum, quod magis scelus atque sceleſtissimum est, commisisse, inconsolabiliter dolebat, & erat ei continuus planctus, ac si Christum coram se semper videret morientem, & seipsum quotidie detestabatur viliorem bestiis se existimans, qui suum benignissimum redemptorem instincto ore abnegasset. O beate Senex ac per hoc cæteris Apostolis dignior, & ipsi Christo quẽ negauerat acceptior, & fœlices illę lachrimæ quæ eum ad tantum dignitatis gradum extulerunt. In memoria huius sceleris nullum periculum erat, quia non poterat apparere delectabile ipsi peccanti, vt rursus ad talia laberetur. Circa transgressionem quæ fit per vim irascibilem est dicendum, & sic secunda regula, quòd memoria peccatorum pertinentium ad irascibilem nunquam est periculosa, sed semper vtilis, dicuntur peccata facta per vim irascibilem illa, quæ fiunt

Apostrophe in principis Apostolorũ laudem.

C insurgente passione iræ, vt occidere, percutere, maledicere, detrahere, falsum testimonium dicere, infamare, & simila: si enim aliquis occiderit alterum, & semel doleat occidisse, nõ est periculosum quod semper, & continue memoretur illam occisionem, quia semper illa apparebit, vt mala, & detestabilis, nec per memoriam eius deducitur homo ad desiderandum facere ea iterum, quia ista non possunt apparere bona cum secundum se sint mala, licet appareant bona propter alterum ipsi irato qui intendit vindicare iniuriam, vel contẽptum, sedato autem animo à passione iræ, & cessante causa priore quandocunque talia in memoriam euenerint, iudicabuntur mala atque detestanda, eadem ratio est in periurum esse, percussisse, infamasse, falsum testimonium dixisse, & sic de cæteris in hunc modum, quæ pertinent ad irascibilem: nam in illis nullum periculum est recolendo ea. Circa transgressionem quæ sit per concupiscibilem est distinguendum, nam quædam sunt quæ concupiscuntur, & sunt spiritualia, vt honor, scientia, fama, fauor populi, potentia, & sic de aliis, & concupiscentia istorum non pertinet ad vim concupiscibilem, quia vis concupiscibilis, & irascibilis sunt nobis communes cum bestiis, sed nulla bestia desiderat honorem, scientiam, famam, potentiam, & similia, desiderium ergo istorum non pertinet ad vim concupiscibilem, sed ad appetitum ratiocinatiuum qui est spiritualis, & sic peccare in talibus fit per transgressionem vis rationalis, & non concupiscibilis, ideo reducuntur ad primam regulam de transgressione ratio

Secunda regula.

nalis vis. Alia est concupiscentia quæ est ad res corporales, & ista est duplex, quędam ad res vtiles, alia ad delectationes, prima quæ est ad res vtiles secundum quid pertinet ad rationalem, & aliquo modo ad concupiscibilem, sed magis ad rationalem: nam sicut desiderare potestatem, & dominium pertinet ad vim rationalem, ita desiderare dominium super res quæ possunt possideri, pertinet ad rationalem, & patet, quia sicut bestiæ non desiderant honorem, vel dominium ad inuicem, ita nec desiderant aliquid possidere, nec quicquam possident cum nesciant quid sit quicquam possidere, aliquo tamen modo ista concupiscentia pertinet ad vim concupiscibilem, inquantum pleraque de vtilibus coincidunt cum delectabilibus, quæ proprie pertinent ad vim concupiscibilem. Circa primum horum, sc. circa transgressionem, quæ fit per concupiscibilem rerum vtilium, est quando aliquis furatur, vel violenter rapit, aut per vsurarios contractus, aut symoniacos, aut quascunque alias extorsiones acceperit ab altero aliquam de rebus possessis, & tunc fit 3. regula, quod memoria peccatorum quæ fiunt per transgressionem concupiscentiæ rerum vtilium nunquam est nociua, sed semper fructuosa, ideo si aliquis rapuit bona alterius, & sæpe postquam semel pœnituit, recordatur de illo furto, vel rapina, aut aliis fraudibus, magis dolebit, nec est periculum aliquod, quòd per huiusmodi memoriam inclinetur ad faciendum iterum tale malum, quia non proponitur in ratione talis delectabilis, quòd immediate alliciat ad agendum. Circa transgressionem quæ

Terti regula.

E fit per concupiscentiam delectabilis datur 4. regula, quòd memoria peccatorum per transgressionem in delectatione tactus, & gustus est periculosa, sc. quòd per talem memoriam facile ille qui memoratur, potest incidere in peccata priora, ratio diuersitatis est inter ista, quia illud malum, quod apprehenditur per transgressionem rationis, vel malum quod apprehenditur per transgressionem irascibilis, non sunt talia quæ apprehensa moueant ad fruendum ipsis, ideo etiam si aliquis recordetur eorum, non mouetur ad operandum secundum illa, irascibilis namque mouetur ad prosecutionem iniuriæ, qnon est bonum secundum seipsum, immo durũ, & terribile, sed mouetur per tristitiam, quia omnis iratus agit tristatus, vt ait Arist. 6. Ethi. & tristitia pro tunc agit apparere bonum id, quod non est, vnde si illius vindicta proponatur alio tempore in quo non sit motus iræ insurgens ex iniuria, vel contemptu, iudicabit malum esse prosequi vindictam. Delectabile autem quomodocunque proponatur, mouet ad delectationem, & fruitionem sui, cuius fundamentum est, quia totum bonum, & fœlicitas cuiuslibet hominis, aut alterius animalis consistit in quadam delectatione, delectationes autem sunt diuersæ, quia quædam sunt secundum intellectum, quas vocat Arist. delectationes secundũ Philosophiam, vt patet 2. Polit. aliæ sunt delectationes secundũ corpus, quæ sunt in actu cuiuslibet potentiæ, quælibet namque potentia bene dispositia habens obiectum perfectum à quo

Quarta regula.

F immutetur, habet delectationem in illa immutatione, ideo visus in videndo delectatur, auris in audiendo, gustus in gustando, tactus in tangendo, delectationes autem tactus, & gustus sunt grossiores delectationibus aliarum potentiarum, & communiores nobis cum bestiis: nam bestiæ solo tactu, & gustu delectantur, licet cæteras potentias habeant, vt declarat pulchræ Arist. in 3. Eth. c. de temperantia homines etiam communiores habent inter se istas quàm cæteras: nam ex natiuitate incipiunt delectari secundum gustum sumentes cibum, & consequenter in cibis, potibus, & tactibus succedẽte ætate, ex quo concludit Arist. in 7. Ethi. c. vlt. q delectatio est summum bonum cuiuslibet rei, quia omnes res inclinantur in delectationem, & omnia agunt propter delectari, licet non sit eadem delectatio omnibus, quia tamen communiter delectationes tactus, & gustus sunt magis corporales, & magis notæ, has solas desiderant cum dicit, & persequi autem omnia, & bestias, & homines delectationem signum quoddam eius, quod est esse aliqualiter optimum, ipsa fama autem non omnino perditur quam populi multi famant, & postea subiungitur, sed assumpserunt nominis hæreditatem corporales delectationes propter, & plures inclinare in ipsas, & plues participare ipsas, propter igitur solas cognitas esse has solas existimant esse. Patet ergo ex his, quod delectabile, quod est in tactu, & gustu, cum apprehenduntur mouent ad

Delectatio est cuiuslibet rei summũ bonũ.

fruitio-

A

fruitionem sui, cum ipsa accipiantur, vt maxima bona fruibilia, id autem in quod tendit irascibilis non est aliquid fruibile, ideo non, ita mouet, sicut delectabile: nam ad prosecutionem vindictæ solum mouemur existente motu iræ, & si proponatur nobis prosecutio vindictæ non existente motu iræ non mouebimur, proposito autem delectabili, siue habeamus passionem actualiter insistentem, siue non habeamus, mouemur ad fruendum illo: nam si passio est ipsa impellit, si autem non est delectabile ipsum confestim mouet eam ex fundamento supra posito. Et ex hoc infert Philosophus correlarium in 7. Ethic. in ca. de comparatione concupiscibilis, & irascibilis, scil. quod ira audit rectam rationem, vel phantasiam syllogizantem, scilc. quia audit primum syllogismum in quo concluditur, quod debet sumi vindicta, sed non audit secundum in quo debet concludi qualiter sit sumenda, & quantum, & propter hoc errat, vt latius declarauimus Exodi 20. cap. concupiscibilis autem nullo modo audit rationem, vel phantasiam syllogizantem, sed immediate vt proponitur, siue per phantasiam, siue per rationem, quod aliquid est delectabile, mouet ad fruitionem. Omnia supradicta communia sunt quantum ad delectationem tactus, & gustus: nam vtraque mouet ad fruitionem, & vtriusque memoria periculosa est, sed magna differentia inter ista est, quia recordatio circa peccata quæ sunt in transgressione gustus, non sunt ita periculosa, sicut peccata per transgressionē tactus, quia quantocunq; aliqua delectatio est maior, tanto magis mouet, delectatio autem quæ est in tactu, sci. quantum ad actus venereos fortior est quàm ea quæ in gustu, & sine aliqua comparatione magis mouet quam delectatio quæ est in gustu, patet enim in amantibus, quia amantes fortissime maxime illi qui habent amorem hæreos quæ est quædam passio de qua late diximus Gene. 34. cap. isti namque amando deficiunt, & frequenter moriuntur, amor namque fortissimus est, vt ait Seneca in tragædia. 4. quæ incipit Hyppolitus, tragædia septima, quæ incipit Medea, de quo late diximus Gen. 29. cap. desiderium autem alicuius cibi qualitercunq; ille apparatus sit non cogit hominem deficere, dum tamen homo habeat alia quæcunque grossa cibaria quibus vescatur, multæ quoq; alię fortitudines, & difficultates sunt in hac concupiscentia venerea, quæ non sunt circa delectationem tactus, & gustus, de quibus longum esset hic cuncta congerere, sed in multis locis particulatim dictum est, immanere ergo cogitationi alicuius istorum valde periculosum est: nam immediate, vt apprehenduntur, concipiuntur, vt per se bona, & mouent ad suam fruitionem, vnde contingit, quod illequi recordari volebat eorum, vt doleret, versa vice incipiet delectari, & assurgere in eorum desiderium. Si ergo aliquis peccauit in transgressione circa delectabile, quod est in gustu vescendo cibariis multum delicatis, & apparatis, & nimis saporosis, recordari istorum satis magnus labor est, & si recordatio fiat, debet esse cum magna cautela quantum ad duo, scilicet, quantum ad recordationem circunstantiarum particulariū, & quantum ad immansionem diuturnam, vel non diutnam talis recordationis primum est, quod cum voluerimus recordari de peccato facto circa talem delectationem gustus, quod non recordemur, vel non inquiramus particulariter omnes circunstantias illius delectationis, scilicet quod non recordemur de omnibus apparationibus talium ciborum, vel potuum, nec recordemur, quomodo delectabamur quando sumebamus tales cibos, aut potus, vel quomodo nobis erat ad superabundantiam, vel quotiens assumebamus: nam ista particulariter considerata multum mouent appetitum ad fruitionem, si ergo voluerimus recordari talis peccati ad dolendum de eo, solum oportet sic recordari, quod grauiter peccauimus, assumendo cibos illicitos tempori, vel personæ, & sic transire. Secundum attendendum circa hoc est, vt non immoremur multum tali memorationi: nam dato, quod solum consideremus vniuersaliter, si longa memoratio est, reducet nos ipsum delectabile ad considerationem particularem, & tunc stabit inconueniens, quod ante, sæpe namque etiam nobis nolentibus recordari de talibus delectationibus insurgit ipsa cogitatio propter fortem impressionem quæ in phantasia est, & tunc, aut nos fortiter tribulant, aut confusibiliter superant. Sic dicebat Maria Ægyptiaca, quæ cum stetisset 29. annis in deserto habens secū solos tres panes, qui duri erant versi quasi in naturam lapidis, ita vt essent incomestibiles, & carens vestibus tot annos patens ardenti soli, & gelido aquiloni, durissimos toleraverat labores, & tamen post hæc omnia insurgebat ei cogitatio de delectationibus cibi, & potus, quas habuerat in Ægypto sic dicitur in libro qui de vita eius metrice scriptus est:

Pisces Aegypti humique cupido relicti
Me miseram tangunt, & ea vehementius angunt.

Circa transgressionem peccatorum per transgressionem actuum venereorum adhuc maior cautela adhibenda est, cum maius periculum sit, vt supra probatum est, & in hoc dicendum est, quod memoria qualiscunque in viris adhuc potentibus, & in iuuenibus, qui adhuc fortes stimulos sentiunt, satis periculosa est: difficile est enim, quod non delectemur in eo, quod nobis delectabile est, si ad memoriam reduxerimus, ideo illis qui adhuc fortes stimulos sentiunt, licet de malis præteritis pœnitere incipiant, consultius atque melius esset, non reducere ista peccata ad memoriam, & si velint dolere de malis commissis, doleat de aliis malis, & non de istis pro tunc: nam satis superque satis eis est labores tolerare insurgentes ex ipsa concupiscentia per seipsam nullo reducente eam ad memoriam, quanto magis si nos ad memoriam reduxerimus? Si autem aliquis sit taliter dispositus forte per labores nimios, & abstinentias fortes, quæ carnis edomant igniculum, vt à memoria talium cito non superetur, adhuc distinguendum est. Quia istud peccatum actus venerei aliquando fuit per fortem amorem, aliquando per paruum, aut nullum. Pro quo considerandum, quod aliquando homines mouentur ad actus venereos, ad solam expletionem libidinis, scilicet ad captandam delectationem quæ est in actu venereo, & extinguendum, vel mitigandum illum stimulū cruciantem, & non se determinant ad aliquam certam fœminam, sed quæcunque apponeretur, in qua posset expleri libido sufficeret, & amplius non curarent, & tunc amor nullus est qui est affectio ad aliquam personam sub ratione talis delectabilis venerei: & hoc etiam non est forte, nam pro tali desiderio non multum homo cruciatur, nec apponeret se ad magna pericula. Aliquando mouetur homo ad desiderium actus venerei, & non indistincte, scilicet ad explendam libidinem cum quacunq;, sed ad certam personam quæ apprehenditur sub ratione magni boni, & magni delectabilis, ita quod illa persona amatur sub isto amore, & si alia quæcunque apponeretur non moueretur in illam, immo displiceret, & tunc est hoc quoddam terribile, quod omnia frangit, omnia destruit omnia domat, viros quoq; ipsos fortes ad veras compellit lachrymas, & facit eos torpere atque deficere, & ad nihil vtiles esse, vt patet de viro Gallo diligente & deficiēte in amorem illius, de quo multa pulchra, & tenera, Virgilius in libro Bucolicorum ecloga decima, quæ incipit.

Extremum aretusa mihi concede laborem.

Idem patet de Achille qui ardens amore Polixenæ cum esset in bello Troiano iacebat in lecto pulsans musica instrumenta, cum esset fortissimus vir dimittens alios ire ad bellum, cū sine ipso nihil proficerent, de quo Ouidius in libro Epistolarum in Epistola Briseidis ad Achillem quæ incipit,

Quam legis à rapta Briseide litera venit.

Amor iste vrit, laniat, & fortes viros ad indigna officia subiicit, vt patet de Hercule viro fortissimo, qui propter amorem Ioles filiæ regis Ætholiæ seruitia puellaria fecit nendo, & domum verrēdo, & se vestibus muliebribus induendo, de quo Ouidius in libro Epistolarum Epistola Deianiræ ad Herculem quæ incipit,

Gratulor Aetholiam titulis succedere nostris.
Victorem vitæ succubuisse queror.

Idem patet per Ouidium, in libris Fastorum, de hoc meminit Ioannes Bocatio de Cetaldo in libro de casu, & ruina Principum, & Seneca tragædia 4. carmine. 3. quod incipit:

Diua non vti.

Et dicit:

Natus Alcmena posuit pharetras:
Et minas vasti spolium Leonis.
Passus aptari digitis smaragdos:
Et dari legem rudibus capillis.
Crura distincto religauit auro:
Luteo plantas cohibente socco.

Et ma-

Nota de ira.

B

C

Nota cautelas in recordatione peccatorum gustus, & voluptatis.

D

Patet hoc & ex Epistola Hieronymi ad Eustoch.

E

F

A

Et manu clauam modo qua gerebat.
Fila deduxit properante fuso.

Sicut hoc viris intolerabile malum ad omnia eos impellit, ita fœminę si talem amorem conceperunt ad fortia opera, & supra earum conditionem efferuntur, patet de Phedra amante Hyppolitum, vt ait Seneca tragædia 4. in tertia parte carminis. 4. quæ incipit,

Quis me dolori, Cum diceret ipsa:
Me, vel sororem Hyppolitem, vel famulam voca
Famulam potius omne seruitium feram
Non me per altas ire si iubeas niues
Pigeat gelatis ingredi pindi iugis
Non si per ignes, & infesta agmina
Cunctis paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra me famulum accipe.

Circa ista duo ergo licet vtriusque periculosa sit memoria, valde tamen distant: nam memoria actus venerei primo modo qui ad solam libidinem explendam fuit, quia amorē nullum habuit incitantem, non est ita difficile memorari, vt si quis recordetur se peccauisse cum meretrice, ad quam amor nullus est, nisi libidinis solius causa explendæ, non erit valde difficile. Nisi forte cum actus iste memorandi aduenisset, ipse qui eum habet, passionatus existeret, quia tūc ad quodlibet facillime cadit. Ideo generaliter cauendum est, vt quandocunq; aliquis qui vult pœnitere de actu illicito venereo,

B

habuerit passionem concupiscentiæ actualiter insurgentem, ne reducat ad memoriam delicta sua per actum venereum perpetrata qualitercunq; illa fuerint: nam putans se per hoc reducere ad dolorem magis inducet sibi concupiscentiam: nam si contra eam quæ nobis nolentibus insurgit, pugnare non possumus, quanto magis contra illam quæ à nobis voluntariis inducitur? Sunt etiam considerandæ circa istam memoriam huiusmodi peccati illa duo quæ supra dicebamus, de cibo, scilicet, vt non sit consideratio omnium circunstantiarum particularium, quæ in hoc actu magis quam in aliis stimulant, scilicet qualis ei delectatio insurgebat ante opus in sistente passione, si compleret. Idem de diuersis actibus, & aliis partibus, quæ periculose cogitantur atque periculosius enarrantur: nam si ad ista veniamus nullus est qui non cadat. Cauendum est secundum, vt etiam si in vniuersali ista recordemur, vt non immoremur tali cogitationi vniuersali: nam ex cogitatione vniuersali cui immoramur, insurgit particularis cogitatio: nam natura nostra ad hoc valde prompta sit, & etiam nobis nolentibus eueniunt cogitationes particulares circa talia. Circa alterum membrum, scilicet circa transgressionem quæ est in actu venereo dirigendo ad aliquam personam singulariter, secundum, quòd supra dicebamus, regula vniuersaliter danda videtur, quia talia ad memoriam reducere periculosissimum valde est, & nullus homo quantumcunque eleuatus deberet ista ad memoriam reducere:

C

nam amor iste nimius viscera penetrat, & emollit, & fortissimas vires habet, talis namque post multa tempora recrudescit, & integer redditur, ita vt fortes viros superet auferendo virtutis rigorem, & viscera fœminea inducendo. Vnde Ouidius in 2. lib. de remedio amoris demonstrat non esse videda, nec ad memoriam reducenda loca, & tempora, & alias circunstantias secundum quas aliquis delectatus fuit cum ea, quam singulariter diligebat dicens:

Amoris potētia.

Et loca sæpe nocent, fugito loca conscia vestri
Concubitus, causas mille doloris habent.

O Deus quam terribile quid. Opera enim fortitudinis circa maxima terribilia viros fortes non terrent, hæc autem tantum corde fortium emolliunt, vt ad lachrimas teneras compellant, quia fortis est, vt mors dilectio, vt patet Cantic. 8. ca. nam lampades eius lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non poterunt extinguere eam, & flumina non obruent illam. Ab hoc ergo periculo securi non sunt, nisi qui totaliter ea à memoria eraserunt: huiusmodi autem terribile quantum est nulli sciunt, nisi qui aliqualiter experti sunt: proferant ergo sententiam qui viderunt, quod ab hoc dulci periculo, atque delectabili malo, & amara iocunditate, summopere cauendum est quod nemini contingere arbitror, nisi ei qui totaliter à memoria excluserit. Cauendum ergo tanquam ab igne, & venenato serpente huiusmodi rem ex quacunque causa saltem leuissime recogitare, quia ex hoc verus ignis exardescit. Multæ quoque aliæ circunstantiæ, & modi circa istam transgressionem sunt, quarum quasdam attingere impossibile videtur. Alias autē licet dicere possemus, subticere conuenientius est, ne in vlterius stilus protendatur, de materia amoris, & remediis eius, & aliquibus satis vtilibus circa hoc latius dicetur (Deo dante) super 13. ca. secundi. Reg. & ibi videre poteris. *In solitudine.* Id est in deserto: in eo enim multotiens Deum ad iracundiam prouocauit, vnde Deus de eis conqueritur, quod decies eum ad iram prouocauerint Nume. 14. cap. *Ex eo die quo egressus es de Aegypto.* Id est de Rameſſe in qua habitabant, vt patet Num. 33. c. antequam transirent mare rubrum contra Deum murmurauerunt videntes Pharaonem super se venientem, & ista fuit prima murmuratio Exo. 14. cap. deinde murmurauerunt in deserto Syn pro pane, & carnibus Exod. 16. cap. deinde in Raphidin pro aquâ Exod. 17. cap. *Vsque ad locum istum.* Id est vsque ad loca planiora loca Moabitarum contra Phanum Phegor, & super Iordanem, vbi Moyses ista loquebatur, vt supra 3. cap. *Semper aduersum Dominum contendisti.* Inobediens mandatis eius, & non habens cor perfectum, & fidele cum eo. *Nam in Oreb.* Id est in monte Synai. *Prouocasti eum.* Vitulum fabricando, & adorando, dum Moyses maneret cum Domino in monte Exodi 32. ca. *Iratus delere te voluit.* Dixit enim mihi dimitte me, vt irascatur furor meus super eos, delebo eos, te autē faciam in gentem magnam. *Quando ascendi in montem.* Id est post-

E

quam ascendi, quia in vltima die qua veniebat Moyses de monte, ipsi adorauerunt primo vitulum Exodi 32. cap. *Vt acciperem tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus.* Istud est pactum decem præceptorum: nam decem præcepta sola erant scripta in tabulis illis lapideis, vt patet supra 4. cap. cum dicitur, & ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, vt faceretis, & decem verba quæ scripsit in duabus tabulis, & propter hoc arca quæ erat intra sancta Sanctorum, vocabatur arca fœderis, vel arca testamenti, quia in ea continebantur tabulæ lapideæ habentes in se decem præcepta, quæ erant pactum Dei, vel fœdus, siue testamentum, quod idem signant, hoc autem fuit fœdus inter Iudæos, & Deum, quia licet ista præcepta decem essent de iure naturali & pertinerent ad omnes gentes, tamen Deus specialiter petiuit à Iudæis, vt seruarent ea, & ipse promisit, quod si ipsi seruarent ea, daret eis bona multa, & acciperet eos in populū peculiarem de cunctis gentibus, & ipsi promiserunt ea seruare, & sic fuit factum pactū ex consensu vtriusq; partis, cum dicitur Exod. 19. ca. vos ipsi vidistis quid fecerim Ægyptiis, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi, si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta, ad completionem autem huius pacti secutus fuit consensus populi, vt patet eod. cap. cum dicitur, respondit que vniuersus populus simul, cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, & post

F

hoc venit Deus ad dicendum verba pacti huius, & incœpit dicere decem præcepta, vt patet ibidem consequenter Exodi vigesimo capite.

De pacto Domini cum Israelitis, & quæ in eo pacto comprehendantur.

QVÆSTIO IV.

ET sciendum, quòd non solum est pactum Domini cum Israel pactum de decem præceptis: nam etiam pactum est de præceptis cæremonialibus, & de præceptis iudicialibus & patet quia, sicut ad confirmationem aliorum pactorum inter homines fiebat diuisio alicuius animalis in partes, vt transirent pacisentes, vt patet Gen. 15. cap. secundum, quòd ibi late declaratum, & aliquando fiebat confirmatio pacti occiso aliquo animali, & spargendo sanguinem super ipsos pacisentes, ita Moyses confirmans pactum inter Deum, & populum facta immolatione, aspersit populum sanguine, & altare, & librum legis, vt patet Exodi vigesimo nono capite, cum dicitur hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Dominus super cunctis sermonibus his, sed constat, q̄ tunc in libro legis, quem ipse monstrabat, erant scripta decem præcepta, & præcepta cæremonialia, atque iudicialia quæ con-

tinen-

A tinentur Exodi 21.& 22.& 23.cap.nam in ca. 24. consequenter eiusdem libri dicitur quomodo Moyses descendit de mõte, & narrauit omnes sermones Domini, & postquam consensit populus sequitur ibidem, scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, & sic intelligebatur de præceptis decalogi quæ iam præcesserant,& de præceptis cæremonialibus,atque iudicialibus,quę tunc data fuerunt,de ista confirmatione fœderis Apostolus ad Hebræ. 9. cap. vnde nec primum quidem,sine sanguine dedicatum est: lecto enim mandato legis à Moyse vniuerso populo capiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens hoc est sanguis testamenti,quod mandauit ad vos Deus,vocatur tamen pactum Dei principaliter pactum, quod continetur in duabus tabulis, scilicet decem præcepta, quia illud pepigit Deus per se cum Hebræis,scilicet per Angelum suum, cæremonialia autem, & iudicialia per Moysen pepigit cum Israelis. *Et perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus.* Scilicet prima vice qua ascendi pro primis tabulis. *Panem non comedens,& aquã non bibens.* Quia sola Dei visione abundantissime pascebatur: non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo,quod procedit ex ore Dei,vt patet præcedenti cap.*Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas.* Scilicet in fine quadraginta dierum. *Scriptas digito Dei.* Id est ministerio Angelorũ,

B de his magis diximus Exod. 34. c. *Continentes verba omnia quæ vobis in monte locutus est de medio ignis.* Id est decem præcepta quæ vobis in monte Synai in voce tubæ locutus est. *Quando concio populi.* Id est multitudo, vel congregatio de coeo, cois, id est coniungo, vel decunctus,a,um, *Congregata est.* Id est in die quo tota multitudo exiuit de tentoriis suis,& congregata est circa radices mõtis Synai, vt audiret legem,in Hebrẽo habetur. *In die populi.* Id est in die quo congregatus est populus. *Et idem est tabulas fœderis.* Id est in quibus scriptum erat pactum,vel fœdus,quòd pepigerat Deus cum Israel ad futuram rei memoriam. *Quia populus tuus,* vocauit Deus Israel populum Moysi,quia iam per peccatum non erat populus Dei, vel quia Moyses eis præerat spiritualiter, & temporaliter, & hoc melius videtur, quia subiungitur. *Quem eduxisti de Aegypto.* Et sic totum regimen populi Deus Moysi attribuebat, quare populus eius iuste vocabatur: vel vocat eum populum suum, vt moueat eum ad orandum pro eo tanquam pro re sua. *Deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis.* Id est doctrinam colendi vnum solum verum Deum. *Fecerunt sibi conflatile.* Id est vitulum qui per conflationem auri, & argenti opere fusorio fabricatus est. *Rursumque ait Dominus ad me cerno, quòd populus iste.* Ista exposita fuerunt Exo. 32. & Num. 14. cap. *Cumque de monte ardente descenderem.* Id est de Synai qui tunc præsente Deo flamma, & fumo opertus erat, vt supra 5. cap. *Proieci tabulas de manibus meis.* Quia cum vos viam Domini deseruissetis colentes idolum, nihil lex proficiebat, ideo ex

C quadam ira quæ magis per zelum quam per vitium dici potest, confregit tabulas, cui enim profuturæ erant cum Deus omnes subito delere vellet: Aliqui autem Iudæi magis excusare volentes Moysen, dicunt quòd cum de monte descenderet Moyses, vidit scripturam tabularum obliterari, vt nullum penitus literarum maneret vestigium tanquam Deo hoc volente, eas tanquam prorsus inutiles confregit, & satis hoc probabile est, sed quocunq; modo hoc fuerit, satis constat Moysen in hoc nihil peccasse, quia nusquam legitur de hoc à domino fuisse reprehensum, quod tamen fuisset si peccatum commisisset. *Confregique eas in conspectu vestro.* Et hoc multum releuat, quia in detestationem magni sceleris eorum tabulas legis coram eis fregit, vt ipsi compunctione sceleris hoc viso mouerentur. *Et proiecit ante Dominum.* Non immediate post fractionem tabularum orauit ante Dominum pro populo, sed prius quantum potuit ex officio suo placauit iram Dei occidendo 23. millia Exodi 32. & tunc populum reliquum ne rursus peccarent instruens, Deum aliqualiter placatum pro populo oraturus adiuit, non enim ausus fuisset Moyses non castigato populo ad Deum pro eis orare, quia sibi,& illis totalem deletionem formidaret,eis quia peccauerant, & sibi, quia quantum potuisset non correxerat, sicut Heli sacerdos,quia filios non correxit mortuus est. 1. Reg. 2. & 4.cap.& sic Phinees placauit iram Dei cum pugione transfodit Madianitidem cum Zambri Numer.25.ca. *Procedi,sicut prius quadraginta diebus.* Et sunt quadraginta dies. *Propter omnia peccata vestra.* Non solum orauit Moyses pro remissione peccati adorationis vituli, sed etiam pro murmurationibus quas ab exitu de Ægypto contra Deum habuerant: sicut enim patres filios pro paruis erroribus nõ puniunt, sed si post maiora faciant,& pro maiori,& minori puniuntur, sic Deus deleturus erat Israel propter omnia peccata in Deum, siue magna,siue parua,nisi Moyses rogasset Psal. 105. & ratio huius est,nam cum Deus sit iustus iudex,oportet vt omnia mala ab eo puniantur, ita vt nullum malum maneat impunitũ, nec aliquod bonum irremuneratum, siue ergo peccata parua sint, siue magna, pœnam recipere debent, vel quod nos eam nobis imponamus, vel quod Deus eam infligat, rursus sciendum, ꝙ Deus non mouetur ad puniendum nos quandocunque peccamus: nam expectat nos Deus, vt misereatur nostri, vt patet Esa.30.cap.ad hoc, quod Deus moueatur ad puniendum nos, oportet quod peccata sint valde magna, quæ immediate mereantur Dei vindictam, vt patet de Chore,Dathan,& Abiron,Num.16. ca. nam magnum peccatum valde erat manifeste erigi in superbiam contra Dei ordinationem: aliquando autẽ puniuntur peccata, quia sunt multũ iterara,vel quia sunt multa,vt patet Amos.1.cap.vbi loquitur ad multas gentes cuilibet dicens, super tribus sceleribus Israel, vel Iudæ, & sic de aliis, & super quarto non conuertam eum, & sequitur in quolibet eorum punitio, & sic existentibus paruis delictis,vel nõ multotiens iteratis non punit Deꝰ, & quia delicta manere non debent impunita, seruat omnia ista Deus,siue magna,siue parua pro tempore punitionis,sic patet Ex.32. cum dicitur, ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum,sequitur ergo, quod quando Deus motus fuerit ad puniendum nos, siue pro magnis peccatis, siue pro frequenter iteratis,quòd alia peccata quæ olim, sine pœna reliquerat,nunc puniat, oportet ergo orari pro omnibus illis,siue pro magnis,siue paruis. *Et eum ad iracundiam prouocastis.* Hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo,quod pro quolibet peccato illorum mouebatur Deus ad iracundiam. Alio modo, quod motus erat pro illo peccato immolationis vituli, scilicet quod Deus mouetur ad iracundiã pro quolibet peccato: nam quodlibet peccatum offendit suam maiestatem, ideo cõmouetur contra nos in iram quandocũq; peccemus, sic innuit Apostolus,quod omnes peccantes sunt vasa iræ, & omnes boni sunt vasa misericordiæ,vt patet ad Rom. 9. c. & alibi nascimur omnes filij iræ: nam cũ Deus inferendo pœnas dicatur nobis irasci, cum ergo pœnas æternas nobis pro quolibet mortali peccato comminatur, & inflicturus esset, quia ad eas nos destinat, nisi corrigamur, dicetur nobis in quolibet peccato irasci,sicut quando pœnas corporales infligit:hic autẽ loquitur scriptura de prouocatione ad iram per quam infligitur temporalis punitio, ideo est sensus,quod licet per quodlibet peccatum mortale Deus non puniat delinquentem,mouetur tamẽ aliqualiter contra eum, ita quod promptus est ad puniendum eum, & si alia peccata multiplicauerit punietur, alio modo intelligitur, quod Deus erat ꝓuocatus ad iracundiam pro peccato immolationis, & fabricationis vituli,ideo licet Moyses pro omnibus rogaret,tamẽ Deus pro hoc concitabatur, Moyses tamen rogabat pro omnibus peccatis,quia si Deus iratus puniret, non solum puniret peccata magna,vt illud peccatum immolationis,sed etiam alia minora, vel quia licet principaliter moueretur propter illud peccatum magnum,tamen quodlibet peccatum aliquid mouebat,& dum plura essent,citius mouissent Deum ad puniendum. *Timui enim iram illius.* Scilicet,quòd si pro vobis non rogarem, vos deleret. *Exaudiuit me Dominus etiam hac vice.* Quia aliis vicibus pro eis rogauerat,vt Exo.14.cap. *Super mare rubrum aduersus Aaron vehementer iratus est.* Non peccauit Aaron totaliter voluntarie, quia tunc feciisset peccatum suũ grauius peccato totius populi, quia iudex, & pastor relictus fuit in populo recedente Moyse Exo.24. cap. Item, quia ipsi fabricauisset vitulum, qui alios ad idololatriam concitaret, & sic fuisset voluntas eius,vt populus vitulum adoraret, hoc autem importabile esset, nec post talis homo sacerdos magnus à Deo constitueretur, fuit ergo peccatum Aaron mixtum ex voluntario,& inuoluntario,ex quo peccati quantitas minor erat,videbat enim Aaron mortem sibi imminere,nisi vitulum, vel aliquod simulachrum pro Deo confinxisset,

D *Deus quando est iustus iudex.*

E

Duplex litera expositio.

F

elegit

A elegit autem magis incidere in manus Domini quam in manus populi, & in hoc valde imperfectus fuit: si enim confisus fuisset in Domino, vt non faceret simulachrum, Deus eum ab impetu populi liberasset, vel si non liberasset, melius erat ei per martyrium ab hac vita transire, quàm volendo viuere populo illicite consentire, & ideo ad talia cogi non debebat, quia vt ait Philosophus 3. Ethic. ad quædam autē fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima. *Pro illo fum deprecatus.* Vt non deleret eum, sed dicunt Iudęi, quod pro peccato Aaron mortui fuerunt duo filij eius Nadab, & Abiu in eodem anno in monte Synai, cum inciperent ministrare coram Domino in principio sacerdotij sui, vt Leui. 10. ca. & hoc satis probabile est. Et si dicas, quod Nadab, & Abiu pro peccato suo mortui sunt, quia obtulerunt ignem alienū. Respondeti potest, quod sicut precibus bonorum patrum aliquando Deus filiis gratiam tribuit, vt boni sint, ita aliquādo ex demeritis patrū Deus filios in aliquam negligentiam, vel errorem cadere permittit, vt pro illo peccato filii ad dolorem patrum temporaliter puniantur, dum tamen hoc non sit ad mortem æternam, sic dicetur de istis, quod negligentia, & error, quem in ministratione sacerdotij sui habuerunt, per

B cruciatum corporeum deletus est, vt vitam æternam consequerentur, Aaron autem ex eorum morte valde angustiaretur, de hoc latius diximus Leui. 10. cap. *Peccatum autem vestrum, quod fecerat.* Vocat vitulum peccatum, id est materiam circa quam, vel incitatiuum ad peccatum proprie autem peccatum voluntaria actio est. *Omnmoque in puluerem redigens.* Scilicet, vt nunquam ad vsus hominum conuerteretur, & sic mandatur eis, quod omnia sculptilia gentium totaliter destruant, ne occasionem errandi accipiant in eis, vt supra 7. c. *Et proieci in torrentem qui de monte descendit.* Quia si mansissent pulueres auri, & argenti, aliquis adhuc posset illis vti ad aliquid, in aqua autem nunquam inueniri possent, & ab hoc habuerunt doctrinam Iudæi, quod puluerem idolorum cōminutorum proiicerent in aquis, & sic fecit rex Iosias, quia puluerem idolorum proiecit in torrentem cedron. 4. Regu. 23. c. sic fecit Asa rex Iuda, vt patet 3. Reg. c. 15. comburens simulachrum turpissimum. Et non contingunt ista totaliter eo ordine quo narrantur, quia primo Moyses destruxit vitulum, & proiecit in aquam, postquam descendit prima vice de monte, & deinde ascendit secundario, & orauit aliis quadraginta diebus. Si autem secundum ordinem literæ intelligeremus, oporteret fuisse destructum vitulum post secundos quadraginta dies id est post 80. vel secundum aliam opinionem post tertios quadraginta, sc. post 120. sed non est verisimile, quod Moyses reliquisset vitulum tot diebus, ne populus iterum occasionem haberet ad idolatrandum. Item, quia est contra ordinem narrationis quæ habetur Exo. 32. c. *In incendio quoque.* Hic superaddit alia peccata, quæ etiam Deus eis pepercit, & primo in incendio, id est in loco vbi incensus est ignis, & deuorauit extremam partem castrorum. Et hoc

C *Superadditio aliorū peccatorum* fuit immediate post recessum de monte Synai, in quo fecerunt vitulum, quia de monte illo recesserunt in secundo mēse secundi anni, & deinde antequam venirent ad aliquam mansionem, cœpit murmurare pro labore itineris, vt Num. 10. & 11. cap. & tunc incensus est ignis in eos. *In tentatione.* Id est in loco tentationis, scilc. in Cadesbarne, vbi tentauerunt Deum in petitione aquæ. *Et in sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum.* Est nomen mansionis quę sic vocatur, quia populus ibi desiderauit comedere carnes, & venit in eos ignis, siue aliqua pestis, & mortui sunt, & sepulti ibi, Nu. 11. c. & in hoc imitatur ordo rei gestæ quia ante mortui fuerunt in sepulchris concupiscentiæ, quam tentarēt in Cadesbarne, quia Cadesbarne est pōst sepulchra concupiscentiæ per 19. mansiones vt Num. 33. c. Item quia in sepulchris concupiscentiæ steterunt 2. anno ab exitu de Ægypto, vt sæpe probatum est, & patet supra 2. c. sed in Cadesbarne tentauerunt anno quadragesimo post mortem Marię, vt Num. 20. c. *Et, quando misit vos.* Id est exploratores vestros de Cadesbarne, hoc fuit ante medium secundi anni exitus de Ægypto, quia bis steterunt in Cadesbarne, primo in secundo anno quando veniebant directè contra terram promissionis, vt Num. 13. c. & inde exploratores missi sunt, & quia ibi peccauerunt contra Deum, lata est sententia, quod non intrarent terram promissionis, qui erant 20. annorum, & vltra, vt Num. 14. c. Et inde retrocesserunt vagantes vsque ad 40. annum in cuius, principio, scilc. mense primo venerunt iterum in Cades, siue Cadesbarne, quod idem est, vt Num. 20. c. *Ascendite, & possidete terram quam dedi vobis,* Voluerat Moyses, quod nullo alio præmisso immediate, vt venerunt in Cadesbarne, directè ascendissent ad terram promissam. *Et cōtempsistis imperium Domini Dei vestri.* Quia Deus mandauerat, vt ascenderent, & possiderent, ipsi autem diffidentes verbo Dei nuncios præmiserunt, quod eis magnum fuit scandalum dimittentes diuinum auxilium, & ad humanum recurrentes, de quo late diximus supra 1. c. *Et non credidistis ei.* Id est non confisi fuistis, quod vox eius vera esset esset, ipse namque dixerat ascendite, & possidete, si autem ipsi credidissent voci Domini, non curassent de aliquo alio ex quo ipse securabat eos, sed adhuc miserunt suos exploratores volentes ab eis magis securari de qualitate terræ, & habitatorum, in quo magnam Deo offensionem faciebant non assentientes nec confidentes summæ certitudini, & magis credentes suæ certitudini humanæ quæ nulla erat: nam & homo de hoc irascetur: si enim quispiam haberet amicum qui nimis amicum se demonstraret, & postea eo dicente non assentiret, vel non confideret verbis eius, sed adhuc quęreret alias certitudines, vehementer tali amico irascendum esset, nec iudicari deberet amicus: si ergo homo ista faceret, quanto magis Deus cuius verba permanentiora sunt ipsis fundamentis seculi? sic enim dicitur Lucæ 21. cap. cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Nec vocem eius audire voluistis.* Id est non obedistis ei: nam licet audierunt, quia tamen non obediuerunt ei facientes, quod imperabatur, dicuntur nō audiuisse, quia nihil audire prodest vocem, nisi fiat id, quod per vocem signatur, cum vox imperatiua ad illum finem dicatur, dixerat autem Deus istis ascendite, & possidete, vt patet supra 1. c. id est nihil aliud curantes facere, nisi vt immediate ascenderent ad terram Chanaan terrā hæreditatis suę, ipsi aūt non obedierunt isti voci, quia manserūt 40. diebus in Cadesbarne expectando exploratores quos miserant, vt viderent quid afferrent de qualitate terrę, & gentium, & quia immediate non ascenderunt, vt mandauit Deus peccauerunt, & quanto magis manserunt, tanto magis peccauerunt, & sic iuxta numerum dierum in quibus peccauerant manendo contra Dei mandatum in Cadesbarne, expectando exploratores, datus fuit eis numerus quantitatis pœnæ sic patet Num. 14. c. cum dicitur vestra cadauera iacebunt in solitudine, filij vestri erunt vagi in deserto 40. annis, & portabunt fornicationem, donec consumantur cadauera vestrorum patrum in deserto iuxta numerum 40. dierum quibus considerastis terram: annus pro die imputabitur, & 40. annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam, fuit ergo magnum peccatum in non obediendo immediate voci Domini, sc. vt immediate ascenderent, sicut Dominus præceperat, quia ergo morati sunt, iustum fuit in eis, quod puniti sunt. *Sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi.* Magna increpatio erat ista, quia populus duræ ceruicis, ita increpari merebatur. *A die, qua nosse vos cœpi.* Id est à die qua cœpi vos, vt prælatus regere, & vestri curam gerere, non potest intelligi à die qua primo cognouit eos, sc. in pueritia sua, quia tunc non leguntur mala feciſſe, sed magis passos fuisse, sed à die qua Deus primo misit Moysen ad eripiendum eos: cum enim Moyses primo coram Pharaone astitit, & grauauit eos Pharao plus solito, murmurauerunt contra Moysen, & Aaron dicentes, fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, iudicet Deus inter nos, & vos Exo. 5. c. *Et iacui coram Domino quadringenta diebus.* Isti sunt secundi 40. quibus orauit pro dimissione peccati populi. *Qūibus eum suppliciter deprecabar.* Licet in istis 40. diebus esset Moyses in quadam amaritudine animæ, quia nesciebat adhuc vtrum Deus dimitteret peccatum, tamen abundabat ex Dei præsentia gaudio quodam quo pascebatur, ne deficeret: nam alias defecisset fame, cum in istis secundis 40. diebus, & 40. noctibus non gustauerit panem, nec biberit aquam, aut quicquam aliud, vt patet, supra in litera, oportet namq; animal dum viuit semper nutriri, vt ait Arist. in 2. de Generatione, & corruptione, nutritio autem fit per cibum, si ergo cibus desit, impossibilis est nutritio; necesse est ergo, vel quod animal deficiat, vel quod aliquid loco cibi nutritiui ei apponatur, ergo Moysi quędam reduntantia Dei gloriæ, quæ eum sufficienter pascebat, te-

nuisset

nuisset eum etiam decem millibus annorum. Et ista delectatio, vel redundantia Dei poterat poni dupliciter, vno modo q̃ esset quædam redundantia gloriæ Dei quæ teneret Moysen ne esuriret, nec indigeret cibo, & esset, ita corpulentus, & pulcher, sicut ante, immo magis, nam lucebat facies eius, quando descendit à Domino, ita quod non possent intueri in eum filii Israel, donec poneret velamen faciei suę, & sic loquebatur, vt patet Exo.34. & ad Corin.2.c.3. & tamen poterat esse ista redundantia Dei talis, quæ non tolleret aliquas curas, nec anxietates, aut dolores, & sic Moyses à Domino consolatus, ita vt cibo non indigeret, habebat anxias curas flagrans desiderio populi sui, vt saluaretur, alio modo potest poni quod ista redundantia gloriæ Dei super Moysen, quæ tollebat cibum, & potus necessitatem, erat ita delectabilis, quod excedebat omnes delectationes, quas Moyses expertus fuerat, vel quas aliquis homo experiri potuisset. Et tamen cum ista delectatione habere magnam tristitiam non est inconueniens: nam nulli delectationi repugnat totaliter tristitia, nisi summæ delectioni quę est beata visio, cæteræ autem cum angustia aliquali esse possunt: videmus autem hoc in hominibus huius seculi, qui simul, & semel gaudium habent de aliqua re quæ eis magna valde videtur, vt si adipiscantur, quòd desiderant, qui tamen si tunc aliqua aduersa de rebus suis eis nuncientur, tristantur, in eis etiam qui vere pœnitent, hoc reperitur, nam simul tristantur valde, quia Deum offenderunt, & delectantur, quia sperant certissime per hanc contritionem sibi dandam vitam æternam, & quod maius est, quia sciunt per veram cõtritionem eos amicos fieri altissimi Dei, & sic dicit Aug. de verè pœnitentibus, doleat peccator, & dolendo gaudeat, reperiebatur etiam hoc simul in beata Virgine tempore passionis Christi: nam ipsa ex charitate magna, qua eam repleuerat Spiritus sanctus ardenter diligebat salutem humani generis, quam sciebat non, nisi per filij vnigeniti sui mortem posse celebrari: cum ergo eum vidit patientẽ, & maxime, quando vidit iam passum, admirabiliter consolabatur, quia certissime videbat redemptionem totius generis humani iam factam, dolebat tamen acerbe, & inextimabiliter, quia videbat tenerrimum illum iuuenem Christum Iesum, qui erat Deus suus, & pater suus, quem ipsa sola conceperat, & ipsa sola lactauerat, in quo totum eius bonum totaque eius iucunditas, quem magis diligebat quam animam, ita vt pro eo mori elegisset si licuisset, & acerrimas sustinere angustias in delicatissimo corpore: erant ergo in ea simul dolor, & gaudium, & vtrunq; quippe magnum, sed satis vnum alteri concordabat, in illis etiam quibus Deus ex gratia dedit versari circa contemplationem dominicæ passionis, hæc eadem suo modo sentiuntur: nam crudele valde est redemptori, qui tanta, & talia pro nobis sustinuit, compatiamur, & hic magnus innascitur dolor, nam compati est partem doloris patiẽtis accipere, qui penetrat quosdam, sicut gladius anceps transfigens cordis medullas, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, rursus autem hoc gaudium magnum est: nam nullus fructus maior est, quam fructus dominicæ passionis, in quo gaudentes perficimur. Fuit ergo huiusmodi consolatio illa Moysi, quam recipiebat ex præsentia glorię diuinæ, sc. vt magnam ei iucunditatem afferret, & tamen curas, & infixas valde angustias animæ suæ non tolleret: nam ista consolatio Moysi, licet esset de diuina præsentia, tamen non erat maxima, quia non erat beatifica quæ summa est: nam consolatio beatifica nulli viuenti communicatur, nisi ipse sit sibi fœlicitas, sicut in homine Christo qui viuens, & nondum morte gustata beatus erat, quia ipsa beatitudo sibi inerat, sc. verbum diuinum sub vnitate hypostatica: Moyses autem talem consolationem sustinere non potuit, etiam si omnia per essentiam viderit, quia non fuit communicata ei illa per modum beatificum, quia vt dixit Deus, nõ videbit me homo, & viuet, id est, non poterit me videre ita, quod per illam visionem sit beatus, & postea viuat. *Vt non deleret vos.* Non rogauit Moyses Deum, vt non puniret Israel, sed vt nõ deleret eum: nam punire eum erat qualemcunq; pœnam ei inferre, quæ non totaliter perimeret, delere erat eos totaliter occidere, ita quod non maneret ex eis nomen nec vestigium & patet hoc in oratione Moysi, & in responsione Dei: nam orauit Moyses, vt patet Exo.32.c. & Deus primo dixit cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, & irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, te autem faciam in gentem magnam, Moyses autem orauit dicens cur domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna in manu robusta? ne quę so dicant Ægyptij, callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: simile habetur Nu.14.c. de prouocatione Dei in murmure populi: nam orauit Moyses dicens, dimitte obsecro peccatum populi huius iuxta magnitudinẽ misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto, vsq; ad locum istum: Deus autem respondit ad Moysen dicens, dimisi iuxta verbum tuum, id est, sicut tu petisti, ita ego concedo, & tamen immediate sequitur, quod Dominus punitionis sententiam tulit super eos dicens, viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra, attamẽ omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa mea quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me per decem vices, nec obedierũt voci meæ, nec videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex eis qui detraxerunt mihi intuebitur eam, patet ergo, quod Moyses non petiuit ne punirentur, quia tunc falsum esset verbum illud Domini, sc. dimisi iuxta verbum tuum, cum immediate pœnam infligerit, orauit ergo solum, vt non deleret, & hoc satis patet Exo. 32.c. nam postquam orauit Moyses, subiungitur placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum, & tamen postea sequitur in fine eiusdem ca. ego autem in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum, percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron. *Vt fuerat comminatus.* Quia Deus dixerat Moysi Exo.32.c. cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & delebo eos, te autẽ faciam in gentem magnam, sic etiam dicitur Num.14.ca. vsquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credet mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? feriam ergo eos pestilentia atque consumam, te autem faciam principem super gentem in magnam, & fortiorem quam hæc est. *Et orans dixi Domine Deus ne disperdas.*

Augu. de vere pœnitẽtibus.

Quomodo Moyses tot dies orauit si hæc sola verba non prolixa diceret.

QVÆSTIO V.

QVOMODO Moyses tot dies orauit si hæc sola verba diceret, quæ breuiter dici possunt? vel oportebat ea multoties replicari, maxime quia Moyses ad nihil aliud diuertebat, sicut nos cibum sumimus, & dormimus, & alias recreationes, & operationes habemus. Moyses autem toto illo tempore pronus in terra iacuit. Respondetur, quod per certitudinem sciri non potest vtrum Moyses plura verba dixerit, sed satis verisimile est, quod non dixit plura verba, quia ipse expressit hic orationem, sed non continentur plura verba quã vsque ad finem huius, c. ergo non fuerunt plura. Item quia si aliquis consideret sanctorum omnium orationes, reperiet eas verbis quidem succinctas, deuotione autem amplissimas. Et si aliquis dicat, quod verum est quantum ad illos, qui paruo tempore orauerunt, Moyses autem magno tempore orauit. Respondetur, quod etiam in orantibus continue, & magno tempore, pauca verba esse debent, quia Christus mandauit semper orare, & nunquam deficere Luc.18.c. & tamen dixit, quod orationes breues esse deberent Mat.6.c. cum oratis nolite multiplicare verba, sicut ethnici: putant enim quod in multiloquio suo audiantur, nolite assimilari illis, & ideo dans formam orandi sub paucis verbis compleuit ibidem dicens, Pater noster, &c. & posuit causam quare oratio breuis esse debebat, sci. quia scit pater vester cælestis, quid opus sit vobis: Orationes autem, siue petitiones ad homines ideo dilatantur, vt plane pateat quid petens velit. Deus autem scit quod volumus, & quid nobis bonum sit, ideo non oportet multiplicare verba, maxime quia qui multa loquitur, errat frequẽter, cauenda est ergo prolixa petitio, ne erremus. Ad orationem enim primo voluntas nostra ardenter feratur in Deum, vt disponat de nobis ad seruitium suum: deinde petitionem sub paucis sermonibus concludamus, quia oratio proprie secundum diffinitionem Damasceni, est ascensio mentis in Deum, & ab hac Christus mandat non cessare, vel potius cõsulit. Quod autem in verba prærumpamus non est tantæ necessitatis.

Qualis oratio esse debet.

A

ceſſitatis. Sed adhuc magis dubium reſtat, ſc. vtrum iſta verba frequẽter Moyſes dixerit. Et forte poſſet dici, quod multotiens dixit, quia ſic legimus de Chriſto, quod ter eundem ſermonem orauerit, ſc. pater ſi poſſibile eſt, &c. Mat. 26. c. ſed magis videtur, quod ſolum ſemel dixerit, quia vnica proſtratio fuit, nec ſurrexit donec mandauit ei Deus, quod præcideret alias tabulas iam dimiſſo peccato Ex. 33. & 34. c. Et non valet argumentum de Chriſto, quia ipſe ter procidit, & ter ſurrexit, & qualibet vice Apoſtolis loquebatur, vt Mat. 26. c. ideo oportebat, quòd ex quo interciſa fuerat illa actualis aſcenſio hominis Chriſti in Deum per conuerſionem ad alios actus, quod vt iterum oraret, iterum verba proferret. Item patet hoc veriſimile, quia Chriſtus iſta paucula verba in vna hora ſolum protulit, ſed potuiſſet valde plura dicere, & hoc patet eod. c. & Mar. 14. quia Chriſtus redarguens Petrum ait, non potuiſti vna hora vigilare mecum, id eſt, ſicut ego vna hora ſteti in oratione, ita vt ſtare debuiſſes, quia ſatis modicũ erat. Et ſi arguas, quod Luc. 22. c. dicitur quod factus eſt in agonia, & apparuit ei Angelus confortans eum, & prolixius orabat. Reſpondetur, q̃ hoc fuit in tertia vice, quando videbat, ſibi iam magis tempus pẽalitatis imminere, & patet quia dicitur prolixius orabat, ergo aliæ vices tranſierunt in quibus non tantum orabat, ſed ſolum verba quæ ponunt Matthæus, & Marcus, ſc. pater ſi poſſibile, &c. Concluditur ergo ex ſuperioribus probabiliter, quòd Moyſe iſta verba ſola dixit, & ſemel tantum.

B

An Eccleſia in horis canonicis oret ſub multis, & prolixis verbis, vel ſub paucis, & vtrum liceat Chriſtiano facere orationes longas.

Qvæstio VI.

SI autem obiicias contra ſupradicta, ſc. quod paucis ſermonibus vtendum ſit in oratione, quia Eccleſia magno tempore, & ſub multis verbis orat, vt patet in officio matutinali, & aliis horis. Reſpondetur, quod aliud eſt laudare Deum, aliud eſt petere aliquid à Deo. Oratio autem proprie petitio alicuius eſt, & hanc oportet eſſe in verbis paruam ex cauſis ſupra aſſignatis: laudare Deum eſt per ſermonem explicare aliquam Dei magnitudinem, eo modo quo nobis balbutiendo poſſibile eſt, vel in potentia aliquid faciendi, vel in magna benignitate miſerendi, & de hoc non dictum eſt, quod ſub paucis verbis fieri debeat, quia verba Chriſti ſolum dicuntur de pura petitione, vt manifeſtatur Matth. 6. c. ſcit enim pater veſter cœleſtis, quid opus ſit vobis antequam petatis, non ſcit ergo Eccleſia in recitando multa contra Chriſti ſermonẽ, quia non facit orationes, ſed maxime canit diuinas laudes, & legit multa ſanctorum facta ad noſtram inſtructionem, cum autem eccleſia pure orat, ſub paucis verbis concludit, vt patet in orationibus quæ dicuntur in fine cuiuſlibet horæ canonicæ quæ ſatis breues ſunt. Sed nec ex hoc prohibetur quòd ſi aliquæ orationes magnæ à ſanctis compoſitæ ſunt, quæ dulcedine verborum mentes ad cẽleſtium amorem protrahant, quòd eas dicamus: quia illa ad incendendum non ad petendum dicuntur: & patet quia non legimus omnes orationes ſiue petitiones vt petamus, ſed vt in eis inſtruamur vel inflammemur: manifeſtum eſt, quia aliquas petitiones Chriſti legimus, quas ipſe in perſona ſua petiit, & non pro membris ſuis, quas nullus fidelis in perſona propria dicere auderet: quia in eis maior excellentia petitur, quam puro homini conueniat: & ſic legimus orationes Dauid Moyſi, & aliorum ſanctorum quæ ſecundum neceſſitatem illius tẽporis fiebant, & nobis nullo modo conuenirent. *Hæreditatem tuam.* Iſte populus eſt hereditas tua, quia firmiter apud te manet ſicut hæreditas, vel poſſeſſio apud eum cuius eſt: reliqui autem populi non manent firmiter apud te, ſed falſis numinibus applicantur. Et ex hoc debebant manere Hebræi firmiſſimi apud Deum non mutantes eum pro alio Deo: quia & gentes, quæ Deos veros non habebant, mutos lapides, ligna, atq; metalla colentes firmiores manebant apud eos: vituperabiles ergo ſunt Hebræi valde, & Deus de hoc nimis conqueritur Hier. 1. cap. cum dicitur, tranſite ad inſulas Cethin, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit gens Deos ſuos, & certi ipſi non ſunt dij: populus autem meus mutauit gloriam ſuam in idolum: & ex magna ira conſequenter exclamat dicens, obſtupeſcite ſuper hoc cœli, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus, ſunt ergo Hebræi hereditas Domini, ſed mala quidem & deſtructione digna: ſic patet Eſa. 5. cap. vbi loquitur Deus ad totum Iſrael tanquam ad vineam: ſic enim ipſe dicit, vinea Domini exercituum domus Iſrael, & vir Iuda delectabile germen eius: inuehitur autem contra eos dicens, nunc ergo habitatores Hieruſalem, & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam: quid eſt quod vltra facere debui vineæ meæ, & non feci? an quòd expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas? & nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem eius, & c. *Recordare ſeruorum tuorum Abraham, Iſaac, & Iacob.* Moyſes humilians ſe non rogauit quod propter eum Deus miſereretur, ſed propter merita patrum ſuorum & in hoc magis merebatur. Sed dato quòd Moyſes dixiſſet, quòd dimitteret iniquitatem populi propter eum, nihil obtinuiſſet etiam ſi ſanctior eſſet: quia immundus eſt coram Deo omnis qui exaltat cor ſuum, maxime quia ſciebat Moyſes, quòd meritis patrum factæ fuerunt promiſſiones poſteris eorum: ideo propter merita eorum eis parcendum erat ne perirent. *Ne aſpicias duritiam populi huius.* Id eſt indomabilitatem vel in malis conſuetudinem. *Impietatem.* Id eſt malitiam vel deprauationem interiorem. *Atque peccatum.* Id eſt opus malum exterius: quia malitia magis dicit modum habitus vel formæ inhærentis: peccatum verò modum actus, vel. *Impietatem.* Id eſt peccatum grauiſſimum, ſcilicet adorationem vituli. *Peccatum.* Scilicet minus grauia mala, vt alij minores errores, & tentationes. *Ne forte dicant habitatores.* Hoc fuit expoſitum latè Exo. 32. cap. hic dubitant aliqui quot quadragenis Moyſes in mõte ſteterit cum Domino, vtrum duabus vel tribus, late diximus Exod. 33. cap.

C

D

E

Caput X.

IN tempore illo dixit Dominus ad me. Dola tibi duas tabulas lapideas ſicut priores fuerunt: & aſcende ad me in montem: faciesq; arcam ligneam: & ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregiſti: poneſque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis Sethin. Cumque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum aſcendi in montem habens eas in manibus, &c.

F

IN illo. Supra fuit poſita peccatorum narratio, hic ponitur eorum remiſſio, & Dei placatio. Et tanguntur duo primũ præcedentis hiſtoriæ continuatio. Secundo quorundam incidentium ſuperadditio ibi. *Filij autem Iſrael in tempore illo.* Id eſt finitis quadraginta diebus ſecundis, quibus iacui orans ante Dominum tenendo quòd fuerunt tres quadragenæ dierum: ſi autem velis dicere quòd ſolum fuerunt duæ, eſt ſenſus.

Præcedentis hiſtoriæ cõtinuatio.

In illo tempore dixit Dominus ad me. Id eſt dum ſtarem orando ante Deum in illis quadraginta diebus, & tunc dicemus quòd in iſtis ſecundis quadraginta diebus facta fuit oratio & remiſſio, & deinde in eiſdem ſcriptæ & datæ ſunt ſecundæ tabulæ, ſed primum verius eſt.

Dola tibi duas tabulas lapideas ſicut priores fuerunt. Primas tabulas non dolauit Moyſes, nec vidit quouſque ſcriptæ ei traditæ ſunt: ideo vocat eas ſcriptura factas & ſcriptas digito Dei Exodi 32. cap.

Et aſcende ad me in montem. Fortè lapidicinæ ad radices mõtis erant, vel in deſcenſu montis. Deus autem in cacumine Synai, vt Exod. 19. vnde oportebat Moyſes ad accipiendas & dolandas tabulas de monte deſcenderet, & dolatis eis rurſus montem aſcenderet. *Facies arcam ligneam.*

Quæ arca erat iſta quam fecit Moyſes.

Qvæstio I.

ISTA eſt arca teſtamenti, quæ erat intra ſanctuarium in ſancta ſanctorum: ſicut habetur ad Hebræos 9. cã. in qua

erat

A erat vrna aurea habens manna, virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Rabbi Salmon. dicit quod ista arca non fuit arca, quam fecit Beseleel de qua Exod.25. cap. quia ista post facta fuit. Et si dicatur contra Rabbi Salo. quia arca quam fecit Beseleel posita fuit in sancta sanctorum, vt patet Exo.26.& 40.ca. & illa vocatur arca testamenti, quia continet testamentum, scilicet tabulas in quibus erat testamentũ Dei cum populo, scilicet decem præcepta: ergo positæ fuerunt tabulæ in arca, quam fecit Beseleel. Poterit responderi quod quando Moyses descendit de monte, fecit aliquam arcam quæ breuiter fieri poterat, in qua reposuit tabulas, vt interim custodirentur, deinde fabricata arca per Beseleel translatæ sunt tabulæ ad eam. Sed hoc non potest stare, quia dicitur quod post mandatum Dei facta fuit arca, & positæ fuerũt in ea tabulæ, & permanent vsque nunc, ergo videtur quòd non fuerunt positæ in alia arca prius. *Et scribam in tabulis verba.* Vocantur illi lapides tabulæ, quia erant formati in modũ tabularum: nam erant habentes satis de longitudine, de latitudine modicum, de profunditate autem siue grossicie valde modicum, & patet quia non fuerunt grossi lapides, & quadrati: quia tunc non posset descendere Moyses portans eas solus, ipse tamen portabat vtraque manu, vnam tabulam in vna, & alteram in altera, vt habetur Exo.32.ca. cum dicitur & reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu: etiam quia isti lapides erant, & vocantur tabulæ: oportet ergo quod sic vocentur vel secundum naturam, vel secundum figuram: non secundum naturam, quia lapides non sunt ligna, ergo vocantur tabulæ secũdum figuram, quia sunt tenues, & longæ, ac latæ ita quod à quolibet homine portari possent. *Et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas confregisti poneſque eas in arca.* Differunt istæ secundæ tabulæ à primis, quia primæ aut à Deo nouiter creatæ sunt, vel ab angelis dolatæ & postea ab eisdem scriptæ qui hic vocantur Deus, vt declaratum fuit Exo.3.& 19.ca. secundæ tabulæ præcisæ fuerunt à Moyse, & dolatæ & scriptæ à Deo solum, id est ab angelis, de primis tabulis patet Exod. 32. cap. cum dicitur, reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis: de secundis patet Exodi 34. cap. cum dicitur ac deinceps præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. Erant autem istæ tabulæ secundæ similes prioribus & in figura & in scriptura: in figura quidem, quia vtræq; in modum tabularum fabricatæ erant, patet autem ex nomine: quia de vtrisque dicitur quòd erant tabulæ & in eandem leuitatem, nam sicut primas portabat Moyses descendendo de monte, vt patet Exod.32.cap. ita portabat secundas, vt patet Exod.34.ca. quod non potuisset euenire, nisi vtræque formatæ essent tenues in figuram tabularum. Secundo erant similes in scriptura, quia B in vtrisque scripta erant præcepta decalogi: sic patet hic cũ dicitur & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas confregisti, sic etiam patet hic vbi ponuntur eadem verba: patet etiam aliqualiter in hoc, quod Moyses non peccauit in frangendo tabulas: nam Deus facit hic mentionem de fractione tabularum, & tamen non redarguit eum, quod tamẽ feciſſet si peccauisset: nam quandocunque Deus recolit in sacra scriptura aliquod peccatum, redarguit illud, patet hic præcedenti cap. de peccato Israelitarum colentium vitulum, & de peccato Aaron fabricantis vitulum: eodem modo recitatur ista confractio tabularum à Deo Exod. 34. cap. per eadem verba quæ hic ponuntur. *Feci igitur arcam.* Id est mandaui fieri, Beseleel enim fecit, sed Moyses mandabat, & præerat magistris operum videns ne in aliquo deuiarent à mandato Domini. *De lignis Sethim.* De istis lignis dicit Rabbi Sal. quia Iacob plantauit ea in terra promissionis, in qua morabatur, videns in spiritu, quod de eis tabernaculum ædificandum esset: cum autem descendit in Ægyptum duxit secum radices illorum lignorum, & plantauerunt in Ægypto: deinde cum egressi sunt tulerunt secum multa de illis. Aliqui volunt quod ista ligna nascerentur in deserto, scilicet, apud montem Synai. Sed hoc non stat: quia dicitur Exod.35.cap. quòd Moyses dixit viris & mulieribus, quòd offerrent aurum, & argentum, & ligna Sethin: subditur, quòd illi qui habuerunt ligna Sethin obtulerunt ea: si autem ligna Sethin ibi nascerentur, non hortaretur eos ad offerendum ea tanquam aliquid magnum: sed magis mandaret ea scindi secundum necessitates & loca congruentia. Aben Ezra vult quòd ista ligna ducta sint de quadam mansione, quæ dicitur Belsethin, qua fornicati sunt Israelitæ cum Moabitis & Madianitis Num. 25.cap. & quod vocatur Belsethin à lignis illis quæ ibi nascuntur. Sed hoc non potest esse, dato enim quòd ibi ligna illa nascerentur, quod dubium est, non potuissent inde Iudæi afferre: quia Belsethin est vltima mansio, in qua fuerunt filij Israel, & est prope Iordanem, ad quam nunquam accesserunt filij Israel vsque ad quadragesimum annum: quia viam solitudinis ignorabant nisi regente columna nubis.

Et si arguas quòd exploratores præcesserunt filios Israel ad terram promissionis non dirigente columna.

Respondetur quod non est simile, quia Cadesbarne de qua missi sunt exploratores, ex vna parte est terminus terræ promissionis, vt patet Num.34.cap. ideo immediate intrauerunt terram promissionis, in qua quia populata erat, poterat viam scire inquirendo. Non est autem sic, si aliquis veniret de monte Synai vsque Belsethin, quæ est via per solitudines magnas & inuias.

Item quia his datis non possent inde adducere, quia Belsethin est in terra regum Amorrhæorum, scilicet regis Seon iuxta montem Phegor in confinibus Moabitarum, vt patet Nume. 33. & supra 3.cap. sed Amorrhæi non permisissent Israelitas in terram suam, nec inde ligna asportare: quia cum venirent castra Israel eis armati occurrrerunt, vt Num.21. & supra 2.cap. videtur ergo opinio Rabbi Salomonis magis rationabilis. *Cumque dolassem secundas tabulas lapideas.* Moyses dolauit. Primas autem angeli Dei dolauerant vel Deus eas de nouo creauerat, cum dicantur factæ opere Dei.

Quomodo Moyses ad dolandum lapides in deserto habere potuerit instrumenta.

QVÆSTIO II.

SED quæres quomodo Moyses potuit habere instrumenta ad dolandum & læuigandum lapides in deserto, ita vt lapides essent valde plani ad scribendum in eis.

Respondetur quòd hoc solui potest dupliciter, vno modo quòd Deus parauit ei in deserto aliquod instrumentum, quo dolaret & planaret lapides.

Alio modo & melius, quòd descendit Moyses in castra, & ibi accepit dolabram, & hoc patet quia Moyses descendit de monte, & mandauit ei Dominus quòd in reditu nullus ascenderet cum eo, ex quo videtur quòd ipse ad populum venturus erat & locuturus, alias non erat aliquid propter quod diceretur ei, ne ascenderet aliquis cum eo, de hoc patet Exod. 34.cap. cum dicitur, esto paratus vt ascendas mane super mõtem Synai, stabisque mecum super verticem montis, nullus ascendat tecum, nec videatur tecum per circuitum montis: oues quoque & boues non pascantur econtra: ex quo patet manifeste, quòd Dominus mandabat ei loqui ad populum, cum diceret quod nullus videretur in circuitu montis, quod non poterat facere Moyses, nisi loqueretur populo admonens ista, & etiam vt boues non pascerentur econtra. *Ad instar priorum.* Scilicet in quantitate & figura, iuxta id quod prius scripserat, eadẽ continebantur in secundis tabulis quæ in primis, & ratio est quia secundæ tabulæ succedebant loco primarum: ideo idem continere debebant. Et si dicas quod aliquid erat scriptum in primis, quod non erat in secundis, oportet quòd aliquid superfluum daretur in primis, vel defectus in secundis, quod non conceditur, maxime cum tex. repugnet dicens, quod in secundis erat scriptum id quod erat in primis. Et si arguas, quia primæ tabulæ erant scriptæ intus & foris, vt patet Exodi 32.capit. cum dicitur, & reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini: de secundis autem tabulis non dicitur, quod scriptæ erant intus & foris, sed solum quòd erant in eis decem verba: ergo plura erant in primis tabulis quam in secundis.

Item cum in primis tabulis esset scriptura intus & foris, vt patet Exo.32. cap. necesse erat quòd esset aliquid præter præcepta: nam in prima tabula sunt solum tria præcepta ad Deũ

Varia opiniones de lignis Sethim.

A pertinentia : in ſecunda ſunt ſeptem ad proximum : ergo ſi eſſent ſcripta partim intus & partim foris, neceſſe eſſet, vt in vna parte poneretur vnum præceptum, & in alia duo præcepta : ſed non videtur hoc eſſe rationabile, ſcilicet, quod in vna parte tantæ tabulæ ſolum eſſet vnum præceptum ita paruum. Si autem dicas quod in primis tabulis erant decem præcepta ex vna parte duarum tabularum, ſcilicet tria in vna, & ſeptem in alia, & aliis partibus earundem tabularum erat expoſitio præceptorum, hoc autem non erit in ſecundis, nam ſolum fuerunt decem præcepta in ſecundis vt patet hic, cum Deus ſcripſit in tabulis iuxta id quod prius ſcripſerat verba decem, quæ locutus eſt Dominus ad vos de monte de medio ignis, idem patet ſupra 4. cap. ergo plura erant in tabulis primis quam ſecundis. Sed non poteſt ſtare hoc, ſcilicet quod iſta præcepta habuerint aliquam expoſitionem : nam vt declaratum fuit plene Ex. 20. c. illa præcepta Deus per ſeipſum propoſuit populo quæ nullo docente ſiue exponente indigent, ita vt immediate poſtquam Deus talia diceret, quilibet audiens conciperet horum neceſſitatem, & obligationem : alia aũt quæ expoſitione indigebant, Deus per ſeipſum non declarauit, ſed per Moyſen : cum ergo iſta quæ Deus dixit, expoſitione non eguerunt, vt ab omnibus intelligerentur, à fortiori nec poſtea indigerent, cum omnes illa corde tenus ſcirent, & intelligerent. Item patet quod non erat talis expoſitio in tabulis : quia hic fit mentio de his quæ ſcripta erant

B in tabulis ſecundis, & dicit quod erant ea quæ in primis tabulis, & poſtea ſubdit quod erant decem verba, vt patet ſupra quarto cap. Ad argumentum quod ſupra fiebat de ſcriptura intus & foris, reſpondetur quod in tabulis ſolum erant præcepta, tamen in qualibet tabula erant bis poſita : nam in prima tabula erant tria præcepta ex vna parte, & eadem tria ex altera : & in ſecunda tabula erant ſeptem præcepta in vna parte, & eadem ſeptem in reliqua : & iſto modo erant ordinata in ſecunda tabula, licet non ita fiat expreſſa mentio : ſatis enim eſt quod dicitur idem eſſe ſcriptum in ſecũdis quod in primis. *Verba decem quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte.* Vocantur verba licet ſint propoſitiones perfectæ, ſiue orationes imperatiuæ, vt melius loquamur : quia modo loquendi vulgari ſic dicimus vocantes verba orationes completas, & multas orationes vocamus duo verba : vocantur etiam verba, quia valde breuia ſunt, quaſi ſi vnum verbum ſolum diceretur, vbi vna oratio breuis ponitur, vt non mœchaberis, non occides, & ſic de aliis. *In monte.* Scilicet in monte Synai qui vocatur mons Antonomaſice, quia non leguntur in aliquo monte tantum bonum recepiſſe : nam ibi leges, & ſacrificia, & ordinationes ſacerdotum datæ ſunt, & tabernaculum cum omnibus quæ ad eum pertinent, conſtructum

C eſt. *De medio ignis.* Quia totus mons Synai erat coopertus igne, & fumo, & nube caliginoſa maxime in altitudine montis, quando venit Deus ad dandum legem, vt patet Exod. 19. & 20. & ſupra 5. cap. *Quando populus congregatus eſt.* Ad radices montis Synai : & ponitur tanquam aliquid ſingulare, quia nunquam legitur totus populus congregatus ad audiendum vocem Domini, niſi tunc : nam multa Deus dixit ad directionem populi tam moralia quam cæremonialia, ſed inter cætera iſta verba decem per ſe propoſuit populo, cætera autem per Moyſen, vt declarauimus Exodi vigeſimo capite ideo nunquam populus congregatus fuit ad audiendũ Deum loquentem niſi tunc : aliis autem vicibus Moyſes recipiebat aliqua præcepta à Deo, & poſtea proponebat toti populo congregato, vt patet Exod. 24. cap. quando Moyſes propoſuit coram toto Iſrael præcepta iudicialia, & cæremonialia, quæ continentur Exo. 21. & 22. & 23. & totus populus recepit, & in tempore mortis ſuæ cunctis congregatis locutus fuit omnia verba libri huius, vt patet infra 29. cap. & in multis aliis locis, vbi Moyſes referebat ad totum Iſrael præcepta Dei, ſic etiam patet Exod. 12. vbi præceptum de phaſe mandatur dici toti populo. *Et dedit eas mihi.* Primo namque mandauit Deus Moyſi, vt deſcenderet de monte, & dolaret tabulas, & reduceret eas ad eum : dolauit autem Moyſes tabulas atque planauit ita, vt in eis ſcribi poſſet, deinde aſcendit in montem portans eas ſecum, & acceperunt eas angeli Dei, qui locum Dei in hoc tenebant, & ſcripſerunt : ſcriptas autem tradiderunt Moyſi, & hoc eſt quod dicit, & dedit eas mihi, ſcilicet poſtquam ſcripſit eas.

Rurſus de monte deſcendi. Multotiens enim ante hoc montem illum aſcenderat & deſcenderat Exod. 19. & 24. & 32. & 34. *Et poſui tabulas in arca quam feceram.* Non fuit factum hoc immediate poſt deſcenſum de monte : quia prius fecit Beſeleel arcam, & ornauit eam. *Quæ hucuſque.* Id eſt vſque hodie ibi ſunt : loquitur Moyſes de tempore ſuo, ſcilicet quando ipſe iſta dicebat, quia tunc erant in arca, & nunc etiam abſcõdita permanent in quadam ſpelunca vltra Iordanem in monte Nebo in vertice collis : quia imminente captiuitate Babylonica Hieremias audiuit mandatum à Domino, quòd abſconderet tabernaculum, & arcam, & altare incenſi in ſpelunca, quam ei monſtraret in monte, & detulit illuc Hieremias adiuuantibus eum quibuſdam : & inuenit ſpeluncam à Deo paratam ad conſeruationem iſtorum : & quidam ſecuti ſunt eum volentes notare locum, quos Hieremias increpauit dicens, quod nulli demonſtrabuntur iſta vſquequo congreget Deus populum ſuum, de his 2. Macha. 2. cap.

Filij autem Iſrael. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet quorundam incidentium ſuper additio : ſed dices quomodo ponuntur iſtæ caſtrametationes hic, cum non continuentur ſuperiori narrationi, nec vſque ad finem omnium manſionum deſcribantur? reſpondetur quod Moyſes intendebat ponere notabilia, quæ contigerunt eis in itinere, quæ ſupra nõ fuerunt numerata, & ponit de miniſtratione ſacerdotij in filiis Aaron, ideo ſolum nominat illis manſiones interciſæ, vbi iſta contigerunt : ſed non eſt vera intentio Moyſi vt infra patet : quia in iſtis locis qui hic computantur, non fuerunt facta aliqua notabilia de miniſtratione aut ſeparatione miniſtrorum ſicut aliqui putant : ſed facit hic ſcriptura magnam digreſſionem ponendo quoddam incidens : cum enim hic agatur de traditione legis & tabularum, quam legem præcipue gubernabant ſacerdotes, qui erant miniſtri & doctores legis, introduxit Legiſlator narrationem, de morte primi ſacerdotis, qui fuit Aaron, & de ſucceſſione ſuccundi qui fuit Eleazar, & hoc fuit in monte Hor, vt patet Num. 20. cap. licet hic dicatur quod fuit apud Moſera : nam non accipit Moſera pro Moſeroth quæ eſt manſio octaua ante montẽ Hor, vt patet Num. 33. cap. ſed pro ipſo monte Hor, quia alio nomine vocatur Moſera, & propter hanc in qua accidit mors Aaron, ponuntur aliquæ manſiones, quædam ante, quædam poſt : ante quidem, ſcilicet manſio Verot filiorum Iacham, non quidem quòd aliquid notabile factum ſit in ea, ſed quia eſt immediata manſio Moſera, in qua accidit mors Aaron : & non eſt iſta Baneiachan de qua ponitur Num. 33. cap. quia illa eſt apud Moſera, ſi enim Moſera diſtat à Moſeroth, diſtabit Baneiachan à Beroth filiorum Iacham : nam ſicut ſe habet vna manſio duarum priorum ad alteram, & vna ſecundaria ad alteram : ſed Moſeroth diſtat à Moſera per octo mãſiones, vt patet Numeri trigeſimo tertio capite, ergo Baneiachan diſtat à Beroth filiorum Iachan : ponuntur autem hic aliquę manſiones poſt Moſera, ſcilicet Gagad, & Iherabatha, & non ponuntur quia aliquid notabile in eis acciderit, ſed quia ibi finitur terminus deſetti intrando in terram Amorrhæorum : nam ſunt aliquæ iſtarum manſionem circa torrentem Arnon in finibus Amorrhæi de quibus Num. 21. cap. & ponitur primo mors Aaron, quia ipſa fuit filiis ſuis miniſtrandi cauſa. *Mouerunt caſtra ex Beroth filiorum Iacham.* Eadem manſio eſt in nomine ſed non in re, vt patet infra Baneiachã : de qua Numer. 33. cap. cum Beroth filiorum Iacham : ſed hic ſuperadditum eſt Beroth, id eſt putei : Baneiacham idem eſt quod filij Iacham : quia Bane Hebraicè filij ſunt : & fuit iſta caſtrametatio apud puteos filiorum Iacham. *In Moſera vbi mortuus eſt, Aaron & ſepultus.*

Quomodo in Moſera mortuus eſt Aaron, cum alibi dicatur quod in Hor.

QVÆSTIO III.

QVOMODO in Moſera mortuus eſt? quia Num. 20. ca. dicitur quod mortuus & ſepultus fuit in monte Hor, & idem dicitur Nume. 33. cap. Moſera autem per octo manſiones eſt ante montem Hor, vt Numer. 33. capit. Dicit Rabbi Salomon quod in monte Hor mortuus & ſepultus eſt, ſed in Moſera ita planxerunt eum ac ſi ibidem mortuus fuiſſet &

ſepul-

D

Quomodo ponuntur iſtæ caſtrametationes.

E

F

A

sepultus : & ad hoc dicit quod cum accesserunt castra Israel ad montem Hor, filij Beniamin propter labores & penurias quas patiebatur populus, retrocesserunt, vt redirent in Ægyptum, & fugerunt per octo mansiones, quæ sunt inter Hor & Mosera, filij autem Leui persecuti sunt eos ibi comprehendentes, & commisso prælio & plurimis interfectis deletæ sunt quinque familiæ de Beniamin, & duæ de Leuitis : ad vltimũ prævaluerunt Leuitæ, vt reducerent filios Beniamin ad castra, & fecerunt planctum magnum pro occisis in bello, & pro morte Aaron : ista autem confícta sunt à quibusdam Iudeis, vt dent occasionem redeundi in Mosera, sed hæc falsa sunt : quia non perierunt duæ familiæ Leuiticæ : quæ 1. Paralip. 26. ca. ponuntur omnes familiæ Leuiticæ rursus ministrantes : quod factum fuit tempore Dauid : ergo non perierunt in solitudine. Item dato quod istud bellum fuisset, & magnus planctus pro morte Aaron, tamen scriptura non vtitur tam longa transumptione, vt dicat aliquem mortuum & sepultum vbi eum planxerunt, maxime in historicis narrationibus, vbi res sine tropicis figurationibus exprimuntur : fortè dicet aliquis quòd Aaron vere mortuus sit, & sepultus in Mosera. Et si dicatur contra quia in monte Hor mortuus est. Poterit responderi quod mons Hor non est nomen proprium, sed appellatiuum, & signat montem altum, & sic secundum literam Hebraicam multotiens alij montes vocantur mons Hor, vnde potest esse, quod in Mosera sit mons altus, in quo mortuus est Aaron, & sic erit mortuus in Mosera in monte Hor. Sed hoc non potest stare, quia in libro Numerorum vbi directe ponitur Israelitici populi historia, habetur quòd post Cadesbarne mortuus fuerit Aaron, vt ibidem 20. & 33. cap. Item quia mors Aaron fuit anno quadragesimo mense quinto, vt Nume. 33. cap. sed in Mosera steterunt anno secundo : ergo non fuit ibi mortuus. Dicendum ergo quòd fuit mortuus in monte Hor, & ille mons vocatur Mosera, quia non est eadem mansio Mosera & Moseroth : de Moseroth autem dicitur Numer. 33. ca. quod est ante montem Hor per octo mansiones. Et si obiiciatur quòd de Mosera venerunt in Galaad, & deinde in Ebathata, quæ mansiones ponuntur Numer. 33. cap. post Moseroth autem ad montem Hor. Respondetur quod ista loca quæ hic nominantur, non sunt illa loca, quæ ponuntur in prædicto cap. post Moseroth autem montẽ Hor, licet eadem nomina sunt : quia multotiens diuersa loca vnum nomen habent, vt patet manifeste in qualibet regione : quia vt ait Philosophus in primo Elenchorum, quia res infinitæ sunt, voces autem finitæ, necesse est plures res vno nomine appellare æquiuocatione vtentes : quare æquiuocatio locus publicissimus est. *Pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius.* Qui erat primogenitus Aaron, & indutus est vestibus pontificalibus patris in monte Hor videnter Aaron, & immediate mortuus est, vt habetur Numeri 20. capit. *Inde venerunt in Gadgad.* Gadgad & Ethabata sunt nomina aliquorum propinquorum locorum monti Hor : qui sub istis nominibus non nominantur in libro Numerorum, & forte Ethabata est in confinibus Amorrhæorum & Moabitarum : quia vocatur hic locus aquarum & torrentium : quia in finibus illis accesserunt Israelitæ ad torrentes Arnon, & puteus super quo fecerunt canticum Num. 21. cap. *Eo tempore separaui tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini.* Leuitæ & sacerdotes de tribu Leui separati fuerunt à reliquo populo : quia dati fuerunt pro redemptione primogenitorum totius populi, vt Numer. 3. & 8. cap. & hoc in monte Synai, vbi omnia facta sunt, vt patet ex processu Exodi, Leuitici, atque libri Numerorum : nam omnia quæ dicuntur à 19. cap. Exod. vsque 10. cap. libri Numerorum, facta sunt in monte Synai, & fuerunt distincta officia eorum Num. 4. cap. & deinde ministrauerunt portantes arcam, & alia vasa cum toto tabernaculo, vt Num. 10. cap. Item quia nullus alius de populo ausus fuisset tangere arcam, neq; alia vasa, ne moreretur, vt dicitur Num. 8. & 17. cap. de sacerdotibus etiam habetur, quod ministrauerint Num. 16. cap. quando contentio fuit inter Chore, & familiam suam contra Aaron : quia ibi sumpsit Aaron thuribulum, & stetit inter mortuos & viuentes : etiam in sua consecratione ministrauerunt vt patet Leu. 8. & 9. atq; 10. c. ad portandum arcam & ad ministrandum. Rab. Sal. dicit quod licet Leuitæ in monte Synai electi & separati fuissent, tamen hic rursus separati fuerunt : sicut enim in monte Synai separati fuerunt, quia cæteris adorantibus vitulum, ipsi nõ adorauerunt, ita hic aliis fugientibus de castris ad Ægyptum ipsi non fugerunt, sed fugientes reduxerunt : & hanc positionem sequitur Nicolaus, sed iam supra eam improbauimus. Item quia ista quæ subdũtur, non possunt referri ad secundam separationem etiam si daretur : sed principalem institutionis & separationis originem dicunt. Rabbi Abraham Aben Ezra dicit ꝙ hic fuit facta noua institutio, vel separatio : quia forte tẽpore intermedio non ministrauerat tribus Leui in solitudine : ideo ne periret ministerium de tribu illa, renouata fuit institutio vel separatio : sed hoc non stat, quia satis probatum fuit, quod sacerdotes semper ministrauerunt, & dato quod nõ ministrassent, quia non habebant similam, vinũ & oleum, quæ requirebantur in sacrificiis, vt Nu. 28. c. sed tamen Leuitæ semper ministrauerunt, quia necesse fuit eos portasse arcam, & cætera vasa, quæ nullus alius tangere ausus fuisset, vt Nu. 17. c. sed hic dicitur ꝙ separati sunt ad portãdum arcam & cętera vasa Sed forte posset dici ꝙ ista separatio fuit quædam dispositio facta de officio sacerdotum & Leuitarum, & fuit prioris institutionis confirmatio siue approbatio. Et ratio motiua fuit quia tunc mortuus fuit Aaron, qui fuit primus pontifex : in morte autem talium magnorum pontificum solent aliqua de statu populi & ministrorum innouari : hoc satis apparens est, sed adhuc verum non est : nam repugnat hoc literę : quia dispositio secundaria vel ordinatio sacerdotum & Leuitarũ iam ministrantium præsupponit primam, & fundatur super eam : si ergo ista dispositio, de qua hic fit mentio, fuisset secũdaria dispositio, vel aliqua leuis & qualiscũq; ordinatio facta immediate post mortem Aaron, præsupponeret primam ordinationem, & loqueretur de ea scriptura tanquam de secundaria : sed contrarium est in textu, qui loquitur de ista tanquã de prima, ita ꝙ nulla alia præcesserit : cum dicitur eo tempore separaui tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, ꝙ pertinet ad officium Leuitarum : nam nõ debuisset dici sic, sed eo tempore ordinaui tribum Leui vel disposui, quasi esset alia noua ordinatio : sed nec rursus potest dici, quòd in Mosera ordinauit Moyses Leuitas, vt portarent arcam Domini : nam portauerant iam eam per totum desertum à monte Synai vsq; ipsam mansionem Mosera : de qua hic loquitur scriptura : nec potest dici ꝙ eo tempore ordinauit Moyses qualiter portarent Leuitæ arcam : nam modus portandi & inuoluendi eam scribitur Nu. 4. c. in officiis Caathitarum : cum ergo dicatur hic eo tempore separaui tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini : ergo ante non erat separata ad hoc tribus Leui : necesse est ergo referre istam literam ad tempus in quo tribus Leui nondum esset separata à cæteris tribubus ad portandum arcam. Item quia dicitur in litera. *Et stare coram eo in ministerio, ac benedicere in nomine illius vsque in præsentẽ diem.* Id est quòd tunc separaui tribum Leui, vt ministraret coram Domino faciendo sacrificia, & benedicendo nomine illius, quòd erat officium sacerdotum : sed sacerdotes iam alias ministrauerant, & benedixerant populo tempore consecrationis, quo ad minus sacrificia fecerunt in monte Synai, vt patet Leuitic. 8. & 9. & 10. capit. non fuerunt ergo nunc nouiter separati, sed litera loquitur de separatione ad facienda ista ministeria, ergo non est intelligenda ista litera de tempore quo fuerunt in Mosera de aliqua dispositione ibi facta. Item patet hoc ex causa horum quæ redditur in litera cum dicitur. *Quamobrem non habuit Leui partem, neque possessionem cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio eius est sicut promisit ei Dominus Deus tuus.* Id est quia fuit tribus Leui separata ad ministrandum Domino in portando arcam, & stando coram Domino, & benedicendo populum, non recepit Leuitica tribus sortem inter cæteras tribus : quia Deus est possessio eius, id est quia fructus & redditus prouenientes ei pro ministerio diuino, de quibus Num. 18. cap. sunt ei loco possessionis : sed manifestum est quod ista non est ratio ordinationis factę in Mosera dato quod ibi aliqua facta fuisset : nam non fuit causa, vt Leuitæ non haberent partem inter fratres suos, & quod Dominus esset pars eorum, id quod factum est in Mosera, sed id quod factum est in monte Synai : nam ex eo tempore quo mandauit Deus numerari Leuitas, & dari eos pro omnibus filiis Israel, fuerunt separati à reliquo populo, & applicati ad Deum : nam cũ reliquo populo non numerati sunt

B

C

D

E

F

Quando Leuitæ fuerunt separati.

A ad pugnam, vt patet Nu.1.cap. de alia separatione Leuitarum à populo & applicatione eorum ad Deum loco totius populi, vt patet Nume.3. cap. ergo ad illud tempus referenda sunt hæc: sed illa facta sunt in monte Synai, vt patet ex prædictis, sc. quod omnia quæ continentur à 19.c. Exo. vsq; in finem & in toto Leuitico & libro Numer. vsq; ad medium 10.c. facta sunt in monte Synai, patet quia totum est quid continuatū, & Exo. 19. c. fit mentio quòd accesserunt ad montem Synai, & Num. 10.c. fit mentio quomodo inde recesserunt: omnia ergo intermedia Exodi Leuitici, & libri Numerorum facta sunt in monte Synai. Est enim veritas manifesta, à qua nescio quomodo antiqui doctores de uiauerint, quod hoc referatur ad tempus quo Moyses descendit de monte Synai, & fregit primas tabulas, & tunc consonat tota litera. Et non est miranda talis mutatio: quia obseruat Legislator ordinem artificialem & non naturalem, & modus rethoricus est: sic enim cum supra dixisset de his, quæ facta fuerant in monte Synai, nullo interposito transiuit ad ea quę facta sunt in mōte Hor multis intermediis relictis: sed illa interpositio facta est, quia mors Aron, & successio Eleazar faciunt ad ea, quæ narrare intendebat Moyses, quæ facta sunt in monte Synai: & concordat ista expositio superiori & inferiori literæ, quia supra de oratione Moysi agebatur in principio capitul. hic agitur de aliquibus quæ facta sunt immediate ante orationem Moysi, & litera sequens hoc vult, & est sensus, quod

B quando Moyses descendit de monte prima vice, & vidit alios populares colentes vitulum, adiuuantibus eum Leuitis occidit de populo 23. millia virorum: eo tempore acceptauit Deus Leuitas ad ministerium suum, & tunc Moyses separauit eos, vt susciperent officia sanctuarij: sed non data fuerunt eis officia donec post descendente iterum Moyse de monte tabernaculum factum est, & omnia plene distincta sunt: hic proprie separati sunt à populo ad portandum, & tunc rectissime continuatur litera sequens, scilicet. *Ego autem steti sicut prius steti quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Id est postquam ista separatio Leuitarū facta fuit ascendit Moyses secundo in montem, vt oraret pro peccato populi quadraginta diebus: & patet iste ordo narrationis Exod. 32. & sequitur ergo litera. *Eo tempore quando.* Primò descendi de monte, & vidi populum adorare vitulum, & refertur hoc ad principium capit. quia pauloante ista facta sunt, scilicet, per 40. dies ante, quia tabulæ secundæ dolatæ & scriptæ fuerunt quadraginta diebus postquam ascendit Moyses ad adorandum pro populo, & vocatur hoc idem tempus. Ad completam intelligentiam huius considerandum est, quòd hic fit interpositio cuiusdam incidentis in medio sententiæ continuatæ, & propter interpositionem incidentis non debet discontinuari sententia principalis: assumatur ergo tota ista litera quæ incipit ab illo loco. *Filij Israel castra mouerunt.* Vsque illum locum. *Eo tempore separaui.* Et expellatur de medio quasi non esset, & tunc continuetur litera superior cum inferiori illo abiecto, & dicetur sic: reuersusque de monte descendi, & posui tabulas in arca quam feceram, quæ ibi vsque hodie sunt, sicut præceperat Dominus: & tunc subiungatur, eo tempore separaui tribum Leui, vt portaret arcam: & tunc plana est sententia: quia eodem tempore facta sunt omnia ista, & tunc interponatur litera incidentalis quandocunq; voluerimus, scilicet filij autem Israel castra mouerunt de Beroth filiorum Iacham. *Separaui tribum Leui.* Quia Deus eam acceptauit propter non fuisse idolatrantibus mixtam, ideo ego eam separaui ad ministrandum, licet immediate officia distributa non fuerint, vt patet Exodi trigesimo secundo capite, cum Moyses descendens de monte & parans vlcisci crimen in eos, qui peccauerant, dixit si quis est Domini iungatur mihi, id est si aliquis est qui habeat zelum, & velit se ei coniungere, iungatur mihi, & tunc sequitur in litera, congregati sunt ad eum omnes filij Leui, & sic Moyses vocabat ibi eos, qui tenebant zelum Dei, & volebant separari in partem Dei, & ipsi Leuitæ immediate separauerunt se cum Moyse quasi obedientes vocationi, sicut Apostoli vocati à Christo obediebant vocationi eius, & veniebant sicut mandabat: vt patet in principiis trium Euangelistarum, scili. Matthæi, Lucæ, & Ioannis: & in textu Exodi eiusdem capit. magis declaratur cum dicitur, & ait Moyses, consecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisque in filio suo & fratre suo, id est ita consecratæ sunt manus vestræ hodie ad ministrandum Domino per sanguinem filiorum & propinquorum, quos occidistis ad magnum honorem Dei: sicut si consecratæ fuissent manus vestræ ad sacrificandum, sicut consecrantur manus sacerdotum: & multū differt in hoc: quia non solum dixit consecrastis hodie manus vestras in sanguine, sed consecrastris manus vestras Domino, id est manus vestræ ex hodie consecrantur, vt sint aptæ ad ministrandum Domino, & postea sequitur in eadem litera Exodi, vt detur vobis benedictio, id est per ista quæ nunc fecistis, dabitur vobis benedictio, scilicet, vt sitis pars benedicta Domino, & electa in sortem eius: fuit ergo tunc meritum Leuitarum, vt separarentur in partem Domini, & fuit principium separationis: separatio tamen realis de qua hic dicitur, fuit in principio secundi anni exitus de Ægypto castrametantibus adhuc ipsis ad radices montis Synai, de quo Num. 3.c. habetur, cum dixit Dominus ad Moysen, applica tribum Leui & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, vt ministrent ei, & post hoc subditur, numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel à mense vno & supra, & habebis summam eorum, tollesque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, ego sum Dominus, & pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecoris filiorum Israel, & postea subditur in idem, tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei: ego sum Dominus: ista est ergo separatio de qua hic loquitur Moyses, nam nunc loquebatur ad totum populum: oportebat ergo quòd loqueretur de his quæ nota erant toti populo: fuit autem ista separatio nota toti populo, quia coram omnibus filiis Israel in monte Synai facta est. *Vt portaret arcam.* Per hoc significatur ministerium omnium Leuitarum, quod erat in portando tam Caathitarum quam Meraritarum quàm Gersonitarum, vt patet Num. 4. cap. *Arcam fœderis.* Id est arcam in qua erant tabulæ continentes decem præcepta, quæ vocatur fœdus Domini cum Israel. *Et staret coram eo.* Tangitur officium sacerdotum quod faciebant: duo stabant coram Domino offerētes, & orantes, & benedicebant populum, ideo subditur. *Ac benedicent nomine illius.* Id est benedicerent inuocantes nomen Domini super populum: forma autem benedictionis ponitur Num. 6.c. *Vsque in præsentem diem.* Id est ista administratio Leuitarum durauit vsque nunc, & sic durabit in futuras generationes. *Quamobrem non habuit Leui partem.* Quia altaris & tabernaculi seruitio applicitus erat, ideo de bonis sanctuarij gubernari & habere debebat, quia qui altario seruit, viuere debet de altario, vt patet primo ad Corinth. 9. cap. & extra de præben. cap. cum secundum Apostolum. *Partem cum fratribus suis.* Id est non suscepit sortem in hæreditate, sicut alij susceperunt, ideo licet nominetur Leui vnus de filijs Iacob, & caput vnius tribus, vt habetur Genens. 49. & Apocal. 7. cap. tamen non suscepit sortem, nec vocatur communiter tribus in aliis locis veteris testamenti: sed Ephraim & Manasse duas tribus faciunt, qui sunt de genere Ioseph, vt patet Genes. 48. cap. & diuersitas est, quia tribus est quædam extensio cognationis aliquorum ab eodem principio: & magis ista capita tribuum denominantur a diuersitate hæreditatum quàm à diuersitate personarum, sicut nunc est apud nobiles: quia si aliquis nobilis multos filios habeat, non denominant illi diuersas domos vel genera: quia solum est vna sors, quæ apud vnum filium manet, alii autem possunt coniungi aliis generibus, & perdere nomen, sed ille apud quem manet sors, nunquam perdet nomen, quia ex sorte denominabitur: de his dictum fuit latius Num. 27. cap. & iste modus denominandi tribus est communior in sacra scriptura, quia infallibilior. In Gen. autem denominatæ sunt duodecim tribus à duodecim filiis Iacob: quia nondum venerant sortes, erat denominatio à personis sic Apoc. 7. cap. vbi nominat Leui tribum: quia ibi agitur de diuersitate conuersorum ab Apostolis, & numerantur sub nomine tribuum Israel propter significationem duodecim Apostolorum, qui eos conuertebant, & propter congruentiam nominis, quia omnes veri Christiani Israelitæ vocantur: quia templum sunt Dei, & Deum vident, sic dixit Christus de Natanaele, quia sine malitia erat ecce vere Israelita, in quo dolus non est, Ioan. 1. capit. & vocantur Iudæi, id est Christum confitentes, vt vult Apostolus ad Roman. 2. non qui in manifesto est Iudæus, Iudæus est, sed

qui in

Notandū circa verum literæ intellectū quomodo debet legi.

Leuitæ vocati sunt à Moyse sicut Apostoli à Christo.

Quomodo nominantur duodecim tribus cū Leuiū faciat tribū.

A qui in abscondito, in conuersione autem non requiritur hereditas, sed persona, ideo à filiis Iacob, & non à sortibus tribus duodecim nominauit. *Quia ipse Dominus possessio eius est.* Id est, ea quæ dantur ei de iure ministrandi Deo, sunt ei pro possessione. Sic enim mandauit Deus sine sorte propter ministerium ciuitates ad habitandum dari, sicut aliæ tribus per sortem habebant & erant 48. ciuitates, vt habetur Num. 35. cap. Et sicut alię tribus de possessionibus suis pascebantur, ita Leuitæ de decimis & aliis iuribus, vt Numer. 18. cap. *Ego autem steti in monte.* Id est, postquam separaui tribum Leui à reliquo populo post vindictam idololatriæ, ascendi in montem Synai ad caliginem nubis in qua erat Deus.

Quare duæ separationes Leuitarum factæ fuerunt, & quando: & quomodo litera debet coordinari vt id cognoscatur.

QVÆSTIO IV.

SICVT autem dicebamus duæ separationes Leuitarum ad ministrandum Domino factæ sunt, vna quæ non fuit perfecta separatio, sed principium separationis, & causa separationis, & fuit occulta, quia non cognouit populus Leuitas in hoc facto dicatos esse ad cultum Dei, secunda & perfecta separatio, atque cunctis manifesta, & determinata: quia B in ea determinata sunt officia Leuitarum secundum familias suas, prima fuit post dationem legis paululum, scilicet, quadraginta dies vel paucis plus, & hoc in quarto mense anni primi exitus de Ægypto iuxta medium mensis, secunda fuit in primo mense anni secundi exitus de Ægypto. Et litera ista potest exponi de vtraque, si enim exponatur de prima separatione, litera non mutabit ordinem, scilicet, quia primo dicitur quod Moyses reuersus fuit de monte, & posuit tabulas: & tunc separauit tribum Leui, scilicet, in descensu post quadraginta dies quando occidi viginti tria millia virorum, & post hæc steti rursus quadraginta diebus aliis sicut prius steteram, scilicet, in secundis quadraginta diebus, quo oraui pro populo, hoc autem aliquibus bene videtur, scilicet, quod exprimatur de prima separatione, & sic litera continuata: dicendum autem quod non potest exponi ista litera nisi de secunda separatione, quæ est proprie separatio, vt supra dicebamus: nam in prima separatione licet Leuitæ meruerint separari ex facto suo, tamen Moyses non separauit eos, licet denunciauerit eis quod postea separarentur cum dixit eis Exod. 23. cap. consecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisque in sanguine filij, aut fratris sui, vt detur vobis benedictio, id est, ex hoc quod nunc fecistis promeruistis, vt daretur vobis in futurum benedictio, scilicet, in ministratione: in ista tamen litera dicitur eo tempore separaui, necesse est ergo non referri ad primam separationem, sed ad C secundam, in qua Moyses separauit eos coram omni populo: item dato quod prima diceretur separatio facta à Moyse, tamen non fuit determinata ad aliquid: quia non magis ad hoc quam ad illud, sed in ista separatione de qua hic dicitur, fuit facta distinctio officiorum sacerdotum & Leuitarum, cum dicitur vt portaret arcam fœderis Domini, & statet coram eo in ministerio, atque benediceret in nomine illius vsque in sempiternum: necesse est ergo referri ad secundam separationem, in qua ista determinata sunt de officiis sacerdotum atque Leuitarum: item dato quod posset intelligi litera ista de prima separatione, tamen litera non esset continua: quia supra dicebatur, reuersusque de monte descendi, & posui tabulas in arca: ergo erant istæ secundæ tabulæ: nam primas tabulas non duxit Moyses ad castra, nec posuit in arca, sed fregit ad radices montis, vt patet Exod. 32. capit. & supra præcedenti cap. sed prima separatio Leuitarum fuit facta ante adductionem secundarum tabularum, scilicet, cum descendit prima vice Moyses de monte, & inuenit populum idololatrantem, & coniuncti sunt ei Leuitæ, vt adiuuarent ad occidendum idololatrantes, & dixit Moyses cõsecrastis Domino hodie manus vestras: vt patet Exod. 32. cap. post hæc autem Moyses rursus ascendit ad mõtem, vt oraret pro peccato filiorum Israel: & vt acciperet alias tabulas, & datæ sunt ei postea, quod patet ex ordinatione literæ Exod. 33. & 34. ca. ergo ante fuit separatio Leuitarum prima, quam id quod supra ponitur: ergo non erat litera continuata: item quia dicitur supra, & posui tabulas in arca, quam feceram, quæ vsque hodie ibi sunt: hoc necessario intelligitur de arca fœderis quæ erat in sancta Sanctorum, in qua semper tabulæ fuerunt, & tunc erant, & nunc sunt: vt declarauimus late Exod. 20. cap. sed ista arca facta fuit cum cæteris vasis, atque supellectilibus Sanctuarij, vt patet Exod. 25. cap. circa finem primi anni exitus de Ægypto: ergo valde ante fuit quam ista prima separatio Leuitarum: ergo etiam ponendo istam literam intelligi de prima separatione, non potest esse litera continua. Nec enim debet quis tentare facere quouis modo istam literam continuatam: nam Moyses hic eadem sępe dicit & replicat, quod tollit continuitatem scripturæ, & valde perturbata litera est circa finem præcedenti cap. & in toto isto non seruatur aliquis ordo continuitatis scripturæ: & patet quia hic dicitur, ego autem steti in monte sicut prius 40. diebus & 40. noctibus, & exaudiuit me etiam hac vice, nec perdere te voluit. Et supra præcedenti cap. dicitur idem, scilicet, & iacui coram Domino quadraginta diebus & noctibus, quibus cum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, etiam aliqua quæ fuerunt priora ponuntur hic, quã ea quæ ponuntur in principio huius cap. nam manifestum est, quod prius Moyses orauit 40. diebus pro populo quam acciperet tabulas secundas, sed in principio huius cap. agitur de tabularum secundarum datione, cum dicitur dola tibi duas tabulas lapideas sicut priores fuerunt, & postea subditur, cumq; dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus, scripsitq; in tabulis iuxta id quod prius scripserat verba decem: hic autem fit mentio de deprecatione pro peccato populi: ergo mutatus est valde ordo in isto cap. & in præcedenti, debet ergo ista litera intelligi de secunda separatione Leuitarum, & tunc erit continuata cum tota litera superiori, licet non cum inferiori, quia hic fit repetitio prædictorum. *Sicut prius.* Quia iam steterat alia vice, scilicet, quando recepit primas tabulas & fregit eas, & nunc stetit secunda vice, scilicet, ad orandum pro peccato.

Nota qualiter litera legi debet.

An ista fuerit secunda quadragena vel tertia.

QVÆSTIO V.

ET dicit Nicolaus quod illi qui ponunt tres quadragenas moratum fuisse Moysen in monte, ponunt istam fuisse tertiam, sed nullo modo potest poni tertiam, siue ponantur tres quadragenæ, siue duæ: quia secundum illos qui ponunt tres quadragenas, prima fuit ad recipiendum primas tabulas, secunda ad orandum pro peccato, tertia ad recipiendum secundas tabulas: sed ista quadragena de qua hic dicitur fuit ad orandum pro peccato, patet quia subditur. *Et exaudiuit me Dominus hac vice.* Ergo videtur quod illa vice orabat: sed deceptio quorundam est, quia iam bis dictum fuerat quadraginta diebus, & videbatur ista tertia quadragena: sed falsum est quia ista quadragena bis nominatur, scilicet, præcedenti capitulo, de orando, & hic rursum: si ergo dicatur vbi ponetur tertia quadragenaria? respondetur quod licet in litera non ponatur expresse, tamen infertur ex præcedenti capitulo, & ex isto, quia supra dicitur quod quadraginta diebus stetit coram Domino, quibus orauit: deinde in principio huius cap. dicitur, quod mandauit ei Deus dolare lapideas tabulas, & dolauit, & deinde legem scriptam suscepit: ergo vltra quadraginta dies orationis aliqui transierunt, in quibus ista facta sunt, & istos vocant quadragenam tertiam: sed quot fuerunt non patet manifeste. *Et te perdere noluit.* Sicut ante comminatus fuerat, vt patet præcedenti capitulo. *Dixitque mihi vade & præcede populum.* Scilicet, intrando ante eos ad terras ignotas, & loca periculosa, vt non timerent, sicut fecit in mari rubro: quia nullus audebat intrare, & ingressus est Moyses ante eos, & sic quando Deus dixit Moysi quod moreretur, vt patet Numer. 27. cap. rogauit Moyses Deum, vt constitueret Deus hominem super populum, qui præcederet eos, possit exire, & intrare ante eos, educere & introducere eos: hic mandat Deus Moysi, vt præcedat filios Israel ad ingrediendum in terram Chanaan, & ad delendum hostes illos capiendo loca illorum: nam Hebræi sine duce intrare non auderent: nam etiam cum duce intrare timebant,

A & potius volebant mori in ſolitudine, aut reuerti in Ægyptum, vt patet Numer. decimo quarto capitul. cum dicitur, murmurauerunt contra Dominum, & contra Moyſen cuncti filij Iſrael dicentes: vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine: vtinam pereamus, & non introducat nos Dominus in terram iſtam, vt cadamus gladio, & vxores atque liberi noſtri ducantur captiui, nonne melius eſt reuerti in Ægyptum? dixerunt alter ad alterum, conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum, ſic patet ſupra 1. cap. & in aliis locis. Moyſes autem quia erat vir potens in opere & in ſermone, multum confortabat corda filiorum Iſrael, & erigebat genua diſſoluta: ideo erat multum neceſſarius eis ad præcedendum. Dices quomodo Deus mãdauit hic Moyſi, vt præcederet filios Iſrael, & introduceret in terram Chanaan, cum alibi Moyſes rogauerit, & Dominus noluerit aſſentire, vt intraret in terram Chanaan vltra Iordanem? vt patet ſupra quarto capitulo, cum dicitur, precatuſque ſum Dominum in tempore illo dicens, Domine Deus tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam manumque fortiſſimam, &c. Et ſequitur, tranſibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem iſtum egregium & Libanum: iratuſque eſt mihi Dominus propter vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi, ſufficit tibi, ne quaquam loquaris vltra ad me de hac re: vnde ergo tanta mutatio, vt quem antea Deus præcedere admoneret, atque
B mandaret, nunc deprecantem, vt præcedat, vel ſaltem vt tranſeat, nullo modo Deus exaudire voluerit? omnia nobis futura ſiue bona ſiue mala, & quid nos ipſi in futurum agemus non tamen nobiſcum ſic ſe habet, vt exitus actionis noſtræ promerebitur: ſed ſecundum quod prius iuſtitia vel iniuſtitia exigit, vt ſingula puniat, & præmiet tempore ſuo: Moyſes autem tempore quo lex data eſt, & ſtetit cum Domino in monte orans, & recipiens tabulas, nihil peccauerat in Denm propter quod priuaretur ingreſſu terræ Chanaan: & ſi ſic duraſſet ipſe ingreſſurus fuiſſet in eam, & introducturus illum populum Hebręorum, nec erat dignum quemquam alium præfici, vt præcederet ipſo viuente, qui tantę dignitatis extiterat, vt Deo familiariſſimus in verbo, & viſione erat vt patet Num. 12. & infra 34. cap. & non fuit deluſorium mandatum Dei ad eum, quia ſi ſic permaneret infallibiliter præceſſiſſet, atq; terram illam ingreſſus fuiſſet: ſed quia conditio humana defectibilis valde mutatur, maxime ſecundum liberum arbitrium, Moyſes poſt fere 39. annos dum ſtarent in Cadeſbarne ad extrahendum aquas de petra non benedixit Domino ſicut debuerat, accenſus zelo contra populum rebellem, ideo incurrit quandam culpam ſatis leuem, ex qua tamen Deus priuauit illum ingreſſu terrę promiſſionis trans Iordanem, ne gauderet in ea: de hoc late diximus Num. 20. cap. & ſupra 3. cap. in fine, licet ergo Deus ante iſtud peccatum mandauerit Moyſi, vt ingrederetur, præcederetque Iſ-
C raelitas ad terram illam, poſt peccatum eum rogantem hoc idem exaudire non voluit, de hoc Numer. 27. cap. ſic dicitur, aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filiis Iſrael, cumq; videris eam, ibis & tu ad populum tuum ſicut Aaron frater tuus: quia offendiſti me in deſerto Syn in contradictione multitudinis, nec ſanctificare me voluiſti coram ea ſuper aquas. *Et nunc Iſrael.* Enarratis ſupra peccatis, quę populo fuerunt dimiſſa, hic inducit contrario intẽta, ſcilicet, quod debeant timere Deum. *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te.* Quaſi dicat, vides Iſrael, quod Deus multa peccata tibi remiſerit, & nunc petit à te ſolum quod timeas eum, hoc paucum eſt, facias ergo. *Niſi vt timeas Dominum Deum tuum.* Scilicet, Timore filiali, qui eſt timor caſtus vel ſanctus, & permanet in ſeculum ſeculi. Pſalm. 18. *Et ambules in viis eius cuſtodiendo mandata & diligas eum.* Iſte eſt ordo procedendo in gratiæ perfectione, primo aliquis timet Deum timore ſeruili tanquam punitorem, deinde obſeruat mandata eius propter timorem: deinde per aſſiduam talem obſeruationem concipit Dei amorem. *In toto corde tuo & in tota anima tua.* Expoſitum fuit ſupra 5. cap. ſatis late, & vtrum poſſit in via ſeruari tale præceptum. *Vt bene ſit tibi.* Non dicit ly vt, finem ſed conſecutionem, id eſt, ſeruias Deo tuo, & bene erit tibi: ſi autem diceret finem, eſſet ſenſus, quod ſeruiremus Deo ea intentione, vt nobis beneſaceret: ſed hoc falſum eſt, nec tale mandaret lex: quia talis amicitia eſſet vtilis & non honeſta, & eſſet contra preceptum charitatis, quo quis tenetur Deum ſuper omnia diligere, & talis vteretur Deo, & frueretur creatura, quæ eſt magna deordinatio: & patet quia ea quæ ſunt ad finem reſpectu finis vtilia ſunt: quia accipimus ea ad talem finem ſubordinando, & ſolum propter illum finem accipiendo, de quibus in principio primi Ethic. *En Domini Dei tui cœlum eſt.* Dixerat quod Deus benefaceret diligẽtibus. Sed dubitaret aliquis quomodo Deus poſſet nobis benefacere. Et reſpondet quia cœlum eſt in poteſtate Dei, & omnia alia, ideo benefacere poteſt. *En Domini cœlum eſt.* Id eſt, cœlum viſibile: & accipitur hic nomine huius cęli congregatio orbium viſibilium, ſcilicet, ſeptem orbes planetarum, & orbis ſtellatus, & cœlum cryſtallinum, quod magis viſibile eſt quam alij cœli: quia alij propter raritatem non ſunt viſibiles niſi in ſolis ſtellis exiſtentibus in eis, quia habent lumen aggregatum: cęlum autem cryſtallinum propter denſitatem gelidarum aquarum valde viſibile eſt, & videtur in noctibus ſerenis ſub imagine coloris azurini ex denſitate lucis ſiue magna radioſitate.

Et cœlum cœli. Id eſt, cœlum empyreum quod per excellentiam cœlum dicitur, in quo ſancti gloriantur cum Chriſto, & illud inuiſibile eſt, & ſine aliqua ſtella vel motu.

Terra & omnia quæ in ea ſunt, & tamen patribus tuis conglutinatus eſt. Scilicet, nimio amore: & eſt ſenſus licet Deus habeat in poteſtate ſua cęlum & terram, & nullo indigeat, tamen ex ſola benignitate ſua dilexit patres tuos: deberes ergo pro E tanto beneficio ei toto animo inhærere.

Quomodo Deus dicitur conglutinatus Iudæis.

QVÆSTIO VI.

DICITVR autem hic Deus conglutinatus amore Iſraelitis, ſcilicet, patribus eorum, qui ſupererant tempore Moyſi ad notandum magnum amorem: nam ſic Deus omnia poſſidet, vt patet Exod. decimo capitrlo, & Pſalm. vigeſimo tertio, ſcilicet, Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo, idem Pſalm. 49. & 102. ita Deus omnia amat, nam ſi ea non amaret diffundendo benignitatem ſuam in ea, nullo modo permanerent ſaltem per iuſtitias, vt patet Sapientiæ vndecimo capitulo, cum dicitur, ſed miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti, quomodo autem poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet conſeruaretur? quaſi dicat, impoſſibile erat: Deus tamen omnia amans non æqualiter omnia amat: & vt de cæteris ſileam quæ naturalia ſunt, & quæ Deus diligit ſecundum quod eis maiorem perfectionem tribuit, ita vt F magis amet equum quam margaritam & quam arborem, de hominibus dicendo in tempore illo nullos homines Deus magis amauit quam Hebræos, vt patet Exod. decimo nono capitulo, cum dicitur, ſi ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Ad declarandum ergo iſtum amorem ſingularem, quem habebat Deus ad filios Iſrael, dixit conglutinatus eſt: quia iſtud verbum ſignat quandam magnam vnionem, & amor eſt vis vnitiua faciens duos eſſe vnum, nam amicitia eſt idem velle & idem nolle, vt ait Tullius in libro de vera amicitia, & Ariſtoteles in 9. Ethicor. ait, quod amicus eſt alter ipſe: magnus autem amor multum vnit, & hoc iam vocatur conglutinari ſiue ſit amor honeſtus, ſiue delectabilis inhoneſtus: nam in quolibet genere eſt dare intenſionem amoris, quæ iam vocatur conglutinatio, de amore inhoneſto habetur Geneſ. 34. de amore quem concepit Sichem filius Emor principis terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum ea vi opprimens virginem, & conglutinata eſt anima eius cum ea: de amore autem honeſto dicitur hic, nam Deus quicquid amat honeſte amat, licet amor eius multum diſtinguatur à noſtro: quia in eo non eſt vlla affectio, vt in nobis, qui menſuramus quantitatem amoris per quantitatem affectionis.

Id eſt,

A

Id est, nos de cunctis gentibus. Quia nullam aliam gentem nisi Iudæos elegit, vt patet supra 4. cap.

Sicut hodie comprobatur. Satis enim patebat per mirabilia, quæ Deus pro ipsis fecerat, & continuo faciebat, scilicet, in apertione maris rubri, in manna dato, in victoria mirabili de hostibus.

Circuncidite ergo præpucium cordis vestri. Id est, superflua vel noxia desideria: sicut præpucium aliquid in carne superfluũ videtur, ita malitia voluntatis magis est per superabundantiam, quam per defectum, sed vtrumque malum est: quia in solo medio virtus est, & patet Psalm. 79. Incensa igne & suffossa ab increpatione vultus tui perierunt. Incensa igni, id est, super medium eleuata, quia ignis eleuat, & suffossa, id est, defectus infra medium, quia ita deficit à medio, sicut suffossa ab æqualitate terræ deficiunt: ab increpatione vultus tui perierunt, id est, Deus vtrumque detestatur.

Et ceruicem vestram ne induretis amplius. Metaphora est, qua Deus communiter vtitur contra Hebræos, sicut enim qui habet duram ceruicem caput flectere non potest, ita qui superbus & inobediens est subiici Deo non vult: huiusmodi autem erant Hebræi quia etiam si aliqua bona eis dicerentur, cito deserebant ea reuertentes ad mala, quibus assueti erant, & sic dixit de eis Deus Moysi Exod. 32. cap. cerno, quod populus iste duræ ceruicis est, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & supra cap. 9. dicitur scito, quod non propter iustitias tuas Dominus dederit tibi terrã hãc optimã in

B

possessionem, cum durissimæ sis ceruicis populus, & sic cognoscens Iosue duros fore dixit, quod non poterant seruire Deo, sic patet Iosue 24. cap. cum dicitur, non poteritis seruire Domino: Dominus enim Deus sanctus, fortis, & æmulator est, & non ignoscet delictis vestris: sic etiam dixit eis Dominus per Hieremiam cum videret duritiem & incorrigibilitatem Hierem. 13. capitul. si potest mutare Æthiops pellem suam, & Pardus varietates suas, & vos poteritis bene agere cum didiceritis malum: ab hac ergo ceruicis duritie admonet Moyses eos corrigi, vt Deus acceptet eos in populum gratum sibi. *Ipse est Deus deorum.* Id est, Deus potentior quam illi quos Gentiles deos vocant: inducit autem hic Hebræos ad amorem Dei, & quia id quod amatur sub ratione boni amatur, & quanto magis bonum est, tanto magis amatur secundum regulam philosophi: si simpliciter ad simpliciter, & magis ac maxime, ideo vt Deus verus maxime ametur ab eis, ponit multas conditiones & bonitates Dei, & primo vocat eum Deum deorum, id est, Deum excellentem alios deos, & hic facit scriptura impropriam partitionem & comparationem: nam dij nulli sunt præter Deum verum: ideo non poterat comparari Deus verus aliis dijs, sicut non est partitio, siue comparatio inter ens & non ens, sed loquitur secundum intentionem hominum errantium, qui putant ista, quę coluntur ab eis deos esse: est tunc sensus, quod Deus verus,

C

qui est Deus Hebræorum est Deus deorum, quia alij dij quicunq; sint, nihil possunt facere contra Deum verum, & ipse potest eos destruere quando vult, sicut destruxit deos Ægyptiorum, vt patet Exod. 12. & Num. 33. cap. cum dicitur: nam & in diis eorum fecerat iudicia. *Dominus dominantium.* Sic dicitur Apoc. 1. cap. quod Deus est rex regum, & Dominus dominãtium, & sciendum, quod Moyses ponit hic duo magna de Deo per ordinem primum, quod Deus est, secundũ quod Dominus est: maximũ autem quod à mortalibus cogitatur, & secundum veritatem est, est esse Deum: nam sic diffinitur, quod Deus est, quo nihil maius excogitari potest, id est, quia tamen gentes multos deos posuerunt, oportebat, quod si aliquid summum bonũ esset, foret maius omnibus illis diis positis à gẽtilibus: quamobrem dixit Moyses ipse est Deus deorum, id est, maior quam alij dij: gentiles autem post deos maximum bonum reputabant esse reges: nam regem felicissimũ iudicabant, & sic ipsi reges aliquando in vita vocabantur dij, & gentes tenebant eos quasi in reuerentia deorum: sic vocat eos Ouid. deos in libro primo de arte amandi, cum dicit,

Parate mortales natales numerare deorum.
Cæsaribus virtus euenit ante diem.

& quia reges dominantur valde, exprimit Deum esse Dominum dicens, Dominus dominantium Deus magnus, & potens, vocatur Deus magnus ex magnitudine virtutis suæ, & bonitatis: habent namque omnia attributa magnitudinem virtutis in Deo, cum sint infinita secundum essentiam & bonitatem.

D

Deus magnus & potens & terribilis. Istud est quod maxime attendebant Iudæi, scilicet, vt Deus suus esset talis, qui posset eos liberare ab omnibus aduersitatibus: nam quidam dij aliarum gentium non poterant liberare cultores suos à malis, sicut dij Ægyptiorum in quos fecit iudicia: Deus autem Hebræorum potens erat liberare eos ab omnibus malis, & sic eripuit in mari rubro, & in deserto, atque cæteris locis, vt sæpe enarrauit eis Moyses: terribilis dicitur Deus terribilis malis, quia eos fortiter punit maxime potentes huius seculi, qui contra eum superbiunt, vt patet Sapientiæ sexto capit. cum dicitur potentes autem potenter tormenta patientur: vel dicitur fore terribilis contra hostes eorum, quia eos dure punit, vt patuit in Pharaone & seruis eius in mari rubro, & in Amorrhæis quos deleuit in foraminibus petrarum, vt patet Numer. 21. cap. *Qui personam non accipit, nec munera.* Id est, non agit contra iustitiam pro aliquo, qui diues est, nec pro nobili vel potente.

An in Deo sit acceptio personarum, quia quosdam prædestinat alios vero damnat.

QVÆSTIO VII.

ET si arguas quod Deus personam accipit, quia antequam homo sit aliquid sine causa eligit, & aliquid sine causa cadere dimittit, vt habetur Malach. 1. & ad Rom. 9. cap. antequam quicquam boni, vel mali facerent Iacob dilexit: Esau autem odio habuit.

E

Respondetur quod cum acceptio personarum sit contra iustitiam distributiuam, solum est in eis vbi requiritur dignitas personarum ad distributionem, & distribuens habet regulam ad sic, vel sic distribuendum: si tamen dignitas personę cui distribuitur, dependet ex voluntate distribuentis, non potest esse acceptio personarum, vt si aliquis iudex debet distribuere sententiando damnum vel commodum, pœnam vel honorem, requiritur dignitas in persona cui distribuitur, & ista dignitas non dependet ex voluntate distribuentis, sed à re ipsa, ita quod non potest iudex per voluntatem suam iustificare causam aliquam, sed iustificatio dependet ex meritis causæ, ideo si iudex non attentis meritis causæ alicuius causam alterius ex sola voluntate iustificare vult pronuncians esse bonam, personam accipit: si tamen aliquis de bonis suis distribuere velit, & alicui minus honesto det non dans magis honesto, non accipit personam, quia dignitas quæ hic requiritur, vt alicui distribuatur ex sola distribuentis voluntate dependet. Sic Dominus vineæ, qui distribuit magis venientibus sero quam cito, non fuit acceptor personarum: vnde dixit si oculus tuus nequam est, ego autem bonus sum Matth. 20. capitulo, & hoc Christus approbauit, &

F

in illis cum non sit aliqua regula cogens distribuentem ad certum modum distribuendi, nunquam est acceptio. In Deo autem sic est, quod gloria, quæ est visio Dei, est quoddam bonum eius ad quod eligitur homo antequam nascatur: cum ergo tunc non sit in homine aliqua dignitas, nec indignitas, Deus non accipit personam in eligendo hunc, & non eligendo illum, & sic ait Apostolus ad Roman. nono, tu homo quis es, vt respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit quid me fecisti sic? non est autem aliqua regula secundum quam Deus in eligendo dirigi posset: ideo non potest accipere personam: si autem Deus aliquem qui iuste operatur damnaret, & aliquem male operãtem saluum faceret, personarum acceptor esset, quia iam legem posuit per quam semper operabitur, scilicet, qui bona egerunt, ibũt in vitam æternam, qui vero mala, ibunt in ignem æternum. Et ideo B. Petrus quando vidit, quod Cornelius, qui conabatur in gentilitate adhuc existens quantum poterat bene operari, à Deo illuminatus est: dixit in veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & facit iustitiam acceptus est illi, Actuum 10. capitulo. *Facit iudicium pupillo & viduæ.* Id est, non corrumpit iudicium contra eos propter fauorem, quod frequentissime iudices consueuerunt, vt Isaiæ primo capitulo, pupillo non iudicant, & causa viduæ non intrat ad eos. *Amat peregrinum.*

Iudæi

A Iudæi erant crudeles cum nullo charitatem habentes, & maxime efferebantur, vt beſtiæ contra peregrinos cum nullum haberent adiutorem deſtruentes eos, & Dominus hoc nimis prohibebat, vt patet Exod. 22. ca. cum dicitur, aduenam non contriſtabis, nec affliges eum: aduenæ enim fuiſtis in terra Ægypti: vult ergo eos incitare ad amorem peregrinorum, vt infra concluditur, ſcilicet, & vos ergo amate peregrinos: & quia homines mouentur ad agendum aliqua quando vident aliquos ſapientes, ſiue viros bonos facere ea: ponit hic exemplum de Deo qui certiſſimus eſt dans omnibus certitudinem, quam habent, & nunquam potens errare dicens, quod Deus amat peregrinum. *Et dat victum atque veſtitum.* Hic ponitur ſignum dilectionis, nam diceret aliquis quod Deus non diligit peregrinos, reſpondet probando, quod ſic per id quod facit: nam vt ait Gregor. in Homilia ſuper illud Ioan. hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, quod ſignum dilectionis exhibitio eſt operis: ſi ergo Deus facit bonum peregrinis, eo modo quo facit eis bonum diligit eos, ſed dat eis victum atque veſtitum, ergo diligit eos, hoc autem ipſe dicit hic, ſcilicet, quod Deus dat iſtis peregrinis victum & veſtitum, vt patet Pſalm. 136. qui dat eſcam omni carni, & Sapientiæ ſexto dicitur, quod puſillum & magnum ipſe facit, & æqua eſt ei cura de omnibus, ergo de peregrinis, & aduenis, & omnibus generibus perſonarum curat Deus bonitatem ſuam cunctis diſtribuens. *Et vos ergo amate peregrinos.*

Signũ dilectionis Dei in peregrinos

B Quaſi dicat, ſi Deus amat eos, iuſtum eſt vos amare eos. *Quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Ægypti.* Et ſicut volebatis tunc vobis benefieri, ita & iſtis bonum faciatis, ſic dicitur Exod. 22. cap. aduenam non contriſtabis, nec affliges eum: aduenæ enim fuiſtis in terra Ægypti. *Dominum Deum tuum timebis.* Vt non facias contra mandata ſua. *Et ſeruies ipſi.* Faciendo præcepta affirmatiua quæ mandauit. *Ipſi adhærebis.* In ipſo totam tuam ſpem & amorem locando. *Iurabis in nomine eius.* Non mandat iurare: ſed ſi iurare volueris melius eſt iurare in nomine eius quam in nomine idolorum, quia non licebat illa nominare Exodi vigeſimo tertio, per nomen externorum deorum non iurabitis, nec audientur ex ore veſtro, & Pſalm. 15. non memor ero nominum eorum per labia mea: ſimile habetur Pſalm. 4. Iraſcimini & nolite peccare, id eſt, ſi irati fueritis inſurgentibus in vobis talibus motibus nolite peccare, id eſt, non deducatis ad executionem percutiendo, vel malum dicendo per iram, vt ſic peccetis: de iſto iuramento dicitur etiam ſupra 6. cap. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, & in nomine eius iurabis. Ex quo aliqui Iudei aſſumpſerunt occaſionem errandi dicentes iuramentum eſſe actum latriæ, & eſſe frequentandum tanquam quælibet bona opera, quia dicitur, quod iuremus in nomine Domini, de hoc vtrum ſit actus latriæ, vel quomodo oporteat iurare late diximus Exod. 20. cap. ſuper ſecundum præceptum, ſenſus autem huius literæ non eſt, quod nos iuremus tanquam

C ex præcepto vel neceſſitate, aut tanquam bonum ſit iurare, ſed ſi placuerit vobis iurare, ſiue debueritis ex aliqua cauſa iurare, non iuretis per nomen deorum alienorum: nam in hoc quendam honorem eis impendebant, quod Deus per omnem modum intendebat vetare, ne maneret in eis vlla radix idololatriæ. *Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus.* Id eſt, ipſe eſt quem laudare debes, ita quod ſolum gaudeas, quod talem Deum colis, vel ipſe eſt, qui te laudabilem facit, quia aliæ gentes laudabant Iudæos, quia talem Deum, & talem legem, & beneficia habebant, vt patet ſupra 4. cap. hæc eſt ſapientia veſtra, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant: en populus ſapiens & intelligens, & gens magna, & Pſalm. 143. beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, & beatus populus cuius Dominus Deus eius. *Qui fecit tibi hæc magna atque terribilia quæ viderunt oculi tui.* Poteſt iſta litera intelligi dupliciter, vno modo, quod magnalia & terribilia ſint idem, & tunc eſt ſenſus, quod Iudæi debent colere Deum, qui fecit in Ægypto mirabilia, in Pharaone & ſeruis eius, & iſta mirabilia vocantur magnalia, quia erant à magna Dei poteſtate, nam nullus alius poterat facere iſta, niſi eſſet verus Deus, & ſic dicit ipſe Exod. 9. & 10. cap. in hoc cognoſcent Ægyptij, quod ego ſim Deus, vocantur terribilia, quia erant dura Ægyptiis patientibus ea. Alio modo poteſt intelligi, vt ſint duo, ſcilicet, magnalia referantur ad mirabilia, quæ Deus faciebat Hebræis dando eis bona, & terribilia referantur ad miracula facta ſuper Ægyptios inferendo eis mala: & hoc proprie innuit litera cum immediate ſubdit exemplum de magnalibus dicens in 70. animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cęli: nam valde fuit mirabile, vt in tam pauco tempore, & ex tam paucis perſonis tanta millia naſcerentur, ideo tanquam pro admirabile poſuit illud ſcriptura Exod. 1. cap. cum dicitur filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati atque roborati ſunt nimis, & repleuerunt terram: pro vtriſque autem tam pro magnalibus, quam pro terribilibus ei gratias agere debebant laudantes eum. *In ſeptuaginta animabus.* Id eſt, cũ ſeptuaginta. *Deſcenderunt patres tui in Ægyptũ.* Sexaginta ſex animæ venerunt cum Iacob de terra Chanaan in Ægyptum: & Ioſeph, & duo filij ſui, qui nati ſunt in Ægypto ante aduentum patris, ſcilicet, Ephraim, & Manaſſe ſunt 69. & ipſe Iacob, qui non computabatur in filios ſuos, & ſic ſunt 70. animæ, vt patet Geneſ. 46. cap. vbi de hoc late fuit dictum. *Et ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cœli.* Et hoc magnum beneficium eſt, quare teneris eum amare, & timere.

Duplex litera expoſitio

D

Caput XI.

E *AMA itaque Dominum Deum tuum, & obſerua præcepta eius, & cæremonias, iudicia, atque mandata omni tempore. Cognoſcite hodie, quæ ignorant filij veſtri: qui non viderunt diſciplinam Domini Dei veſtri, magnalia eius, & robuſtam manum, extentumque brachium: ſigna & opera quæ fecit in medio Aegypti Pharaoni regi, & vniuerſæ terræ eius, omnique exercitui Aegyptiorum, & equis ac curribus: quomodo operuerint eos aquæ maris rubri, cum vos perſequerentur.*

Connexio cap. Diuiſio eiuſdẽ.

AMA itaque. In ſuperioribus a 6. c. vſque huc poſuit diuerſa incentiua ad diuinum amorem: hic infert intentam concluſionem, & tanguntur principaliter duo. Primo concluſio intenta. Secundo huius concluſionis ſuperadduntur multa fulcimenta ibi. *Cognoſcite hodie.* Et iſta in multas particulas ſubdiuiditur, de quibus infra patebit. *Ama itaque Dominum Deum tuum.*

Quare Moyſes primo loquitur de amore Dei.

Quæstio I.

F LICET ſecundum viam naturæ, vel generationis per tinorem ad omne bonum deueniatur, quia eſt initium in generatione imperfectorum, cum amor ſecundum viam eminentiæ omnia bona contineat in virtute, quia qui diligit proximum legem impleuit, & plenitudo legis dilectio ad Roman. 13. cap. mandat ergo amare tanquam in hoc omnia bona mandet, vt patet Matth. 22. quia in amare lex pendet & Prophetæ.

Et obſerua præcepta eius. Bene ſequitur ex præcedenti, qui enim amat omnia facit, quia amanti nihil eſt difficile: nam fortis eſt, vt mors dilectio, & dura, vt infernus æmulatio, vt patet Cant. 8. cap. num lampades eius lampades ignis: aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non obruent illam: quomodo autem amor fortis ſit ſiue honeſtus, ſiue inhoneſtus, ſatis dictum fuit ſupra nono capitulo, nam ſi amor inhoneſtus fortis eſt, & amor honeſtus fortis erit cum deuenerit ad eundem gradum perfectionis vterq; in ſua ſpecie, ſicut enim amor inhoneſtus eſt fortis vt mors, ita amor radicatus Dei eſt fortior quam mors: nam amantes mortem ſpernunt, vt fruantur Chriſto amato, primo ipſam amplectuntur, quia eis mandat ad conſecutionem amati: nam ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Chriſti contumeliam pati, vt patet Actor. 5. ca. hoc autem eſt, quod eum veriſſime diligebant: de fortitudine huius amoris ait Apoſtolus ad Rom. 8. cap. quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti tribulatio,

an angu-

A an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum eſt, propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos: certus ſum enim quod nec mors, neque vita, neque angeli, nec principatus, neque virtutes, nec inſtantia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec creatura alia poterit nos ſeparare à charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Atque mandata omni tempore.* Hic ponuntur quatuor, ſcilicet. *Præcepta.* Scilicet, moralia. *Et cæremoniæ.* Id eſt, præcepta cæremonialia. *Iudicia.* Id eſt, præcepta iudicialia. *Et mandata.* Hoc generaliter quamcunque ſpeciem præceptorum, nec eſt alia ſpecies præter iſtas tres. *Cognoſcite hodie.* Hodie hic ponitur ſecundum, ſcilicet, prædictæ concluſionis fulcimenta: probat enim hic quod Deum amare debent, & ponuntur tria.

Primo narrantur beneficia præterita. Secundo ponuntur futura ibi. *Terra enim ad quam.* Tertio ad ingreſſum terræ promiſſionis quædam documenta ibi. *En propono cognoſcite hodie.* Id eſt, recordare vel recogita ea, quæ cognouiſti & vidiſti. *Quæ ignorant filij veſtri.* Scilicet, paruuli qui boni & mali ignorant diſtantiam: poteſt etiam intelligi de filiis, qui iam erant iuuenes, licet à patribus audiſſent mirabilia: tamen non viderant oculis ſuis omnia, quæ Deus pro eis fecerat. Intentio huius literæ eſt, quod Moyſes intendebat reducere Iudæos ad amorem veri Dei, & quia homines amant eos, qui benefaciunt eis, quia vt ait Salomon in prouerbiis multi colunt perſonam potentis, ſed ſunt amici dona tribuentis: volebat eos in hoc reducere per memoriam beneficiorum receptorum, & iſte modus frequentatus eſt in ſacra Scriptura, ſic enim inducebat Exod. 19. cap. dicens vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, & quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum: dicit ergo eis hic cognoſcite hodie, quæ ignorant filij veſtri, quaſi dicat, vos cognoſcitis ſecundum habitum mirabilia, quæ Deus fecit pro vobis, quia tamen cognitio habitualis modicum aut nihil mouet, niſi cum actualiter per habitum cognoſcimus, vt declarat Ariſtot. in 7. Ethic. tractans de cognitione incontinentis: monet eos, vt ad memoriam reducant actualem cognitionem de mirabilibus Dei, & hoc eſt quod dicit cognoſcite hodie, id eſt, licet vos à multis temporibus cognouiſtis mirabilia, quæ Deus fecit in vobis & pro vobis, tamen ante cognoſcite, id eſt, actualiter conſiderate de eis reducentes ad memoriam, & hoc hodie, quia tunc Moyſes eis narrabat ea, quæ Deus fecerat pro eis: hæc autem ignorabant filij ſui, quia licet ſæpe audiuiſſent à patribus ſuis, tamen per ſe non viderant: viſus autem certiorem & diſtinctiorem cauſat cognitionem, quam auditus, vel quilibet alius ſenſus, nam vt ait Ariſtotel. in principio primi Metaph. ſenſum viſus plus diligimus, quia plures rerum nobis differentias oſtendit. *Qui non viderunt diſciplinam Domini Dei veſtri.* Scilicet, qualiter peccantes correxerit, C quando murmurauerunt, vel vitulum adorauerunt. *Magnalia eius.* Id eſt, miracula. Et ſignificat large omne miraculum. *Robuſtam manum & extentum brachium.* Iſta ſunt miracula quæ pertinent ad bellum contra hoſtes, ſcilicet, qualiter Deus pugnauerit contra Ægyptios, vt Exodi decimo quarto, fugiamus Iſraelem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos. *Signa & opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi.* Id eſt, plagas quas intulit Ægyptiis. *Et vniuerſæ terræ eius.* Quando aliqua plaga veniebat toti Ægypto communis erat, ita quod non eſſet aliquis locus habitatus in tota Ægypto, in quo non mitteretur plaga præterquam in locis, in quibus habitabant filij Iſrael, vt habetur Exod. octauo, & nono capitulo, non tamen eſt putandum quod in terra, in qua erant filij Iſrael, non erant iſtæ plagæ: nam Hebræi habitabant in terra Geſſen, & morabantur inter Gentiles, vt patet Exod. tertio & vndecimo capitulo, vbi mandat Deus, quod mulieres petant vaſa aurea, & argentea, & veſtes precioſas, vnaquæque à vicina ſua Ægyptia, & ſic ſpolient Ægyptum: ergo Hebræi inter Ægyptios habitabant, quos pro vicinis & hoſpitibus habebant, ſed omnes iſti Ægyptij patiebantur, ſicut & cæteri Ægyptij: ergo oportebat quod plagę à Deo inflictę venirent in terra illa, ſed Hebræis non nocebant, quia propter eos datæ nō erant: nam licet aqua verſa eſſet in ſanguinem, vbi Hebræi morabantur, tamen quando ipſi aquam hauriebant vertebatur in aquam dulcem, atque potabilem: locuſtæ etiam, & grandines, ventus vrens, & cæteræ plagæ fuerunt in locis, vbi fuerunt Hebręi, ſed neque grandines eis nocebant, aut iumentis ſuis, nec aliquid aliorum: modi autem quomodo non nocebant iſtæ plagæ Hebræis, & rebus eorum poſiti ſunt à nobis Exod. ſeptimo capitulo. *Et omni exercitui Ægyptiorum.* Quia ſubuertit eos in mari, vt Exod. decimo quarto capitulo. *Equis ac curribus.* Iſti ſunt currus falcati, in quibus ad bellum procedebant antiquitus reges, & magni viri, vt patet ſæpius in libro Regum, & in Alexandreide libr. 3. vbi dicitur, quod Darius in curru pugnabat & Zoroas Memphites: iſti currus magni valoris erant, & patet in hoc, quia magni reges non poterant habere niſi 400. vel 500. currus, & habebant iſti currus quatuor equos: ideo quadrigæ vocantur, vt currum veloci impetu raperent, & erant equi armati habentes in frontibus lōgos & acutiſſimos enſes, vt quicquid obuium è regione haberent, faciliter tranſigerent: erant rotæ habentes enſes affixos curuos in modum falcis, vt quicquid à dextris, vel à ſiniſtris impeterent, vel acutie & impetu ſcinderent, vel curuitate retinerent, ideo currus falcati ab enſibus curuis in modum falcis dicebantur: inſidebant autem cuilibet currui quatuor vel quinque milites pro magnitudine currus & fortitudine equorum, qui indę iaculis in diuerſas belli acies vtebantur: iſti currus præ velocitate & fortitudine acies hoſtium diſturbabant: ſed hoc damni habebant, quod ſolis planioribus locis vtiles erant propter periculum euerſionis, & ſubitæ confractionis: ideo in modernorum bellorum vſum non veniunt. *Et deleuerit eos Dominus vſque in præſentem diem.* Id eſt, tunc totaliter deleti ſunt per mortem, vt nequaquam vlterius nocere valeant, & ſic patet Exod. decimo quarto capitulo, Ægyptios enim quos nunc videtis nequaquam vltra videbitis vſque in ſempiternum. *Vobiſque quæ fecerit in ſolitudine.* Eſt conſtructio ſuſpenſiua, id eſt, filij veſtri etiam ignorant quid fecerit Deus in ſolitudine, ſcilicet, in ſolitudine, quæ erat ex mari rubro vſque Cadeſbarne: eſt enim ibi magna ſolitudo & terribilis, vt habetur ſupra octauo capitulo. Quando autem iſta loquebatur Moyſes non erant in ſolitudine, ſed in terra regum Amorrhæorum, quaſi cœperant contra Phanum Phegor, vt patet ſupra tertio capitulo. *Dathan atque Abiron filiis Heliab qui fuit filius Ruben.* Id eſt, etiam neſciunt quid fecerit Deus iſtis: quid autem paſſi ſunt, & propter quam cauſam habetur Numer. 16. ca. iſti namque Dathan & Abiron inſurrexerunt inſurgente Chore, & terra abſorbuit eos viuentes cum tota eorum ſubſtantia, & omnibus quæ ad eos pertinebant, vt patet Numer. 16. & 26. cap. iſti duo Dathan & Abiron fuerunt fratres, & filij vnius patris, ſcilicet, Heliab, & iſte Heliab dicitur filius Ruben, non quod ipſe Ruben genuit eum immediate, ſed quod veniebat de progenie ſua, nam non poterat eſſe, vt iſti eſſent nepotes Ruben, nam ſequeretur eos habere cum introiſſent in deſertum plures quam 150. annos quod impoſſibile erat ſecundum cōditionem ſtatus illius temporis, & patet conſequentia, nam ſi Heliab pater iſtorum eſſet filius Ruben genuiſſet eum Ruben cum intraſſet Ægyptum, nam tunc erat Ruben 46. annorum, vt declaratum fuit Exod. 2. ca. & in eo tempore, & ante hoc maxime generabant: dato ergo quod Heliab, tunc naſceretur cum homines illius temporis accipiebant vxores in 18. anno, & generabant aut paulo ante vel paulò poſt, vt declarauimus Geneſ. 38. ca. naſcerentur ergo ad magis Dathan & Abiron 40. vel 50. annis poſt introitum in Ægyptum: computando ergo reliquos quibus manſerunt Iſraelitæ in Ægypto qui ſimul fuerunt 215. vt declarauimus Geneſ. 15. & Exod. 2. cap. manebūnt anni 165. ad minus vel quaſi, quos tunc haberent iſti duo Dathan & Abiron, quod totaliter falſum eſt: dicendum ergo quod vocatur Heliab pater iſtorum filius Ruben non, quod eſſet filius natus ab eo immediate, ſed quod eſſet de genere eius, & omnes tales vocantur filij, ſic dicitur de Aſa rege Iuda, quod fuit filius Dauid, vt patet 3. Reg. 15. cap. & tamen fuit abnepos eius, ſcilicet, tertius ab eo, vt patet computando lineam, quia Dauid genuit Salomonem: Salomon genuit Roboam: Roboam genuit Aſa: Hæc patet Matth. 1. cap. ſic Ioſias vocatur filius Dauid, vt patet 4. Regum 23. cap. & Ezechias dicitur filius Dauid 4. Regum 18. cap. & dicitur Eliſabeth mater Ioannis de filiabus Aaron, vt patet Luc. 1. cap. quæ tamen diſtabat ab Arnon per multa tempora.

Præteritorū beneficiorum enarratio.

Falcato curru antiquitus in bello vtebātur.

A *Quos aperto ore suo absorbuit terra.* De ore terræ Iudæi quædam trusitica fabulantur, scilicet, quando Deus creauerit os terræ & alia decem coæua, quæ dicunt à Deo creata in die sexto cum Sol vellet occidere ad introitum horizontis ante initium sabbati, de quibus Numer. 16. cap. dictum fuit.

Quomodo hic dicitur, quod terra habeat os, cum non sit animal.

QVÆSTIO II.

SCIENDVM tamen quod hic loquitur scriptura sub metaphora dicens terram habere os: nam os solum competit rei animatæ: terra autem animal non est, nisi forte loqueremur secundum opinionem erroneam illorum, qui posuerunt totum mundum esse animal vnum, & Iouem esse animam mundi, & sicut anima est tota in corpore, & tota in qualibet parte corporis, ita dicebant Iouem esse in tota terra & in toto mundo, & omnia esse plena Iouis, vt tenuerunt antiqui, & recitauerunt Poetæ, nam Lucanus in nono libro de Bello plusquam ciuili dixit, Iupiter est quicquid vides, in omnibus rebus est Iupiter, & Virgil. dixit Iouis omnia plena, vt patet in bucolicis Ecloga 3. quæ incipit

Dic mihi Dameta, cuium pecus an Melibæi, cum inquit,
Ab Ioue principium musæ Iouis omnia plena:
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

B sequendo ergo veritatem cum terra non sit animal non habet os, sed quia os dicitur in animali, id quod panditur ad sumendum cibos & deuorandum aliquid, ita in terra id quo aliquid deuorabat, vocabatur os, & quia omnes istos terra deuorauit, quia intra sua viscera recondit, dicitur habere os. *Quos aperto ore suo terræ absorbuit.* Antequam terra aperiretur, erat continua, & non videbatur habere os, postquam autem aperta fuit, visa est habere os: ideo dicitur quod terra aperto ore deuorauit eos, id est, cum in se diuisa est. *Cum domibus & tabernaculis suis.* Domus vocatur hic non ipsa compositio ex parietibus, & tecto, atque fundamento, quia in deserto nihil tale habebant, sed morabantur in vmbraculis factis de ramis arborum, aut de panno, sed hoc non vocatur domus, sed tabernaculum, vt immediate subditur. Vocatur ergo hic domus congregatio omnium domesticorum, scilicet, viri & vxoris cum tota familia: sic enim sæpe dictum est, quod domus multipliciter accipitur.

Domus multipliciter accipitur.

Primo modo pro congregatione vnius totius gentis, sicut omnes Hebræi vocantur vna domus, vt patet Psalm. 112. domus Iacob benedicite Dominum, & sic in poetis consuetum est, vt ait Virgilius Æneidos libro sexto.

Cum domus Assaraci Phthian claraque Mycenas,
Imperio reget & victis dominabitur Argis:

& vocatur hic domus pro congregatione omnium Romanorum, qui descendebant ab Assaraco Troiano patre Anchisæ, & Antenore per Æneam, qui venit in Italiam, & populauit radicem Romanorum.

C Secundo modo accipitur domus pro crongregatione vnius tribus, & sic vocatur domus Aaron pro omnibus Leuitis, vt patet Psalm. 112. cum dicitur domus Aaron benedicite Dominum.

Tertio modo accipitur domus pro congregatione omnium eorum, qui descendunt ab vno stipite sub eadem tribu, vt in tribu Iuda quidam descendebant per lineam regiam, alij non: qui autem descendebant per lineam regiam vocabantur domus Dauid, vt patet Luc. 1. cap. cum dicitur ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria.

Quarto modo accipitur domus pro vna speciali congregatione cognatorum in eadem familia, & sic dicitur Iosue capitulo septimo, quando inquirebatur quis furatus fuisset aliquid de Anathemate hierico, diuisoque toto Israel per tribus inuenta est tribus Iuda, qua diuisa per familias inuenta est familia Zareth, & ista per viros diuisa repertus est Zabdi, cuius domus in singulos viros diuisa est, & inuentus est Achar, & tamen adhuc Achar habebat vnam partem, quia filios & vxorem, & asinos, & boues, atque cæteras possessiones habebat, & sic ibi accipitur domus pro speciali congregatione cognatorum.

Quinto modo accipitur domus pro vna œconomia speciali, id est, pro congregatione viri & vxoris, & filiorum atque seruorum, vel boum, quia bos pauperibus pro ministro est, vt ait Aristot. 1. Polit. cap. 1. & sunt tres personæ principales in œconomia siue domo: vir, vxor, & seruus, vel bos arator, vt dixit Hesiodus poeta & recitat dictum eius Aristot. vbi supra. D

Sexto modo accipitur domus pro ipso ædificio compacto ex parietibus, tecto, & fundamento, & isto modo domus & tabernaculum coincidunt, quia ergo hic ponitur domus, vt aliquid distinctum contra tabernaculum, oportet accipere domum quinto modo pro congregatione personarum facientium vnam œconomiam, scilicet, pro domino & vxore cum tota familia, & omnes isti deuorati sunt: nam omnes homines pertinentes ad eos absorpti sunt viuentes, vt patet Num. 16. ca. & 26. *Et tabernaculis.* Vocantur tabernacula illorum domus factæ de arboribus, aut pellibus, vel lino cerato, aut cæteris operimentis, in quibus morabantur in deserto, & ista etiam tabernacula absorpta ruentia in hiatum dehiscente terra sub pedibus. *Et vniuersa substantia eorum.* Dicitur substantia possessio in rebus tam animatis quam inanimatis, & omnia ista cum eis demersa sunt: nam oues, boues, capræ, & asini, cæteraque quæ ad ius eorum pertinebant, apud tabernaculum eorum erant, & tota terra in circuitu dissiluit, factoque hiatu magno cuncta absorpta sunt. *Quam habebant in medio Israelis.* Id est, inter Israelitas: nam tota congregatio filiorum Iacob vocatur Israel, sicut ipse Iacob vocatur Israel, E & isti dicebantur habere in medio Israelis substantiam, id est, inter Israelitas: nam medium non accipitur hic secundum æquidistantiam, sed secundū interpositionem, scilicet, quod id quod est inter aliqua duo dicitur esse in medio istorum, siue æqualiter distet ab vtroque, siue inæqualiter, & isti non poterant esse in medio Israelis per æquidistantiam: nam in deserto vbi isti perierunt soli Leuitæ, & sacerdotes cum tabernaculo erant in medio Israel, quia 12. tribus erant ordinatæ sub quatuor vexillis dispositis situ tetragono, vt patet Numer. 2. cap. & tribus Ruben, de qua isti erant, vt patet hic, & Numer. 16. & 26. cap. erat ad partem meridiei tribus Ruben, vt patet in eodem capitulo, isti ergo, qui erant in tribu Ruben, non erant in medio Israel, sed inter Israelitas. *Et vniuersa substantia eorum.* Etiam filij, & vxores, & omnes alij, qui moniti per Moysen noluerunt recedere à tabernaculis illorum absorpti sunt siue paruuli, siue magni, de quibus latius Numer. 16. cap. quasi dicat, omnia vidistis vos, & filij vestri non viderunt, ergo ista vos ad amorem Dei prouocare deberent, quia eo agente tanta pericula euadentes tanta beneficia recepistis. *Oculi vestri viderunt.* Hic continuat narrationem loquendo ad solos antiquos, qui viderant bona & mala, quæ acciderant eis in Ægypto atque in deserto, & non potest iste sermo dirigi ad totum Israelem, quia non omnes cognoscebant hoc vt patet supra cum dicitur, cognoscite hodie quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, & magnalia eius, atque robustam manum. *Opera Domini magna quæ fecit.* Ista sunt opera quæ fecit in Ægypto plagas inferendo, & in mari rubro Ægyptios penitus delendo, & in deserto bona conferendo, atque ab omnibus aduersitatibus eruendo. *Vt custodiatis omnia mandata illius.* Id est, ista magnalia Dei, quæ vos vidistis, semper vos deberent animare, vt custodiretis mandata Dei. *Quæ ego præcipio vobis hodie.* Quia in isto die, quo Moyses ista dicebat, recitabat istum librum, in quo continentur mandata Dei, quasi omnia quæ in aliis libris data sunt breuiter recapitulata. *Vt possitis introire.* Id est, & poteritis introire, quia vt communiter tenetur in talibus locis consecutiue, & non finaliter vel causaliter. *Et possidere terram ad quam ingredimini.* Quia si non custodietis mandata Dei, etiam si ingrediamini terram promissionis, eam non possidebitis, sed gladio hostium corruetis. *Multoque in ea viuatis tempore.* Id est, licet introducat vos Deus vt possideatis, si tamen peccaueritis contra eum delebit vos de terra. *Lacte & melle manantem.* Id est, valde manantem. *Terra enim ad quam ingredieris possidendam.* Hic ponitur secundum, scilicet, beneficia futura, & demonstrat quomodo conditio terræ ad quam transituri sunt, exigit eos Deo acceptos esse & non peccare. *Non est sicut terra Ægypti de qua existi.* Quasi dicat, licet omnis terra bonum suum à Deo recipiat, tamen quædam terræ indigent magis Deum habere placitum, in F

terra

terra Ægypti ſegetes & vniuerſæ arbores ſine cœleſti pluuia ſola Nili irrigatione fœcundantur, vnde non indigent iſti aqua pluuiali, quia faciliter ſic tota terra rigari poteſt cum plana ſit.

De Nilo fluuio, an irriget totam Aegyptum.

QVÆSTIO III.

DE Nilo autem dicendum eſt, ſicut late diximus Exod. 10. & 13. cap. quod Nilus non irrigat totam Ægyptum, ſed maiorem partem eius meridianam: nam à parte meridiana ingreditur veniens per deſerta Æthiopica, vt declarat Paulus Oroſius libro primo de Ormeſta mundi, & Solinus in Philiſtor. cap. de Ægypto: rigat ergo ſolum Nilus partem meridianam Ægypti, & non poteſt rigare totam Ægyptum, quia dupliciter impeditur. Primo quia tota terra non eſt ita plana, quod inundatio Nili intrans per alueos peruagaretur totam terram Ægypti. Secundo quia mare rubrum venit à parte Septentrionali Ægypti per deſerta Arabica, & intrat diuidendo quandam partem Ægypti: illam autem partem quæ ad Septentrionem vltra mare rubrum, non poteſt irrigare Nilus: ideo cum illa terra paucarum & valde rararum pluuiarum ſit, oportet vt aquis fluuiorum artificialiter eleuatis & euagantibus per terram irrigetur, quemadmodum fit in multis aliis terris. Et non ſolum illa pars quæ eſt vltra mare rubrum ad Septentrionem, ſed etiam aliæ partes Ægypti exiſtentes verſus meridiem, ad quas non poterit venire inundatio Nili, irrigantur iſto modo fluminibus adiacentibus, & iſta irrigatio fiat per inundationem Nili, quia eleuatur, vt communiter vſque ad 16. cubitos & aliquando ad 22. cum autem deficeret venit vſque ad 5. & nunquam minus viſus eſt creſcere Nilus, vt patet per Solinum in Philiſtor. cap. de Ægypto, ſunt tamen facti artificialiter quidam meatus, per quos aquæ fluant ad irrigandum, & non ſpargantur inutiliter per ſuperficiem coniunctam Nilo: in aliis autem fluminibus Ægypti, oportet eſſe maiorem laborem, quia aqua non inundat, ſicut in Nilo: ſed artificialiter eleuatur & ducitur ad diuerſas partes, quia tamen Nilus magis irrigat de terra Ægypti, quam omnia alia flumina ſimul, denominatur tota irrigatio à Nilo, licet non totam Ægyptum Nilus irriget. Terra autem Iudeæ cum ſit montuoſa & campeſtris non poteſt fluminibus irrigari, ſed aquam de cœlo expectat, ideo Deum precibus ſemper debent habere propitium, ne propter peccata famem immittat, ſicut patet 2. Regum 21. cap. & 3. Regum 17. & 4. Regum 6. *Vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.* Poſtquam ſe manauerant in Ægypto aperiebant alueos Nili, qui diffunditur in multa capita, & totam regionem irrigat, & ad hoc adiuuant duo ſcilicet diſpoſitio terræ, quia valde plana eſt, ideo de Nilo ad totam terram Ægypti per alueos aqua duci poteſt. Secundo inundatio Nili, quia in principio & fine menſis ſemper inundat, vt ait philoſophus in fine ſecundi Poſter. & in libro paruo de inundatione Nili, & Seneca 6. libro de quæſtionibus naturalibus.

An tota Aegyptus irrigetur Nilo, prout litera videtur ſentire, & maxime terra Geſſen, in qua erant Iudæi, & de inundatione Nili.

QVÆSTIO IIII.

DE cauſa autem huius inundationis multi multa dicunt, & niſi eſſet iſta inundatio non poſſet irrigari tota Ægyptus ex aqua Nili, quia deſiccarent eos, & oporteret aquæ ductus profundos eſſe, quandocunque dicatur hic, vel in aliis ſcripturis aliorum totam Ægyptum irrigari à Nilo flumine, intelligendum eſt de maiori parte, quia Nilus non poteſt totam Ægyptum irrigare ex duabus cauſis ſupra aſſignatis: ſed hoc non obſtante tota Ægyptus irrigatur, ſed in quadam parte irrigatur aquis Nili inundantibus, in aliis autem partibus irrigatur aquis aliorum fluuiorum artificialiter ductis per omnes agros, & loca exculta, & ſic tenet verum litera, quod in Ægypto iactatur ſemen, & poſtea in morem hortorum ducuntur aquæ irrigantes ab ipſis fluminibus. Conſiderandum autem, quod in Ægypto fit dupliciter irrogatio: nam illi quorum terra Nilo flumine irrigatur, aliter ſe habent, quam illi qui irrogationem ſuſcipiunt à fluminibus aliis: alia namque flumina Ægypti non inundant ſicut Nilus, immo non reperitur aliquis fluuius in toto orbe, qui inundet ſicut Nilus, præter Eufratem, vt ait Solinus in Philiſtor. capit. de Eufrate, & ibi redditur cauſa quare inundet Eufrates ſicut Nilus: ideo illi quorum terra irrigatur aliis fluminibus, poſſent quandocunque voluerint irrigare agros ſuos, niſi forte multa flumina deſiccata eſſent: illi autem qui terram ſuam aqua Nili irrigant, non poſſunt irrigare quandocunque voluerint, ſed oportet expectare inundationem Nili. Fit autem inundatio Nili dupliciter, quædam in principiis & finibus menſium, & iſta eſt valde modica, & quaſi nulla. Alia quam coloni Ægyptij expectant, & eſt magis, & eſt duplex in quolibet anno. Prima eſt à die quo intrauerit Sol in cancrum, quod eſt in medio menſis Iunij, & durat vſque ad principium Leonis, quod eſt in medio Iulij, vel modicum vltra. Secunda inundatio Nili eſt incipiente Sole intrare primum gradum virginis quouſque in libram intrauerit, ideo oportet vt quando venerit Niliaca inundatio ſit ſemen iactum in terra, vt ſic humectetur, & putrefiat, & virtus eius germinatiua exurgat, & poſtea Sole veniente inſurgit ſeges in altum: ſic enim fit in hortis, qui rigãtur labore humano, & non expectatur aqua de cœlo. Sed quia hic dicebat Deus Iudæis, quod non erat talis terra Chanaan ad quam ingreſſuri erant, ſicut terra Ægypti: in qua prius iacitur ſemen, & poſtea in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: oportet vt terra Ægypti, in qua erant Iudæi, talis eſſet in qua in hortorum morem ducerentur aquæ irriguæ, & non irrigaretur terra de cœlo, quia tunc nihil valeret exemplum: nam Iudæi principaliter cognoſcebant terram illam Ægypti in qua morabantur, immo quaſi nullam de aliis terris Ægypti cognoſcebant, quia ad nullam ibant cum cogerentur ad dura opera luti & lapidis, vel potius lateris, quia lapides rari erant in Ægypto, vt diximus ſupra 9. ca. Sciendum autem, quòd terra Ægypti, in qua erant Hebræi non poterat irrogari Nilo, quia ipſi morabantur in terra Geſſen in ſolo Rameſſes, vt patet Geneſ. 47. capit. Rameſſe autem erat vltra mare rubrum verſus Septentrionalem partem, ergo non poterat irrigari à Nilo: quia mare rubrum veniebat à parte Septentrionali, & Nilus veniebat à parte meridiana, & Nilus non poterat perlabi toti terræ Ægypti verſus Septentrionem, quia illi qui erat vltra mare rubrum verſus deſerta Arabica perlabi non poterat, & in hac parte erat terra Rameſſe & Geſſen, in qua morabantur Hebræi, & patet quia ipſi recedentes à loco in quo erant, poterant intrare immediate per viam terræ Philiſthinorum quæ breuis erat, non tranſeundo mare rubrum, & hoc erat eis iter rectum atque vicinum, ſed Deus voluit eos tranſducere per viam deſerti, & tranſgredi mare rubrum: nam ſi iuiſſent per terram Philiſthinorum, quæ populata erat, videntes contra ſe bella inſurgere immediate rediiſſent in Ægyptum. Et huiuſmodi cauſa erat duplex, prima quia euntes per terram Philiſtin quæ populata erat, immediate habuiſſent hoſtes obuios, & inſurgente bello, quia eſſet prope Ægyptum, redirent. Secunda cauſa erat, quia illa via erat multum cognita & communis, & non habens aliquod impedimentum fluminis, aut maris, vel alicuius alterius: ideo inclinarentur ad redeundum in Ægyptum, de his Exod. 13. cap. in litera, & ibi diximus. Eundo autem per viam qua eos duxit dominus, ſcilicet per deſertum & tranſeundo mare rubrum erant duæ cauſæ oppoſitæ facientes, quod non redirent in Ægyptum. Prima ratio erat, quia in illa via non ita inuenirent hoſtes, ſicut in via terræ Philiſtinorum: nam vſque ad mare rubrum nullum hoſtem inuenerunt, vt colligitur ex litera Exod. 13. & 14. cap. & poſtea ambulantes per illas ſolitudines nunquã inuenerunt hoſtes, vſquequo ſteterunt in Raphidin iuxta montem Synai, vbi pugnauit contra eos Amalech, vt patet Exod. 17. cap. & iam longe erant à terra de qua exierant, quia menſe & dimidio ambulauerant: nam in prima die menſis terrij acceſſerunt ad montem Synai, vt patet Exod. 19. cap. & die 15. menſis primi receſſerunt de Ægypto, vt patet Numer. 33. cap. & colligitur Exod. 12. & 13. cap. Secunda cauſa obſtans ne redirent erat viæ difficultas, primo quia illa

F *Quare Deus nõ tráſduxit Iudæos per breuiorem viam, ſcilicet Philiſtinorum*

A terra erat ſine via, & ipſi non bene ſcirent redire in Ægyptũ. Item quia dato, quod ſcirent viam, oportebat eos venire ad mare rubrum, per quod tranſire non poſſent: nam antea diuino miraculo ſic tranſierant, quod in reditu ſperare nõ poterant, cum contra Dei mandatum redirent, & ſi vellent deuiare tranſitum maris rubri, neceſſe erat eis aſcendere per per montes altiſſimos per quos nullus poterat aſcendere, nec deſcendere, & ita credidit Pharao cum vidit Hebræos conſiſtentes ſuper mare rubrum dixit, coarctati ſunt terra & concluſit eos deſertum, vt patet Exod. 14. cap. quod non eſſet verum niſi illi montes, ita eſſent excelſi atque prærupti, vt per eos homines, nec iumenta tranſire poſſent. Item dato, quam tranſire poſſent mare rubrum, nullum cibum pro ſe haberent, quia terra illa erat deſerta, & cum nullo poterãt habere commercium, ſuſtentabantur autem ſolo manna, vt patet Exod. 16. & ſupra 8. & infra 29. cap. iſta ergo omnia retraherent eos ad non retrocedendum. Satis ergo patet quomodo Hebræi potuerũt tranſire in terram Chanaan per terram Philiſtinorum ſine trãſitu maris rubri, niſi Deus à propoſito propter aliquem finem duxiſſet eos per viam deſerti & maris rubri. Ergo habitabant ad partem Septentrionalem Ægypti poſt mare rubrũ, ad quam terram nullo modo tranſire poterat Nilus: & tamen in terra illa fiebat id quod ponitur in litera. ſ. quod prius iaciebatur ſemen in terra, & poſtea ducebatur aqua de fluminibus per alueos factos artificialiter

B & hoc erat in hortorum morem, quia ſic fit in hortis, & iſta flumina non inundant ſicut Nilus. *Sed montuoſa eſt, & campeſtris.* Ita quod aquæ fluuiales non poſſunt irrigare prædia ſita in collibus, vel non poteſt tranſire aqua de vna parte ad aliã obſiſtentibus collibus. *De cœlo expectans pluuias.* Quia non poteſt eas de fluminibus habere. *Quam dominus Deus tuus ſemper inuiſit.* Reſpicit & videt eam: inuiſere idem eſt quod viſere, eſt autem viſere cum deſiderio videre, quia verba terminata in ſo ſunt deſideratiua, vt capeſſo, id eſt, cũ deſiderio capere, & faceſſo cum deſiderio facere viſo & inuiſo id eſt cum deſiderio videre, dicitur autem Deus videre cum deſiderio illam terram ſecundum Metaphoram ſumptam à nobis, quia nos cum deſiderio videmus ea quæ diligimus: ita cum Deus dicatur illam terram diligere ſuper alias terras, quam populo ſuo præparabat, dicebatur illam cum deſiderio videre, quia non ſic cum deſiderio reſpiciebat alias terras, cum non diſponeret tanta bona dare habitatoribus aliarum terrarum ſicut habitatoribus illius, & hoc dicebat Moyſes ad laudem illius terræ, vt ſic eam deſiderarent. *Oculi domini ſunt in ea à principio: à principio anni vſque ad finem.* Id eſt Deus attendit quo tempore anni illa terra indigeat pluuia, & tunc dat ei: vel poſſunt intelligi omnia ſupradicta ad laudem terræ promiſſionis, & eſt ſenſus multum Deum amare debes, quia talem terram tibi daturus eſt, quæ melior eſt quam Ægyptus: in Ægypto enim cum magno labore coluntur agri, quia oportet per alueos deduci aquas Nili frequenter ſicut fit in

C hortis: in terra autem quam tibi dabo nullo tali labore fatigaberis, quia Deus de cœlo irrigat illam. *Si obedieritis mandatis meis.* Deſcripta conditione terræ, hic dicitur qualiter in ea viuendum ſit ſcilicet cuſtodiendo mandata. *Quæ hodie præcipio vobis.* Omnia præcepta legis iſto libro colliguntur, & recitauit ea Moyſes in vna die, in qua & mortuus eſt ſecundum aliquos, ſed hoc non multum refert vtrum vna dies ſola fuerit vel plures: ſatis conſtat quod non fuerunt multi dies, quia videbat Moyſes mortem ſuam imminere: ideo quantum poterat feſtinabat: poſſunt ergo iſti dies etiam ſi duo, vel tres fuiſſent, vna dies dici, quia continue prædicabat in eis Moyſes, & admonebat, & qui ea quæ in hac die dicta ſunt ſeruaret, totam legem ſeruaret. *Vt diligatis Dominum Deum veſtrum.* Omnia iſta præcepta fundantur in dilectione, & reducuntur ad dilectionem: nam qui proximum diligit legem impleuit, vt patet ad Roman. 13. cap. Et Chriſtus totam legẽ ſub duobus præceptis adhuc expreſſius copulauit, vt patet Matth. 22. cap. cum dicitur, Dilige dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum, ſicut de ipſum: in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Moyſes, ergo volẽs eos in cuſtodia omnium præceptorum inſtruere præponit amorem: nam qui vere amat, omnia complet, nec eſt quicquam amanti difficile. *Vt diligatis dominum Deum veſtrum.* Scilicet, ſuper omnia in ipſum cunctas operationes ordinando. *Et ſeruiatis ei in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra.* Recte ſubiungitur ſeruire ad amare: nam qui recte Deum diligit, ipſi totaliter ſeruire deſiderat, quid ſit Deum ex toto corde amare, & ex tota anima, ſupra 6. cap. declaratum fuit, & vtrum poſſit compleri iſtud præceptum in via: ex toto corde amat, qui totum deſideriũ ſuum ponit in Deum, & in Deo & ſemper illum vult, nec ad aliquid alterum volendum diuertit, ex tota anima ſiue ex tota mente, vt alibi dicitur, amat qui totum intellectum ſuũ circa Deum verſat, ita quod ad nihil alterum intelligendum diuertat. *Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam.* Id eſt quæ cito poſt ſeminationem venit ad fœcundationem terræ & augmentationem. *Et ſerotinam.* Scilicet ante tempus inhorrendi, vt grana ingroſſentur, & ſic quantum ad vineas dabit pluuiam congruentem. *Vt colligatis frumentum, vinum, & oleum.* Hic ponuntur principalia nutrimenta hominum, & iumentorum, & omnia hæc naſcuntur per irrorationem aquę inebriantis terram: aqua enim pluuialis in fructibus terræ proficit multipliciter, ita quod ſine ipſa nihil in terra gignitur: nam ſemina quæ in terra iaciuntur ſicca ſunt, & id quod debet germinare & creſcere, oportet vt tenerum ſit: quia durum non dilatatur, nec nutritur, ſi totaliter durum & ſiccum ſit, nullas partes ſuccoſas habens, quod dico propter oſſa animalium quę nutriuntur, & augentur, dura ſunt, habent tamen intra ſe partes ſuccoſas ſcilicet medullas, & dum in corpore oſſa ſint, licet ſint dura atque compacta, nõ tamen ſunt tantum dura, vt nullam ſuccoſitatem ab extra recipiant & ex ſe emittant: ſemina autẽ dum in terram iaciuntur ſimpliciter ſicca ſunt, quia non habent in ſe actualiter aliquas partes formaliter ſuccoſas, ideo niſi adiuuaretur ab extrinſeco, non poſſet germinare culmum & ſpicam. Item quia cum ex tam paruo grano tanta ſpica naſcatur, & frequenter ex vno grano multæ ſpicæ per appoſitionem, ſiue per intus ſuſceptionem, ſicut omnis nutritio & augmentatio, vt ſæpe dicit Ariſtot. in libro de Generatione, oportet vt aliqua materia exterior ſuſciperetur in granum, & ibidem digereretur, & committeretur in ſubſtantiam culmi, & ſpicæ: fieri autem talem digeſtionem intra granum & eunti ad ſuperiores partes, vt increſcat ſpica, præſupponit materiam teneram valde eſſe: terra enim ſicuti nunc eſt dura, non poſſet digeri, nec ſuſcipi intra granum, nec mitti ad partes ſuperiores per culmum vt creſcat ſpica: ad cauſandam teneritudinem neceſſaria eſt aqua quæ eſt humida & mollis: etiã quia cum in germine digeritur ſubſtantia illa panis intrinſeca, debent ſubintrare humiditates terræ conuenientes naturæ illius ſeminis, ex quibus concreſcit culmus & ſpica: hæc autẽ non poſſunt ſubintrare ſubſtantiam grani id eſt intra folliculum eius, niſi humore aqueo terra delibuta ſit, & hoc eſt inebriare terram atque fœcundare id eſt cauſare in ea multitudinem humiditatis illius conuenientis naturæ ſeminis, vt ſic multitudo frugum, ſequattur tanquam mulier fœcunda fructum ventris ſcinddat ſecuplo: dicitur terra ab aqua inebriari, quia ſicut ebrius vino perfunditur atque repletur, ita terra aquea humiditate ſatiatur, & ſic germinat, de quo Eſai. 55. cap. quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur: ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedẽti: ſic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: aqua ergo temporanea atque ſerotina omnibus ſeminibus, & arboribus, & quibuſcunque plantationibus neceſſaria eſt, & ſic promittens ſe daturum abundantiam omnium rerum Iudæis promittit aquam temporaneam atque ſerotinam tanquam dando illam omnia det. Sed præter aquam adhuc eſt aliud ad generationem frugum & arborum neceſſarium ſcilicet calor: nam omnia ex calore & humore bene commixtis gignuntur: humor eſt, vt principium materiale actiuum: calor vt principium formale actiuum: ſicut enim eſt de ſemine materno, & paterno, quia ſemen ſiue mẽſtruum maternum habent rationem materialis principij in fœtu, ita quod tota materia fœtus ex ipſo ſumitur, vt quidam voluerũt, & nulla virtus ad agendum eſt in eo, ſed habet ſe vt bene paſſum & diſpoſitum à ſemine paterno: ſemen autem paternũ habent ſe, vt principium formale habens in ſe virtutem formatiuã, & per eam diſponens, & formans fœtum ex ſemine materno, & poſtea in vapores exhalat, vt quidam volunt, licet verius

D

E

F

Præcipua hominum ac iumentorum nutrimenta.

Omnia ex calido & humido bene cõmixtis gignũtur

ſit,

A

sit, quod aliquid ibi maneat materialiter de semine paterno, licet aliquid propter suam subtilitatem & calorem exhalet: sic ergo de calore & humore in seminibus & generationibus frugum aliarumq; rerum naturalium, dicendum est generaliter, quod res fiat est humido, vt ex materia. Calor autem nō est principium materiale ex quo, sed est principium actiuum digerens ipsum humorem ad certam raritatem, & formam conuenientem naturæ, cuius forma introducenda est, quia ergo vtrūque est necessarium principium ad generationem cuiuslibet rei, deficiente alterutro eorum necesse est deficere generationem, & sic plerunque in dicta multitudine aquarum veniente, & non secuto calore solis ad digestionem humidi, extingui in seminibus calorem naturalem digestiuum & formatiuum spicæ, & sic mori semina atque putrefieri, & si calor superuenisset, non corrupta atque mortua fuissent semina: non tamen dicit Deus hic se daturum calorem, sicut dicit se daturum aquam, licet vtrunque sit æqualiter necessarium, quia calor solis nunquam solet deficere temporibus suis regulariter, ascendente & descendente sole per certa spacia & signa cœli, & si rarissime deficiat non quidem deficit, ita quod non sit, sed quia tanta aquarum pluralitas inundauit, vt calor ille solis non possit sufficienter digerere, vel pluralitas aquarum calorem seminis naturalem formatiuum spicæ præfocauerit: aquæ autem multories deficiunt, &

B

magno interdum tempore peccatis nostris exigentibus, interdum ex influentia cœli, quia secundum coniunctiones, & aspectus planetarum cæterumque ordinem motus cœlestis, à quo tota inferior corporea creatura gubernatur, sic necesse est esse, nisi Dei potentia vtens omnibus vt vult, placatus intercessionibus sanctorum aquam benignitate sua nobis impluerit: has ergo tanquam magis & communius deficientes homines petunt, & Deus tanquam pro magno concedit munere. *Cauete.* Id est diligenter attendite. *Ne forte decipiatur cor vestrum.* Maxima vigilantia in hoc habenda erat, ne aliqua occasione ad seruiendum idolis ducerentur. *Iraruſque dominus claudat cœlum.* Ex motu cœli fiunt omnes generationes & corruptiones in terra secundum virtutem influxiuam ei à Deo datam: tunc vero claudere cœlum dicitur, quando facit ne secundum necessitates nostras bene influat, sed econtrario influit pestem, & alios morbos. *Et pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum.* Deus est primum ens & primum operans simpliciter, nam ab ipso omnis operatio & virtus, quæ est operandi principium deriuatur: causa namque prima ex conditione sua debet influere in omnes effectus: Deus ergo in omnia influet: sed Deus non agit ista per se, ita quod immediate procederent à virtute sua, sed per agentia quasi instrumentalia, quæ sunt causæ secundariæ ista operatur, & ista sunt agentia tam spiritualia quam corporalia. Spiritualia agentia sunt ipsæ intelligentiæ mouentes orbes, vt volunt philosophi, & sic Aristot. declarat in 12. meta. & nos sic tenemus: de his autem agentibus non fuit locutus Moyses, ne forte decepti eos Deos putarent atque colerent, communicatur autem virtus Dei secundario ipsis cœlestibus corporibus, & ista sunt agentia corporalia, & de his dicitur, & ponuntur tanquam prima agentia. Omnia ergo quæ hic fiunt sunt ex actione corporum cœlestium: operatio autem eorum conueniens ad aliquem effectum quem nos intendimus, vocatur apertio, non operari autem conuenienter ad effectum, quem nos volumus, vocatur clausio, & est metaphera de domo: nam cum domus aperitur, quod in ea latet aperiri potest, cum autem clausio est nihil quod intra eam sit, poterit exire: cum autem cœlum aperitur id est influit eo modo quo nos desideramus, dat pluuiam: pluuiæ autem dāt germina secundum modum supra declaratum, ergo conuertendo à negatione causæ sequitur destructio istorum omnium: si enim claudantur cœli non descendent pluuiæ, si non descendent pluuiæ, non erunt germina: si non sunt germina, necesse est perire homines, hæc catenatio causarum & effectuum ponitur Oseæ 2. cap. nam cum primo ponantur omnia hæc negatiue, postea subiungitur & magis explicite: & erit in die illa exaudiam dicit dominus, & exaudim cœlos, & ipsi exaudient terram, & terra exaudiet triticum: & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael. *Pereatisque velociter de terra.* Quia licet hostilibus gladiis non cadatis, tamen famis inedia consumemini. *Ponite verba mea in cordibus*

Agentia Dei quasi instrumentalia sunt duplicia.

C

vestris. Ista verba ponuntur supra 6. capit. & ibi exposita fuerant. *Ponite hæc verba mea in cordibus vestris.* Id est diligenter attendite ad ea: quia seruando hæc quæ nunc vobis dico, habebitis vitam. *In cordibus vestris.* Accipitur hic cor pro anima, sicut communiter loquentes accipimus: nam cor quoddam membrum corporis est carneum, & nullo modo capax rationis & intelligentiæ verborum, sed dicimus cor pro anima, in qua est ratiocinatio & cognitio, cum ibi sit potentia intellectiua. Et non stat cor pro tota ipsa anima, quia ponitur cor & ponitur animus, quæ tunc coinciderent, sed cor ponitur hic pro potentia intellectiua, quæ mouetur per modum inclinationis & desiderij, secundum quod in corde dicimus affectus passionales: animus ponitur hic pro potentia intellectiua, quæ mouetur per modum inclinationis & desiderij, secundum quod in corde dicimus affectus passionales: animus ponitur pro ipso intellectu, qui mouetur per modum apprehēsionis & iudicationis, & in his duobus debent esse verba præceptorum, scilicet in intellectu & voluntate: nam præcepta non pertinent ad considerationem speculatiuam, sed ad practicam, quia præcepta non dantur, vt intelligantur solum, sed vt secundum ea operemur, vt ait Aristot. in secundo Ethicor. scilicet negocium huiusmodi id est morale non est speculationis gratia, sed operationis: principium autem potissimum operandi est ipsa voluntas, sicut principium intelligēdi est intellectus, &

E

quia ad operari non solum requiritur operari ipsum, sed intelligere quid, & qualiter, & vbi &c. operandum sit, quod per voluntatem nesciri potest: ideo oportet intellectum etiam concurrere cum voluntate, vt principium actuum moralium: præcepta ergo quæ directiua sunt actuum moralium, debent poni in his duabus potentiis, in voluntate per modum inclinationis, vt secundum illa inclinetur, & in intellectu per modum conceptionis, vt secundum illa iudicet, quia duo hæc principia sunt agendi, & vocantur cor & animus: sed primo dicitur, quod ponantur in corde id est in voluntate, & deinde in animo, id est in intellectu, quia licet primo sint in intellectu, cum intellectus præcedat operationē, quæ est à voluntate, tamen potissimum est voluntas à qua est moralis actus qui est eligere, & in ea consummatur bonum nostrum. *Et suspendite ea pro signo in manibus vestris.* Dupliciter intelligitur, vno modo, quod sicut interdum vt memoremur, colligamus aliquid in digitis manuum, vt si incipiamus obliuiſci viso illo signo reducamur ad memoriam eius, quod volebamus, ita mandata Dei nobis debent esse in continua cogitatione prout humana fragilitas patitur, vt nunquam contingat nos obliuiſci illa tanquam si essent posita pro signo. *Et inter oculos vestros collocate.* Ita vt sint quasi aliquid appensum inter oculos, velut moueantur inter oculos scilicet quod quandocunque homo cœperit moueri, necessario illud moueatur, & videat illud: sic namque præcepta debent esse in nobis, vt semper illa videamus. Secundo modo possunt ista, intelligi, quod per manum significetur operatio, & per oculum significetur intellectus consideratio, quia secundum Aristot. in 6. Ethic. in fine intellectus siue vis demotica, quam ipse ibi vocat, est visus animæ, & erit sensus, quod præcepta ista debent esse colligata in manibus nostris id est in operatione nostra, quæ signatur per manum, quæ est organum maxime operatiuum, & vocatur organum organorum, vt patet in secundo de Anima, scilicet quod omnis nostra operatio, quæ est per manus vel alias, debeat esse colligata cum his præceptis non deuiando vllatenus ab eis, & quod debeant esse inter oculos nostros, id est quod continue consideremus, & speculemur in eis, vt videamus ne deficiamus in aliquo eorum, sic namq; dicitur de viro beato: sed in lege domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte, vtraque harum expositionum congruens videtur, qnæ autem sit melior declaratum fuit late Exod. 13. capitulo tota autem litera, quæ sequitur vsque ad illam partem. *Quamdiu cœlum terræ imminet.* Exposita fuit late Exod. 13. & magis spra 6. capit. & ibi vide. *Quamdiu cœlum terræ imminet.* Hyperbole est, & significat magnitudinem durationis ita quod si Israelitæ mādata Dei seruassent, & verum Messiam suscepissent, vsque hodie permanerent posteri sui in pace & honore, licet non sub eisdem cæremoniis, quia lex ipsa præfigurabat se non esse permansuram, &

D

Quo cor pro anima accipitur.

Animus ponitur p potētia intellectiua.

Duplex expositio litera.

F

A non potest intelligi hoc ad literam, quia dato quod Israelitę custodissent omnia mandata Dei, tamen nō manerent tamdiu quamdiu cœlum terræ imminet, quia cœlum & terra in æternum manent, vt patet ecclesiastes primo capit. boni autem, siue mali per mortem deficiunt. *Si enim custodieritis mãdata mea.* Vocantur mandata esse Moysi non, quod ipse ea condiderit, quia non habebat potestatem condendi legem: sed ipse ea recitabat populo, & ab eo videbatur recipere populus, cum à nullo alio ante eum reciperet ea, nec audiret, & isto modo etiam loquitur Deus dicēs istam esse legem Moysi, quia promulgauit eam populo iam datam à Deo, sic patet Malac. 3. cap. cum dicitur mementote legis Moysi serui mei quam mandaui ei in Oreb: sic etiam dicitur in Ecclesiastico legem posuit nobis Moyses, & est in hoc principium deficere faciens ad causandam fallaciam amphiboliæ in primo modo, sicut dicitur liber Arist. id est factus ab Arist. vel possessus ab Arist. ita dicetur mandata Moysi id est mandata facta à Moyse, vel mandata ab eo primo recitata, & declarata populo. *Si enim custodieritis mandata mea.*

Quid interest inter facere mandata, & custodire mandata.

Qvæstio V.

B Ponvntvr hic duo scilicet facere mandata, & custodire mandata, possunt ista duo verba referri ad diuersa scilicet quod custodire referatur ad mandata negatiua, quia non est custodire aliquid facere, sed cauere ne faciamus, & sic est in negatiuis, quia nihil fieri debet, sed cauere ab affirmatione opposita: facere refertur ad mandata affirmatiua, quæ sunt in agendo aliquid, & in his duobus completur totum bonum scilicet bonum agendo, & à malo abstinendo, vt patet Psalm. 33. cum dicitur quis est homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos, prohibe linguam tuam à malō, & labia tua ne loquantur dolum, diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. Alio modo potest intelligi, quod ista duo scilicet custodire & facere referantur ad idem, sed diuersimode scilicet quod custodire dicatur quantum ad cogitationem, ita quod apud se proponat homo, & intendat in omnibus actibus suis sequi ista præcepta: facere dicatur quãtum ad actum scilicet quod ea actualiter exequatur secundum quod apud se cogitauerit, & tunc verum est tam de affirmatiuis quam de negatiuis, quia circa vtraque contingit meditari, & intendere ea, & postea in executione ponere: nam sicut in affirmatiuis præceptis oportet actualiter operari, cum casus se offert, ita in negatiuis se offert casus, in quo operari possemus, vel non operari, quod autem ibi resistatur tentationi est loco operationis, & hoc vocabitur facere, quæ autem istarum sentẽtiarum sit vera dicendum est necessario, quod secunda sit vera,
C nam prima stare non potest, quia secundum primam expositionem ista duo verba custodire & facere referuntur ad diuersa scilicet custodire ad negatiua, & facere ad affirmatiua. Quantum ad secundam expositionem vtrunque verbum refertur ad idem scilicet tam negatiua quam ad affirmatiua, sed necesse est, quod vtrunque verbum referat ad idem, ergo secũda sentẽtia est vera: antecedẽs patet quia in litera dicitur, si custodieritis mãdata mea, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea: ecce qualiter istud relatiuum ea, facit quod ista duo verba referantur ad idem, & sic secunda sentẽtia necessario est vera scilicet quod ipsi deberent custodire mandata Dei apud se meditando, & proponendo semper ea tenere quantum ad omnes actiones, & etiam quod debent ea custodita facere operando per ea. *Vt diligatis dominum Deum nostrum.* Cum hic mandauerit omnia præcepta Dei custodiri, & fieri, concluſit in dilectione Dei. Et ponit hic duo scilicet Deum diligere, & ambulare in omnibus viis eius, quia in his duobus totum bonum est, & vnum pendet ex altero: nam qui Deum diligit omnes eius vias insequitur: amor enim est principiũ custodiendi mandata: nam maior fortis est, & omnia superans, quia lampades eius lampades ignis, & aquæ multæ non poterũt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, quia fortis est, vt mors dilectio, Cantic. 8. cap. qui ergo vere amat, siue honeste amet, siue inhoneste, nihil est, quod non

In duobus est totum bonum

sustineat, aut aggrediatur, quod complaceat amato, vt declarauimus latius supra 9. cap. si ergo Iudæi vere Deum amarent, proculdubio sequerentur vias eius id est mandata eius, quæ sunt quædam viæ directiuę actuum nostrorum in rectũ finem, ideo tanquam primum principium, & radicem præposuit amorem Dei toti operationi: deinde subiunxit vias domini esse tenendas ambulando per eas in omnibus operationibus id est quod operationes nostræ quę sunt quędam ambulationes vel itenerationes in terminum, qui est ipsa fęlicitas vitæ æternæ nunquam exeant illas vias id est quod semper dirigantur: qui autem per illas ambulauerit, non offendet. *Et ambulaueritis in omnibus vijs eius.* Quia qui delinquit in vno factus est omnium reus, sicut enim agendo contra omnia præcepta charitas perditur, & Dei odium incurrimus: ita agentes contra vnum præceptum charitatem perdimus, & Dei odium incitamus: & ita pro vno peccato indigni sumus vita æterna sicut pro mille, & ita in æternum cruciabitur damnatus pro vno sicut pro multis. Sed non assumat quisquam ex hoc peccandi occasionem, multum enim differt semel, vel multoties peccasse, qui enim semel facilius reducetur ad bonum, quam qui multoties: quia minus perdidit de pronitate liberi arbitrij ad bonum. Item facilius ei Deus gratiam dabit, quia non tantum demeruit gratiam apponi sicut qui multoties peccauit. Item quiasi damnatur minori supplicio cruciabitur, quam qui multoties: est enim differentia in pęnis malorum secundum quod E in gloria beatorum: quia vtrobique iuste distribuitur, licet beatus supererogetur, vt dixit Christus Luc. 6. mensuram bonam confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. *Adhærentes ei.* Adhæsio enim firmitatem notat scilicet quod illi qui in mandatis Dei ambulare debent, & diligere eum, ita vt complaceant ei, debent firmiter ei applicari: ita quod non leuiter ex quolibet motu inanis gloriæ, superbiæ, inuidiæ, tentationis & cuiuslibet laboris in se concutiantur, & recedant ab ipsa via Domini, quam elegerunt: nam melius est viam Domini non cognoscere quam post agnitam retroire, vt patet 2. Pet. 2. cap. & extra de apostaticis & reiterantibus baptismum cap. quidam: nam qui mittit manum ad aratrum, & respicit retro, non est aptus regno Dei, vt patet Luc. 9. cap. & extra de voto & voti redemptione cap. magnæ & in decre. 22. quæst. 2. cap. scimus in fine & de pœni. distinct. 4. cap. si refugientes, & hoc patet quia sicut iudicantur aliqui esse vere amici hominum, ita probantur esse amici Dei. Amicus namque quidam est qui est amicus mensæ, & non permanet in die tribulationis, & iste non est verus amicus: alius est amicus qui permanet in die tribulationis, & iste est verus amicus, vt patet Eccles. 26. & sic dicit Apost. 2. ad Corinth. 1. c. si fueritis socij passionum, eritis & consolationum: sic dicebat Christus Apostolis, vos estis qui permãsistis mecum in tribulationibus, vt patet Luc. 22. c.

Disperdet Dominus omnes gentes istas. Id est septem gentes, F quas Dominus dare promiserat in manus Hebræorum, vt possiderent terram Hebræorum gentes, quam tenebant ante omnes istæ nationes: nam licet Deus promiserit Abrahæ terram decem gentium, vt patet Genes. 15. cap. tamen solum septem datæ sunt Hebræis, vt declarauimus supra 7. capitu. *Ante faciem vestram.* Id est antequam vos perfecte intraueritis in terram illam erunt destructæ: quia angelus Domini præcedebat Iudæos qui expellebat hostes eorum de terra sua, & occidebat eos, de his Exod. 23. cap. dicitur terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieritis: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam emittens prius Crabrones qui fugabunt Euæum Chananæum & Ethæum antequam introeas: de his etiam supra 7. c. vel dicitur.

Ante faciem tuam. Id est quod quando istæ gentes apparebant coram facie Hebræorum, ita conturbabuntur à Deo quod non poterunt resistere eis, vt patet in bellis factis per Iosue, nam Dominus faciebat magnalia, vt patet Iosue 10. cap. quia Deus pluit lapides grandinis super hostes Iudæorum, & plures ceciderunt mortui percussionibus lapidum quam fuerant ad Hebręis occisi: & sic nullo modo poterant consistere ante faciem Hebręorum: nam quotcunque essent necesse erat eos vinci, nisi forte Hebræi peccauissent, vt patet in

A

tet in bello contra ciuitatem Haynam, quia peccauerant Hebræi accipiendo de anathemate Hierico, aliqui de Israel ceciderunt in manus hostium de quo Iosue 7.cap. *Et possidebitis eas.* Id est terram earum: nam gentes nullo modo poterant possidere, quia mandauerat Deus, quod omnes occiderent, vt Num.34.& supra 7.cap. *Quæ maiores vobis sunt.* Scilicet in multitudine. *Et fortiores.* Viribus. *Omnis locus quem calcauerit pes vester.* Hic inducit eos promittendo terræ magnitudinem *Omnis locus.* Scilicet ad quem intraueritis vester erit.

Quomodo intelligitur omnis locus ad quem intraueritis vester erit.

QVÆSTIO VI.

ISTVD non intelligitur extra terram gentiũ septem Chananæorum: nam per aliquas terras transierunt Hebræi, quæ pertinebant ad alias gentes, de quibus eis nihil datum est, vt patet supra, vt patet de terra filiorum Esau: nam per illam transierunt, vt declaratum fuit supra 2. cap. & per terram Moabitarum, scilicet per Moabitas qui morãtur in Ar, vt patet in eodem capit. nam per illos transierunt in terram duorum regum Amorrhæorum, scilicet Seon & Og, sed de istis terris nihil habuerunt, vt patet supra cap. 2. scilicet cum dicitur: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorũ Esau, qui habitant in Seyr, & timebunt vos: videte ergo diligenter ne moueamini contra eos, nec enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in possessione Esau dedi montem Seyr, postea subditur, quod nihil habere debebant de terra filiorum Moab, licet transissent per eam, cum dicitur: Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in monte Seyr, per viã capestrem de Elath, & Asiongaber venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab, dixitque dominus ad me non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos bellum: non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi eam in possessionem: & postea subditur, quod nihil habituri erant de terra filiorum Ammon, apud quos transibant, vt patet infra cum dicitur, tu transibis hodie terminos Moab vrbem nomine Ar, & accedẽs in vicinia filiorum Ammon caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem: intelligendum ergo solum hoc de terra septem gentium quæ erat eis promissa: sic namque dictum fuit Caleb, quod terra quam calcaret pes eius, esset possessio sua, vt patet Iosue 14.& Num. 14. cap. manifestum est autem quod non intelligitur hoc de omni ea quam calcauit Caleb: nam Caleb calcauit multam terram in terra Gentilium, etiam cum aliis exploratoribus circuiuit totam terram Chanaan, vt patet Numer.13.cap. sed non fuit ei data illa terra tota, nam tunc tota terra promissionis Israel esset sua, sed falsum est, vt ipse Caleb declarauit. Iosue 14.cap. vbi solum petiuit Ebron, & ibi allegauit verbum Dei dicẽs, terra quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: sic autem est hic, quod non intelligitur ista litera de omni terra, ad quam ingrederentur, sed de omni terra illarum septem gentium: nam tota terra septem gentium, quam perambulauerunt fuit eis data: hoc autem est verum, quia ad quemcunque locum introirent Hebræi cedebant eis hostes, sed sciendum quod hoc potest dupliciter intelligi cum dicitur. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, erit vester.* Nam potest referri ad totum populum, & tunc est sensus, quod omnis terra, ad quam ingrediebantur omnes Iudæi, cedebat eis, vt satis videtur ex processu libri Iosue. Alio modo potest intelligi, quod loquatur ad aliquam partem populi, & tunc erit verum saltem de exploratoribus, quod omnis terra, quam calcaret pes eorum cederet in possessionem eorum: licet enim non esset verum pro tunc, scilicet quod immediate, vt calcarent esset sua; esset tamen verum pro temporibus futuris: nam paulatim, & successiue terra illa cessit in possessionem Hebræorum, quousque tempore Salomonis regis tota in possessionem Israel cessit, vt patet 2. Paralip. 8. capit. & ista secunda sententia est magis vera quam prima: nam non est simpliciter verum, quod omnia loca, ad quæ veniebat ad pugnandum populus Hebræorum totus simul, aut magna pars exercitus, traderentur eis immediate, vt patet Iosue 15.capit. cum dicitur Iebusæum autem qui habitabat in Hierusalem, non potuerũt filij Iuda delere: habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Hierusalem vsque in præsentem diem, idem patet Iosue 16.capit. cum dicitur, & non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus vsque in diem hanc in medio Ephraim, idem patet Iosue 17. cap. cum dicitur, nec potuerunt filij Manasse has subuertere ciuitates, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua: non potest autẽ dici, quod tota terra, quam perambulauerunt Hebræi post regressum terræ Chanaan esset eorum: nam nõ solum exploratores, qui iuerunt ad explorandum terram, antequam Israel intraret, vel appropinquaret terrę Chanaan dum esset apud Cadesbarne, vt patet Num.13.cap. venerunt, & circuierunt totam terram Chanaan: sed magis, & distinctius circuierunt eam, & ambulauerunt singula loca multi viri missi à Iosue, & toto populo Hebræorum in Sylo, vt patet Iosue 18. cap. vt circuirent terram, & viderent vniuersam, & conspicerent loca, atque scriberent in libro, & diuiderent in septem sortes, & sic factum est, vt patet Iosue 18. capitu. sed tamen totam istam terram non habuerunt vsque ad tempus Salomonis vt supra declarauimus: patet ergo, quod non intelligebatur quod immediate vt intrarent terram illam quantumcunque calcarent, sua esset; sed post temporum successiones. Sed his non obstantibus videtur & melius dicendum, quod est intentio huius literæ, quod omnis terra septem gentium ad quam ingrederentur, immediate vt ingrederentur esset sua, & tamẽ ista erat promissio Dei non quidem simpliciter, sed secundum præsentem iustitiam, scilicet quod si ita permanerent, vt tunc erant quando Deus ista loquebatur; Deus traderet terram ad quam ingrederentur, immediate vt ingrederentur: quia tamen non manserunt, non compleuit Deus promissionem quæ erat conditionalis: quod autem fuerit conditionalis patet Iudic.2. capit. cum dicitur ascendit Angelus domini de Galgala ad locum flentium, & ait, eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum, vt non facerem irritum pactum meũ vobiscum in sempiternum, ita duntaxat vt non feriretis fędus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocem meam: cur hoc feciſtis? quãobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinã. Idem patet postea in fine eiusdem c. cum dicitur, iratusque est furor domini in Israel: & ait quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit, ego non delebo gentes has quas dimisit Iosue, & mortuus est: patet ergo, quod ista promissio erat simpliciter de dando eius omnem locum ad quem ingrederentur; & tamen erat facta secundum præscientiam Dei respicientem præsentem iustitiam: quia tamen illi mutauerunt præsentem iustitiam nolentes obedire, vox domini non cõpleuit in eis promissiones, nam datũ conditionale non existente eo pro quo fit non existit: sed non extitit conditio vel pactum ex parte Hebræorum, vt patet in auctoritatibus allegatis; quia ipsi pactum Dei irritauerunt: ideo etiam Deus irritauit eis pactum pro eorum vtilitate factum: quia frangenti fidem fides frangatur eidem, vt patet extra de iure iurando, in capitulo, peruenit in secundo, sic patet in aliis multis, nam multotiens Deus facit aliquas promissiones vel mandata, quæ non implentur, quia sunt secundum præsentem iustitiam, & non secundum prædestinationem, vt patet de Moyse cui mandauit Deus, quod præcederet & introduceret filios Israel in terram promissam eis sup.10.ca. cum dicitur vade & præcede populum, vt ingrediatur, & possideat terram quã iuraui patribus eorum, vt traderem eis, sed postea dixit Deus, quod nõ posset Moyses intrare in terram Chanaan vltra Iordanem, vt patet Nu.27.c. & Moyses precatus est, vt permitteretur intrare in eam, & nullo modo permissus est, vt patet supra ca.3. *A deserto & libano.* Isti sunt termini, vocatur hic desertum solitudo Pharan siue desertum Syn, quæ terminãtur ad Cadesbarne, & ipsa est in terminis terræ promissionis à meridie, vt patet Nu.34.c. libanus mons est terminus à parte Septãtrionali apud Tyrum & Sydonem. *A flumine magno Eufrate.* Quod est

B

C

D

E *Auct opinio*

F

in Septentrionali circa confinia Orientalis plagæ: ideo opponitur hic termino occidentali.

An isti termini sint termini terræ Chanaan à 4. partibus.

QVÆSTIO VII.

PONVNTVR hic quatuor nomina signantia terminos terræ Chanaan, & tamen non sunt termini à 4. partibus, sed à tribus partibus scilicet à meridie, à Septentrione, & ab occidente: ab oriente namque est Iordanis, quod satis patet, quia filij Israel, qui stabant in parte orientali terræ Chanaan vltra Iordanem transierunt per Iordanem, nam totus Israel erat congregatus in terra, quam obtinuerat de manu duorum regum Amorrhæorum, vt patet supra 3. cap. & ista est ad orientem terræ Chanaan, vt patet Num. 32. cap. & tamen ipsi ibi exeuntes ingressi sunt in terram Chanaan per Iordanem, vt patet Iosue 3. cap. Iordanis ergo ad Orientem terræ Chanaan est: ponuntur autem hic alij termini: nam cum dicuntur termini eius esse à deserto hoc à desertis Arabiæ, quæ aliquo modo tangunt in parte meridiana, vt est Cadesbarne & desertum Syn, vt patet Numer. 34. cap. à parte occidentali ponitur mare quod vocatur mare occidentale: quia est ad occidentem huius terræ ad differentiam aliorum marium, quæ sunt in terra illa, quæ sunt ad alias partes, vt mare mortuum, & mare Cenereth, siue Genezareth, aut Tyberiadis, nam ista maria sunt ad partem occidentalem scilicet mare mortuũ in parte orientali in coniunctione lateris meridiani cum latere orientali, etiã mare Genezareth, siue Tyberiadis est orientale, nam Cenereth & Tyberias, idem est, vt declarauimus Num. 34. cap. & ista duo maria sunt orientalia, vt patet ibi cum dicitur: pars meridiana incipiet à Solitudine Syn, iuxta Edon & habebit terminos contra orientem mare salsissimum, & postea dicitur, inde peruenient contra Orientem ad mare Cenereth, tendentque ad Iordanem, & ad vltimum salsissimo claudentur mari: ista ergo duo maria, quæ valde parua sunt, orientalia sunt, mare autem occidentale dicitur mare mediterraneum, quod fluit ab Oceano per fretum Gaditanum, & per fretum Septentrionale, & istud est ad occidentem terræ Chanaan, quia terra Chanaan est in Asia: mare autem mediterraneum diuidit Europam & Asiam: terra autem Chanaan in Asia est circa eius terminum ad Occidentem: duo autem termini ponuntur à parte Septẽtrionis, scilicet mons altissimus id est Libanus, & fluuius, magnus Eufrates: Libanus est à parte Septentrionis circa coniunctionem lateris Septentrionalis & occidentalis, nam mons Libani est in terra Tyri, & Sydonis, vt patet 3. Reg. 5. c. vbi rex Salomon misit ad Iram regẽ Tyri, & rogauit, vt serui sui scinderent ligna de Libano. Tyrus autem est in mari terraneo, vt patet Ezech. 27. cap. cum dicitur quæ est vt Tyrus quæ insedit in maris medio de mari implesti populos multos, & Ezec. 28. c. cum dicitur eo quod eleuatum est cor tuũ, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo & non Deus: est ergo Libanus mons altissimus in parte septentrionali circa confinia occidẽtis: fluuius magnus Eufrates est circa confinia orientis in eodem latere septentrionali, & sic sunt hic termini positi à parte occidentali meridiana & septentrionali: ab orientali est Iordanis. *Vsque ad mare occidentale erunt termini vestri.* Quod vocatur Mediterraneum quia est brachium deriuatũ à mari magno. Et vocatur occidentale, quia est ad occidẽtem terræ promissionis: in Hebræo vocatur mare Palestinorum: quia ciuitates Philistinorum sunt sitæ ad littus illius maris: sed isti termini non fuerunt possessi ab Israelitis vsque ad tempora regum: quia noluit Deus eis totam terram tradere simul: quia non implerent eam, & insurgerent contra eos bestiæ agri, vt patet Exod. 23. & supra 7. c. *Terrorem vestrum & formidinem.* Terror est timor non valde magnus: formido est magnus timor qui hominem stupidum vel immobilem reddit. *Dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis.* Id est faciet quod omnes gentes ad quas ituri estis, timeant vos. *Sicut locutus est vobis.* Exod. 23. c. quando dedit legem promisit hoc. *En propono.* Hic ponitur tertium scilicet ad terrę promissionis ingressum quædam documenta. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem.* Id est en hodie pono super vos benedictionẽ, si custodieritis mandata Dei: maledictionem si non custodieritis: & istam maledictionẽ ponebat hodie Moyses, quia amplius victurus non erat: & tamen mandauit eis quod ponerent cum intrarẽt terram promissionis. *En propono.* Non est sensus quod Moyses diceret, ego pono super vos maledictionem, & pono super vos benedictionẽ: quia ponere ista super aliquem est potestatis, sicut iudex dicit pono super tales vel tales sententiam excommunicationis. Moyses autem ad imponendum ista nullam habebat potestatem: quia benedicere aut maledicere à Deo est: nam nihil est benedicere nisi bona dare, & nihil est maledicere nisi male infligere, hæc autem ad Deum pertinent, qui potest quodcunque vult: Moyses autem solum precari poterat: sed est sensus licet ego non videam nunc ea, quæ vos in futurum facietis, aut habituri estis: tamen hoc possum vobis denunciare antequam fiat, quod si secuti fueritis Deum verum, benedictio erit super vos, si autem secuti fueritis idola, omnia mala inuenient vos: & istum modum loquendi habuit Moyses ad Israel super 4. capit. cum dicitur, si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem patrantes malum coram Domino Deo vestro, & eum ad iracundiam prouocantes: testes inuoco hodie cœlum & terram, perituros vos esse de terra quam transito Iordane possessuri estis, non habitabitis in ea longo tempore. *Benedictionem si obedieritis mandatis Domini Dei vestri.* Id est ego denuncio vobis ex nunc benedictionem à Deo esse venturam, si obedieritis Domino Deo vestro in mandatis eius ambulantes. *Quæ ego hodie præcipio vobis.* Id est quæ ego recito vobis: sed iam olim à Deo præcepta fuerunt vobis aliqua etiam noua addita sunt, quæ tunc primo præcipiebantur: & propter hoc totus iste liber, qui de præceptis est, vocatur aliud fœdus vel alia lex quam ea quæ data est in Oreb, siue in monte Synai, vt patet infra 29. cap. cum dicitur hæc sunt verba fœderis quæ præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filiis Israel in terra Moab præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Oreb. *Post Deos alienos quos ignoratis.* Quia nulla mirabilia fecerunt pro vobis per quę cognoscere tis esse Deos, sicut me Deum esse manifeste cognoscitis, quia mirabilia opera vobis feci. *Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus.* Posuit Moyses supra, maledictionem, & benedictionem: hic dat modum quo ipsi ponant. *In terram ad quam pergis habitandam.* Id est ad terram Chanaan: nam ad eam pergebant, quia illa eis promissa fuerat: & certissime expectabant se eam habituros: quia Deus dixerat, nam verbum Dei non transit, vt patet Luc. 21. cap. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibũt: & hoc non loquitur Moyses ad totum Israel, quia non pergebat totus Israel ad habitãdum vltra Iordanem, cum duæ tribus, & dimidia accepissent possessionem suam in terra duorum regum Ammorrhæorum, vt patet supra 3. & 4. cap. & in illa terra factis caulis pro pecoribus, & ciuitatibus pro filiis, & vxoribus, transierunt cum reliquo Israele, vt patet Numer. 32. cap. sed loquitur ad reliquam multitudinem, quæ erat in nouem tribubus, & dimidia: quæ possessiones acceperunt vltra Iordanem, vt patet Iosue 15. & 16. & vsque ad 19. cap. inclusiue. Istud tamen mãdatum, quod hic dicitur de ponenda benedictione, & maledictione super montes Hebal, & Garizim ad omnes tribus extendebatur: tam ad eas quæ possessionem habebant trans Iordanem, quam ad eas, quæ ibant ad accipiendum possessionem vltra Iordanem, vt patet infra 27. cap. nam ad benedicendum ponebantur in monte Garizim Simeon, Leui, Iudas, Isachar, Ioseph, & Beniamin: in monte Hebal ponebantur ad maledicendum Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, & Nephtalim: & ratio est, quod omnes tribus starent in ista benedictione, & maledictione: nam quælibet illarum pro bono opere magnam gratiam acceptura erat: & pro malo sustinere debebat pœnam duram: nam sicut nouem tribus, & dimidia, quæ erat vltra Iordanem, captiuitatibus, & hostibus pressæ sunt: ita duæ & dimidia, quæ erant trans Iordanem: nam etiam ipsæ in captiuitatem Assyriorum ductæ sunt cum reliquis tribubus, vt patet in 4. Reg. 17. ca. patet etiam in libris Paralip. *Ponens benedictionem super montem Garizim.* Mons Garizim, & Hebal sunt trans Iordanem: & super istos mandauit Moyses, quod ascenderent sex tribus super montem Garizin, & aliæ sex super Hebal, & ascenderẽt Leuitæ,

Situs libani montis

Situs montis Garizim.

A

uitæ, & ſacerdotes, & imprecarentur benedictiones ſuper Garizin: & tunc reſponderent ſex tribus, quæ ibi erant amē: deinde imprecarentur maledictiones ſuper male agentes in monte Hebal, & reſponderent amen ſex tribus quæ ibi eſſent: quæ autem maledictiones, ſiue benedictiones præponi deberent, habentur infr. 27. & 28. cap. montes iſti ſuper quos debebat poni benedictio, & maledictio, ſunt in introitu terræ Chanaan non multum vltra Iordanem, & Hierico: nam ambo propinqui erant, ſcilicet quod vnus erat vnus vertex; & alius erat alius vertex, & inter vtrunque erant quædā valles, in quibus erat tota multitudo Iſrael, & arca domini erat: quia arca in medio & medietas populi ſcilicet ſex tribꝰ iuxta montem Hebal: & ſex tribus iuxta mōtem Garizim, vt patet Ioſ. 8. c. & ſunt iſti montes apud Bethel ciuitatem terrę Chanaan: nam in latere montis Garizim eſt Bethel, vbi dormiuit Iacob, & vidit ſcalam per noctem, de quo Gene. 28. cap. & in iſto Bethel poſitus fuit vnus de vitulis, quos fecit rex Hieroboam, vt patet 3. Reg. 12. cap. ſunt etiam iſti montes coniuncti ciuitati Sichem: nam mons Garizim diſtat paulo magis quaſi media leuca vel fere vna, mons autem Hebal modicum vltra eſt magis verſus Orientem, vt ſit quaſi leuca, & dimidia, vel non tantum: diſtant autem iſti montes ab Hieruſalem, quaſi vndecim leucis, de his in lib. de diuiſione terræ ſanctæ.

Qui ſunt trans Iordanem. Hic accipitur trans pro vltra: nam licet reſpectu noſtri qui ſumus Occidentales reſpectu Iordanis ſint iſti montes citra Iordanem: quia Iordanis eſt Orientalis reſpectu iſtorum montium, tamen reſpectu terræ illius in qua erat tunc Moyſes, quando iſta loquebatur, non erant trans Iordanem: ſi trans ſignificet citra: quia ipſi erāt ad Orientem Iordanis, & Iordanis erat Orientalis his mōtibus: ergo erat tunc Iordanis intermedius. *Poſt viam quæ pergit ad Solis occubitum.* Id eſt montes illi ſunt aliqualiter declinantes ad Meridiem, & apud illos trāſit via, quia directe itur ad Iordanem, quæ eſt ad Orientem contra Occidentem, ideo dicuntur eſſe poſt viam, id eſt ad ſiniſtram partem viæ: eſt autē iſta via ſic intelligenda, ſcilicet quod à Iordane verſus Occitem terræ Chanaan, ſcilicet contra mare Occidentale, quod eſt Occidentalis terminus terræ huius, ſit quædam via magna, & ad partem ſiniſtram eius ſunt iſti montes ſcilicet contra Meridianam partem illius vię.

B

An ſit tantum vna via, quæ tendat à Iordane contra Occidentem.

QVÆSTIO. VIII.

NON eſt autem intelligendum, quod ſolum ſit vna via, quę tendat à Iordane contra Occidentem, & quod ad ſiniſtram illius, ſiue poſt illam ſint iſti duo montes: nam neceſſe eſt eſſe multas vias: quia à quolibet loco habitato ad alia loca habitata propinqua eſt via, & quia tranſeundo Iordanem pergendo contra Occidentem erant loca habitata, tendendo per lineam rectam in Occidentem, & tendendo in partem Meridianam, aut aſcendendo verſus latus Septentrionale, & per latitudines intermedias, erant loca habitata. neceſſe erat, vt à Iordane tendendo aliquo modo verſus Occidentem, ſiue directe, ſiue indirecte, & tamen aliquo modo appropinquando Occidenti, multę viæ eſſent. Nec etiam intelligendum eſt, quod quælibet via quæ tendat ad latus Occidentale, ſiue vt proprius dicam, ad frontem Occidentalē, ſit ad dextram horum duorum montium? & quod iſti duo montes ſint Meridiani, & ſiniſtri reſpectu eius: nam cum aliqua loca ſint magis Auſtralia in terra Chanaan, quam ſint illi duo montes, erit via à Iordane ad illa loca, & iſta perget cōtra Solis occubitum: quia ad quamcunque partem declinet intra terram Chanaan, magis appropinquabit Occidenti, quam ipſe fluuius Iordanis, qui eſt terminus Orientalis terræ Chanaan, vt patet Numeri 34. cap. Ergo dicetur declinare ad Solis occubitum, & tamen non erit à dextra iſtis mōtibus, ita quod iſti duo dicantur eſſe poſt viam, quæ tendit ad Solis occubitum, id eſt Occaſum. Conſiderādum ergo, quod à Iordane incipit terminus Orientalis terræ Chanaan, & à tranſitu eius diriguntur itinera ad omnes partes terræ Chanaan, quædam in Meridiem, quædam in Aquilonem, quædam vero directe in medium frontis Occidentalis appoſitæ tranſitus loco Iordanis: via autem de qua hic loquitur eſt aliqua via multum celebris, & famoſa in terra Chanaan, quia hic nominatur via generaliter non determinando ad talem, vel talem locum, & iſta via directe tendit à Iordane verſus mediam frontem Occidentis terræ illius: nam ſi declinaret contra Meridiem, aut contra Septentrionem, licet aliquo modo tenderet contra Occidentem, non vocaretur via: quæ tendit ad Solis occubitum: neceſſe eſt ergo, quod iſta tendat directe contra Occidentem, & inter cæteras quæ tendunt verſus Occidentem, iſta eſt maior, atque famoſior, & magis frequentata: ideo generali nomine via nuncupetur: ad partem autem ſiniſtram, id eſt Meridianam ſunt iſti duo montes Hebal, & Garizim, coniuncti valle intermedia, & ſic magis ſunt iſti montes in parte Meridiana illius terræ, quam in Boreali. *In terra Chananæi.* Hic accipitur Chananæus ſpecialiter pro vna ſola gente inter ſeptem, quæ ſic vocantur: hoc quod hic dicitur de terra Chananæi conuenit his, quæ ſupra dicta ſunt, ſcilicet quod iſti montes ſint contra partem Meridianam terræ Chanaan: nam iſte populus qui vocatur populus Chananæorum ſpecialiter habitat verſus partē Meridianam terræ Chanaan, ſcilicet circa Iordanem, & verſus mare: nam hoc ad Meridiem declinat, ſic patet Num. 13. cap. iuncto cap. 14. nam Chananæus moratur circa mare & fluēta Iordanis: Amalechites autem moratur in meridie, ſed poſtea in c. 14. dicitur, qꝺ Chananæus & Amalechites ſimul habitant, cū dicitur Amalechites & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, ſed Amalechites habitabat in meridie, vt dictum eſt, ergo etiā Chananæus, & licet iſta probatio non videatur multum ſolida, vt patet ex his, quę diximus ſup. 7. c. tamen ſatis eſt, qꝺ Chananæi ad partem meridianam, vt in multis locis patet: de iſto autem Chananæo qui habitabat apud Amalechitas, de quo dicebamus, ſatis patet qꝺ habitat ad partem meridianam: ſic namque dicitur Num. 21. c. qꝺ cum audiſſet Chananęus rex Arad qui habitabat ad meridiē, quod autem iſti Chananæi ſint qui ſunt coniuncti Amalechitis patet ſic, nam Num. 14. cap. cum Iſrael ſtaret in Cadeſbarne, ſiue Cades deſerti Syn dixit Moyſes ne vltra procederent, quia ibi erant ſimul Amalechites & Chananæus quorum gladio corruerent, & de hac manſione Cadesbarne fit mentio Num. 20. cap. vbi mortua eſt Maria, & immediate in cap. 21. id eſt fit mentio quod Chananæus rex Arad audiens veniſſe Iſrael per viam exploratorum, fecit contra eos bellum: iſti Chananæi ſunt ſeparati à terra promiſſionis. Et ex hoc patet, quod non ſunt idem iſti Chananæi & illi: nam illi de quibus fit mentio Numer. 21. cap. multum diſſant à terra promiſſionis ſaltem ſecundum iter Hebræorum, nam poſtquam tranſierunt terram illorum Chananæorum, venerunt verſus terram Edom, & circuierunt eam multo tempore, vt aliqualiter Numeri 21. & ſupra 2. cap. & poſtea per viam campeſtrem de Helath & Aſiongaber iuerunt ad torrentem Zareth: deinde per terminos Moabitarum intrantes terram eorum apud ciuitatem nomine Ar, & poſtea tranſierunt torrentem Arnon, intrantes in terram Amorrhæorum duorum regum, quam deſtruxerunt occidentes duos reges, de quibus ſupra 3. cap. poſtea autem tranſeuntes Iordanem intrauerunt terram Chananæi: patet etiam ex hoc: nam iſti Chananæi, de quibus hic dicitur habitabāt vltra Iordanē ſcilicet tranſito veniendo ab illa parte qua veniebāt Hebręi, cū dicitur qꝺ iſti montes ſunt trās Iordanem, & tamen ſunt in terra Chananæi. Ex hoc autem patet, qꝺ non ſint idem iſti Chananæi & illi, quia iſti de quibus loquebamur ſcilicet qui ſunt coniuncti Amalechitis id eſt Amalechitæ multum diſtant à terra promiſſionis: conſequenter ergo Chananæi vicini eorum multum diſtabant, de iſtis Chananęis ſatis patet Nu. 21. c. quod morantur in parte meridiana reſpectu terræ per quā tranſibant, ſed etiam de iſtis qui erant intra terram promiſſionis, patet, nam iſti habitabant apud Iordanem & mare: manifeſtum eſt autem, quod ſi ſtarent ad partem Septentrionalem viæ illius, quæ verſus extremitatem Septentrionalē terræ Chanaan eſt, quod ad illam non eſſet aliquod mare circa quod poſſent eſſe Chananæi. Itē quia iſta campeſtria, quę hic dicuntur, ſunt quædam loca plana deſcendentia à montibus claudētibus terram Moab, & per medium illorū campeſtriū tranſuerſaliter ſcilicet à Septentrione verſus meridiē tranſit Iordanis, donec influat in mare ſaliſſimum, vt patet Ioſue,

C

D

Differētia Chananæorum inter ſe.

E

F

Vbi incipit terra promiſſionis ex parte Orientis.

A

3.c.siue in mare mortuum, vt ibi dicitur : diuidit autem ibi Iordanis terram Chanaan à terra Moab, & regum Ammorrhæorum, & à terra Ammon, & tamen ista campestria vltra Iordanem tenduntur, & in illa parte, quæ est vltra Iordanem in terra promissionis descendens & cõtinuata campestribus, siue locis planioribus descendentibus à montibus Moab, habitat Chananæus populus, hoc autem necessario est ad meridianam partem terræ illius, nam pentapolis scilicet Sodoma & Gomorra sunt in confinio, siue in angulo contactus frontis orientalis, cum latere meridiano, vt patet Nume. 34. cap. & tamen super Sodomam & Gomorram terminantur montes Moab, nam & mons, in quo erat Balaam respiciendo castra Israel, quando volebat eos maledicere, vt patet Num. 23. & 24. c. sunt coniuncti pentapoli id est illi valli, vbi quondam Gomorra & Sodoma & aliæ tres ciuitates fuerunt, vt patet in lib. de diuisione terræ sanctæ. *Qui habitat in campestribus Moab.* Campestria Moab sunt quædam magna terra descendens à montibus, quibus clauditur terra Moab, & in istis campestribus est fluuius Iordanis, & aliqua terra promissionis vltra Iordanem: & nõ sunt ista campestria in terra Moab, sed extra, vt patet Num. 33. cap. vbi ponuntur aliquæ mãsiones in campestribus vel planioribus Moab: & tamen erant in terra regum Amorrhæorum extra Moab, vt patet de Belsethin in qua fornicatus est Israel cũ Moabitis mulieribus extra Moabitarum terram : & tamen dicitur in campestribus Moab, vt patet Num. 33. cap. aliquæ Bibliæ habent solum. *In campestribus.* Et verior litera: & tunc est sensus quod Chananæus habitabat in quadam parte terræ promissionis quæ est campestris siue plana. *Contra Galgalam.* Quæ ad orientalem plagam Hierico est, vt Iosue 4. cap. & ibi facta fuit circumcisio omnium Iudęorum intrãtium in terram promissionis, vt patet Iosue 5. cap. *Quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul.* In Hebræo habetur. *Quæ est iuxta vallem ilicis Mambræ siue Morę.* Apud Galgalam est principium cuiusdam magnæ vallis intrantis ad magnam partem terræ promissionis: & in illa valle est Ebron, & Sichem, & ilex Mambræ apud quam magno tempre habitauit Abraham, vt habetur Gene. 18. ca. Hierony. autem perambulauit totam terram promissionis, vt cognosceret dispositionem locorum, ne turbaretur in varietate nominum, & situm locorum, vt ipse testatur in prologo super Paralipom. & quia vidit quod illa vallis erat magna continens multa loca terrę illius, non nominauit eam ab ilice Mambræ, sed dixit. *Tendentem & intrantem procul.* Id est intrantem ad magnam partem terræ promissionis. *Vos transibitis.* In cap. sequen. incip. tractare de cæremoniis: ideo ponit hic quandam exhortationem, vt custodiant eas. *Quæ hodie ponam in conspectu vestro.* Et sunt ista quæ sequuntur.

Situs Sodomæ ac Gomorræ.

Campestria Moab quid.

B

Caput XII.

C

Mandentur destrui loca idolatriæ Sup. 7.

HAEC sunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quã Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi: vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos: super montes excelsos & colles, & subter omne lignum frondosum.

HAEC *sunt.* Supra posuit Legislator præcepta moralia, hic consequenter agit de quibusdam determinationibus moralium : quia in moralibus dicebatur Deum esse amandum & timendum: in his determinatur per quæ Deus ametur vel timeatur. Et istæ determinationes sunt duplices: quædam pertinent ad amorem & timorem Dei: & quædam ad amorem proximi. Prima vocantur cæremonialia secunda iudicialia, de secundis incipit Legislator infra 17. capit. & quia amor Dei demonstratur in cultu : ideo primo tradit modum colendi quantum ad sacrificia : & tanguntur tria. Primum destruitur idololatria. Secundo agitur de loco pro diuina cultura ibi. *Non facietis ita Domino Deo.* Tertio respondetur ad quædam dubia ibi. *Quando dilatauerit dominus.* Hæc sunt præcepta, scilicet cæremonialia, quia iam nihil agitur de moralibus cum de eis supra dictum sit. *Atque iudicia.* Id est præcepta iudicialia, de iudicialibus autem non agitur hic immediate vsque 17. c. *Quæ facere debetis in terra, quam vobis daturus est Deus.*

D

An præcepta cæremonalia obligarent Iudæos in deserto. Et quare non fuerunt circumcisi in deserto.

Qvæstio I.

EX quo videtur, quod in deserto non obligabantur ista implere ex multis causis. Primo ex defectu materiæ, quia non habebant ibi ea, quæ Deus mandauit offerri. Item quia aliqua concepta præcernebant locum, & quasdam alias dispositiones, quæ in deserto haberi non poterant, & patet quia circumcisio quæ magis necessaria erat, quam aliquod cæremoniale, quia per illam distinguebatur populus Dei ab aliis populis, non fuit seruata in deserto, quia nullus de his, qui in deserto nati fuerunt in 40. annis circumcisus est, vt patet Iosue 5. cap. cum dicitur hæc est causa secundæ circumcisionis, & omnis populus, qũi egressus fuerat de Ægypto, & vniuersi bellatores viri mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant, populus autem, qui natus est in deserto per 40. annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit donec consumerentur, qui non audierunt vocem Domini, & quibus iurauerat Dominus, vt ostenderet illis terram suam lacte, & melle manantem, horum filij in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt à Iosue, quia sicut nati fuerant in præputio fuerant, nec eos in via quisquam circumciderat. Quare autem isti non fuerũt circumcisi in deserto in tot temporibus, Hebręi communiter respondent, ideo non fuisse circumcisos, quia in illis annis 40. quibus ambulauerunt per desertum, non flauit ventus Aquilonaris scilicet Boreas. Et fundamentum istorum est, qui circumciduntur in effusione sanguinis, scilicet si de vulnere sanguinis multus effluat, & moriãtur, & quia fluxus sanguinis est si venæ mollificentur, & debilitetur vis retentiua, quod fit per tempus pluuiale, aut per ventum austrum, aut notum, vel libycum, qui ab eadem pœne parte orbis nobis efflãt, nam iste humidæ complexionis est quorũ actus est mollificare, & humiditates augere, & consequenter vires retẽtiuas dissoluere, ideo in tempore flatus Austrini periculosa est circumcisio, flatus autem Boreales, & omnium ventorum flantium ab eadem parte mũdi est valde frigidus, & siccus, ideo humiditates desiccat sua siccitate, & sua frigiditate congelat, & indurat, sicut patet in aqua, nam tempore quo ventus Borealis fortis est, aquæ gelidæ sunt, & redactę ad lapidẽ duriciem, consequenter ergo iste ventus confortare habet potentiam retentiuam indurando venas, & capita earũ, in quibus retinetur sanguinea humiditas, ideo tunc fluere non poterit ita cito, sicut in tempore flatus Austrini. Ista positio deficit in duobus. Primo, quia præsupponit, quod infans non sit circumcidendus, nisi cum validus Boreas incubuerit, sed falsum est, nam in vere raro flat Boreas, & si interdum flat Occidente Sole, ita tenuis est, quod non sufficit ad desiccandum, & fortificandũ potentiã retentiuã, & tamẽ quocunque tempore infans nascatur, die octauo circumciditur, vt patet Gen. 17. c. hoc ergo non obstante quocunque tempore infans nasceretur, siue in deserto, siue extra desertũ circumcideretur, nisi aliud fortius obsisteret. Secũdo deficit ista positio, quia assumptum eius nõ est verisimile, scilicet ꝙ in 40. annis nunquam Boreas flauerit, nam nulla est hiems, in qua, aut multum, aut paucum Boreas non flet, cum temporis cõplexio hoc exigat, ideo dato, ꝙ ex aliquo euentu mirabili, nunquam flauisset Boreas, tamen ꝙ in 40. annis continuis, nec in vere, nec in Hyeme, nunquam flauerit, videbatur monstrum quoddam temporis, immo aliquid monstro maius, scilicet totius naturæ mutatio. Itẽ hoc videtur esse cõfictum, nam concedunt, quod in anno præcedẽti antequam intrauerint in desertũ, flauerit Boreas, & quod in anno quo exierint de deserto, flauerit Boreas, & in toto continuo intermedio 40. annorum nunquam flauerit: ista ergo positio tanquam friuola repellenda est. Alij dixerunt quod ideo circũcisio in deserto facta non est: quia circumcisio ponebatur

E

F

tanquam

A

tanquam ſignum diſtinctiuum populi Dei à cæteris populis, vt patet ad Rom. 4. cap. Sed populus exiſtens in deſerto non indigebat tunc diſtinctione ab aliis populis, ideo non diſtinctus eſt: cum autem intrauit in terram Chanaan, quia indigebat diſtinctione à cæteris populis, cum inter eos conuerſatus erat, accepit circumciſionem, & hæc fuit cauſa, quia Ioſue circumcidit totum Iſrael in Galgalis, vt patet Ioſue 5. ca. Ratio autem fundatur in hoc, quia diſtinctio ponitur inter extrema diſtinguibilia, cum aũt ſolum vnum extremum eſt, diſtingui non poteſt, ſicut vnum ſolum, nõ eſt ſimile, nec diſſimile maius, nec minus. Iudęi autem erãt vnum extremũ diſtinguibile, cum aũt in deſerto erant, ſoli erãt, nec erant ibi gentiles, qui erant alterum extremum diſtinguibile: ideo nõ erat opus poni diſtinctionem. Sed iſta ratio non eſt conueniens. Primo, quia circumciſio dabatur propter duo, ſcilicet propter cauſam præſentem, & propter ſignificationem futurorũ, cauſa præſens erat diſtinctio iſtius populi à cæteris populis; & hoc eſt cauſa literalis: cauſa ſignificatiua ad futurum erat, quia circumciſio cum ſit amputatio cuiuſdam particulæ paruæ ſuperfluæ ſignat abſciſſionem mortalitatis: & hoc fiebat in octaua die, quia in octaua ætate, quæ in ſanctorum requie clauditur, abſcindetur ab electis omnis mortalitatis corruptio, quia iam nõ erit luctus, nec clamor, nec vllus dolor, nec tanget eos Sol, nec cadet ſuper eos æſtus: quoniam priora tranſierunt, vt patet Apoc. 7. c. & quia iſta ſignificatio multum intenditur in ſacramentis veteris legis, quæ omnia ſunt figuralia, ſiue vmbratica: nam omnia in figura contingebant eis, vt patet ad Cor. 10. c. oportebat vt in illis, qui erãt de populo Dei ſemper attenderetur iſta ſignificatio. Item ſecundo circumciſio non ſolum diſtinguebat, & futura ſignificabat, ſed etiam efficiebat: nam à peccato originali ſoluebat cunctos, ita vt aperiret ianuam vitæ æternæ, ſicut nunc facit baptiſmus, quia eſt ſacramentum perfectũ nouæ legis: ſi ergo ipſi qui erant in deſerto non circumciderentur, nulla alia impediente occaſione, rei efficiebantur præcepti contempti, & obligatio originalis culpæ non aboleretur, quod erat magnum inconueniens, quia ſic oporteret dici, quod omnes qui nati ſunt in deſerto, & ibidem mortui ſunt, quia circumciſi non fuerũt, periiſſent æternaliter, quod magnum valde inconueniens eſt, maxime cum hoc Moyſes vidiſſet in toto tempore quadraginta annorum, & ſi ſciuiſſet aliquod fore in his non circumciſis, euitaſſet, cum valde ſalutem populi diligeret: neceſſerio ergo dicendum, quod aliqua cauſa impeditiua erat ne circũciderentur. Item tertia ratio iſtorũ non habet fundamentum: nam dicunt, quod in deſerto nõ indiguerunt circumciſione, quæ erat diſtinctiua, cum non fuerunt ibi aliqui à quibus diſtinguerentur: nam ſi iſto modo arguamus etiam in terra Chanaan, nõ oportebat eſſe circumciſionem: quia iſtud ſignũ non eſt patens, per quod homines cognoſcantur ad extra, ſicut in habitu: nam aliquis gentilis videns Iudæum ſi non poneretur aliud ſignum, niſi circumciſio, nũquam cognoſceret vtrum gentilis, an Iudęus eſſet: quia illud ſignum nullo modo patet, cũ nihil ſit in corpore, quod magis abſconditum reſeruetur quam illa pars: quoniam illa ſunt membra verenda: ſi ergo ad ſolam cognitionem eſſet, non magis cognoſceretur habens quam non habens: ideo inutile erat habere: nam oportet ergo ſic intelligere diſtinctionem, ſed ſatis eſt, quod licet alij per hoc non cognoſcant, ſaltem ipſi Iudæi per hoc ſe cognoſcant ab aliis populis eſſe diſtinctos, cum de aliis dici audiant quod incircumciſi ſunt, & ipſi ſæpe hoc viderunt, ſicut Dauid qui tulit ducenta præputia Philiſtinorum Sauli regi, vt fieret gener eius, ſicut habetur 1. Reg. 18. c. ſignum autem ad cognitionem exteriorem erat in modo colendi Deum, & iurandi & multis aliis, manifeſtius autem ſignum erat cognitionis eorum in quatuor angulis palliorum, nam mandauit Deus, vt oẽs Hebræi per 4. fimbrias palliorum ponerent quatuor fimbrias hyacinthinas, & cum quis videbat veſtem ſic angulatam hyacintho Iudæum illum eſſe ſciebat, vt patet Num. 15. cap. Dicendum ergo quod cauſa quare non circumciſi ſunt Hebręi aliqui in deſerto, fuit periculum circumciſionis: nam caput membri virilis, ſiue præputium cum ſit membri extremitas, finitur in magna venarum congerie, quæ propter debilitatẽ ſuam multum ſanguinem fundere poſſunt, & mori: fluxus autem huius ſanguinis prouocatur per calorem ſubtiliantẽ humorem ſanguineũ, & debilitãtem vim retentiuã venarũ, & ideo cõtingit ſæpe in æſtate, cum quis multũ laborauerit, & velociter motus fuerit, largum ſanguinem de naribus effluere, quod raro cõtingit frigore bruma: fluxus iſte ſanguinis per calorem maxime cauſatur in motu, quia motus calefacit ab extrinſeco, & ſubtiliat ab intrinſeco, maxime quia per motum cauſatur confricatio partium, & deſcenſio: in calore autem ignis, aut ſolis extrinſeco, ſi ille qui calefit, non mouetur nõ eſt huiuſmodi periculum, ita ꝙ nihil magis eis, qui circumciſi ſunt, repugnat quã motus itineris, ſed illi qui erant in deſerto erant in hoc periculo, nam neſciebant quãdo moueri debebant, ſed ad motũ nubis mouebãtur, erantq; expectantes eam, vt patet Num. 9. cap. cum dicitur, cumque ablata fuiſſet nubes, quæ tabernaculum protegebat, tũc proficiſcebantur filij Iſrael, & in loco vbi ſtetiſſet ibi caſtrametabantur, ad imperium domini proficiſcebantur, & ad imperiũ illius ſigebant tabernaculum: cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper tabernaculum manebant in eodem loco, & ſi eueniret, vt multo tempore maneret ſuper illud, erãt filij Iſrael in excubiis domini: ſi fuiſſet nubes à veſpere vſq; ad mane, & ſtatim diluculo tabernaculum reliquiſſet, proficiſcebantur, & ſi poſt diem & noctem reliquiſſet, diſſipabant tentoria, ſi biduo aut vno menſe aut longiori tempore ſtitiſſet ſuper tabernaculum, manebant filij Iſrael, & non proficiſcebantur: ſtatim vt receſſiſſet mouebant caſtra: his ergo ſic ſe habentibus, ſi circumciſio facta fuiſſet in deſerto, cõtigiſſet ſæpius quod dum aliquis circumcideretur, inciperet moueri columna, & immediate oportebat moueri poſt ipſam tam circumciſos quam circumcidentes, quod in manifeſtum periculum eius, qui circumcidebatur, redũdabat: maxime quia erant valde teneræ ætatis ſcilicet 8. dierũ, & ex debilitate venarum, & paruitate potentiæ retentiuæ apertis capitibus venarum terminatus ad præputium vrgente motu itineris neceſſe erat ſanguinem effluere, & hoc ipſis non dubiam mortem efficeret: iſta fuit cauſa quare cum Moyſes mandato Domini veniret in Ægyptum adduceretque ſecum vxorem, & duos liberos Gerſon ſcilicet & Eliezer, quorum Gerſon circumciſus erat, Eliezer autem minime: voluit Deus eum occidere in diuerſorio, propter non eſſe puerum circũciſum, vt patet Exo. 4. c. ipſe tũ Moyſes non circumcidit eum in via ante hoc, quia credebat eſſe periculum in motu. Sed nec ex hoc quiſquam aſſumat occaſionem arguendi dicens, quod licet illis immineret mortis periculum deberent circumcidi, cum ibi in itinere filius Moyſi circumciſus fuerit.

B

C

Ad quod reſponderi poteſt dupliciter, vno modo quod in rebus dubiis homines agere debent ſecundum prudentiam ſuam: & maxime in periculoſis debent ſe caute habere deuiando à periculis: ſi tamen circa aliquod agibile dubium vel periculoſum diuina ſententia habeatur, nõ debet inquiri vlterius aliquod conſilium humane prudentiæ circa factum vel modum agendi, ſunt magis declarauimus ſupra 1. capit. ſic autem in propoſito filij Iſrael in deſerto exiſtentes videbant manifeſtam mortem puerorum, ſi eos circumciderent. Secuti ergo humanam prudentiam euitanteſque manifeſtum periculum, cum non haberent aliquam diuinam ſententiam ſpecialiter ad iſtum caſum, ſcilicet vtrum tunc deberent circumcidere vel non: non circumcidebant, ſi tamen Deus mandaſſet tunc omnes circumcidi, ipſi non curaſſent de quocunque periculo, quantumcunque manifeſto: ſic etiam Moyſes videns periculum, ſi filium ſuum Eliezer in via circumcideret, dimittebat eum in præputio, quouſque veniret in Ægyptum: & ibi ſine periculo pueri in quiete circumcideretur: Deus tamen aliter præuiderat ſcilicet quod deberet reuerti vxor Moyſi cum liberis ſuis in terram Madian: ne ergo maneret tanto tempore incircumciſus, voluit in itinere circumcideretur, & reduceretur in terram ſuam: nam ſi Moyſes receſſiſſet puero manente incircumciſo, nunquam circumcidiſſet eum mater quæ erat gentilis, & de circumciſione modicum curabat: nam in itinere non circumcidiſſet ipſa eum, niſi quia vidit angelum domini perſequentem ad mortem virum ſuum Moyſen, vt patet Exod. 4. capit. Item alia ratio erat in illis qui mouebantur in deſerto, quam in filio Moyſi, nam illi qui erant in deſerto debebant moueri ad motum nubis, vt ſupra declaratum: & quia erat eis incertum quando nubes inciperet moueri,

D

Motus calefacit ab extrinſeco, & ſubtiliat ab intrinſeco.

E

F

Gerſon & Eliezer filij Moyſi.

Doct. reſp. ad quæſit.

magnum

magnum periculum erat circumcidere pueros: filius autem Moysi non fuit sic: nam statim vt circumcisus fuit, separata fuit ipsa vxor Moysi ab eo, id est quod non comitata fuit eũ eundo in Ægyptum: sed recessit in terram suam Madian: poterat ergo si vellet, & videret expediens fore puero manere in diuersorio cum puero circumciso, quousque sanaretur: quod non cõtingebat in eis qui mouebantur per desertum: qui non poterant expectare, nec per horam si columna moueretur. Sed contra hæc arguas quod istas ius deberet tenere in anno primo, quo exierunt de Ægypto, & in principio secundi quousque peruenerunt in Cadesbarne: in qua legati exploratores redierunt ad castra Israel, vt patet Numer. 13. & 14. cap. & in vltimo anno quo steterunt in deserto, nam in his duobus annis siue duobus & dimidio moti sunt, in primo namque anno & fere dimidio venerunt vsque Cadesbarne: in vltimo anno, scilicet 40. processerunt de Cadesbarne vsque planiora loca campestrium Moab super Iordanem in vltima mãsione, vbi mortuus fuit Moyses: in toto autem intermedio tempore quod fuit fere annorum 38. non processerunt propter maledictionem eis datam à Domino, scilicet quod starent 40. annis in deserto, vt patet Num. 14. cap. & sic tunc fixi steterunt, vt patet Deuter. 1. cap. in fine cum dicitur sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore, scilicet 38. annis fere: poterant ergo omnes natos in toto intermedio isto circumcidere, vt patet ex se: & sic manerent incircũcisi soli illi, qui nascerentur in anno quadragesimo quando moti sunt vsque ad Iordanem. Respondetur quod isti falsum supponunt: nam si verum esset quod totus Israel mansisset in Cadesbarne tanto tempore, & sciuisset se mansurum ibidem tanto tempore: debuissent circumcidere omnes qui prius nati circumcisi non fuerant, & omnes qui ibidem nascerentur, sed nec Israel tanto tempore ibi mansit, nec se mansurum ibidem cognouit. Primum patet, quia quando Deus dedit maledictionem, vt manerent in deserto 40. annis, non dixit, quod manerent semper in Cadesbarne, id est in illa mansione, sed dixit quod mouerentur per desertum vagi, sic patet Num. 14. cap. cum dicitur vestra cadauera iacebunt in solitudine, filij vestri erunt vagi in deserto annis 40. & portabunt iniquitatem vestram: eadem causa ergo erat nunc, cum mouerentur, sicut ante quando veniebant directe de Ægypto: in hoc differt motus istorum annorum 38. fere, quia in primo anno fere, & dimidio mouebantur directe per solitudinem versus terram Chanaan, & venerunt vsque Cadesbarne: in anno 40. qui erat vltimus moti sunt de Cadesbarne directe versus terram Chanaan, & accesserunt ad illam super Iordanem terminum eius ab Oriente, in annis autem 38. fere intermediis mouebantur non directe, sed vagi incedebant hinc inde: verum tamen est, quod in isto tempore, quo fuerunt vagi, maiorem moram contrahebant in mansionibus, quam in tempore quo directe procedebant versus Ægyptum. Secundum autem, scilicet quod ipsi nesciebant se mansuros certe in aliqua mansione, quia Deus nihil eis dicebat, sed per columnam nubis indicabat eis, quãdo esset tempus standi, vel mouendi castra, & sic semper incerti erant, quando mouere castra deberent expectãtes motum columnæ nubis licet per annum manerent in eodem loco: ideo non debebant aliquem circumcidere formidantes semper columnam confestim mouendam: nam si hoc respiciatur idem argueremus contra tempus illud, quo directe tendebant in Ægyptum: nam tunc quando faciebant magnam moram in mansionibus, sicut in monte Synai, in quo steterunt vno anno exceptis decem diebus, vt probauimus cap. 18. & 19. satis late, & tunc procedebant directe contra terram Chanaan de Ægypto, quousque accesserunt ad Cadesbarne, vbi via interrupta est, & tamen ibi nullus est circumcisus, cum in toto deserto nullus circumcisus fuerit, vt patet Iosue 5. cap. & si arguas, quod Iudæi præscierunt se mãsuros in Cadesbarne annis fere 38. cum Deus dixerit eos non intraturos terram Chanaan vsque ad completos 40. annos Respondetur quod licet ipsi sciuerint se non intraturos in terram Chanaan vsque ad consummationem horum temporum, cum nesciebant vtrum in vno loco semper deberent manere, an quanto tempore remanere deberent in quolibet loco mansionis, immo dicendum, quod sciebant se non mãsuros in vno loco semper, cum dictum fuerit eis in sententia maledictionis, quod filiorum vagi essent 40. annis per desertum, ergo moueri debebant, sed nesciebant quantũ aut quãdo. Ad argumentum quando dicebat, sedistis erge in Cadesbarne tempore multo, vt patet supra 1. c. quod intelligitur de istis 38. annis fere iam dictis, vt clare apparet ex litera: ibidem ergo tunc steterunt sedentes in Cadesbarne: respondetur, q; dicitur eos sedisse multo tempore in Cadesbarne, non quod toto illo tempore annorum 38. fere ibi steterint, sed quod in toto illo tempore vltra non transierint præter modicum tẽpus, in quo accesserunt ad torrentem Zareth, quod non fuit sex mensium, vt satis probaretur ex his quæ habentur Num. 20. & supra 2. c. sed propter prolixitatem probationis non curo inducere: manet ergo ex hac ratione quod nunquam illi, qui steterunt in deserto, habuerunt tempus ad circumcidẽdum paruulos suos. Alia autem ratio est ex dolore circumcisionis, scilicet postquam aliquis circumcisus est, in tertia die euenit ita magnus dolor, quod etiam si ille qui circumciditur fuerit vir magnæ ætatis, & robustæ, in tertia die erit quasi mortuus, & nõ poterit moueri, & tunc periculum valde magnum est mortis si moueantur ab aliquo ipsi circumcisi: patet autem hoc Gen. 34. c. de viris Sichimitis, quos in dolo fecerunt circumcidi filij Iacob, vt possent eos secure occidere in die tertia & tunc dicitur, quod in die tertia, quando solet esse nimius dolor vulnerum, arreptis Simeon & Leui gladiis intrauerunt confidenter ciuitatem Sichem tanquam pugnaturi contra mortuos, & ipsi duo occiderunt omnes viros totius ciuitatis Sichem, ita quod nec vnus fuit qui eis resisteret, quia omnes erant quasi mortui: non ergo licebat tali tẽpore mouere circumcisos, quod tamen non cõtingebat in deserto, quia quocunq; tempore nubes moueretur oportebat eos moueri. *Cunctis diebus quibus super humum gradieris.* Conditionalis promissio erat ista, scilicet si obseruarent mandata, sed quia non seruauerunt, data fuit terra illa alteris gentib. *Subuertite omnia loca.* Posiurus Moyses locum viri cultus destruit primo locum mali cultus, ne esset occasio cadendi populo; & hoc quia via rationis, & naturæ primo malum extirpatur, quam bonum instituatur. *In quibus coluerunt gentes.* Quia talia abominabilia erant Deo. *Quas possessuri estis.* Id est quarum terram, & diuitias possessuri estis: ipsas autem gentes possidere non poterant.

An Iudæi deberent possidere terram istarum gentium, vel ipsas gentes.

QVÆSTIO II.

QVOD autem terram illarum gentium possessuri essent patet, quia in multis locis omnium istorum quinque librorum promittitur eis terra septem gentium scilicet Chananæorum, Amorrhæorum, &c. quod autem diuitias eorũ possessuri essent patet supra 6. cap. cum dicitur, cumque introduxerit te dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob, & dederit tibi ciuitates optimas, & magnas quas non ædificasti, & domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta & oliueta quæ non plantasti, & comederis, & saturatus fueris, caue ne obliuiscaris dominum qui eduxit te de terra Ægypti. Secundum, scilicet quod non poterant possidere illas gentes patet, nam accipiendo proprie possessionẽ vocatur possessio id, quod est totaliter alterius; & sic non est iustum inter hominem, & suam possessionem, vt patet per Philosophum in 5. Ethico. nam quicquid agat ei homo, non facit iniustitiã ei, quia totaliter res sua est, licet in hoc sit quędam differentia parua si sit res possessa animata, aut inanimata, cuius radicem late declarauimus Exod. 21. c. scilicet differentiam inter seruum, & domum, vel res brutas, quas hic animatas non voco. Quod ergo aliquis possideat aliquam gentem, contingit dupliciter, quia aut proprie sunt possessio eius, & tunc debent esse ipsius totaliter: & isto modo possidebit eos vt seruos: nam seruus est res totaliter domini sui, & est possessio eius: sic enim vocat Philosophus 5. Ethi. dicens. Non esse iustum inter hominem & suam possessionem, idest inter hominem, & suum seruum, nisi iustum despoticum, siue dominatiuum, q; non est iustum simpliciter, & sic vocat sacra Scriptura seruũ pecuniã domini sui, vt patet Exo. 21. c.

Possidere aliquã gẽtem dupliciter contingit.

A

& istum modum sequitur Aristot. in 1. Poli. c. 2. in fine diffiniens seruum: nam vocat eum rem simpliciter domini sui cũ dissinit sic dicens, seruus est organum animatum separatum homo existens simpliciter alterius: isto modo non poterant possidere Israelitæ populos Chananęorum: nam de gentibus aliis accipere poterant seruos, de illis autẽ septẽ populis terrę Chanaan nequaquam, vt infra dicetur. Secundo modo poterat esse, quod aliquis possideat aliquam gentem accipiendo large possessionem pro eo, quod non est totaliter eius qui possidet, sed aliquo modo, & sic poterant Hebræi possidere aliquas gentes in tributarias: nam esse tributarias nõ est esse totaliter alicuius, sed quantum ad aliquid, scilicet ad certam persolutionem tributi, aut obsequij alicuius, sed etiam isto modo non poterant possidere Iudæi gentes Chananæorum, quia de aliis gentibus poterant facere tributarios: sed de Chananæorum populis non, vtrunque autem patet, quia tenebantur omnes Chananæos occidere: qui autem occiditur nec est seruus, nec tributarius, de hoc patet infra 20. capit. cum dicitur quod si pugnarent contra aliquas ciuitates, quæ erant in terra Chanaan, primo offerrent eis pacem, & si reciperent eam, erunt tributarij, si autem non reciperent, sed pugnarent se defendendo, capta ciuitate occidebant omnes absque mulieribus, & paruulis, quos vendebant, & tunc sequitur sic facietis cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his quas in possessionem accepturus es, de his autem ciuitatibus, quę dabuntur tibi nullum omnino permittes viuere: sed interficies in ore gladij Ethæũ scilicet & Amorrhæorum Chananæum, & Pherezæum, Euæum, & Iebusæum sicut præcepit tibi dominus Deus tuus, & si forte obiicias, quod filij Israel tenuerũt aliquos in seruos secundũ, quod Gabaonitas, vt patet Ios. 9. cap. & aliquos tenuerunt in tributarios sicut fuerunt de Gabaonitis patet Iosue 9. capit. quia dicitur in fine, fecit ergo Iosue vt dixerat & liberauit eos de manu filiorum Israel, vt non occiderentur: decreuitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris domini, cedentes ligna, & aquas portantes vsque in præsens tempus, in locum quem dominus elegisset de tributariis: patet Iosue 16. cap. de populo Chananæorum qui fuit tributarius tribus Ephraim cum dicitur, & non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitq; Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius; respondetur ad primum cum dicis de seruitute Gabaonitarum, quod nõ factum fuit hoc à proposito scilicet quod filij Israel dimitterẽt aliquas ciuitates Chananæorum vt seruirent sibi, nam hoc nullo modo poterãt agere, sed fuit præter eorum intentionem, quia Gabaonitæ venerunt ad eos in dolo dicentes, se esse de terra longinqua portantes vestes attritas, & veteres vtres, & calceamenta disrupta, vt hæc essent illis in testimonium distantis terrę suę, credidit autem Israel, & putans eos esse de terra longinqua iniuit cum eis fędus, ne

B

C

contra eos vnquam bellum mouerent, & super hoc iuramẽtum inter vtrosque positum est, postea cum comperissent eos esse incolas terræ Chanaan voluerunt eos destruere, vt vulgus postulabat, sed principes Iudæorum tamen Iosue duce suo putantes se obligatos hoc iuramento non occiderunt Gabaonitas, sed vt non manerent impuniti propter fraudẽ, quam egerant, fecerunt eos seruos, nec tamen fecerunt eos seruos suos, ita quod omnes Gabaonitæ diuiderentur inter populares Israel, & daretur vni vnus, & alteri alter, & sic diuidendo proportionaliter, sed quia ipsi si cognouissent eos esse de terra Chananæorum, non poterant eos accipere in seruos, ita cum nunc cognouerunt, noluerunt eos pro se accipere, sed statuerunt eos seruos tabernaculi in loco, quem elegisset dominus, vt patet Iosue 9. c. & licet dicatur ibi quod seruire debebant populo, non est intelligendum, quod seruire deberent toti populo, sed solum quando esset populus coniunctus antequam acciperet hæreditatem terræ pacifice: quia tunc simul erant populus, & tabernaculum domini: cum autem populus emissus est in possessiones suas, secutus fuit populus Gabaonitarum tabernaculum, in quocunque loco esset vt satis patet Iosue 9. cap. Ad aliud de tributariis Chananæis respondetur, quod non factum fuit licite: nam non omnia, quæ in sacra scriptura scribuntur, approbantur, vt multa facta fuerunt mala aliquarum personarum, quæ in sacra scriptura, & hoc patet, quia ex hoc quod isti acceperunt gentes illas tributarias non delendo eas, Deus iratus fuit, & non deleuit eas, cum ipsi non seruauissent pactum veniendo in pactum cum gentilibus, vt patet Iud. 2. c. quãdo angelus domini ascendit ad locum flentium. *Super montes excelsos.* Ibi enim maxime fiebant templa idolorum tanquam in congruentissimis locis, & magis ad hoc naturaliter adaptatis, sicut apud capita fluminum, vt ait Seneca, & sic templum Baal erat in excelso monte, vt patet Nume. 22. cap. duxit eum ad excelsa Baal, & phanum Phegor in alto erat, vt patet Num. 23. c. duxit eum ad montem Phegor, id est, in quo colebatur Phegor, sic etiam Iupiter in Olympo altissimo monte Thessaliæ colebatur, à quo Olympiades vocantur: ideo Deus ad magnam culpam reputabat sacrificare in montibus, vt patet Ezech. 18. cap. *Et colles.* Montes dicuntur altitudines terræ habentes ligna frondosa: colles dicuntur altitudines sine arboribus, vel montes sunt magnæ altitudines, & colles paruæ. *Et subter omne lignum frondosum.* Etiam si esset in locis planis, quia ibi colebant priapũ, qui vocatur Deus hortorum. *Dissipate aras.* Scilicet in quibus cremantur carnes ad honorem deorum. *Confringite statuas.* Id est imagines deorum corpulentiam habentes quæ ferreæ, & ligneæ, siue lapideæ erant, siue alicuius alterius metalli. *Lucos igne comburite* 7. cap. ista exposita sunt. *Disperdite nomina illorum de locis illis.* Id est destruite templa vel aras, in quibus colebantur, vt iam non nominetur in terra illa templum siue ara Iouis, vel Mercurij, siue alterius Dei. *Non facietis ita domino Deo vestro.* Hic intendit inducere legislator, quod locus in quo sacrificia fiant, sit vnus in tota terra promissionis propter periculum idololatriæ; si cuilibet permitteretur, vbi vellet sacrificare, quia nesciretur, an Deo, an dæmonibus sacrificaret, vt patet Leui. 17. c. *Non facietis ita domino Deo vestro.* Sicut illi faciebant sacrificãtes in montibus vel collibus siue locis frondosis quilibet vbi volebat: vos autem in vno loco solum sacrificabitis. *Sed ad locum.* Scilicet vnum. *Quem elegit Dominus.* Non erat locus iste eligendus ab hominibus, sed à Deo, vt magis constaret hominibus sacrificia sua Deo accepta esse, quia ipse locum illum ad talia elegisset quod non esset si homines eligerent: & de isto loco nõdum constabat Moysi quis futurs esset, vel dicebat incerte: quia multa loca Deus voluit secundum diuersa tempora 1. enim fuit tabernaculum in Sylo, vt patet Iosue 18. cap. & permansit ibi tempore iudicum vt patet Iud. vlt. c. Et post in tẽpore Heli sacerdotis arca capta fuit à Philistin vt patet 1. Regum 5. cap. & Deus repulit tabernaculum Sylo quod erat in sorte Ephraim, vt patet Psalm. 77. & translatum fuit ad tribum Iuda, vt in eodem Psal. & positum fuit in Ebron, patet, quia ibi sacrificabant filij Dauid antequam fieret templũ per Salomonẽ vt patet 2. Reg. 15. c. de Absolone qui obtulit Deo in Ebron: hoc quidam voluerũt scilicet quod stetisset tabernaculum in Ebron, & inde in Gabaon translatum autumãt, quod autem tabernaculum fuerit aliquãdo in Gabaon satis patet ex testimoniis inf. allegatis: & ex his quæ diximus Exo. 20. c. sed quod in Ebron fuerit falsum est, & antecedens eorũ verum est: sed consequentia est mala quod sic patet, nam isti fundantur super hoc quod vbicunque fiebant sacrificia esset tabernaculum: nam coram arca fiebant sacrificia, vt patet 2. Reg. 6. cap. quando ducebat eam Dauid in domum suam: nã cum mouissent sex passus immolabant: item immolabat Samuel in Ramatha vbi non erat tabernaculum nec arca, vt patet primo Regum 7. capit. immolauit etiam in Maspha t vt patet eodem cap. immolauit in Bethleem, vt patet 1. Regum 16. cap. & sic de multis aliis locis, in quibus non erat tabernaculum, nec arca, quæ patent discurrenti, in Maspha t autem fiebant sacrificia, quia Dauid & filij sui & reliquus populus sacrificabant ibi, non tamen erat ibi arca vel tabernaculũ, nã postq̃ de Sylo trãslatũ est positũ fuit in ciuitate Nobe, de quo 1. Reg. 21. c. vbi demõstratur fuisse ibi sacerdotẽ magnũ Achimelech cũ tota sua progenie, & mẽsam propositionis, ex quo arguitur fuisse totũ tabernaculũ: & hoc fuit tẽpore Saulis, qñ fugiebat Dauid à facie Saulis, postea aũt translatũ fuit in Gabaon destructa vrbe: nã quia sacerdos, Achimelech dederat Dauid panẽ, & gladium, mandauit Saul occidi eũ, & totam suam progeniem. s. totam domum patrum suorũ: & fuerunt occisi 84. vestiti Ephod vt patet 1. Regum 22. c. necesse ergo fuit destruere illã: quare eam destrui fecit Saul, & transferri

D

E

F

In quibus locis fuerit tabernaculum.

taberna-

A

Opinio doct. de domini tabernaculo

tabernaculum domini ad aliud habitaculum, & tunc translatum est in Gabaon.

Dicendum est ergo quod tabernaculum domini nunquã fuit in Ebron, licet ibi fierent sacrificia, nam de ipsis sacrificiis factis in Ebron: & de causa quare facta sunt, & aliquo cęperunt, & de sacrificiis factis in aliis locis, & de mutatione arcæ, & tabernaculi varia pleniſſime Exod. 20. ca. dictum est: & ibi vide: fuit ergo 1. tabernaculum in Sylo vbi mansit magno tempore vsque ad mortem Heli sacerdotis, deinde trãslatum fuit in ciuitatem Nobe: deinde translatum fuit in Gabaon, & ibi sacrificabant, vnde illuc ascendit Salomon petiturus sapientiam à Deo, vt habetur 3. Regum 3. cap. 2. Paralipom. 1. c. deinde translatum est in Hierusalem, & collocauit illud ibi Salomon in templo quod fecit, vt satis apparet in processu 3. Reg. & 2. Paralipom. in multis locis. *De cunctis tribubus vestris.* Non est intelligendum quod Deus eligeret de cunctis tribubus vnum locum scilicet de qualibet tribu vnũ locum: quia sicut erant 12. tribus; ita essent tunc 12. Sanctuaria, quod valde erat inconueniẽs secundum illum statum, in quo erat inclinatus populus ad idololatriã: & si videret Deũ in multis locis coli, putaret esse multos Deos: sed est sensus, quod Deus eligeret vnum locum de cunctis tribubus id est respiceret omnes tribus, & in tribu quæ magis ei placeret, eligeret vnum locum, in quo magis sacrificaretur sibi, & fierent aliæ cæremoniæ legis, vt congregatio ad tria festa principalia scilicet ad festum azymorum, ad Pentecosten, ad festũ

B

tabernaculorum: nam in his tribus festis totus Israel cõgregabatur ad locum Sanctuarij vt patet Exo. 23. & 34. & Deut. 16. c. locus iste erat in electione Dei, ideo vbicũque vellet, ibi fiebat ei obsequium, & ponebatur tabernaculum: ideo si aliquãdo volebat repellebat locum, & accipiebat alterum sicut fecit, quia repulit Sanctuarium ciuitatis Syio, quod erat in tribu Ephraim siue Ioseph cum Ephraim sit filius Ioseph, & voluit sibi transferri ad Syon vbi mansit, licet nõ immediate ttansierit, quia primo stetit in ciuitate Nobe, deinde in Gabaon, ad vltimum in Hierusalem, & ibi fuit firma habitatio de hoc Ps. 77. dicitur, & repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda, montem Syon quem dilexit. *Vt ponat nomen suum ibi.* Id est vt sit memoria nominis eius in loco illo specialiter scilicet quod licet in aliis locis Deus colatur fide, & spe, atque charitate, tamẽ cultu sacrificiorum & aliarum cæremoniarum in vno loco colebatur, & ibi dicebatur ponere nomen suum, quia in illo loco magis, & specialius denominabatur, quam in aliis locis, & ille locus specialius pertinebat ad eum quam alia loca, sicut licet Sanctos Dei vbiq; inuocemus, & honoremus, quædam tamen sunt loca in quibus magis honorantur, & inuocãtur nomina eorum, sicut loca in quibus sunt sepulti, vel ecclesię, quę denominantur ab eis, vnde illę eorum inuocationes nominantur, quia potius ibi inuocantur quam alibi. *Vt habitet in eo.* Id est vt inuocetur nomen eius ibi, quia Deus nusquam habitat cum in nullo loco comprehendatur, & sic dixit Salomon 3. Reg. 8. c. non est putandum quod Deus super terram habitet, cum cœli cœlorum eum capere non possint: sed istam domum ædificaui ei, vt sint oculi eius super orantes ad eum in domo ista, qualiter Deus dicatur esse in aliquo loco per potentiam, & essentiam siue præsentiam, vt communiter dicitur Exo. 3. & 20. c. dictum est, & ibi quomodo angeli sunt in loco, & quomodo animæ: Deus autem specialiter dicitur habitare in loco Sanctuarij, quia ibi fiebat ei specialis honor, qualis non fiebat ei tunc in toto orbe: nam solum notus erat in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius, vt patet Ps. 75. vel dicebatur habitare in tabernaculo in loco Sanctuarij, quia ibi specialia faciebat quasi in toto regno Israel: nam ibi loquebatur, q̃ non erat in aliis locis, intra Sancta Sanctorum super arcæ propitiatorum inter duo cherubim loquebatur dominus, quandocunque Moyses consulebat, & inde dabat dominus præcepta pro populo Israel vt patet Exod. 25. & 30. & Num. 7. cap. loquebatur etiam Deus apud altare holocaustorum in introitu tabernaculi, & ibi respondebat de dubiis quæsitis, & interdũ non consulente Moyse Deus loquebatur vocando Moysen, & ista responsio fiebat ad declarationem eorum, quæ erant necessaria populo, & fiebat hoc circa introitũ tabernaculi ad ostiũ eius, super altare, de quo Exod. 29. c. de qua mansione Dei in alio loco iam magis dictum est.

C

Venietis, & offeretis ibi holocausta. Ista litera est multum larga, quia ponitur quantum ad illa, ad quę obligabantur, & quantum ad illa, ad quæ non obligabantur: nam tribus diebus in anno obligabantur venire in locum Sanctuarij, vt patet in locis sup. allegatis, & tunc debebãt ferre aliquid ad offerendũ, vt patet Exod. 23. & 34. cap. cum dicitur non apparebis vacuus in conspectu meo, & istæ erãt hostiæ pacificę de quibus offerentes ipsi, & omnes, qui non offerebant, sed pertinebãt ad ipsos offerentes, comedebant, nam maximum gaudium tũc erat, de hoc patet inf. 16. c. vbi ponitur, quod in festo Pentecostes de oblatione spontanea comedere debebat ipse offerens, & seruus, & ancilla, & filius, & filia, & omnes alij, idem patet ibidem de festo tabernaculorum, de festo autem azymorum non ponitur, quod eadem fierent, sed satis intelligẽdum est, quod eadem fierent, cum festum azymorum esset festum principale totius anni, & mandabatur quod in omnibus istis festiuitatibus, cum apparerent coram domino, non apparerent vacui: ergo aliquid offerre debebant magis adhuc, quam in aliis festis. *Et offeretis in illo loco.* Non solum debebat aliquis venire in tribus festiuitatibus anni, in quibus obligabatur omne masculinum, vt supra diximus, sed etiam si quis voueret offerre aliquod animal domino, debebat illuc ire, quia nõ poterat offerre in aliquo alio loco terræ suæ: sic enim prohibetur & infra cum dicitur caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco quem elegit dominus Deus tuus. *Holocausta, & victimas vestras.* Tria genera sacrificiorum distinguuntur Leuit. 1. cap. scilicet holocausta quæ sunt sacrificia ad solum honorem vel laudem Dei, ex nulla alia causa, & ista totaliter incendebantur, nec aliquid inde habebat sacerdos nisi pellem, vt patet Leuit. 6. cap. ideo vocantur holocausta ab olon quod est totum & cauma quod est incendium quasi totum incensum, secundum genus est sacrificium vel hostia pacifica, quæ fiebat quando aliquis rogabat aliquid Deum, & offerebat hostiam, & istæ vocabantur pacificæ, quia fiebant pro pacificãdo nobis Deũ, vt adiuuaret, vel reddendo gratias Deo nobis pacificato. Et de hostia ista renes cum toto adipe, aruina, & reticulo incẽdebantur ad honorem Dei, armus & pectusculum cedebant in partem sacerdotum, cęteræ autem carnes pertinebant ad offerentem, & comedebat eas intra atrium tabernaculi, de his Leuit. 3. & 7. c.

D

E

Sacrificiorum triagenera.

Tertium genus est sacrificium pro peccato, & circa hoc sunt multæ cæremoniæ, & distinctiones de quibus Leui. 4. & 5. & 6. cap. Et ista duo vocantur hic victimæ: & sic comprehendit hic omne genus sacrificij per holocaustum, & victimas. *Decimas,* quæ pertinebant ad ius Leuitarum, vt patet Numeri 18. cap. omnia alia iura quæ sequuntur, pertinebant ad sacerdotes.

Quare Leuitæ separati sunt ad seruiendum domino.

F

QVÆSTIO III.

SCIENDVM quod tota tribus leui separata erat ad seruitium domini specialiter, pro toto alio populo, cuius primogeniti obligati erant domino quia secundum antiquam consuetudinem primogeniti erant sacerdotes, & quia cæteri primogeniti aliarum tribuum ad hoc erant incepti, & dominus repulerat eos, quia coluerunt vitulum conflatilem, elegit tribum Leui, quæ non coluerat vitulum: sed adiuuit Moysen ad vindicandum peccatum colentiũ, vt patet Exod. 32. ca. & separauit eam à reliquo populo sibi ad obsequium: sic patet Numeri 3. cap. cum dicitur tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei ego sum dominus: isti autem qui erant in tribu Leui, erant diuisi, nam quidam erant sacerdotes scilicet Aaron & filij eius, vel omnes qui descendebant ab eo: nã eo viuente soli filij sui consecrati sunt, & moti ad obsequendum domino: de hoc Exo. 29. & Leui. 4. & 9. atque 10. c. Alij autem erant qui nõ erant sacerdotes, sed vocabantur simpliciter Leuitæ, & isti non ministrabant in alteri sacrificãdo, aut Thimiama cremãdo, vel faciẽdo aliqua alia, sicut faciebãt sacerdotes: sed solũ seruiebãt ministerio tabernaculi mouendo ea, quæ in tabernaculo erant, & totũ ipsum tabernacum, secundũ distinctiones onerũ eis impositorum,

de qui-

de quibus habetur Num.4.cap. de diuisione Chaathitarum, Gersonitarum, & Meraritarum quilibet secundum officia sua, & quia omnes hi tam Leuitæ quam sacerdotes viuebant in obsequio tabernaculi, de sumptibus tabernaculi viuere & sustentari debebant, cum aliunde sustentari non possent, quia non habebant alia officia, nec conuenienter exercere poterant, & ob hoc cum data fuerunt eis loca ad habitandū, nam data fuerunt prædia ad colendū, sed paruum territoriū ad alenda pecora, vt patet Num. 35. quasi dicat, quòd filij Israel sustentationē daturi erāt: quia loco eorum domino ministrabant, seperauit ergo dominus ad istorū sustentationē vltra iura, scil. decimas, primitias, vota, sacrificia spontanea, & primogenitorū redemptiones, aut sanctificationes, cæteraque in hunc modū, vt patet Num. 18. cap. erat tamen differentia, quia leuitis, qui nō erant sacerdotes quia erant plurimi, dabatur magnus redditus, scil. decimæ totius populi, nam iste erat maximus redditus: sacerdotibus autem dabantur primitiæ cum cæteris iuribus: Leuitæ tamen qui minores erant, postquam accipiebant decimas, dabant decimam partem earum summo sacerdoti, vt patet Num. 18. cap. nouem autem partes decimarum reseruabant sibi, & in hac solutione ita se habebant ipsi, ac si essent homines populares habentes vnde decimas darent, cum tamen isti nihil haberent, nisi quod eis dabatur. *Primitias manuum vestrarum.* Id est, primitias de frugibus & alijs, quæ manibus colitis, tria autē sunt genera primitiarum, scil. in viridi spica, in festo azimorum, & panes in festo pentecoste. Et omnium frugum primitias in festo tabernaculorum mense septembri collectis omnibus quæ in agro: de his Leu. 23. cap. & de quolibet genere istarum primitiarum intelligitur, quòd deberent ferri in Hierusalem, vel in loco alio in quo esset tabernaculum domini. *Vota.* Etiam ibi soluebantur, siue aliquid immolandum esset, siue non: de votis dictum fuit aliqualiter Leu. 27. ca. & Num. 30. *Atque donaria.* Aliqua dona quę offerebantur, & non ex voto, nec immolabilia erant. *Primogenita boum, & ouium.* Quia ista offerenda erant, quia sanctificari debebat omne primogenitū masculinū per immolationē in ouibus capris, & bob⁹ primogenita autē hominū, quia immolabilia non erant, redimebantur quinq; siclis vt patet Exod. 13. & Num. 3. c. *Et comedetis ibi in conspectu Dei vestri.* Hoc intelligitur de hostijs pacificis, vel de alijs, de varijs quæ offerebantur domino, de quibus offerēti comedere licebat de holocausto autē vel hosti pro peccato, siue de votis, offerenti nihil licebat comedere. De holocausto autē quod nihil accipere liceat offerenti ad comedendū nam holocaustū dicitur sacrificiū, in quo nihil relinquebatur de ipsa re sacrificata quod non cremaretur & dicitur holocaustū ab olon, quòd est totum, & cacuma, quòd est incendiū quasi totū incensum, & hoc patet Leu. 1. c. nam licet fieret holocaustū de boue, siue de oue, siue de capra detracta pelle, totū quod intra erat incendebatur in altari super strue lignorum, nam carnes ipsæ cum ossibus cremabantur, & caput, & pedes & ipsa intestina quæ fimo plena erant, lauabantur, & postea cremabātur cum ouibus alijs partibus ipsius animalis, nihil ergo manebat quod ipse offerens comedere posset, nam & ipse sacerdos qui immolabat, & comburebat carnes animalis corā domino, nihil inde habebat nisi pellem, quæ detrahebatur animali, vt patet Leu. 7. c. cum dicitur sacerdos qui offert holocausti victimā habebit pellem eius. Si autē pro peccato aut delicto, (cuius eadem lex sacrificij est vt patet Leu. 7. c.) hostia fiat, aut fiebat pro peccato sacerdotis, aut pro peccato multitudinis, aut pro peccato principis populi, aut pro peccato alicuius singularis personæ: sic enim distinguitur Leu. 4. c. in tribus primis inferebatur de sanguine hostiæ intra tabernaculū ad expiandum in altari thimiamatū, vt patet Leui. 4. c. & in 4. modo nō inferebatur sanguis intra tabernaculū ad expiandū, & secundū hoc ponitur regula Leu. 6. c. in fine, ꝙ omnis victima pro peccato cuius sanguis infertur intra Sanctuarium ad expiandū, scil. ad altare thimiamatū, nō debebat comedi, sed cōburi extra castra, & hæc erat cum fiebat pro peccato sacerdotis, aut totius multitudinis, aut principis populi, si autem sanguis hostiæ pro peccato nō inferebatur intra Sanctuariū, debebant eam comedere sacerdotes in loco Sanctuarij & omnes de genere sacerdotali dum tamen masculi comedere poterant vt patet Leu. 6. c. vt sup. dictū est, & sic nullo modo pse qui offerebat pro peccato, poterat comedere aliquid de eo quod offerebat: sed vel nullo modo comedebatur, vel ipsi sacerdotes totaliter comedebant.

Item de votis non poterat aliquis comedere, vt si quispiā vouebat vnam ouem aut capram domino, nō poterat comedere de illa, nam cum quis vouisset simpliciter animal suum domino, si illud mundū esset immolari debebat dōmino, & nō poterat cōmutari pro altero animali, quod si mutaretur tam ipsum quod mutatū est & id pro quo mutatū est, sanctū erit domino, id est, consecrari debebit, & tunc de isto animali mundo votiue promisso sic fiebat, ꝙ sanguis eius fundebatur per cornua altaris, sicut in alijs immolationibus, & adeps eius immolabatur: sed nihil de carnibus incēdebatur, totæ enim simul ad sacerdotes pertinebant, vt patet Nu. 18. c. si autē animal immundū erat, ꝙ votiue promissum erat adducebatur coram sacerdote & determinabat preciū eius, & sic vendebatur, & illud precium pertinebat ad sacerdotes vt patet Num. 18. c. si autē dominus qui vouisset volebat redimere animal, dabat quantū à sacerdote æstimatum fuisset, & insuper partē quintam, vt patet Leu. 27. c. & ibi de istis sup. dictis. de his ergo ipse offerens nullomodo communicabat, de donarijs autem eodem modo, nam si aliquis aliquod dedisset donū sacerdotibus siue esset aliquid immobile, siue nō transibat in proprietatem sacerdotum, & sic nihil debebat ipsis offerentibus in sola autem pacifica hostia ipse offerens poterat aliquid recipere vt patet Leu. 7. c. scil. omnes carnes ipsius animalis præter omnes adipes, qui adolebantur domino, quia omnis adeps domini erat iure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris, nec adipē nec sanguinem omnino comedetis vt patet Leu. 3. c. & Leu. 7. dicitur si quis adipem qui offerri debet in incensum domino, comederit, peribit de populo suo, id est morietur: & prętер renes cum cauda & duos renūculos: nam ista incendebātur domino vt patet Leu. 3. c. præter hoc autē in ius sacerdotū cedebat armus dexter rei immolatæ, & pectusculum eleuationis, cæteræ autē carnes manentes erant pro ipsis offerētibus, vt patet Leu. 8. c. doctrina autē inter sacrificia pacifica, & holocausta, vel pro peccato, vel in votis & donarijs erat, quia qui offerebat hostiā pacificam, totam nō offerebat, sed ex eo, ꝙ dicebat saltē intra se velle offerre pacifica dicebat se velle accipere de eis certā partē, in alijs autē eo ꝙ talia faciebat, totaliter donabat, ita ꝙ nihil ad eum pertineret: ideo inter animalia differt, quæ offerebantur in sacrificijs pacificis, & illis quæ offerebantur in voto vel pro peccato, nā pro victimis pacificis quædā animalia aliqualiter immaculata accipi poterāt, in votorū solutione autē oportet animalia totaliter esse munda & integra vt patet Leu. 22. c. cum dicitur ouem, & bouem, cauda & aure amputatis voluntarie offerre potes: votum autem ex his solui nō potest: & ratio est quia in his quæ pacifica sunt, nulla obligatio est ad offerendum, sed sola voluntas offerentis: in votis autem acquisita est obligatio: nam licet in vouendo sit libertas, post votum tamen emissum nulla libertas est, sed ita tenetur ipse vouens ac si alias deberet, vt patet extra de voto, voti redemptione in cap. licet cum dicitur licet vniuersis liberum sit arbitrium in vouendo, vsque adeo tamen necessaria est solutio post votum, vt sine dispendio salutis propriæ non liceat alicui resilere; ideo habetur in decretis 37. q. 1. c. nuptiarum, cum ergo aliquis obligatus est, quia tenetur strictus, imponitur ei facere id, quòd melius est, si ergo quis se obligauit ad offerendum, tenebitur iam ad offerendum animal quod mundum, & immaculatum totaliter sit, cum cutem non tenetur quisquā offerre quicquā, quodcunq; obtulerit recipietur: ideo siue bos, aut ouis aures vel caudam amputatas habeant, siue non recipientur à sponte offerētibus à vouentibus autem minime. *In conspectu domini Dei vestri.* Qui comedet carnes hostiæ pacificæ in atrio tabernaculi comedere debebat coram altari sacrificiorum, in quo Deus esse dicebatur, quia ibi ei offerebatur. Alia dona quæ ferebantur quæ comestibilia essent, poterant extra atrium comedi vocatis pauperibus & leuitis vt infra patet. *Et lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum.* Id est per manuum vestrarum laborem habuistis. *In quibus benedixerit vobis dominus Deus vester.* Id est qui multiplicauerit vobis Deus: quia licet vos in eis laboraueritis, tamen magis gratia Dei quam labore manuū vestrarū habuistis. *Non facietis ibi.* Hic excludit

A B C D E F

In viridi spica tria sunt genera primitiarum

Quædā de holocausto.

A quendam errorem quia crederet aliquis quod ſicut viuente Moyſe, qui legiſlator & ſanctus propheta erat, faciebant, ita facturi eſſent poſt mortẽ eius in terra promiſſionis, ideo dicit. *Non facietis ibi quæ hic facimus.* Et hoc poteſt dici de omnib⁹ cæremonialibus quod nõ ſeruabantur in deſerto, ſed quilibet faciebat quod volebat, vel ſi ſeruabantur aliqua, non ſecundũ eandem formã quã habere deberent, ſed principalius hoc dici poteſt de loco ſacrificij, quia aliquis volebat offerre in vno loco, alius in alio, in terra autem promiſſionis vnum locum determinate habituri eſſent.

Erroris exclusio.

An Rab. Sal. opinio circa oblationes ſacrificiorum poßit ſtare.

Qvæstio IIII.

Rabbi Sa. dicit, quòd dum eſſent in deſerto filij Iſrael, quòd quilibet offerebat voluntarias oblationes, vt holocauſta, & hoſtias pacificas, vbi vellet, ſiue in tabernaculo, ſiue extra: victimas autem quas ex neceſſitate offerre debebant, in atrio tabernaculi offerre cogebantur. Sed non videtur verum, quia dicitur Leu. 17. cap. quod quicunq; ſiue de Iudæis, ſiue de alienigenis obtulerit hoſtiam, non ad oſtium tabernaculi, ita reus eſt, ac ſi ſanguinem effudiſſet. Holocauſtum autem ſemper voluntariũ eſt, quia ſolum neceſſaria ſunt quæ vouentur, & quæ pro peccato dantur: victimæ autem B pacificæ etiã voluntariæ ſunt ibi, aliter omne ſacrificiũ fieri prohibetur in agro, quia talia dæmonibus fieri videtur. Item patet eſſe falſum, quia etiã holocauſta nõ licebat offerre extra locum Sanctuarij, vt dicitur infra, ſcil. caue ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in eo quem elegit dominus Deus tuus in vna tribuũ tuarũ offeres hoſtias & facies quæcunq; ego præcipio tibi, & ſuadetur hoc magis, quia nullum eſt ſacrificium quod minus habeat de natura ſacrificij, quã agnus paſchalis: ſed offerre illum omnes cogebantur, & hoc in loco quem Deus elegiſſet, ergo à fortiori in alijs ſacrificijs tenebantur ad offerendum ea intra atrium tabernaculi, patet antecedentis prima pars: quia cætera ſacrificia ad ſacerdotes magis pertinebant, & nullus popularis tenebatur ad illa, ſacrificia autẽ ignis paſchalis ad omnes pertinebant, cum omnibus mandaretur ſub pœna magna quod phaſe celebrarent, vt patet Num. 9. c. Secundum, ſcil. quòd cogerent immolare phaſe in loco, quẽ Deus elegiſſet, & nõ poterant extra facere vt patet. infra 16. ca. cum dicitur non poteris immolare phaſe in qualibet vrbium tuarum, quas dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ſed in loco quem elegerit Deus tuus vt ſit nomen eius ibi. Item fundamentum omnium iſtorum, quia Deus volebat omnia, quæ immolabantur, in vno loco ſolo terræ promiſſionis immolarentur: & hoc vt nõ daretur locus hæreticæ prauitati, quòd erat quantum ad cultum idolorũ, ſcil. quòd eſſemus certi, vt dum ille C qui faciebat ſacrificiũ, faceret Deo an dæmoni, hoc autẽ videri nõ poterat, ſi daretur licẽtia faciendi ſacrificiũ extra locum illũ vnum, vbi quiſq; vellet: & hoc non referebat vtrũ eſſet holocauſtũ, vel hoſtia pacifica, vel votũ, cum in quolibet horum æqualiter poterat committi idololatria, vel illi ſacrificando cui ſacrificandum non erat, vel cum talibus cæremonijs ſacrificare, cum quibus non oportebat, vtpote quia erant ſuperſtitioſæ, & continebant aliquid ſimilitudinis ad idolatrantium cultũ, cum ergo quantũ ad omnia iſta ſit eadẽ ratio prohibitionis, ſiue cõmittatur idololatria, debet ſtare eadem prohibitio, non ergo magis refert in voto quam in ſponte datis quibuſcunq;, ſed omnia debebunt intra atrium tabernabuli in altari holocauſtorũ offerri. *Singuli quod ſibi rectum videtur.* Quia offert quod vult, & quando vult, in qua manſione vel caſtrametatione voluerint, hoc autẽ ſatis litteræ cõſonare videtur, in qua agitur de loco ſacrificandi, quia debet eſſe vnus tamẽ magis videt referri ad alia cæremonialia: nam in deſerto (vt aliàs ſæpe dictũ eſt) nõ videtur facta immolatio niſi primo anno exitus de Ægypto in monte Synai, quando cõfirmauerunt legem vt patet Exod. 24. c. in 2. anno exitus de Ægypto iterũ quando conſecratũ fuit templum & ſacerdotes de quo Exo. 29. & Leu. 8. & 9. & 10. c. & Nu. 7. de oblatione principũ, & in eodem anno in menſe 1. in 15. die menſis & celebratũ fuit phaſe, id eſt, agnus paſchalis ſecundũ omnes cæremonias ſuas, vt patet Num. 9. cap. & tunc in 15. die debebant celebrari immolationes, de quibus Leu. 23. & Num. 28. c. in alijs autẽ locis non videtur factum ſacrificium, cum loca indiſpoſita eſſent, nec poterant habere neceſſaria ad ſacrificium, quia in quolibet ſacrificio pecorum cuiuſcunq; ſpeciei requirebatur certa pars farinæ delicatæ quæ vocatur ſimila, & certa pars vini ſecundũ quantitatem ſacrificij de quo Num. 15. c. in deſerto autem rariſſime poterant habere farinam, aut vinum propter duo, primo quia non poterant accedere ad loca habitata propter pericula hoſtiũ, quia omnes in circuitu nationes eos tanquã hoſtes habebant timentes eos, vt patet Ioſue 2. ſcil. in reſponſione Raab hierecontinæ, ſecundo quia per vaſtam & terribilem ſolitudinem incedebant, vt patet ſupra 8. c. & ideo nõ videtur q⁹ errabant cõtra legem, quia ſacrificabant aliter quã lex mandaret, ſed quia nullo modo ſacrificarent, cum lex aliquo modo, & tempore aliquo ſacrificare iuberet. Ideo eſt ſenſus quantũ ad obſeruationẽ huius præcepti, & aliorũ, ſcil. non faciatis in terra promiſſionis cum eam poſſideritis, ea quæ hic facimus, quilibet quod bonum ei apparet, quia non curamus de ſacrificando, nec ſacrificamus, nec etiam pro tunc obligabantur. Et non ſolum quantum ad hoc, ſed etiã quantum ad alia, quia non obſeruabant alias cæremonias, vtpote in ſolutione decimarum, & primiciarum, & obſeruatione feſtorum, & non enim obſeruabant tunc feſta, quia recedebant mouebantque caſtra quando nubes mouebatur, ſiue moueretur in ſabbato ſiue quandocunque, & aliquando veriſimile eſt in ſabbato fuiſſe motam, & ambulaſſe Hebræos, de quo diximus magis ſup. 12. cap. non obſeruabatur etiam paſcha, quia non legitur, obſeruatum fuiſſe aliquod paſcha azymorum in deſerto, præter paſcha, ſecundum quod fuit in monte Synai de quo Num. 9. cap. & hoc quia tunc erant circa terram Madiam de qua erat Ietro ſocer Moyſi, & non erant hoſtes Hebræorũ homines terræ illius ideo poterant habere neceſſaria, in alijs autem locis non poterant ſic habere neceſſaria, de hoc magis declarauimus ſupra 6. ca. de feſto pentecoſte idem eſt dicendum, præcipue cum ibi offerri debeant panes qui in deſerto non erant, cum ibi nulli eſſent nec noui nec veteres: etiã quia iſtud feſtũ fieri debebat computando 50. dies ab eo die, quo mitterent falcem in meſſem, & tunc celebrabatur feſtum hebdomarum, id eſt pentecoſte, in deſerto autem non ponebatur falx in ſegete cum nulla ſeges ibi eſſet, nec panem vllo modo cõmederent, vt patet infra 29. capitul. etiam, quia in hac die offerebantur victimæ ſpontaneæ in loco quem dominus eligiſſet vt patet infra 16. cap. vbi agitur de his omnibus, in deſerto autem habitantes nondum habebant aliquem locum, quem elegiſſet dominus, ergo non faciebant hæc. De feſto tabernaculorum clarius patet, nam iſtud feſtum erat ad memoriam filiorum Iſrael, vt cognoſcerent quomodo in deſerto habitauerint in tabernaculis frondium in montibus. Dum ergo iſta fuerunt in re, id eſt dum ſentiebantur, non oportebat poni aliquod ſignum rememoratiuum horum, cum ipſæ res præſentes ſufficienter immutent nos ad cognitionem ſui ipſarum magis quam aliquod ſignum, quia non eſt tantæ virtutis, ſed exiſtentibus Iudæis in deſerto, tabernacula de frondibus, & ramis arborum erant in re, id eſt actualiter fiebant, ergo non erat ponendum aliquod ſignum rememoratiuum, quia circa principia non eſt memoria, quòd autem videatur ad memoriam tabernaculorum factorum in deſerto iſtud feſtum fuiſſe inſtitutum, patet Leuit. 23. cap. in fine cum dicitur, menſe ſeptimo feſta celebrabitis, & habitabitis in tabernaculis ſeptẽ diebus, omnis qui de genere Iſrael eſt manebit in tabernaculis, vt diſcant poſteri veſtri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti, ſicut enim non obſeruabantur iſta feſta, ita nec obſeruabantur feſta clangoris, & propitiationis, nam eadem ratio de omnibus eſt, cum in omnibus ſacrificia offerantur, vt patet Num. 28. & 29. cap. & ſicut non obſeruabantur cæremoniæ feſtorum, ita nec obſeruabatur circunciſio, cuius cauſa ſupra aſſignata eſt in iſto cap. idem eſt quantum ad omnia alia ſimilia, quædam tamen obſeruabantur, quia manifeſte obſeruari præcepta ſunt, ſicut expulſio leproſorum è caſtris, vt patet Num. 5. c. & multa de quibus late diximus Exod. 13. cap. dando regulas quæ debebant ſeruari, & quæ non, & de iſtis dicit hic Moyſes, ſcil. quòd non faciant iſti qui intrauerint in terrã promiſſionis, ſicut illi qui erant in deſerto, ſcil.

D E F

quòd

A *In deserto quare non obseruabantur, quæ post obseruari debebant.*

quòd ſtantes in deſerto paucas, vel quaſi nullas legis cæremonias obſeruabant, qui autem intrauerint in terram Chanaan debent omnes obſeruare. *Nec enim vſq; in præſens veniſtis in requiem.* Iſta eſt cauſa quare in deſerto non obſeruabantur quæ poſt obſeruari debebãt quia nondũ venerant in requiẽ, quam Deus eis daturus erat, vbi haberent diſpoſitionem requiſitam ad obſeruantiam cæremoniarum maxime ad iſtam de vnitate loci ad ſacrificandum, quia in terra promiſſionis tabernaculum ſtabile futurum erat, licet contigerit poſt in terra promiſſionis illud ex aliquibus cauſis mutari, ſcilicet de Sylo in Nobe, deinde in Gabaon, deinde in Hieruſalem.

An ſit idem locus manſionis tabernaculi, & arcæ, & quibus in locis arca ſteterit: & quæ diſtinctio erat inter locum tabernaculi, & locum arcæ.

QVÆSTIO V.

ET nemo turbetur in hoc, quia non eſt idem locus manſionis tabernaculi & arcæ, cum enim venerunt filij Iſrael de ſolitudine, ſimul poſuerunt tabernaculum cum arca in Sylo poſt 14. annos ab introitu in terram promiſſionis, & manſit ibi totum ſimul annis 344. vſque ad tempus Heli ſacerdotis, quando duo filij eius portauerunt arcam in caſtra, & portauerunt eam Philiſthin, exinde cœpit arca ſciuncta eſſe à tabernaculo, quia tabernaculum delatum eſt in Nobe, vt ſup. probatum fuit, arca autem allata fuit in Cariathiarim, vt patet 1. Reg. 7. cap. deinde in Maſphat, vt patet 1. Reg. 7. aliqualiter moratur deinde in Nobe, vt 1. Reg. 21. cap. deinde in Gabaon de quo 2. Paralip. 1. & 2. Reg. 6. cap. deinde in domum Obethedon, vt patet eod. c. deinde in domum Dauid vt eod. cap. deinde in templum Salomonis vbi firmiter manſit vſque ad captiuitatem babylonicam; quando Hieremias abſcondit arcam, candelabrum, & altare incenſorum, vt patet 2. Mach. 2. cap. hæc quidem ab aliquibus ſic tenentur, vt recitata ſunt, neſcientibus diſtinguere inter loca arcæ & tabernaculi, putant enim arcam domini poſt reductionẽ de terra philiſthinorum veniſſe in Cariathiarim, cum meteretur triticum, ſed non manſit in bethſames, quia accidit ibi plaga magna, nam mortui ſunt plures quam 50. millia virorum, vt patet 1. Reg. 6. cap. cum dicitur percuſſit autẽ de bethſamitibus eo quod vidiſſent arcam domini, & percuſſit de populo ſuo ſeptuaginta viros & 50. millia plebis, luxitq; populus, quia percuſſiſſet dominus plaga magna plebem, dixerunt Bethſamitæ, quis poterit ſtare in cõſpectu domini Dei ſancti huius? & ad quid aſcẽdet à nobis, & poſtea ſequitur ibi. & in 7. c. ſequenti quomodo viri de Cariathiarim venerunt in agrũ Bethſames, & tulerunt inde arcam domini portantes in Cariathiarim in Gabaa, & poſuerunt in domo Aminadab, & ſanctificauerunt Eleazarũ filium eius, vt cuſtoderet arcam domini: ibi autem manſit arca donec tranſlata fuit ad domum Obethedon per Dauid regẽ, vt patet 2. Reg. 6. ca. & deinde fuit tranſlata in domum Dauid, vt patet eod. lib. & c. poſt hoc conſtructo templo per Salomonem portata fuit arca in templũ cum tabernaculo toto, & ſimul poſita ſunt. Tabernaculum autem poſtquam de Sylo motum eſt, fuit poſitum in ciuitate Nobe, deinde deſtructa illa per Saulem, & occiſis omnibus ſacerdotibus tranſlatum fuit in Gabaon de his 2. Reg. 21. cap. iuncto cap. 2. lib. 2. Paralip. poſt Gabaon portatum fuit tabernaculum in Ieruſalem facto templo Salomonis, vt patet 2. Paralipo. 2. cap. hæc latiſſime diſtincta & probata fuerunt Exod. 20. cap. & ibi vide. Iſti autem errantes circa locationẽ arcæ dicunt, quòd arca poſt Cariathiarim ducta eſt in Maſphat, in quo dupliciter errant. Primo quia argumentum, vel motiuum eorum non eſt ſufficiens. Secundo quia falſum dicunt primo, nam iſti mouentur ad dicendum, quòd fuit ducta arca in Maſphat, quia ibi fuit factum ſacrificium agni lactantis, vt patet 1. Reg. 7. cap. & quia dicitur ibi, quòd hauſerunt aquam, & fuderunt in conſpectu domini: nam volunt quod dicatur in conſpectu domini, id eſt in conſpectu arcæ ſuper quam erat dominus, quia loquebatur ſuper arcam de medio cherubin in propitiatorio: vt patet Exod 25. & 30. & Numer. 7. cap. primum motiuum de ſacrificio non eſt ſufficiens, quia non ſolum fiebant ſacrificia coram arca, ſed etiam in atrio tabernaculi dato quod non ſtaret ibi arca, de quo declarauimus Exo. 23. c. & non ſolum intra tabernaculi atrium, ſed etiam extra illum locum, vt patet in multis locis: Nam Helias ſacrificauit in altari, quod fecit ſuper montem Carmeli præſentibus ſacerdotibus Baal, vt conuinceret eos de errore ſuo, vt patet 3. Reg. 18. cap. etiam Samuel ſacrificabat in Ramatha ciuitate habitationis ſuæ, vbi ipſe altare conſtruxerat ad immolandũ, & tamen ibi nullum iſtorum prædictorum erat, ſcil. nec arca nec tabernaculum, de hoc 1. Reg. ca. 7. in fine. Item ſacrificauit in Bethlehem: vt patet 1. Re. 16. c. & tamen in Bethlehem nec erat arca, nec tabernaculum, & in multis alijs locis faciebat hoc Samuel cum eſſet propheta domini, quæcunq; agebat ſpiritu Dei agere credebatur, faciebat hoc idem populus in ciuitate Ebron, in qua nihil horum erat pro eo tempore, quo totus populus, vel valde magna pars colebat ibi Deum ſacrificans ei, de quo 2. Reg. 15. cap. non ergo ſequebatur quod vbicunque Deus coleretur, & offerretur ei ſacrificium, ſtaret arca in Maſphat: ergo licet ſteterint Iſraelitæ, & ſacrificauerint domino, tamen non fuit ibi arca, ſed ſolum conuocauit eos Samuel, vt colloqueretur eis, & incæpit pro eis orare & poſtea ſacrificauit: fuit enim accidentaliter hoc factum: nam quando ibatur ad bellum ſiue ad ſimiles inſultus, videtur quod ſacrificabatur Deo ante inchoationem, vt patet 1. Reg. c. 13. cum dixit Saul ad Samuelem, nunc deſcendent ad me Philiſthin in Galgala, & faciem domini non placaui, neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum. Et ſic dicit ibi ſe neceſſitate compulſum obtuliſſe, quia iturus erat in hoſtem, vel portaturus impetum eorum. Cum autem dicitur quod Hebræi exiſtentes in Maſphat hauſerũt coram domino, & fuderunt aquam non ſequitur ex hoc quicquã, quia non dicitur ſolũ ſtare coram domino ille, qui ſtat corã arca, ſed etiã ille qui ſtat coram altari holocauſtorũ, quia ſicut dominus reſpondebat Moyſi inter duo cherubin ſuper propitiatorium arcæ, & dicebatur propter hoc ibi eſſe, ita reſpondebãt ſuper altare holocauſtorum, vt patet Exod. 29. c. cum dicitur, ad oſtium tabernaculi teſtimonij corã domino, vbi cõſtituam vt loquar ad te, ibiq; præcipiam filijs Iſrael, & ſequitur ꝙ intelligatur hoc de altari ſacrificiorũ, cum dicitur, & ſanctificabitur altare in gloria veſtra: ideo nõ ſolum in illo altari ſacrificiorum, ſed vbicunq; conueniret Iſrael, & fieret ſacrificium ab eo qui licite facere poterat, dicebantur ſtare coram domino, quia ſingulariter repræſentabatur Deus per altare, eo quod fieret ei ſpecialis cultus ibi, & ſic cum conuenerunt Iſraelitæ in Maſphat ad eligendũ regem, dicebantur ſtare corã domino, vt patet 1. Reg. 10. c. cum dicitur, nũc ergo ſtate corã domino per tribus veſtras. Et ibidem dicitur conuocauit Samuel omnẽ populũ in Maſphat corã domino: ſic etiã quando debuerunt cõfirmare regẽ Saul congregati ſunt in Galgala, & dicebantur ibi eſſe corã domino, vt patet 1. Reg. 11. c. cum dicitur, & fecerunt ibi regem Saul corã domino in Galgala, & immolauerunt victimas pacificas coram domino & in ſequ. c. ſcil. in 12. Dixit Samuel in eodem loco loquimini de me coram domino, & corã Chriſto eius nõ tamen diceret aliquis ꝙ arca domini ſteterit in Galgala, nam hoc modo quotidie mutata fuiſſet: ſecundũ, ſcil. ꝙ nõ ſtetit arca dñi in Maſphat licet iſti dicant falſũ aſſerentes, quia vt ſup. declaraui, quando primo arca dñi ducta fuit in terram Philiſthinorũ, & venit in agrũ Bethſames poſita fuit in Cariathiarim in Gabaa in domo Aminadab, ſed poſtea nõ educta fuit inde, donec Dauid rex duxit eam in domũ Obethedon volens ducere in ciuitatem ſuam; ergo nõ ſtetit in Maſphat nec alibi, ſcil. in Galgala vel Ramatha, licet de omnibus locis dicatur quòd facta ſunt ibi ſacrificia: cõſequentia patet, quia poſitio arcæ in Cariathiarim fuit ſtatim poſt mortem Heli ſacerdotis, capta namq; arca captus fuit ipſe ruens de ſella audita arcæ captione: vt patet 1. Reg. 5. ca. & poſt menſes ſeptem arca reducta eſt de terra Philiſthin: vt patet 1. Reg. 6. & tunc poſita fuit in Cariathiarim, vt patet 1. Reg. 6. & 7. c. fuit ergo hoc ante ſacerdotium Samuelis, & Saulis regnum qui cõputantur poſt mortẽ Heli ſacerdotis per 40. annos, & poſtea in tempore regni Dauid, dicitur arca portata de Cariathiarim ſiue Gabaa in domum Obethedon, ergo nunquã fuit mutata tempore intermedio, ſed cum ſteterunt Iſraelitæ corã domino in Maſphat, fuit in tempore Samuelis ante principiũ regni Saulis, vt patet ex ſerie literæ 1. Reg. in c. 7. & vltra: ſi enim arca dñi ducta fuiſſet de Cariathiarim in

B C D E F

Solutio obiectionis.

A Masphat, & in alia loca multa, in quibus dicuntur stetisse coram domino Israelitæ, quando Dauid voluisset reducere arcam ad se, nõ iuisset ad Cariathiarim, sed ad alia loca in quib⁹ fuisset posita, ꝙ autẽ de Cariathiarim duxerit eam Dauid p. 2. Reg. 6. c. cum dicitur, imposuerũt arcã Dei super plaustrũ nouum tuleruntq; eam de domo Aminadab, qui erat in Gabaa, & est iste locus Gabaa idem ꝙ Cariathiarim, vt patet 1. Reg. 7. cum dicitur, venerunt viri Cariathiarim, & reduxerunt arcã domini, & intulerunt eam in domũ Aminadab in Gabaa, & tamẽ isti viri Cariathiarim nõ reudxerunt arcam Dei in alium locũ quã in suũ, scil. in Cariathiarim. Et patet magis, quia postquã dictũ fuit ꝙ posita fuit arca in Gabaa in domũ Aminadab sequitur, & factũ est ex qua die mansit arca domini in Cariathiarim, ergo in Cariathiarim, quòd tamen impossibile est, nisi Cariathiarim, & Gabaa idem essent, cũ ipsa dicat̃ posita in Gabaa ibidẽ, & licet apud nos est aliqua perturbatio, in litera tamẽ hebraica nulla est, quia Cariathiarim est nomen propriũ loci, Gabaa autẽ est appellatiuũ nos autem putãtes esse duo nomina propria locorum conturbamur. Sed adhuc dato ꝙ Cariathiarim, & Masphat nõ essent idem locus, tamẽ semper manet intentũ nostrũ, scil. ꝙ non fuerit mota arca dñi postquã ducta fuit de terra Philisthin, vsquequo eam duxit Dauid in domũ Obethedon, ergo non fuit ducta in Masphat nec in alia loca, de quibus dicitur, quia

B istæ mutationes necessario forent in tempore sacerdotij Samuelis, & regni Saul. patet annus quia 1. Reg. 7. c. dicitur ꝙ posuerunt arcã in domo Aminadab in Gabaa, quòd fuit cũ ducta fuit de terra Philisthin, vt ibidẽ patet, & postea 2. Reg. 6. c. dicitur, imposuerunt arcã Dei super plaustrũ nouum, tuleruntq; eam de domo Aminadab, qui erat in Gabaa, ergo nõ fuit mota tempore intermedio, scil. in toto tempore sacerdotij Samuelis, & regni Saulis, ꝙ simul fuit annorũ 40. de quo magis declarauimus Exo. 20. c. concludi etiã potest hoc aliter, quia Israelitæ posuerũt arcam domini in Gabaa, quod est in Cariathiarim, vt ibi maneret custodita, si tamen ipsa mutaretur per diuersa loca, scil. in Masphat & Galgala, & alia loca, non maneret in custodia in Gabaa: nam poni in custodia est poni ad manendum immobiliter saltem pro magno tempore: antecedens patet 1. Regum. 7. cap. cum dicitur intulerunt arcam domini in Gabaa in domum Aminadab. Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam domini. Ex dictis ergo manifestum est quod arca domini non stetit in Masphat. Isti etiam errantes dixerunt, quòd post mutationem de Masphat stetit in iniciuitate Nobe, vt patet 1. Reg. 21. cap. hoc duo inconuenientia habet sicut supra dictum. Primo, quia motiuum non concludit. Secundo quia falsum dicit. Primum patet, quia ipsi mouentur ad dicendum, quòd arca Dei steterit in ciuitate Nobe, quia 1. Regum. 21. cap. dicitur quod cum Dauid fugeret à

C facie Saulis, venit in ciuitatem Nobe ad Abimelech sacerdotem, & petiuit ab eo panes, qui respondit non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum, & postea sequitur, nec enim erat ibi aliquis panis nisi tantum panis propositionis, qui sublati fuerant à facie domini, vt ponerentur panes calidi. Ecce enim motiuum istorum est multiplex ad dicendum quod ibi fuetit arca domini, primum, quia dicitur ibi coram domino, scilicet, quod essent panes coram domino, quòd ad rem sacram pertinet.

Distinctio inter locũ arcæ & locum tabernaculi.

Secundum quia dicitur quod erat in Nobe sacerdos Achimelech, qui erat princeps sacerdotũ vt colligitur, primo Regum. 22. cap.

Tertium motiuum quia dicitur, quòd erant ibi panes propositionis, qui ad sacerdotes, & loca sancta pertinent.

Respondetur quod motiua ista non sufficiunt, de primo namq; iam dictum est, scil. quòd in quocunq; loco in quo erat altare, & offerebantur sacrificia, dicebantur homines stare coram domino, & ibi offerebantur holocausta, vt patebit, cum esset ibi altare holocaustorum cum tabernaculo: ergo recte dicebantur ibi esse coram domino, dato quod nõ esset ibi arca.

Secundum motiuum de mansione sacerdotum ibi non valet: nam isti nesciunt distinguere inter locum arcæ, & locum tabernaculi: erat autem in Nobe locus tabernaculi totius: sed non erat ibi arca, quòd patet quia erant ibi propotionum panes, qui ponuntur in mensa, quæ est intra tabernaculum, & quod ibi fuerint sacerdotes non arguit fuisse ibi D arcam, sed potius tabernaculum: nam cum diuisa essent in tempore illo arca, & tabernaculũ, sacerdotes sequebantur tabernaculũ. Nam cum esset locus Sanctuarij locus in quo esset tabernaculũ, & nõ locus in quo esset arca, vt declarauimus late Exo. 23. c. & in loco Sanctuarij fiebat congregatio omniũ Israelitarũ ter in anno in tribus festiuitatibus, scilicet, azymorum, & pentecostes, atque tabernaculorum siue scenophagiæ, vt patet, infra 16. cap. & Exod. 23. & 34. & faciebant ibi multa sacrificia & oblationes, conuenientius hęc fieri poterant in tabernculo, vbi erat altare holocaustorum, & thimiamatum, & cætera vtensilia, quàm coram sola arca, præcipue cum Leuit. 17. cap. mandatum fuisset quod omne sacrificium, quòd fieret offerretur ad ostium tabernaculi, scil. in altari holocaustorum, quòd erat ad ostium tabernaculi: vt patet Exod. vigesimo nono cap. in loco arcæ non erant aliqui sacerdotes, cum non fierent ibi aliqui cultus diuini, quando separata erat à tabernaculo, sed solum custodiebatur in vna domo, donec esset voluntas Dei, vt iungeretur tabernaculo, & ad hanc custodiam solum deputabatur vnus lotus vir & mundus, qui diligẽter custodiret eam, vt patet 1. Reg. 7. cap. cum, dicitur Eleazarum autem filium Aminadab posuit eam, in domo Obethedon Gethæi, vt patet 2. Reg. 6. cap. nec fit mentio quod aliqua alia solennitas fieret posita arca ibi. In Nobe autem erat Achimelech princeps E sacerdotum & tota domus eius, scil. omnes sacerdotes, qui tunc ministrabant, vt patet 1. Reg. 22. cap. nam 85. sacerdotes venerunt de Nobe cum Achimelech coram Saule, & omnes trucidati sunt coram eo.

Tertium motiuum de panibus propositionis non arguit ibi arcam fuisse, sed potius arguit fuisse tabernaculum, nam panes propositionis ponebantur in mensa coram domino, vt patet Leuit. 20. cap. ista tamen mensa erat intra tabernaculum in latere aquilonari, vt patet Exod. 26. cap. cum ergo ponerentur panes in mensa, oportet vt ipsa staret intra tabernaculum, nam aliàs non dicebatur stare coram domino, coram arca autem sola poni non debebat: ergo in Nobe ciuitate nõ erat arca, sed tabernaculum, vel saltem non arguebatur ex hoc debuisse ibi esse arcam. Secundum, scil. quòd non potuerit ibi arca esse patet per argumentum quod supra fiebat, scil. quòd non stetisset in Masphat, nam de Cariathiarim non fuit mota donec eam Dauid transtulit in domum Obethedon Gethæi: cum de Cariathiarim siue Gabaa dicatur eam adduxisse Dauid in domum Obethedon: vt patet 2. Re. 6. ca. ergo non stetit in Nobe quia hoc fuisset tempore Saulis, quòd tunc erant ibi sacerdotes: vt patet 1. Reg. 21. & 22. sed hoc non potuit esse, quia tunc non duxisset eam Dauit de Gabaa de domo Aminadab: sed de alijs locis ad quæ portata fuisset.

Isti etiam dicunt quod post destructionem ciuitatis Nobe transtata fuit arca de ipso loco in Gabaa, & probant per F id quod habetur 2. Paralipom. 1. capit.

Sed isti falsum assumunt nescientes distinguere de arca & tabernaculo, nam ibi dicitur, quod Salomon transtulit de Gabaon totum tabernaculum domini & altare de Gabaon, & arcam transtulit de Cariathiarim Dauid pater eius, & posuit in ciuitate sua, & ipse loco Salomon transtulit in templũ quod ædificauerat, & est argumentum istorum ex falsis, scil. quod arca domini fuerit in Gabaon: nam si ibi fuit putant eam illuc veniisse post destructionem ciuitatis Nobe, nam non poterat Salomon auferre arcam de Gabaon ad portandum in tabernaculum de Gabaon, nisi prius adducta fuisset in Gabaon, & non videtur quod illud ducta fuisset nisi destructa ciuitate Nobe, sed vtrumq; falsum est, quia nec stetit arca domini in Nobe nunquam vt supra probatum est, & si non stetit non potuit portari de loco ipso in Gabaon, nec etiam stetit in Gabaon vllo modo siue portata de Nobe, vel de aliquo alio loco, quia 2. Paralip. 1. cap. non dicitur quod portata fuit de Gabaon in Hierusalem, sed quod tabernaculum fuit portatum de Gabaon in Hierusalem. Vltimo errant dicentes quod post Gabaon fuit ducta in domum Obethedon, nam hoc fuit de Cariathiarim, cum enim nõ steterit arca domini in Gabaon sed solum tabernaculum, impossibile est vt de Gabaon in domum Obethedon duceretur, sed fuit ducta de Cariathiarim, siue de Gabaa quod idem est.

A Si ergo velis scire plenissimam veritatem de locis in quibus manserunt arca & tabernaculū, siue quando erant cōiuncta, siue quando erant disiuncta per totum tempus legis veteris, vsque ad Messiam vide Exod. 20. c. vbi latissime diximus & Exo. 23. aliqualiter. *Transibitis Iordanē.* Loquitur Moyses hic prophetice: nam sciebat certissime q̄ transituri essent Iordanem, & possessuri terrā totam quā eis promiserat Deus: de se autē iam notum erat sibi, quòd nō esset in illā transiturus, sed morereturin terra ante Iordanē in terra Amorrhæorū, sic enim dixit sup. 4. c. scil. iratusq; est dominus contra me propter sermones vestros iurauit, vt non transirem Iordanē, nec transirem in terrā optimam, quā daturus est vobis: ecce morior in hac humo, & vos transibitis, atq; possidebitis terram egregiam. *Et habitabitis in terra quam dominus Deus daturus est vobis.* Ista est maior assecuratio, nam dato quod transirent Iordanem, si nō vincerent hostes qui habitabant in terra illa, non possent habitare in ea, & tunc transitus Iordanis nihil proderat, & sic dixit Iosue quando vidit quod in expugnatione ciuitatis Hai mortui fuerant 36. viri de Israel, & fugerant à facie hostium prosequentium, vt patet Iosue 7. c. scil. heu domine quid voluisti transducere populū istum Iordanē fluuium, vt traderes eos in manu Amorrhæi, & perderes? vtinam vt cœpimus mansissemus trans Iordanem: mi domine Deus quid dicam videns Israel hostibus suis terga vertentem? *Vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum.*

B

An ista promissio de requie ab hostibus fuerit statim completa.

QVÆSTIO VI.

ISTA est adhuc maior promissio quam aliqua de prædictis, & nunquam fuit completa vsq; ad tempus Salomonis regis, cui omnes gentes Philisthinorum, & aliorum, qui erant intra terminos terræ promissæ Israel subiecti sunt, & facti tributarij, vt patet 3. Reg. 5. cap. & clarius 2. Paralipom. 8. capit. cum dicitur, & in vniuersa terra potestatis suæ omnem populū qui relictus fuerat de Ethæis, Amorrhæis, Pherezæis, & Euæis, & Iebusæis, qui non erant de filijs Israel, de posteris, quos non interfecerunt subiugauit Salomon in tributarios, idem patet Eccles. 47. c. cum dicitur Salomon imperauit in diebus pacis, cum subiecit Deus omnes hostes, vt conderet domū in nomine eius non fuerunt autē subiectæ omnes istæ gentes vsq; ad tempus illud propter duo, primo propter peccata Israelitarū, qui hoc demeruerunt non destruendo aras gentiliū, & faciendo cum eis fœdera vt patet Iud. 2. c. cum dicitur, angelus domini descendit de Galgala ad locū flentiū, & ait, eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum, vt non facerem irritū pactum meum in sempiternum ita duntaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocē meam, cur hoc feciſtis? quamobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eōrum sint vobis in ruinam, idem replicatur per alia verba in fine huius c. secūda causa fuit propter vtilitatē Israel, scil. ne pigresceret Iudæi. Si enim omnes in circuitu hostes deleti fuissent, non maneret Israelitis vlla mouendi arma occasio, & fierent inepti ad omnem actū virilitatis. Et si contingeret alios extraneos venire super eos nescirēt se vllatenus defensare, reliquit ergo eis aliquas gentes de Chananæorū populis, cum quibus perfecte acquirerent vsum pugnandi, vt patet Iud. 3. c. in principio cum dicitur, hæ sunt gentes quas dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananęorum, vt postea discerent filij eōram certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi, cum autem venit tempus Salomonis satis erant eruditi Israelitæ in armis per tot annos scil. per 440. annos nam ab exitu de Ægypto vsquequo incępit Salomon ædificare templū domino, anno quarto regni sui mense secundo, vt patet 3. Reg. 6. c. transierunt anni 480. à quibus auferātur 40. quibus mansit Israel in deserto, vt patet supra 8. c. manebunt 440. anni in quibus poterant satis esse eruditi ad bellū, ideo tempus erat, vt subijcerentur eis omnes gentes promissæ: causa tamē potissima, quare magis omnes gentes fuerunt subiectæ tempore Salomonis quā præcedentibus temporibus, fuit quia Salomon ædificare debebat domum domino, secundū quod fuerat prænunciatū à Deo per Nathan prophetam, vt patet 2. Reg. 7. c. ad ædificandum autē perfecte requirebatur vt quiesceret à bellis, & ob hoc finiuit ædificationem illam breuiter, scil. in annis 7. vt patet 3. Reg. 6. c. templū autem secundū post captiuitatē babylonicam restauratum fuit in valde magno tempore, scil. 47. annis vt dixerūt Pharisæi quando Christus dixit, possum destruere templum hoc & in triduo reędificare, & hoc quia magna bella sustinebant in ista ędificatione secunda, ita vt in vna manu tenerent lanceam, & alia manu facerent opus: vt patet Neemiæ 3. c. & ista causa tangitur Ecclesiastici 47. cap. cum dicitur, Salomon imperauit in diebus pacis cui subiecit dominus omnes hostes, vt cōderet domum in nomine eius. *Vt absque vllo timore habitetis in loco quem Deus elegerit, vt sit nomen eius in eo.* Non quod omnes habitarent in loco illo, quem Deus elegisset ad ponendum nomen suum ibi, sed poterant ibi sine vllo timore facere ea, quę ad Dei cultum pertinerent quia Deus omnes hostes eorum deleturus erat, vel saltem pressurus formidine, vt nullo modo insurgere auderent, ista litera potest dupliciter intelligi. Vno modo quod accipiatur hic locus stricte pro vna ciuitate vel oppido, in quo poneretur Sanctuarium. Alio modo quod accipiatur locus large pro tota terra promissionis, quantum ad primum modū est sensus. *Vt absque vllo timore habitetis in loco quem Deus elegerit.* Id est quando transieritis Iordanem, & deleueritis gentes Chananæorum, vel saltem multas earum, & habitaueritis securi in terra illa, & posueritis tabernaculum domini in loco vno, ad quem secure confluere possitis, & ibidem manere ad habitandum, & ad sacrificandum, faciendumq; aliàs cæremonias domino, tunc offeretis sacrificia, & dabitis decimas, & facietis omnia quæ hic sequuntur. *Vt absque vllo timore habitetis.* Id est manere possitis non quidem ad habitandū, quia hoc non mandabatur nec requirebatur, quòd omnes habitarent in loco vbi esset Sanctuarium, sed cogebantur ibi manere certo tempore anni, quia debebant ter ascendere in locum, quem dominus elegisset, scil. vbi staret tabernaculum, scil. in festo paschali azymorum, & in pentecoste, & in festo tabernaculorum, vt patet infra 16. c. & Exo. 23. & 34. & licet hic habitatio assumatur pro mansione paucorum dierum quam contrahebat totus Israel in loco Sanctuarij tamen adhuc potest accipi habitatio proprie, nā semper in loco Sanctuarij aliqui debebant habitare, nam ad minus ipsi sacerdotes qui principaliter ministrabant, morabantur in eodem loco, & morabantur ibi Leuitæ in ministerium tabernaculi secundum officia eis distincta, quæ distinxerat Moyses, vt patet Num. 3. & 4. ca. & ista institutio officiorum durauit vsq; ad tempus Salomonis, nam Dauid pater eius videns quod Deus dedisset requiem Israel, instituit Leuitas seruire secundum alia genera ministeriorum, nam antea ministrabant in portando onera tabernaculi, scil. ipsum tabernaculum cum omnibus quæ ibi erant: vt patet Num. 4. c. hæc autem ministeria conueniebant pro tempore quo tabernaculum domini erat in motu, cum autem tempore Dauid accepisset requiem, quia ipse cognouerat per reuelationē propheticam, quòd in Ierusalem esset ædificandum templum domino, q̄ stabile esset, instituit officia conuenientia tempori quietis, & sic quidam de Leuitis facti sunt cantores, quidam ianitores, quidam principes eorum quæ frigebantur in sartagine, quidam custodes thesaurorum domus domini, de quibus 1. Parali. 23. & 24. & 25. & 26. cap. habitabant etiam in loco Sanctuarij alij seruientes tabernaculis in comportando aquas ad lauandas hostias, & cædendis lignis atq; portandis in tabernaculi atrium ad holocausta, & cætera sacrificia, & aquas ad abluendas hostias, isti autem ministri seruientes circa similia erant Gabaonitæ, qui pro eo, quòd deceperant filios Israel dicentes se esse de terra longinqua, & sic fecerunt cum eis pactum, cum aliàs non licuisset Hebræis, quia erant de terra quam possessuri erant, quando compertum est eos colonos esse tetræ illius, quā possessuri erant Israelitæ, & satis propinqui, propter iusiurandū quod eis iurauerant, illis vitam concedentes eos perpetuos seruos effecerunt, ita vt seruirent in loco vbi esset tabernaculum domini in cædendis lignis, & comportandis aquis, vt patet Ios. 9. ca. isti ergo Gabaonitæ etiam in loco Sanctuarij habitabant, requirebatur ergo q̄ omnes isti secure habitare possent in loco quē dominus elegisset, nam si ibi non habitarent secure, mutare debebant

C

D

Duplex litera expositio.

E

Ter annuatim Israelitæ in locum à Deo electum ascendebant.

F

Varia leuitarum officia.

A

tabernaculum, licet hoc nunquam eueniebat, quia cum Iudæi boni essent, vbiq; securitas erat & fugiebant procul hostes de terra eorum, & si ad eos per vnam viam veniebãt, per septem vias reuertebantur, vt patet Leui. 26. & plenius, infra 28. c. si autem mali essent, vbiq; persequebantur eos hostes, siue in loco Sanctuarij, siue alias, ideo dato quod fieret mutatio loci Sanctuarij nihil proficiebat & sic nunquam facta fuit in toto tempore veteris testamẽti talis mutatio Sanctuarij, siue bonum eis accideret, siue malũ, requirebatur ergo vtrunq;, scil. q̃ in illo loco quem Deus elegisset, vt habitaret nomẽ eius ibi, q̃ posset totus Israel, quãdo illuc cõflueret tẽporibus tribus anni, securus manere, & quod sacerdotes, & alij qui in eodem loco continue morabantur, possent secure habitare, nam vnum sequebatur ad alterum: ideo idem iudicium erat de vtroq;. *In loco quem dominus elegerit.* Deus eligebat ista loca, & non ponebatur ibi Sanctuarium voluntate humana, vt videretur magis quod sacrificia illa Deus acceptabat, qui loca ipsa ad sacrificiorũ oblationem elegisset, quomodo autem Deus elegerit talem, vel talem locum ad habitandum in eo, cognoscebatur per prophetas, qui de hoc domini oraculum, id est responsionem accipiebant, sicut Dauid declarauit, quod dominus abiecisset tabernaculum Sylo quod erat in tribu Ephraim & quod elegisset sibi fieri in tribu Iuda, vt patet Psal. 77. cum dicitur, & repulit tabernaculum Sylo, & tribum Ephrem, non elegit, &c. Nathan Propheta etiam prophetizauit ipsi Dauid de ædificatione futura tabernaculi, vel potius templi magni, de quo 2. Reg. 7. c.

B

Ad qd dominus locum elegebat.

Vt sit nomen eius in eo. Ad hoc eligebat dominus locum aliquem, vt esset nomen eius in eo, id est, vt ibi fieret præcipua inuocatio nominis eius, & cultus, hoc autem solum erat in loco Sanctuarij, quia ibi erant sacerdotes, & fiebant sacrificia, & aliæ cæremoniæ legales de oblationibus, & similibus, quæ ad solum locum tabernaculi, siue Sanctuarij pertinebant. Alio modo exponitur ista litera accipiendo locum large, scil. pro tota terra promissionis, & sic accipitur Exod. 23. c. cum dicitur, ecce ego mittam Angelum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locũ quem paraui, id est ad terrã promissionis, quia nõ erat vnus aliquis locus, ad quẽ omnes introducendi erant, & tunc est sensus. *Et absque vllo timore habitetis in loco quem elegerit dominus.* Id est ista sacrificia, & dona, ac decimas, & similia non tenebantur dare, donec intrarent in terram promissionis, & victis hostibus, atq; deletis omnibus, vel maiori parte eorum, secure habitarent in loco quem dominus elegisset, id est in terra promissionis, quia inter cæteras terras hanc dominus elegerat ad habitationem populi sui Israel. *Vt sit nomen eius ibi.* Id est istam terram elegit ad dandum tibi, vt sit nomen eius in ea, id est, vt in hac terra præcipue colatur, nam in cunctis alijs terris gentiles idola colunt, & si aliqui sunt qui de gentilibus Deũ colunt, sicut fuerunt à principio populi Bracmanorum, de quibus mores, & vitam late descripsimus, super Prologum primum Biblię qui est Epistola Hieronymi ad Paulinum c. 1. eius, & Iob qui gentilis erat Deum colebat, & cognoscebat, & tres amici eius, vt satis patet ex verbis eorum, quæ sunt valde catholica præcipuè, quia Iob 42. ca. circa finem Deus locutus fuit eis, vt offerrent pro peccato suo victimas, & rogaret Iob pro eis, atque dimitteretur, si autem non cognouissent Deum, sed coluissent dæmones, non locutus fuisset eis sic Deus, nec etiam ipsi Deum loquentem audirent, cum contra ritum Deorum suorum loqueretur. Socrates etiam Philosophus, & Plato, & similes Deum verum coluisse creduntur, & videtur ex quibusdam gestis eorum, scil. ex vita, & morte Socratis, de quibus alibi magis dicetur post libros Regum, isti tamen gentiles Deum verum colentes pauciſſimi erant in comparatione ad eos, qui dæmones colebant, immo quasi nulli erant, soli ergo Iudæi erant qui Deum colebant & in terra illa nomen domini nominabatur, sic patet Psal. septuagesimo primo, notus in Iudæa Deus in Israel magnum nomen eius, ista expositio secunda, licet in cortice satis videatur applicari literæ: tamen non est ista intentio literæ, & patet, quia necesse est, quòd locus de quo hic dicitur sit vnus locus specialis, cũ dicitur infra, illuc, id est ad ipsum locum omnia quæ præcipio conferetis holocausta, & hostias, non ergo potest stare pro tota terra promissionis, vt volebat ista secunda expositio, redeundo ergo ad primam.

C

Illuc omnia quæ præcipio offeretis. Illuc motum signat, & non quietem: est sensus ad ipsum locum omnia, quæ mandaui vobis ad offerendum, deducetis. *Omnia quæ præcipio vobis conferetis.* Ea autem quæ mandantur conferri ad locum, quem dominus elegisset, sunt ista quæ hic nominantur, scil. holocausta, & hostiæ, decimæ, atq; primitiæ, & quicquid in muneribus præcipuum est: nec est intelligendum, quòd Deus ista duci iuberet ad locum quem elegisset, ita quòd cogeret homines illuc ducere, nam tunc sequeretur, quòd ista sacrificia essent sub lege necessitatis: sed falsũ est, quia omnia erant spontanea, præter sacrificium quod pro peccato fiebat, nam in hoc tenebatur ipse delinquens subire pœnam legis, quia deliquerat, in holocaustis autem, & in victimis pacificis libertas erat, vt si aliquis vellet talia sacrificia facere agebat ea: sin autem, nullus in eum vim coactiuam habebat. Istud verbum præcipio importat tamen quandam necessitatem hic, nam secundum significationem quam istud verbum præcipio habet in iuribus humanis, quicquid præcipitur imperatur, & quod imperatur necesse est fieri, & si non fiat pœnam habet, sed ista necessitas non est necessitas simpliciter, scilicet, quòd necessitentur homines ad ipsum actum qui est offerre aliquid horum, sed est conditionalis necessitas, scilicet, quòd siquis voluerit offerre holocausta, aut hostias, vel similia quæ hic exprimuntur, necesse erat, vt veniret ad locum quem dominus elegisset, nam si alibi offerret ista, ita reus iudicabatur, ac si sanguinem effudisset, vt patet Leuitici decimoseptimo cap. causa autem horum Leuitici decimoseptimo, expressa fuit, & Exodi vigesimo, scilicet, vt tolleretur idolatrandi occasio quæ posset faciliter suboriri, si cuilibet permitteretur sacrificare vbi vellet, siue Deo, siue dæmoni, & secundum quas cæremonias vellet, sicut faciebant gentiles immolantes quibus volebant.

D

Notandum.

E

Holocausta. Hic declarat, quæ sunt illa quæ deferri debebant in locum, quem dominus elegisset, & primo dicit de holocaustis, est holocaustũ vnum genus sacrificij: sunt enim tria. Primum est holocaustum. Secundum est hostia pacifica. Tertium est victima pro peccato de quibus late dictum est Leuitici primo capit. & Gene. 15. atque in multis locis, & est holocaustum primum inter ea, scilicet, quando ad solum Dei honorem, & laudem aliqua pecora immolantur, non ex aliqua necessitate peccati, vel voti, sed liberæ voluntatis, & in isto sacrificio totum corpus ipsius animalis comburebatur immolati, cum capite, & pedibus, & ipsis intestinis lotis, vt patet Leuitici primo capitu. cum autem aliquis vellet talia sacrificia offerre domino, non poterat in agris, aut alijs locis iuxta libitum suum offerre; vt patet Leuitici decimoseptimo, sed portare debebat ad ostium tabernaculi, & ibi offerebat.

Tria sacrificiorum sunt genera.

Et hostias. Hostia autem signat duo genera sacrificiorum, scilicet sacrificium pacificum, & sacrificium pro peccato, licet istud nomen hostia secundum proprietatem nominis Latini solum signat sacrificia illa, quæ fiebant ad reddendũ gratias, quando quis redibat ab hostibus deuictis eis, vnde Hebrardus ait:

Hostia duo signat sacrificiorum genera.

F

Victima quæ cecidit ferro victrice vocatur
Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Hieronymus tamem, & multi Latinorum non curantes de proprietate huius nominis hostiam vocant quodcunque sacrificium, quocunque modo, aut quocunq; fine fiat, maxime tamen ponitur ad signandum duo sacrificiorum genera, scilicet, hostiam pacificam, & sacrificium pro peccato, & ita accipitur hic, cum dicitur.

Et hostias. Id est non solum inferetis in locum Sanctuarij holocausta vestra, sed etiam hostias vestras, id est hostias pacificas, & hostias pro peccato, quia hæc non licebat alibi offerre, cum existeret eadem ratio prohibitionis quæ in holocaustis est, & in victimis pacificis, & pro peccato erit, dicitur hostia pacifica quę offertur pro pace, sed ista pax consistit dupliciter: aliquando enim vult habere pacem cum aliquo, quem repugnantem habebat, & ad recuperandam pacem hanc preces, & sacrificium fundit domino, & talia sacrificia vocantur pacifica.

Pax pro qua pacifica hostia offertur dupliciter consideratur.

Et hoc, siue istam pacem habere velimus, cum aliquo domino temporali, quem offensum habemus, vel cum aliquo alio homine, aut cum Deo cui peccauimus, & eum nobis

A iratum credimus, volumusque eum nobis reconciliari, & ignoscere delictis nostris, aliquando est ista oblatio pacificorum ad pacis habitæ congratulationem, vtpote si quis contra hostes certamen inierat, & deuictis hostibus pax facta est, quia hostes in seruitutem, aut tributū recepti sunt, aut quia confracti sunt, & aliquo modo pax habita est, scilicet, quòd illis deficientibus nullus est qui obuiam insurgat, vel quia forte hostes qui dudum proterui erant, nunc aliqualiter deuicti pacis fœdera cum alijs hostibus ineunt, vel forte, quia homo Dei se credens inimicum ex peccatis suis, si rogans hoc obtinuerit, vt cognoscat clara reuelatione, vel aliquo signo sibi peccata dimissa, exultans gaudeo ineffabili offerat sacrificia pro tanto beneficio, pacificæ hostiæ vocantur, id est hostiæ oblatæ pro pace habita, de ritu autem horum sacrificiorū, scil. quòd de sacrificijs pacificis offerebatur Deo, & quid dabatur sacrificantibus, scil. sacerdoti iugulanti sacrificandum pecus, & quid postremo ipsis offerentibus sacrificia, satis patet Leu. 2. c. & 6. atque 7. & 8. De sacrificijs etiam pro peccato dicendum est, quòd ista sunt diuersa secundum diuersitatem personarum, nam aliquando offeruntur pro peccato summi sacerdotis, aliquādo autem pro peccato principis populi, aliquando autē pro peccato cuiuslibet de populo, & secundū istam diuersitatē, ita offerebantur diuersa animalia, & obseruabantur diuersi ritus immolando de

B quibus patet Leuit. quarto, & quinto cap.

Ac decimas. Decimæ etiam offerebantur in loco illo quem Deus elegisset, quot autem decimæ fiebant quolibet anno, vel si fiebant plures vno anno quàm altero, vel quibus dandę erant, infra patet in expositione huius cap. & magis infra cap. 14.

Vtrum meretrices, & aleatores, ac histriones, & vsurarij de lucro suo teneantur dare decimas: & hæ quotuplices sunt.

QVÆSTIO VII.

SCIENDVM autem, quòd decimæ sunt duplices, quædā sunt prædiales, & quædam sunt personales: prædiales dicuntur à prædijs, scil. illæ quæ habentur de prædiorum fructibus, & de istis non est dubium quin debeant dari integræ, & possunt peti si non dentur ab ipsis qui seruiunt ecclesijs, nam cum decimæ non sint institutæ ab homine, sed à Deo, tanquam debitum exigi potest, vt patet extra, de deci. in cap. Parochianos, aliæ dicuntur esse personales, id est quæ debentur ratione personæ etiam si res nulla possideatur, ex qua fructus prouenire possint, nam de omnibus rebus quas homo acquirit, decimas dare tenetur, si licite acquirit, vt patet extra, de decim. cap. ex transmissa, lucra autem personalia licita esse possunt, vel potius licita esse debent, ideo de illis

C decima dari debet, licet de meretrice, & aleatore, & similibus dubium sit, vtrum decimam dare debeant de lucro suo, cum illud lucrum sit iniustum.

Quidam dicunt, quod meretrix non debet dare, nec aleator, nec symoniacus, nec vsurarius, & sic de similibus, nam ista illicitè acquiruntur iuxta c. ex transmissa supra allegatū. Alij autem potius dicunt, quòd meretrix, & histrio, & sic de similibus tenentur dare decimas, & possunt dare eleēmosynas. Pro quo distinguendum, quia ille qui aliquid licite acquirit, aut facit rem suam, aut non, si autem rem suam facere potest, licet iniustus modus acquirendi sit, tamen decimæ dari debent, si autē nō potest facere rem suam, nō debet dare decimas, nec eleēmosynā, de primo, vt patet in meretricibus, quæ licet acquirant, turpissimè tamē efficiunt suū id quod acquirunt: sic etiam de histrionibus, & similibus, nam contra istos non competit repetitio, & hoc est signum, quòd possidens efficit rem suam quando autem ipse qui lucratur non efficit rem suam, sed competit repetitio, non potest dare eleēmosynam, nec sacerdos sciens hoc debet recipere, quia semper competit repetitio ei, cui istæ res subtractæ sunt aduersus quemlibet possidentem, aut potius detinentem: si ergo cognoscat ipse sacerdos recipere non debet, quia repetitio eodem modo competit contra eum, sic autem est de latronibus, aut furibus, qui licet accipiant aliquid, tamen non efficiunt res suas, sed semper competit repetitio, & pœna, idem de symoniacis, & vsurarijs, & aleatoribus, & omnibus alijs similibus, qui secundum ius restituere debent. Et hoc quia quilibet debet dare decimam aut eleēmosynam de suo. Qui autem aliquid acquirit, quod non potest efficere suum, non est illius, ideo dare non debet, vt patet extra de decimis in cap. tua nobis, & extra de iureiurando, cap. debitores, & extra de symonia, cap. veniens.

Sed circa hoc cōsiderandum est, cum aliquis acquirit aliquid iniustè, quod non potest facere suum, sed competit repetitio, an illud acquisitum sit aliquod prædium, an non, si autem non sit aliquod prædium, nec res fructum dans, sicut vestes, & iumenta, & pecuniæ, & similia dicendum est, vt supra dictum fuit, scil. quòd non debet dare qui sic acquirit, & sacerdos recipere nō debet si constat ei, quòd illud iniustè acquisitū sit, & non possit effici ipsius acquirentis, quia tenebitur ipse recipiens ad restitutionem: nam recipit ab eo qui dare non poterat, ideo nullū titulum habet ad rem, vt suam efficere possit: nam in alterum nemo plus iuris constituere, aut transferre potest quàm eum constat habere, sed constat sacerdoti recipienti decimas à latrone de furto suo, vel ab alio qui non facit res acquisitas suas, quòd ille qui dedit nō potuit facere res illas suas, ergo constat ei, quòd transferendo in ipsum nomine decimę nihil transferre potuerit, cum suum nihil esset, ergo constat sibi, quòd ipse possidere licite non potest, immo peccat mortaliter, quando decimas taliter accipit, nam scit se recipere decimas tales quales suas facere

E nequit, & cognoscit manifestè, quòd ad se nullo modo pertinent. Si autem ille qui iniustè aliquid acquirit, nec potest efficere suum, acquirat aliquid quod sit prædium.

Dicendum, quòd debet recipere decimas, & eleēmosynas factas de illo, nam hic est alia ratio, quia de prædio secundum se debentur decimæ ipsi Ecclesiæ, siue ipsum prædium sit apud vnum hominem, siue sit apud alterum: cum hic non respiciatur persona, sed res, & illæ res semper erant secundum se obnoxiæ Ecclesiæ, vt penes quemcunque essent, tenerentur dari decimæ, & primitiæ de ipsis. Cum ergo aliquis vsurarius, vel symoniacus, vel similes non potentes facere rem suam acquirunt ex talibus illicitis contractibus aliquod ptædium, quia si illud maneret apud dominum priorem qui iustè possidebat, tenerentur dari decimæ de ipso, sic nunc, aliàs fraudaretur Ecclesia ex facto malo horum, & cum peccatum, aut fraus patrocinari nemini debeat, vt sunt iura vulgaria, sæpissimè, reportaret enim iste commodum de malo, quod egit, scilicet, quòd prior dominus tenebatur decimas dare de tali prædio, & iustè possidebat, si autē detur, quòd iste qui illicite acquisiuit nihil dare pro decimis debet, esset in lucro propter malū quod egit, nam si ex iusta causa acquireret, vtpote quia emit, aut quia donatum accepit, aut quia hæreditario iure susceptit, teneretur dare decimas, nunc autē quia acquisiuit iniustè si nō tenetur dare decimas esset in lucro, debet ergo dare decimas, sicut quicunque

F alius possidens, siue iustè, siue iniustè, nec in hoc recipientes decimas male agunt, quia nō cōsiderant conditionē personę possidentis, aut retinentis, sed ipsam rem de qua decimæ dari debent, apud quemcunque res sit. In personalibus autem secus est, vtpote si aliquis acquirat vnam vestem, vestis namque non est fructuosa, id est, de ea non debentur decimæ secundum se tanquam de prædio, sed ille qui acquirit tenetur dare decimas non quidem de veste, quia est vestis, sed quia acquisiuit eam, cum ergo solum respiciatur conditio personæ acquirentis, si licite acquirit, scil. potens facere res suas, debet dare decimas, quia ibi non ipsa res consideratur, quia cum infructuosa sit secundum se non debentur decimæ, sed consideratur actus personæ qui recipit bonitatem, vel malitiam ex persona, si ergo persona licite sit acquirens, debet recipi ab ea decima, si autē non acquirat debite non debet exigi decima ab ipsa, nec ipsa debet dare, sed potius restituere ei cuius est, ista distinctio tenetur à Bernardo super cap. ex transmissa extra, de decimis, apud Iudæos autē solum erant primæ decimæ, scil. prædiales, scil. de area, de torculari, & similibus, de laboribus autem personarum decimas dari non imperabat, vt patet cōsiderando omnia loca in quibus mandantur solui decimæ in sacra Scriptura, quia immediate fit mentio de fructibus terræ tales autem decimæ sunt prædiales, siue reales, & non personales. Ecclesia autem declarauit personales dari debere, vt patet in ca. ex transmissa, supra

D *Doct. respon.*

A allegato, & istæ decimæ debebant portari in locum quem dominus elegisset, secundum distinctionē quæ ponitur inf. 14. c. in litera, scil. an locus esset distans à loco Sanctuarij, an non. *Et primitias manuum vestrarum.* Id est aliquid electum, aut separatum de fructibus agrorum, qui sunt acquisiti per manus vestras, & nō fuit ista, vt decimæ, quia dabatur hic quicquid volebat ipse dans, siue de 60. partibus vna, siue de 40. & inter medium variabant, secundum quod volebat dans, vt ait Hieronym. super Ezechielem, scil. atq; vero primitiæ quas de frugibus offerebant, nō erant speciali nomine diffinitæ, sed offerentium arbitrio derelictæ: traditionem quoq; accepimus Hebræorum non lege præceptam sed inolitiam, vt qui plurimum quadragesimam partem dabant sacerdotibus, qui autem paucum sexagesimam inter 40.& 60. licebat quodcunq; voluisset offerre, nunc autem consuetudini locorum relinquitur quantum pro primitijs dari debeat, superiora habentur extra, de deci. c. 1. in primitijs sequendo consuetudinem locorum, & voluntatem offerentium bene agemus, vt tenet Godof. & Innocen. si enim consuetudo est, vt detur certum quid pro primitijs, secundum istos doctores sequi tenemur illam, quia est laudabilis & coguntur homines stare consuetudini antiquæ quæ pro lege suscipitur, & dato, quòd ipsi sacerdotes non possent exigere primitias, tanquam debitum, sicut exiguntur decimæ, vt supra dictum

B est: tamen iudex compellere debebat ipsos volentes soluere, vt teneant consuetudinem, sicut cum sacerdotes pro mortuorum exequijs petere nihil possunt, coguntur tamen laici obseruare laudabilem consuetudinem, vt patet extra, de symon. ca. cum ad Apostolicam, si autē non sit certa consuetudo, quantum dari debeat, dabit quilibet quantū voluerit, quia in obscuris quod minimum est tenendum est, vt patet extra, de regulis iuris, libro 6. in regula in obscuris, hæ autē primitiæ reddendæ erant in loco Sanctuarij, sicut decimæ.

Et quicquid præcipuum est in muneribus quæ vouistis domino. Id est magna dona quæ domino vouistis, illuc adducetis, & sic intelligendum est de paruis, quia omnia sacerdotibus danda erant, vt patet Num. 18. cap.

Dona, & vota differunt.

Et quæ vouistis domino. Distinguūtur hic dona, & vota, nam dona dicuntur esse illa quæ quis gratis dat non vouendo ea, vota autem dicuntur illa quæ quis vouet dare, & postea dat, differunt autem ista, quia donum est simpliciter liberum, votum autem est secundum quid liberum, patet sic: nam vt diximus donum nō tenetur ergo aliquis ad dationem illius, cum non obligetur ex lege, nec ex promissione: ista datio libera est totaliter, scil. antequam fiat, & quomodo, fit antequam fiat manifestum est, quia nemo tenetur dare donum quod propriè donum est etiam cum datur, nam & tunc est in potestate dantis non dare, votum autem est secundum quid liberum, scil. à principio antequā voueamus, nam tunc subiacet nobis vouere, vel non vouere, cum autem vouerimus,

C iam non subiacet nobis non soluere, quia iam acquisitum est Deo ius per votum nostrum, & nos ita obligati sumus, quòd sine dispendio salutis æternæ non possumus retrocedere, vt patet extra, de voto & voti redemptione, cap. licet vniuersis, potest tamen votum vocari donum licet non totaliter, & vocatur donum inquantum est liberum, votum autem licet non sit liberum simpliciter, ante tamen quam voueamus liberi sumus, vtrum voueamus an non, ponit ergo hic Moyses omnia quæ Deo dantur, siue ex obligatione, siue voluntarie, comprehendens nomine holocaustorum, hostiarum, decimarum, primitiarum, munerum & votorū, & omnia ista adducebantur in locum Sanctuarij quomodocunque essent immolanda, quia extra locum illum non licebat facere sacrificium, vt patet Leuiti. 17. & infra in litera, ea etiam quæ immolari nō debebant erant tamen danda sacerdotibus, sicut primitiæ, & decimæ illuc afferebantur. *Ibi epulabimini coram domino Deo vestro vos, & filij, ac filiæ.* In lege solū mandabatur, quòd ter in anno appareret omne masculinum coram domino. Exod. 23.& 24. c. sed ex deuotione ascendebant etiam fœminæ cum filijs, & filiabus suis, & ancillis, & tunc omnes coram domino comedebant, sic legitur de beata Virgine, quòd ascenderit in Ierusalem secundum consuetudinem diei festi, quando perdidit puerū Iesum, vt habetur Lucæ 2. c. *Famuli, & famulæ.* Non est eadem ' x totaliter in famulo & ancilia, nam famulus aliquando tenebatur ascendere in locum Sanctuarij, ancilla autem nunquam tenebatur, quod patet, quia Exod. cap. 23. & 34. cum ponitur lex de ascendendo in locum Sanctuarij dicitur: ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram me, serui autē erant quædam masculina pertinentia ad dominum suum, ergo illuc compellebantur ducere eos domini sui, & patet fundamentum huius, quia omnes qui obseruabant legem Mosaycam tenebantur ad obseruationem istius cæremonię de eundo ter in anno in locum Sanctuarij, cum ista sit quædam pars legis Mosaycæ, sed serui tenebantur ad obseruationem legis Mosaycæ, ergo tenebantur ad hanc cæremoniam, antecedens patet, quia omnes circuncisi tenebantur ad totā legē Mosaycam, sicut omnes baptizati tenentur ad totam legem Euangelicam, quia vtrunq; est ianua, & hoc dicit Apostolus ad Galat. 5. ca. ego Paulus testificor omni homini circuncidenti se, quod debitor sit vniuersæ legis faciendæ, quòd autem seruus esset circuncisus patet Exod. 12. ca. cum dicitur: omnis seruus emptitius circuncidetur, id est, ꝙ quandocūq; aliquis Iudæus emeret aliquē seruū si esset de gentilitate, tenebatur eum circuncidere, etiā renuente ipso seruo, & hoc quia seruus est res domini sui totaliter, vt patet 1. Polit. c. 2. in fine, & in 5. Ethic. ideo potest de illo agere quicquid voluerit: maximè quia hoc nō est cōtra rectas leges, ꝙ autē debeat dominus cōpellere seruū suum ad circuncisionē, patet per differentiā quā ponit in illo ca. 12. litera: nam mandat, ꝙ seruus emptitius circūcidatur, & comedat de agno Paschali, mercenarius autē nec circunciditur, nec comedit, hoc autē manifestū est, quia nō habet aliquis potestatē super mercenarium suum totaliter, sicut super seruum suum, ideo nō potest eum cogere ad assumendam circuncisionem. Ancillę autem ad nihil horum tenebantur, cum lex solis masculis imposita sit, quantū ad istum articulū de eundo ter in anno in Sanctuarij locum. Si tamē in istis festiuitatibus, siue alijs temporibus anni dominus veniret ad locum Sanctuarij, portaretq; secum seruos, & ancillas, & offerret victimas pacificas, debebat epulari, & gaudere etiam cum seruis, & ancillis, scil. quòd ibi non debebant premi serui, & ancillæ onere seruitutis suæ, sed lætari, & epulari cum domino suo, quia lætitia Dei est.

Qui ascendebant ter in anno ad dominum.

Coram domino Deo vestro. Id est coram altari holocaustorū intra atrium tabernaculi, nam non debebant comedi carnes sacrificiorum in loco immundo, & communi, sed ibi intra atrium tabernaculi coquebantur, dabatur quod pertinebat ad sacerdotes, reliquā deinde partem comedebat ille, qui ad immolandum pecus dederat, & hanc non poterat extra locū tabernaculi portare, scilicet, extra atrium eius: non tamen dicitur eodem modo comedere semper coram domino, nam etiam qui comedebant agnum Paschalem, dicebantur comedere coram domino, sed in tota ciuitate, vel loco illo, vbi esset Sanctuarium, & ratio diuersitatis est, quia hostia F pacifica est quoddam sacrificium propriè dictum, quia immolabatur intra atriū tabernaculi, & quia funditur sanguis eius per gyrum altaris in cornibus, & ad basim, vt patet Leu. 3. cap. & quia tota aruina eius, & adipes comburuntur coram domino, vt patet Leuit. 3. & 7. c. & quia cauda cum renibus, & renunculis domino offeruntur, vt patet Leuit. 3. c. & datur pars illius victimæ sacerdotibus, scil. pectusculū, & armus, vt patet Leui. 8. c. de agno Paschali nihil omnino dabatur sacerdoti, sed solum immolabatur intra tabernaculū, & dabatur adeps eius in incensum Domini, quia vt dicitur Leui. 3. cap. omnis adeps domini erit iure perpetuo: de carnibus autem nihil comburebatur in altari, nec dabatur sacerdoti, sed quilibet secundum familiam suam comedebat totum agnum suum. Non est enim stricte loquendo sacrificium immolatio agni Paschalis, quia sacrificia sufficiēter distinguuntur in tria, scil. holocaustū, & victimæ pacificæ, & pro peccato, sub nullo autem istorum potest collocari victima Paschalis, quia sub quocunque horum ponatur, & oportet, vt sequatur legem illius, sed nullius legē sequitur agnus Paschalis, nec est eadem ratio faciendi istud sacrificiū & alia, vocatur ergo hoc sacrificium large solum, quia adeps eius, & sanguis intra arium tabernaculi offerebantur, & præcipua causa quare Numeri 9. capit. vocat Deus istam immolationē sacrificium est, quia fit ex mandato eius, & ad recordationem beneficij exhibiti eis à Deo liberando de Ægypto, quòd

signat

A

ſignat iſta immolatio, vt patet infra 16.cap. quando ergo comedebatur agnus Paſchalis, quia non erat proprie ſacrificium, & comedebatur per totam ciuitatem in qua erat Sanctuarium, carnes autem pacificarū victimarum in ſolo atrio tabernaculi comedebantur, quia erat locus ſacer: & ſicut ſacrificium proprie dictum excellit agnum Paſchalem, quantum ad aſtrictiores obſeruantias comedendi reſpectu loci, ſcil. quòd non poterat comedi, niſi intra atrium tabernaculi, ita ſacrificium agni Paſchalis excedebat cæteros cibos communes, quia poterant Iſraelitæ comedere carnes vbicunque vellent in cunctis vrbibus ſuis, vt patet infra, non tamen poterant immolare phaſe in qualibet vrbe, vel loco, ſed in ſolo loco quem dominus elegiſſet, vt poneret nomē ſuum in eo, vt patet infra 16. cap. etiam quia in alijs carnibus non oportebat conſiderare vtrum animal eſſet debile, aut amputatum cauda, vel naribus, aut aliquo alio membro, etiam quia poterant comedere de animalibus, quæ non licebat immolare, vt de multis quadrupedibus, & volatilibus, tamen immolando agno Paſchali multæ ſpeciales cęremoniæ requirebantur, de quibus Exo. 12. c. *Et Leuites qui in vrbibus tuis commorantur.* Non habitabant Leuitæ in aliquibus ciuitatibus cum alijs Iudæis, quia eis datæ erant ſigillatim 48. vrbes cum ſuburbijs ſuis, vt patet Num. 35. cap. Sed loquitur hic Moyſes ad totum Iſrael. Et tunc eſt ſenſus.

B

Et Leuites qui commorantur in vrbibus tuis. Id eſt in vrbibus quas tu dediſti eis, quia totus Iſrael dederat Leuitis illas vrbes. *Nec enim habet aliam partem, & poſſeßionem inter vos.* Quia Leuitæ non diuiſerunt terram cum alijs tribubus, nec aliqua prædia ſuſceperunt, ſed ſolum alebantur de his quę ſuſcipiebant à filijs Iſrael, ſcil. de decimis, & quibuſdā elcemoſynis. *Caue ne offeras.* Sæpius monet, quia maxime pertinebat hoc ad cultum Dei, vt non daretur locus idolatrandi. *Holocauſta tua in omni loco, quem videris.* Id eſt in omni loco qui videtur tibi conueniens, vel placet in oculis tuis. *Sed in omni loco quem elegerit dominus.* Vnus ſolus locus ad Sanctuarium eligebatur & in eo ſolo morabantur ſacerdotes, & ibi ſolum licebat immolare, qui autem extra locum illum Deo immolaret, potius ei abominabilis erat, quia ipſe ſub pœna mortis conſtituerat, ne quiſquā auderet alibi offerre, vt patet Leu. 17. ca. contigit tamen, quòd quodam tempore Iſraelitæ in multis immolarent, cuius occaſio fuit, quia contigit tabernaculum, & arcam diſiungi, de quibus diximus late Exod. 20. tunc tamen proprius locus ſacrificandi erat in loco vbi ſtaret tabernaculum, etiam ſi non ſtaret ibi arca, quia ille locus vocabatur Sanctuarium, & ad illum locum concurrebat Iſrael totus ad celebrandas feſtiuitates ſuas, iſte autem locus Sanctuarij eligebatur à Deo, quia ipſe dabat aliquod ſignum per quod cognoſceretur, quod ipſe locum illum volebat, vt pote ſi annunciabat per aliquem Prophetam, aut ſi in aliquo alio ſigno mirabili monſtrabat, & hoc fiebat, vt magis afficerentur ad colendum Deum ibi Iſraelitæ, cum viderent ipſum Deum ad cultum ſuum loca eligere. *In vna vrbium tuarum.* Quia non erat ſponte Moyſi certum in qua vrbe ponendum eſſet tabernaculum, vel dato quòd ipſe Moyſes cognoſceret illud eſſe ponendum primo in Sylo, vt factum fuit, & Ioſue decimo octauo cap. tamen quia non ſemper in eo loco ſtaturum erat, poſuit ſic indeterminate, ſcilicet. *In vna vrbium tuarum.* Id eſt in quacunque vrbe voluerit, quia aliquando ſtabat in vrbe pertinente ad vnam tribum, aliquando ſtabat in vrbe ad aliam pertinente, vt patet in prima mutatione quæ fuit de Sylo, quæ erat in tribu Ephraim, & mutatum fuit tabernaculum, & arca ad tribum Iuda, vt patet Pſalmus 77. & ſic de cæteris.

C

Offeres hoſtias. Holocauſta, vel pacificas, ſiue pro peccato, vel votiuas.

Et facies quæcunque præcipio tibi. Id eſt non ſolum facies ibi ſacrificia, ſed etiam omnia alia quæ mandaui tibi: deferes illuc, ſcilicet, decimas, primitias, donaria, & vota, omnia offerantur ibi. *Si autem comedere volueris.*

D

Dubium quoddam ad eſum carnium auſertur.

QVÆSTIO VIII.

HIc tollitur quoddam dubium quantum ad eſum carnium, quia dicebatur ſupra, quòd coram domino de hoſtijs ſuis comedere deberent, & lætari, & effunderent ſanguinem ante altare, qui autem erant extra Ieruſalem, non poterant offerre ſanguinem ante altare. Et ſic dubium erat, an comedere deberent carnes. Et reſpondetur, quòd comedere poſſunt, dum tamen ſanguinem non comedant, ſed effundant ſuper terram quaſi aquam.

Si autem comedere volueris. Id eſt in atrio tabernaculi debes immolare victimas tuas, & effundere ſanguinem, & ſeruare, quod debitum eſt, poſtea quod tibi ex lege debetur, comedes coram domino Deo tuo, ſi tamen præter ſacrificia quæ fiebant in loco Sanctuarij volueris comedere carnes in aliqua vrbium tuarum, ſupple licitum erit, ſiue ſecundum ea quæ infra dicuntur. *Et te eſus carnium delectauerit.* Quaſi dicat, melius eſſet in locis remotis à Sanctuario non comedere carnes, quam comedere, cum non poſſint ibi aſſumi aruina, & ſanguis ad ponendum in altari, & cremandum adipem, ſi tamen delectat te eſus carnium, poteris comedere vbicunque volueris. *Occide & comede iuxta benedictionem domini Dei tui.* Id eſt comede de illis quæ dederit tibi Deus ſiue ouem, ſiue bouem, vel capram: in illis enim quæ nobis Deus dat, nos benedicere dicitur, id eſt multiplicare, ſiue illa ſpiritualia, ſiue temporalia ſint, ſiue immundum: licebat enim eis comedere immunda, ſiue munda. Et ſi arguas, q̄ nō licebat comedere ea, nec tangere, vt patet Leu. 11. c. & infra 14. reſpondetur, quòd hic vocantur munda, & immunda reſpectu immolationis, non reſpectu comeſtionis: aliqua enim quæ ad offerendum immunda erant, ad comedendū munda erant, ſiue ex caſu: ex ſpecie ceruus, & caprea, ad immolandum immunda erant, ſed comedere licebat, vt patet in litera. Ex caſu, vt ſi bos, & ouis, vel capra quam offerre licebat, eſſent aliquo modo monſtruoſa in membris per ſuperabundantiā, vel defectum, non licebat offerre, vt patet Leuit. 22. ca. ſed comedere licebat, vt patet hic, & ſcriptura diſtinguit aliquando proprie inter mundum, & immaculatum, maculatum, & immaculatum ſunt reſpectu oblationis: mumdum & immundum ſunt reſpectu comeſtionis: ideo litera exponit hic literam Hebraicam, quia in Hebræo ſolum habetur. *Siue mundum, ſiue immundum.* Litera noſtra dicit immundum hoc eſt maculatum, vel debile maculatum vocatur non, quod habet pellem variam, ſed non licet offerre propter ſpeciem, vt ceruum, & damam, & canem, & ſimilia, quia ſolum tria licet offerre, ſcil. ouem, bouem, capram, ſiue in genere maſculino, ſiue fœminino, vt Leu. 1. c. vel quando eſt in ſpecie immolabilis, ſed eſt monſtruoſum. *Debile.* Id eſt debilitatum per abſciſſionem alicuius particulæ, vt caudæ, vel aurium, ſiue teſticulorum, vt Leu. 22. c. *Siue mundum.* Hoc eſt integrū, dicitur integrum, id eſt non debile, ita quòd omnes partes ſuas habeat, & nulla ſit ei amputata. *Et quod offerri licet.* Iſtæ omnes ſunt declinationes mundi, quia nullum animal perfecte mundum, niſi quod licet offerre. *Sicut capream, & ceruum comedes.* Ly ſicut non determinat verbū offerri, ſed verbum comedes. Si enim determinaret verbum offerri eſſet ſenſus, quòd mundum animal eſſet, quod licet offerri ſicut ceruus, & caprea, & hoc falſum eſt, quia ceruum, & capream offerri non licet, refertur ergo ad verbū comedes, & eſt ſenſus, ſiue mundum ſit animal, ſiue immundū indiſtincte comedes, ſicut comedere ſoles ceruū, & capream, & poſuit de iſtis duobus animalibus magis quàm de alijs, quia de iſtis manifeſtum erat, quòd non deberent offerre ſanguinē ante altare, etiam ſi eſſent in Ieruſalem, vt patet Leu. 17. vbi dicitur, quòd qui de venatione, vel aucupio animal ceperit, ſiue auem acciperet, quibus veſci licitum eſt, effunderet ſanguinem eius, & cooperiret terra: de ouibus, bobus, & capris, quia licebat ea offerri, non erat ita certū: ideo determinauit per id q̄ eſt certum comparans ceruo, & capreæ, & dicitur caprea ſylueſtris capra quæ velociſſima eſt, & oculos acutiſſimos habet, & cum videt ſibi aliquod periculum imminere, de excelſis rupibus ſe præcipitans ſuper cornua ſe illæſam

E

F

recipit,

recipit, vt ait Isidor. 12. Etym. & vulgariter vocatur Rebeco. *Absque esu, duntaxat sanguinis.* Hoc valde prohibetur hic, & Leuit. 17. ca. & infligitur pœna mortis pro comestione sanguinis, vnde magis abhorrerent Iudæi comedere sanguinem quàm porcum. Et ideo Iudæi conuersi ad Christum valde scandalizabantur videntes gentiles conuersos comedere sanguinem, ideo in primo concilio Apostolorum, vbi diffinitum fuit, quòd gentes non obligarentur ad obseruationē cæremoniarū, quantum ad cibos, nec ad alias obseruationes, solum prohibita fuit comestio sanguinis, & suffocatorum, & immolatorū idolis. Sed post ista abolita sunt cum cœperunt non esse scandalosa: non enim fuit lex illa ad semper, sed ad tempus, ad scandalum vitandum, vt ait Apostolus ad Rom. 14. cap. Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem, id est aliqui credunt illam obligationē esse ad aliquos dies, vel tempora, & deinde non ad sequentes dies, vel tempora. Alij credunt durare obligationem ad diem omnem, id est semper. *Sed quasi aquam effundes.* Id est totaliter disperges: quia valde abominale erat sanguinem comedere, & quasi quædam crudelitas erat, ideo multum vetuit dominus comestionem sanguinis, vt patet hic, & in multis locis.

Sanguinem comedere, quare erat valde abominabile.

QVÆSTIO IX.

CAVSA autem multiplex est. Prima est, quia videtur esse quædam species crudelitatis, quòd quis comedat animam cum carne, nam anima pecoris in sanguine est, scilicet quòd sanguis est talis complexionis naturaliter, in quo magis reperitur harmonia requisita ad vnionem animæ ad corpus, quam in phlegmate, aut cholera, vel aliquo alio humore, nam in sanguine reperiuntur calidum naturale, & humidum radicale temperata, quæ sunt duo principia vitæ, & non reperitur hoc in aliquo alio humore, vel aliqua alia corporis parte, de his autem latius dictum est Leuit. 17. cap. Alia causa est, quia sanguis dicitur esse ad expiandum, id est ad purgandum peccata, vt patet infra in litera, non debet ergo comedi, sede debet dimitti, vt sic expientur peccata, nam si quis vellet in sacrificijs comedere sanguinem, vellet comedere id per quod fit expiatio, & tunc nulla expiatio fieret, quia id per quod expiatio fieri debebat, iam non erat, & fundamentū est hoc, quia cum Deus mandauerit nobis, siue per legem datam patribus nostris, siue per rationē nobis inditā, non peccare, quandocunque peccauerimus, tenemur ei obnoxij mortis, & quia in morte dat homo animā suam pro se, si debeat fieri commutatio pœnæ, debet fieri dando animam recipit ergo Deus ex benignitate sua animā pecoris pro anima nostra, id est, sicut satisfieret ei pro peccato nostro dando animam nostram, ita satisfiet. quia ipse vult, dando pro anima nostra animam pecoris, sed anima pecoris est in sanguine, vt patet hic, & Leuitici 17. cap. ergo sanguis debet dari Deo, qui pecoribus pro anima est, si autem sanguis Deo non datur, nihil datur, & sic non fiet satisfactio pro peccato, ex supradictis patet ratio fundamentalis duarum cæremoniarum, quæ fiunt in sacrificijs.

Vna est, quòd quando aliquis offerebat aliquod pecus, & tradebat sacerdoti, vt immolaret, imponebat manum eius super illud, vt patet Exod. 29. & Leuitici 1. & 4. & in multis locis, hoc erat, quia per istam impositionem imprecabatur conferens pecus, vt pœna peccatorum ei debita transferatur in caput illius pecoris, quòd autē ista sit intentio imponentis manus patet aliqualiter Leuit. 1. cap. cum dicitur, masculinum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij ad placandum sibi dominum, ponetque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens, id est quod postquam imposita fuerit sibi manus offerentis, proficiet ad expiationem, quia signatur in tali impositione manuum peccatorum translatio, hoc autem patet clarius Leu. 16. cap. cum dicitur, postquam immundauerit Sanctuarium, & tabernaculum, & altare: tunc offeret hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorū Israel, & vniuersa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius mittet per hominem paratum in desertum: cumque portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in desertum, reuertatur Aaron in tabernaculum testimonij &c. Secundum quod sequebatur est, scil. quare sanguis animalium immolatorum funditur per altaris quatuor cornua, & tubas eius, scil. quòd cum quis peccauit coinquinatus est, sicut autē mundus efficitur cum debitam pœnam passus fuerit, & hoc est vt detur anima sua pro peccato suo, & effundatur sanguis eius, & quia Deus in altari esse iudicatur specialius, quia ibi ei specialior cultus impenditur, cum aliquis debet pro peccato suo satisfacere, oportebat, vt sanguis eius emundaret altare à coinquinatione, quam nos causauera-mus peccando: vt ergo pro eo satisfaciat anima pecoris quæ in sanguine est, necesse est, vt per cornua altaris effūdatur, & sic emundabatur totum Sanctuarium per sanguinem ab omnibus contagionibus filiorum Israel, & hoc tam inter sancta Sanctorum, quàm extra in tabernaculo, in altari thimiamatum, quàm extra tabernaculum in atrio, vbi erat altare holocaustorum, de his Leuit. 16. c. quæ fiebant semel in anno: sed tunc argues, quòd istud verū est, quando animalia offerebantur domino, quia tunc sanguis ad expiandum dandus erat, sed quando non offerebantur animalia, sed solum comedebantur, si videtur existere eadem ratio, ergo poterat tunc sanguis comedi. Respondetur, quòd dato, quod tunc non assumeretur sanguis ad expiandum, quia tamen in omnibus sacrificijs ad expiandum assumebatur, contrahit ex hoc sanguis quandam reuerentiam, vt etiam quando effunditur ab animali, quod immolandum, & offerendū non est, vel dato quod immolabile sit, tamen actualiter non immoletur ad faciendum Deo sacrificium, sed aliàs iuguletur animal ad sumendum in cibum, nam etiam tunc non comedetur, ne cum sacrificandum fuerit ad comedendum sanguinem incitemur. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimas frumenti, vini.* Ergo videtur, quòd in Ierusalem, siue in alio loco, vbi esset tabernaculum, licebat eis comedere eas, sed hoc in magnam iniuriam Leuitarum, & sacerdotū redundabat, quibus ista debebātur, vt patet Nu. 18. c. Ideo aliqui dicunt, quòd hoc fuit factū semel post ingressū terræ promissionis. Sed hoc falsum est, quia tunc ista lex non fuisset seruata, nisi semel. Item in illo anno nihil haberent Leuitæ, & sacerdotes vnde viuerent, quia solū de stipendijs Sanctuarij, sustentabantur. Ideo videtur dicendū, quòd Iudæi quolibet anno duas decimationes faciebant. Prima decimatio erat de fructibus terræ, vel gregibus, seu armentis, & ista nō portabatur in Ierusalem, sed Leuitæ ad quos pertinebat, & colligebant eam per ciuitates vicinas, quia Leuitæ dispersi per omnes tribus habitabant, vt patet Num. 35. c. & de ista nihil accipiebant dantes eam, sed integra ad Leuitas perueniebat, de qua rursus Leuitæ decimā sacerdoti magno dabant, vt patet Nu. 18. cap. Alia erat secunda decima, quam singulis annis separabant de nouem partibus remanentibus, & cum ascenderent ter in anno ante Deum in Ierusalem, vt patet Exod. 23. & 34. cap. sustentabantur in itinere, & in ciuitate de illis, & offerebant de illa decima hostias pacificas, de quibus comedebant abundanter coram domino conuocantes Leuitas, & satis indigebant ista decima ad cibos suos, & totius familiæ, & Leuitarum, cum ascenderent ter in anno, maxime illi qui procul à Ierusalem morabantur, de ista decima habetur in litera, & magis clare infra 14. cap. & sicut erat de decimis, ita erit de primitijs, quia post primitias quæ dabantur domino, totaliter separabat sibi quilibet aliquam, tanquam primitiam secundam, quo vteretur in cibos, quando iret ad locum sanctum, sic etiam de primogenitis, quia separato primogenito pro domino de gregibus, & armentis, separabatur aliquod animal, quod accipiebatur, quia primogenitum ad oblationes pacificas erat, sic de votis, sic de donarijs.

Alia decima tertia est, quæ de triennio in triennium separabatur, & dabatur pauperibus, viduis, & pupillis, & Leuitis in modum eleëmosynæ, ne cogerentur propter paupertatē seruire gentilibus, à quibus inducerentur ad cultum idolorum. Et de ista decima infra 14. cap. Nicolaus dicit, quòd ista non apparent ex sacra scriptura, sed salua reuerentia eius satis apparent, quia de prima decima satis patet Numeri 18. capitul. quia illa totaliter datur Leuitis nulla parte remanente apud dantem, & hoc magis patet Malach. 3. capitul. vbi dominus loquitur contra auaros non soluentes totaliter

Opiā. auctoris.

Iudæi quolibet anno dabant duas decimas & de triennio in triennio tertiā.

decimas, & primitias, & concludit, inferte omnẽ decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, ponitur ibi omnis, id est tota. Et satis apparet, quòd solum loquitur de decima quæ dabatur Leuitis, quia dicitur in horreum, ea autem quæ in horreis ponebantur, non sumebantur in cibos offerentium. Et ex hoc etiam eliditur illa positio, quæ dicit, quòd de decimis debitis Leuitis dantis accipiebant aliquam paruam partem, quam coram domino comedebant. De secunda decima patet manifestissime infra decimo quarto cap. vbi sic habetur decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra, per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, vt inuocetur in illo nomen eius. De tertia decima patet eodem capitu. circa finem : Nicolaus concedit primam decimam, & tertiam, sed non secundam, ideo dicit, quòd istud quod offerentes comedere debebant, erant carnes pacificarum hostiarum. Sed tunc quæretur, an istæ hostiæ pacificæ erant de prima decima, an non : non potest dici, quòd essent de prima decima, quia illa integraliter dabatur Deo, vt supra patuit. Si autem istæ hostiæ pacificæ sint de voluntarijs : ergo nullo modo offerentes comedebant de aliqua decima, & sic nullo modo poterit exponere textum istum, & eum qui habetur euidentius infra decimo quarto capitu. & quando confirmat per id quod habetur infra decimo sexto cap. non concludit quia ibi dicitur, quòd oblationes spontaneas offerent, & comedent coram domino cum tota familia, & pauperibus, viduis, & pupillis, & Leuitis, quia istæ oblationes spontaneę fiebant de decimatione secunda, vel tertia, vel de votis, primitijs, primogenitis, & donarijs secundis, vt supra distinximus, & ista omnia separabat quilibet secundum benedictionem ei à Deo datam, immo si ex illo textu concluderetur non esse decimam, quam ponimus secundam, etiam concluderetur non esse decimam quam tertiam dicimus, quam ipse concedit. Et patet consequentia, quia secunda decima est, vt comedat eam offerens cum Leuitis, vt patet in litera, & tertia quam ipse ponit est pro pauperibus, vt comederetur cum dante, vt patet 14. capitu. si ergo propter illas voluntarias victimas excluduntur secundæ decimæ pro Leuitis, ita excludentur tertiæ, quia tam Leuitæ quam pauperes, quam pupilli, & viduæ comedere debebant cum offerente, vt patet infra 16. cap.

Primogenita armentorum, & pecorum. Non intelligitur de vere primogenitis, quia illa immolabantur domino, vt patet Nume. 18. & quicquid supererat de eis ad sacerdotem pertinebat, sed de alijs animalibus separatis ad oblationem pacificam, & eligebantur secunda post primogenita, & vocantur hic primogenita.

An omnia primogenita poterant redimi.

QVÆSTIO X.

SCIENDVM pro hoc, quòd quando aliquod primogenitum offerebatur de animalibus, de quibus immolari licebat, non poterat facere sacerdos, quòd redimeretur, id est, quòd darentur ei pecuniæ pro primogenito pecoris immolabilis, & non ipsum pecus immolabile : hoc autem dominus vetabat, vt patet Num. 18. c. cum dicitur, primogenita bouis, & ouis, & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt domino : erant namque ista sacrificanda domino, & si redimerentur pecunia, tollebatur immolatio, immolatis autem illis quicquid manebat pertinebat ad sacerdotes : manebant autem post immolationem factam domino omnes carnes ipsius pecoris : nam cum aliquid domino immolabatur, ex hoc, quòd ei immolabatur duo debebãtur ei, scil. sanguis ipsius pecoris immolati, nam pars sanguinis erat adtingendum quatuor cornua altaris, vt patet Leuit. 1. ca. reliquus sanguis fundebatur ad basem altaris, debebatur etiam adeps, quia omnis adeps domini erat iure perpetuo, vt patet Leu. 3. & 7. c. cæterum, quod remanebat facta immolatione, scil. totum cadauer pertinebat ad sacerdotũ iura, vt patet Num. 18. c. vbi dicitur primogenita autem bouis, & ouis, & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt domino: sanguinem tamen eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suauissimũ odorem domino : carnes vero in vsum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter tua erunt. Quando autẽ dicebatur de primogenitis, ꝙ prima & vera primogenita comedi non debebant, cum pertinerent ad ius sacerdotale, vt patet in prædictis, sed segregabant quædam alia quæ essent secundo genita, & accipiebant ista pro primogenitis, & ꝙ comederent coram domino, & sic quod deberet segregare offerens secunda vota, id est si aliquid voueret, quod alia tanta, & similia separaret, vt ipse comederet coram domino, idem de primitijs manuũ, ꝙ separarentur secundæ primitiæ hoc quidẽ secundũ antiquos, quibus videbatur non posse exponi istum textũ sine præiudicio eorum, quæ habentur Nu. 18. c. nisi sic exponeretur, satis cõuenienter dicitur, sed nescio ad quid hoc facere oportebat, nam tunc quilibet obligaretur ad dandũ duplum eius, quod dare debebat Deo, siue ex debito per legem, siue per votũ, quod satis erat durum, & distraheret homines à vouendo, cum tenerentur dare duplũ eius, quod vouebant, etiã quia non videtur quomodo ipse offerẽs ista posset, tam in loco Sanctuarij consumere, scil. primogenita, & primitias, & vota, & decimas, videtur ergo facilius ad hoc respondendũ, ita ꝙ non ponatur vllum inconueniens, & satisfiat literæ, scil. ꝙ quando dicitur, hic coram domino Deo tuo comedes, non refertur ad ea quæ hic ponuntur, sed ad illa, ad quæ potest de iure referri: ista autem sunt ea, quæ homo sponte offerre volebat, nam illa erant victimæ pacificæ, & pars illarũ eueniebat offerentibus, vt patet Leu. 7. c. quam partem coquebant ipsi offerentes intra locum sanctum, scil. intra atrium tabernaculi, & ibi comedebant: primitias autem, vel primogenita, vel vota non comedebant ipsi offerentes, immo si de illis comederent, valde peccabant, vt patet Leu. 7. cap. quam partem coquebant ipsi offerentes intra locum sanctum, scilicet intra atrium tabernaculi, & ibi comedebant : primitias autem, vel primogenita, vel vota, non comedebant ipsi offerentes, immo si de illis comederent, valde peccabant, vt patet Leu. 22. cap. cum dicitur, omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem, qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comederit, & dabit sacerdoti in Sanctuarium, nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui cum sanctificata comederint.

Et si dicas si istud verbum comedes, quod solum ponitur in isto contextu, non potest referri ad omnia, sed solum ad spontanea sacrificia, qualiter ponuntur hic omnia ista? Respondetur, quòd intendit inducere hic Moyses omnes Israelitas, vt nullum sacrificium faciant extra atrium tabernaculi, quòd erat in vna vrbium Israel, & hoc patet ex superioribus: ideo dicit hic, quòd nõ poterant in qualibet vrbium Israel dare decimas & primitias; & vota, atq; spontanea sacrificia, sed in loco quẽ dominus elegisset, quia in illo debebat dare omnia hæc, & comedere quidẽ non de eis, sed de sacris spontaneis, quæ offerebant, quando dabant decimas, & primitias, & vota, nam ista soluebantur cum ipsi Israelitæ ibant in locum Sanctuarij, & tunc pacificas hostias faciebant, de quibus partes sibi debitas secundum legem comedebant: & si adhuc calumnieris, quia dicitur hic in litera, nõ poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, vini, & olei, & primogenita armentorum: ergo videtur quòd in loco quem dominus elegisset, poterat comedere, cum hic solum vetetur locus indebitus.

Sed hoc non poterat fieri de primis decimis, & primis primogenitis, & primis votis, atq; primis primitijs, cum redundaret in præiudicium sacerdotum, & Leuitarum, vt patet Numer. decimo octauo capitu. ergo oportebat poni secundas decimas, & secunda vota, & secundas primitias, & secunda primogenita.

Respondetur, quòd non videtur necessarium hoc totaliter de decimis, tamen quòd plures sint manifestum ex superioribus, & infra 14. cap. etiam declaratur, sed primitias, & vota, & primogenita non oportet esse duplicata : nam hoc quod hic dicitur dirigitur ad totum Israel, & est sensus ô tu populeIsrael, non poteris comedere in oppidis tuis decimã frumenti, vini, & olei, id est, non poteris in quolibet tuorũ oppidorum, vt comedantur decimæ, primitiæ &c. quia hoc esset facere in quolibet loco Sanctuarium, sed solum poteris

comedere

A comedere in loco quem elegerit dominus Deus tuus ibi: & tunc verum est, quòd ille, cuius erant decimæ istæ, & omnia ista, comedebat ista: nam omnia ista erant Israelis, & Israel comedebat, nam pars Israel decimas, & cætera quæ hic dicuntur, portabat & pars eius, scilicet sacerdotes comedebant ea: ideo bene dicitur, quòd tu Israel non poteris comedere decimas tuas, & omnia ista in oppidis tuis, id est in quolibet oppidorum tuorum, sed bene poteris ea comedere in loco, quem elegerit Deus. Quod autem loquatur hic Deus ad totum Israel, & non ad aliquem specialiter de Israel: patet qa dicitur, nō poteris comedere in oppidis tuis decimas &c. manifestū est, quòd ille qui offerebat decimas, scilicet vnus homo non habebat oppida, ad totum ergo Israel refertur, qui oppida multa, & vrbes habebat.

Decimam frumenti, vini, & olei. Ponit in istis exemplum, & per hoc omnes fructus terræ decimandi, etiā de herbis parui valoris, quæ in vestris hæreditatibus sunt, decimæ dandæ sunt, vt si illæ sint alicuius quantitatis, & veniat nobis ex eis vtilitas, sicut sunt ciminum, & menta, & ruta, & similes, vt patet Matth. 23. cap. cum locutus fuit Christus Pharisæis, dicens, væ vobis Pharisæi qui decimatis mentam, & anethum, & ciminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiā, & fidem: hæc oportuit facere, & illa nō omittere. *Primogenita armentorum, & pecorum.* Primogenita debentur domino ex causa assignata Exod. 13. & sup. 6. cap. in istis tamen primogenitū hominis, quod principaliter debetur, non est immobile, sed redimitur quinq; siclis, vt patet Nu. 3. ca. primogenitum asini mutatur oue, vt patet Exod. 13. cap. primogenita autē ouis, & bouis; atq; caprarū non poterant redimi, sed immolabantur domino, vt patet Num. 18. cap. distinguit autem hic litera inter primogenita pecorum, & primogenita armentorum, cum tamen ipsa armenta pecora sint, vocantur primogenita armentorum primogenita magnorū animalium, sicut sunt primogenita boum: pecora vocantur hic animalia parua, sicuti sunt capræ, & oues, de his namq; omnibus decimæ dandæ sunt. Accipiuntur tamē pecora hic contra communem modum loquendi, quia pecora communiter vocantur animalia magna, pecudes vocantur animalia parua, & secundum hoc armenta sunt pecora, & greges sunt pecudes. Ista primogenita pecorum, vel gregum, vel vt litera dicit primogenita armentorum, & pecudum, non poterat Israel in quolibet loco, vel oppido suo comedere, id est nō poterat ea dare sacerdotibus suis in quolibet loco, vt vbicunque vellent, comederent ea, & offerrent ea, sed solum in vno loco quem dominus elegisset, ibi enim immolabant ea offerentes sanguinem, & cremantes adipes eorum, coram Deo in altari holocaustorum, & comedebant totum cadauer, vt patet Num. 18. cap. *Et omnia quæ noueris.* Etiam vota deferebantur, vt siquis vouisset aliquod animal immolabile deferebat illuc, & immolabatur coram domino. De lege autem votorum vtrum animalia quæ vouebantur redimi possent, vel commutari, & quando commutari, & de quantitate precij in commutando, vel redimendo, & de rebus inanimitis, quando vouebantur habes late Leui. vltimo cap. in textu, & ibi satis declaratum est, ista ducebantur in locum Sanctuarij, ne offerrentur alibi, quod erat in commoueniens, & causa schismatis, atque idololatriæ in Israel, vt declaratum fuit Exo. 20. cap. Secunda causa erat, quia quando aliquis ferebat, id quod vouerat in locum Sanctuarij, erat quidā honor specialis Dei, scil. quòd in hoc pro te stabatur istud votum ad honorem Dei emississe.

Et sponte offerre volueris. Istæ sunt hostiæ pacificæ de quibus licebat offerentibus comedere, vt patet Leu. 7. cap. & tamen non poterant comedere extra locum Sanctuarij, cum non possint aliquid immolare extra locum illum, sicut nunc si quisquam vellet dici sibi missam, & consecrari admirandum illud Eucharistiæ sacramentum in quocunque loco, non habita differentia locorum, siue turpia loca siue honesta, siue dicata ad diuinum cultum siue non, non posset licite fieri, & ob hoc cum aliquis in veteri testamento motus ex deuotione vellet offerre pacificas victimas, quæ spontaneæ sunt, veniebat in locum Sanctuarij, vt innuitur primo Regum 2. cap.

Et primitias manuum tuarum. Id est primitias de laboribus tetræ quos manibus tuis exerces.

Aliqui putant hic, quod hic dicitur, & primitias manuū, esse decimas personales, nam decimæ prædiales dantur de fructibus prædiorum, & non vocantur istæ personales, quia licet in eis labor personæ requiratur, non tamen tantū pendent ex labore, & industria personæ, quantum pendent ex cœlesti influentia recepta in prædijs, & virtute feracitatis ipsorum prædiorum, ideo magis denominantur prædiales, quam personales, decimæ autem personales dicuntur, quæ dantur de his, quæ acquiruntur ex laboribus humanis solis, sicuti est in militia, & artibus mechanicis, & cæteris in hunc modum, vt de negociationibus, nam de omnibus quæ homo Christianus licite acquirit, decimam dare tenetur, vt patet extra de decimis in cap. ex transmissa, & supra declaratū fuit, vocantur autem istæ personales, quia labore personæ, & industria acquiruntur, & non de ipsis agris, vel cœlesti influentia recepta in eis, licet per accidens cœlestis influentia, & virtus terræ interdum agant ad augmentum acquisitionis in laboribus personalibus, quia ergo dicitur hic, quòd debemus dare primitias manuum nostrarū, id est de laboribus, vel rebus acquisitis per labores manuum: videtur, quòd loquatur de labore personali, & decimis personalibus.

Respondetur, quòd non loquitur hic de aliquibus decimis, sed de quodam genere oblationis, quod vocatur primitia, & pertinet ad fructus agrorum, & hoc est ante decimam: vocantur tamen primitiæ manuum nostrarum, quia licet de terræ fructibus ista habeantur, tamen fructus illos laborando acquirimus, decimæ autem quæ personales sunt, non fuerunt in veteri lege, vt declarauimus supra, vocantur autem primitiæ, quia de rebus melioribus dari debent, vt de frumento meliori, & vino meliori, & sic de cæteris, & hoc patet ex deriuatione, nam iste terminus primitia deriuatur de primus, signat autē primus anteces sionem, & hoc siue secundū tempus, siue secundū perfectionem: sicut enim quædam priora dicuntur, quia primo nata sunt, ita quædā priora, quia perfectiora sunt, primitiæ autē dicuntur de primus isto modo, quia de rebus primis, id est perfectioribus dari debent, & hoc satis signat dictio Hebraica, quæ ponitur vbicunq; nos ponimus primitias, & illa signat segregationem, vel electionē, quia res illæ quæ dantur in primitiam, debent esse segregatæ, vel electæ ab alijs, quod autē ab alijs segregatur, vel eligitur, tanquam bonum segregatur, vel eligitur, & non solum debet esse segregatio, vel electio in primitijs dandis, sed etiam in decimis, & votis, & omnibus alijs oblationibus, ob hoc enim dicunt sacrificium Cain non fuisse à Deo acceptum, quia ex voluntate mala de rebus peioribus offerebat. Abel autem susceptus est, & munera eius, quia de bonis pecoribus suis ad Dei sacrificium eligebat, in oblationibus enim semper hoc obseruandū, & in votis de oblationibus, patet Malach. 1. c. cum dicitur, si offeratis cæcum ad immolandū, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidū nonne malū est? offer illud duci tuo, & si placuerit, & si susceperit faciem tuam dicit dominus exercituum, & nunc deprecamini Deum, vt misereatur vestri, de votis autem patet Malach. 1. cap. cum dicitur, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: nunquid suscipiam illud de manu vestra dicit dominus? maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat domino debile, quia rex magnus ego dicit dominus exercituum, aliquando autem possunt vocari primitiæ, quia de primis fructibus dantur, sicut fiebat quolibet anno in festo azymorum, nam tunc ferebantur spicæ nouę ordeaceę, antequam quicquam de agrorum fructibus colligi incipiet, vt patet Leuitici vigesimotertio c. cum dicitur, cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, ferretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram domino, vt acceptabilis sit vobis. *Sed coram Domino Deo tuo.* Id est in loco Sanctuarij. *Comedes ea.* Id est spontaneas victimas referendo ad eum qui offert qui de his solis partē habebat, vel dicitur. *Comedas ea.* Id est omnia ista tam decimas quàm primitias, & cæt. referendo ad Israel qui ista comedebat: nā Israel offerebat, & Israel comedebat, quia pars Israel comedebat, & pars Israel offerebat, scil. sacerdotes comedebāt, & populares offerebant. *In loco quem elegerit dominus Deus tuus.* Scil. in loco Sanctuarij qui à Deo eligebat ad hoc, vt specialiter ibi coleret.

Pecorū, & armentorum differētia.

De hostijs quando non licebat offerentibus comedere.

A

Tu, & filius tuus, & filia tua. Quando aliquis offerens hostias portabat secum filium suum, aut filiam in locum Sanctuarij, illi comedere debebant de sacrificiorum partibus, quia volebat Deus, vt omnes gauderent in sacrificijs eius, & sic inclinarentur magis ad colendum eum. *Seruus, & famula.* Seruus circuncidi debebat, & seruare omnes leges, & cæremonias, vt suprà declarauimus. Ancilla autem accipitur hic pro ancilla Gentili, vel Iudæa, de ancilla Iudæa non est dubium, quia illa erat purè Hebræa nata de Hebræis parentibus obligata ad obseruantias legales, maximè quia illa non erat ancilla simpliciter, quia solùm vendebatur, vt dominus eius acciperet eam in vxorem, vel daret filio suo eadem lege, quod si non feciſſet, veniente puella ad nubilem ætatem, scilicet ad annos pubertatis, redibat ad patrem suum, de quo patet Exodi 21. c. & ibi latè diximus. Ancilla autem de Gentilitate assumpta etiam comedere debebat de sacrificijs his: nam sicut comedebat seruus assumptus de Gentilitate de sacrificijs, quia circuncisus erat à domino suo, & obligatus ad totam legem, ita ancilla obligabatur ad omnes Hebræorum cæremonias, & renunciandum idolis, & confitendum Deum cœli esse verum Deum, quem colebant Hebræi, licèt non circuncideretur, quia circuncidi non poterat obstante defectu sexus masculini. *Et Leuites qui manet in vrbibus tuis.* Loquitur ad totum Israël qui habebat vrbes. nullus autem de Israël vrbes habebat, &

B

dabat Israël de vrbibus suis quadraginta octo ad habitationem sacerdotum, & Leuitarum, vt patet Numer. 35. cap. hos autem Leuitas habitantes in vrbibus Israël ipsi Israëlitæ debebant ducere secum ad conuiuium, quando facerent immolationes victimarum suarum. *Et lætaberis, & reficieris coram Domino Deo tuo.* Intentio Dei erat inducere istos Hebræos, vt desiderarent eum colere, & quia isti erant adhuc valdè carnales, inducebat eos Deus per quædam gaudia carnalia, scilicet, vt offerendo sacrificia sua Deo cœli in loco in quo ipse mandabat, profiterentur eum esse Deum verum, & custodirent mandata eius, & cùm hoc comedebant, & bibebant de viaticis melioribus & abundantiori modo quàm in alijs temporibus, & locis, & per hæc delectabilia corporalia quæ erant admita diuino cultui, illi qui erant imperfecti, alliciebantur ad exercendum se in actibus latriæ, & postea per assuetudinẽ relinquebant istam intentionem, quæ erat delectari corporaliter in comestione talium, & assurgebant principaliter in cultum Dei, sicut nunc homines per timorem Dei seruilem benè operantur, & per hanc exercitationem in bonis operibus prouehuntur ad hoc, vt ament Deum ex charitate, qua adueniente cessat seruilis timor.

Christi conuersatio qualis erat ad conuertendum gentes. Et quem modum debent tenere prælati, & principes, ac potentes Christiani, & diuites ad conuertendum infideles.

C

QVÆSTIO XI.

HVNC etiam modum Christus habuit in principio prædicationis suæ, quia eis quos conuertere ad se volebat, familiarem se exhibebat dulciter conuersando, & comedebat, bibebatque cum eis, & sic lucrabatur animos eorum ad se, & postea quicquid diceret eis credebant, & sequebantur viam eius, intantum hoc exercebat, vt occasione inuenta nequissimi Pharisæi vocarent eum voracem, & ebrium, & socium publicanorum, vt patet Matth. 11. cap. cùm dicitur: Hic est vorax, & potator vini, & publicanorum socius, & alibi quærebant Pharisæi ab Apostolis Christi, quare cum peccatoribus magister vester manducat, & bibit? ad quod Christus respondit, non est sanis opus medico, sed malè habentibus, in quo innuit esse conuersandum cum malis dulciter, si spes est, quòd conuertentur. Et sic valdè bonum, atque meritorium est, vt aliquis bonus vir eos qui mali sunt, & carnales, bonis temporalibus oblectet, inuitando eos, & distribuendo ei de bonis suis, vt sic corda eorum ad se trahat, & ipsi postea assentiant verbis eius, & conuertantur, & hoc si viderit in eis spem vllam conuersionis. Et sic licitum est bonis viris, & deuotis, qui peruerti à fide, & recta actione non possunt, communicare aliquo modo cum infidelibus aliquibus, specialiter vt sic eos ad fidem trahere queant. Etiam licitum est dare alicui Iudæo, vel Sarraceno pecuniam, vt conuertatur ad Christum: nam dato, quòd ipse, qui conuertitur, tunc quando conuertitur, pro solis pecunijs conuertatur, & nihil mereatur, poterit tamen postea pœnitere de hoc fine malo conuersionis suæ, & erit bonus, quod non contingeret si non fuisset conuersus, bona ergo fuit conuersio. Etiam quia postquam conuersus fuerit ad Christum, poterit cogi ad obseruantias legis Euangelicæ per quam erit bonus, quod non contingeret, si non fuisset conuersus saltem per pecuniam. bonum ergo agit qui hoc modo pecunias dat. Item quia qui dat pecunias alicui, vt conuertatur, nullo modo dat ei occasionem ad peccatum mortale: dato enim quòd conuertatur ad Christum propter pecunias, & in hoc nihil mereatur, melius tamen est, quàm quòd non conuertatur: nam manendo in infidelitate mortaliter peccat, si autem conuertatur ad Christum datis ei pecunijs, si pecuniæ sint causa allicitiua, & Christus sit causa principalis, adhuc ipse conuersus aliquid mereretur, quia propter Christum principaliter mouetur: magis tamẽ mereretur, si totaliter moueretur propter Christum. si autem moueatur ad conuersionem propter pecunias solùm non curando de Christo, nihil meretur sic conuersus, melius tamen est nihil mereri, quàm mortaliter peccare. Ergo bonum est semper, & nullam causam mali præbens dare pecunias infidelibus, vt conuertantur ad Christum. de hoc autem, scilicet, quòd cuilibet infideli dari possit licitè pecu-

E

nia, vt conuertatur, & non committitur ibi aliqua simonia, patet in decretis 23. quæst. cap. vltim. & 45. distinct. c. sincera. & sub tali conditione potest aliquis Christianus contrahere matrimonium cum aliqua Iudæa, vel Agarena, scilicet, vt efficiatur Christiana, vt patet in decretis 28. quæst. 1. c. caue, scilicet, quòd contrahatur matrimonium conditionaliter, si ipsa voluerit conuerti ad fidem, & sic contrahens non peccat, nec punitur per aliquam humanam legem, si autem aliquis contraheret matrimonium per verba de præsenti cum aliqua Iudæa, vel Agarena, nulla interposita conditione, sed quòd eam simpliciter vxorem acciperet, dato quòd non consummaretur per copulam, talis contractus erit impius valdè, & magni sceleris, atque secundùm canonicas, & humanas leges grauiter puniendum: istud tamen matrimonium sic conditionaliter contractum, non est consummandum cum muliere infideli, donec ad fidem conuertatur, nam consummare est valdè magnum peccatum, quasi si esset accessus simpliciter ad aliquam infidelem mulierem nulla interposita pa-

Cognoscere carnaliter mulierem infidelẽ est magnum peccatum.

ctione. Et patet hoc, quia cognoscere carnaliter aliquam mulierem infidelem est valdè magnum peccatum, nisi iste actus iustificetur per aliquem contractum potentem tollere peccatum, iste autem contractus esset, quòd iste vir contraheret cum ipsa muliere infideli conuersa ea ad fidem, si autem contractus fiat conditionalis, scilicet, quòd accipit eam in vxorem si facta fuerit Christiana, iste contractus nunquam habet aliquas vires donec adimpleatur conditio. donec ergo ipsa infidelis ad fidem conuertatur, contractus nullam sortitur firmitatem, ideo cognoscere eam carnaliter est tanquam si cognosceretur sine vlla pactione interposita, quia nihil, & inutile, vel non habens vires æquiparatur: sicut ergo peccaret cognoscendo eam carnaliter ante interpositionem pacti, ita peccauit cognoscendo eam carnaliter interposito conditionali pacto, & tamen non impleta conditione. & maior pensio potest dari alicui mulieri, vt conuertatur, vt patet in decretis 23. quæst. 6. cap. iam verò istam sententiam tenet Ioannes & Bernardus super cap. dilectus, extr. de simonia. *Coram Domino Deo tuo.* Id est in atrio tabernaculi, vbi victimæ comedi debebant. *In cunctis ad quæ extenderis manum tuam.* Id est, in omnibus quæ desideraueris, & ad quæ capienda manum extenderis: nam dicebat Deus, quòd quando venirent ad locum Sanctuarij, comederent de omnibus quæ desideraret anima eorum, vt patet infrà 14. ca. cùm dicitur: Et emes ex eadem pecunia quicquid placuerit tibi, siue ex armẽtis, siue ex bobus, vinum quoque, & siceram, & omne, quod desiderat anima tua, & comedes coram Domino Deo tuo, vel aliter. *In cunctis ad quæ miseris manum.* Id est comedes, & lætaberis in omnibus rebus, ad quas extenderis manum tuam, id est in quibus laboraueris extendendo manus tuas ad eas, quasi dicat, quòd de omnibus rebus quas homo haberet, quæ essent comestibiles, & in quibus laborasset, deberet ducere in locum

F

A

Sanctuarij, vt ibi comederet, & lætaretur, vel aliter. *Lætaberis, & reficieris in cunctis ad quæ miseris manum.* Id est si sic feceris decimas, & primitias, & vota, atque sacrificia spontanea, & cætera coram Domino in locum, quem elegerit, & ibi epulatus fueris cum filio, & filia, seruo, & ancilla, & Leuitam ad conuiuium vocaueris, lætaberis, & reficieris in cunctis ad quæ extenderis manum, id est Deus dabit tibi, quòd gaudeas & reficiaris, id est abundes in omnibus rebus ad quas manum miseris, id est in omnibus rebus quas incœperis, quasi dicat, obseruando ista supradicta, Deus dabit tibi tantam prosperitatem, quòd omnes res, & negotia, quas incœperis, finias, & & læteris in eis. *Caue ne derelinquas Leuitem omni tempore quo vixeris in terra.* Sed quolibet anno voca eum, quandocunque ascenderis ad sacrificia, sed non tenebantur ad hoc quando peregrinabantur extra terram suam, siue captiui, siue alio modo, quia etiam non tenebantur ascendere ad locum sanctum, cùm impossibile eis esset, sed solùm orabant contra illam partem mundi, in qua erat locus sanctus, vt patet de Daniele qui orabat tribus temporibus in die contra Ierusalem apertis fenestris domus suæ, Daniel. 6. cap. & sic orauerat Salomon Deum, vt de terra captiuitatis contra locum illum orantes exaudirentur, vt patet 3. Reg. 8. c.

Quando dilatauerit Dominus Deus tuus. Hic ponitur tertium, in quo respondetur ad quædam dubia, scilicet de comestione carnis, & dictum fuit hoc suprà, sed hoc magis explicatur

B

hic. *Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos.* Ista dilatatio solùm attenditur propter distantiam locorũ à loco Sanctuarij, quia nõ possent adduci pecora ad ostium tabernaculi vt ibi effunderetur sanguis eorũ. *Et volueris vesci carnib. quas desiderat anima tua.* i. q̃ tibi videtur delectabiles valdè. mulcebat Deus populum istum dans ei carnalia, quia sola carnalia petat petendo ollas carnium Ægypti, vt Exod. 16. cap. *Procul fuerit.* Ita, quòd non possis faciliter illuc frrre pecora ad occidendum. *Quas desiderat anima tua.* Dicitur anima desiderare impropriè, quia anima nostra nec desiderat, nec odit, nec diligit, nec intelligit, nec habet aliquẽ alium actũ, sed homo desiderat, & diligit, & intelligit, & habet omnes alios actus, quia actiones sunt suppositorum, anima autem dum est in corpore, non est suppositum, vel hoc aliquid, & sic dicit Philosophus 3. de Anima, quòd qui dicit animam tristare, dicit eam texere, & ædificare, sed nullus concedit, quòd anima texat, aut ædificet, ergo concedere non debet, quòd tristetur, aut lætetur, & sic de cæteris, sed homo tristatur, & lętatur, & ratio est, quia differunt principium agendi, & agens, anima autem est principium agendi, scilicet principium omnium actionum humanarum, vt patet in 2. de Anima. ergo non est ipsa agens, vel nõ agit. etiam magis patet, quia forma dicitur propriè natura, vt patet in principio 2. Physic. & ibidem dicitur, quòd natura est principium motus, & quietis eius, in quo est, id est principium omnium actionum eius in quo est, sed anima est forma, vt patet in principio secundi de Anima. ergo

Quæ actiones sint suppositi, non animæ solius, & quõ.

C

est principium actionis, & non agens: sed actus solùm agentẽ denominat, ergo homo dicetur agere, quia ipse est agens, & non anima quæ est principium agendi, & hoc est, quod communiter distinguunt formalistæ, scilicet, quod, & quo, id est agens, & principium agendi, vel quod agit, & quo agit, licèt ibi quo aliquo modo signat principium instrumentale. animam autem non vocamus principium instrumentale, sed radicale, quia ab ea deriuatur tota virtus agendi secundùm omnes modos actionis compositi, principia instrumentalia vocamus organa potentiarum operatiuarum, & passiuarum. nã organum Græcè, Latinè instrumentum dicitur, anima autem media est inter agens, & instrumentum: nam non est agens, quia non est ipsa suppositum, quod denominet actio, nec tamen rursus est instrumentum, quia ab instrumento nulla virtus deriuatur, sed potius deriuatur per instrumentum, anima autem non est per quam deriuetur virtus ab aliquo alio, sed est id à quo virtus deriuatur, & sic neutrum eorum existens inter medium eorum est, scilicet principium agendi, & sicut principium agendi non denominatur ab actione, ita nec instrumentum. nam non dicimus, quòd oculus videt, aut potentia visiua, sed quòd homo videt. communi tamen modo loquendi dicimus animam aliquid agere, vt concupiscere, & odisse, & intelligere, & non solum animam dicimus aliquid agere, sed etiam carnem denominamus agentem, sicut loquitur Apostolus ad Galat. 5. capite. dicens, Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: & non solùm attribuit his concupiscere, sed etiam operationes cùm dicit: manifesta sunt autem opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, idolorum seruitus, inimicitiæ, &c. & postea subdit operationes animæ, dicens: fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, &c. In his quidem dici potest, quòd licèt anima, & corpus non operentur, sed homo operetur, dicuntur tamen operari, quia sunt in eis principia operandi, vel potiùs ipsa sunt principia operandi, vt anima quidem non intelligit, sed est principium intelligendi, non concupiscit, sed est principium concupiscẽdi. dicitur tamen concupiscere, & intelligere, sed hoc de anima benè stat. quòd sit principium operandi, & ob hoc dicatur operari, sed de carne nihil tale videtur, quia caro non est principium agendi, cùm caro sit materia, & caro non est principium motus, & quietis, sed ipsa forma quæ propriè vocatur natura. etiam quia anima dicitur principium omnium actionum compositi. quomodo ergo poterit esse, quòd caro sit principium alicuius? impossibile quidem est: Apostolus tamen dicit carnem concupiscere, & habere quædam opera, & spiritum concupiscere, & habere alia opera, vel fructus, & omnes istæ concupiscentiæ dicuntur operationes, aut passiones compositi. Anima tamen dicitur principium concupiscentiarum omnium, quæ vocantur concupiscentię spiritus, & concupiscentiæ carnis, caro autem nullius concupiscentiæ aut actionis principium est, sed dicitur principium, quia anima nostra rationalis, aut humana, vt melius dicatur, vnica est & eadem est vegetatiua, & sensitiua, & rationalis, vnitur tamẽ corpori nostro tripliciter, secundùm quod dat perfectiones trium generum, aut modorum: nam per eandem sumus vegetabilia, vt plantæ: per eam rursus sumus sensitiui, vt pecora, eadem etiam nos rationales efficit, quod ad homines solos est inter cætera animantia. Ideo necesse est vt tribus modis vniatur nobis, vt triplices perfectiones det: secundum enim, quòd dat nobis, vt vegetemur in toto corpore, est, quia totum corpus vegetatur, & hoc faciens digestionem in singulis membris, & applicans illis, atque assimilans, vt transeat in substantiam membri, sicut anima plantæ quæ solùm vegetatur habet, quòd sit in qualibet parte plãtæ, licèt anima nostra quæ est spiritualis substantia non sit coextensa toti corpori, sicut anima plantæ, quæ est aliquo modo secundùm quantitatem plantæ. Secundo modo vnitur corpori inquantum dat nobis secundam perfectionem, quæ est sensitiuos esse, vt pecudes: secundum ergo, quòd operationes animales sunt in pluribus partibus, coniuncta est, cùm quælibet res ibi est, vbi operatur, habet autem anima, secundùm quod est sensitiua, vel animalis vim sensitiuam, & si magis perfecta est, habet vim motiuam, & cùm magis perfecta habet augmentum plurium virium, scilicet potentias quinque sensitiuas exteriores, & potentias sensitiuas interiores, quæ sunt ad quæ quinque, & vim motiuam, & vim affectiuam ad quam passiones pertinent, scilicet in vi irascibili, & concupiscibili: anima aũ secundùm quod sensitiua est, non vnitur pluribus partibus quàm vniantur istæ potentiæ: nam potentia motiua non est in toto corpore, sed in quibusdam partibus, scilicet in partibus musculosis, & neruosis. vis autem auditiua in certa parte corporis est, scilicet in organo auditus, & sic de visiua, & cæteris. vires autem interiores sensitiuæ quæ sunt in cerebro eodem modo determinant sibi certam partem corporis, scilicet cerebrum, sola vis tactiua est, quæ per totum corpus diffunditur in neruo ramificato, quod est organum tactus. vires autem affectiuæ, scilicet irascibilis, & concupiscibilis, habent certa loca determinata, scilicet hepar, & cor, & similia membra, ita quòd ad amandum, vel irascendum fit motus in istis, & non fit motus in pedibus, aut capite, vel manibus, & sic de cæteris membris corporis. anima autem rationalis secundùm quod rationalis, licèt quantum ad substantiam eadem sit in nobis cum omnibus superioribus, tamen vnitur corpori solùm quantum ad phantasmata: nam non determinat sibi aliquod organum ad operandum secundùm quod auditiua auditum, & visiua oculos, & sic de cæteris. licèt præsupponat actus istarum potentiarum, sed solùm requirit actualem conuersionẽ super phantasmata, sine quibus intelligere non potest,

D

E

Quare anima humana tripliciter vnitur corpori & secũdum quæ diuersimodè vnitur corpori sit, in eo diuersas operationes.

F

A

test,vt declarauimus Exod.32.c. Et ob hoc ponebat Cō mentator vnitatem intellectus agentis dicens, quòd ille vniebatur cuilibet homini per phantasmata, & quando vniebatur phantasmatibus vnius intelligebat ille, & quando vniebatur phantasmatibus alterius intelligebat alius. Qualiter autem hoc falsum sit,non est præsentis speculationis. Anima autem secundùm quod diuersimodè vnitur corpori,ita efficit in eo diuersas operationes,& quia vnitur,vt vegetatiua,& vt sensitiua,& vt rationalis,necesse est,vt diuersas operationes habeat.quando tamen anima condistinguitur contra corpus, accipitur prout est separata à corpore, non quidem secundùm essentiam,scil.quòd sit extra corpus, sed quia non est alligata alicui operationi organicæ, scil. quòd operetur per organa, aut in operando consequitur conditionē organorum. Anima autem secundùm quod est vegetatiua, est alligata toti carni,quia tota caro vegetatur,& secundùm quod sensitiua infixa maiori parti corporis, ideo iudicatur idem cum carne, & omnes operationes,quarum anima est principium vt alligata toti carni,vegetando,aut maiori parti corporis sensitiuum faciendo,vocātur operationes carnis,vel desideria carnis. operationes autem quarum ipsa anima, vt non alligata partibus corporis est principium,scil.inquantum rationales, vocātur operationes spiritus,vel concupiscentiæ spiritus, & tunc stat dictum Apostoli, scil.caro concupiscit aduersus Spiritum,&

B

spiritus aduersus carnē, quòd anima est principium quarundam concupiscentiarum quæ sunt contrariæ concupiscentijs carnis, id est concupiscentijs, quarum ipsa anima est principium,vt est infixa carni, scil.inquantum sensitiua, & habens vim irascibilem, & concupiscibilem: nam anima secundùm quod rationalis,desiderat verum bonum,& contemplationē atq; abstractionem ab his omnibus inferioribus,sed caro cōcupiscit aduersus spiritū, id est anima infixa partibus carneis, scil.irascibili,& concupiscibili desiderat aduersus ea, quæ determinata sunt per rationem,quia per rationem, & voluntatem rationalem quæ est potentia animæ volumus contempla ri, & Deum super omnia diligere. secundùm cōcupiscibilem inclinamur ad fornicandum,& diligendum ea quæ huius seculi sunt magis quàm Deum. eadem ergo anima contra se cōcupiscit,& non concupiscit caro cōtra spiritum, quia ipsa secundùm quod non alligata organis, scil.inquantum est rationalis,est principium concupiscendi oppositā eis, quorū principium concupiscendi est inquantum est alligata membris, quantum ad vim concupiscibilem,& irascibilem,& hoc modo intelligi oportet dictum Apostoli ad Galat. scil. Spiritus concupiscit aduersus carnem,&c. sic ergo dicitur hic: *Quæcunque desiderat anima tua.* Id est comedas de omnibus illis quę cōcupiscis, cuius concupiscentiæ principium est anima tua, nō quidem inquantum est absoluta ab organis, & partibus corporis, sed inquantum est sensitiua habens partem affectiuā, scil. concupiscibilem, & irascibilem. *Locus autem quem elegerit*

C

Dominus Deus tuus sit procul. Erat Dei statutum, vt si quis vellet occidere aliquod pecus, adduceret ad ostium tabernaculi,vt sacerdos immolaret illud Domino,scil.sanguinem eius, & adipes: nam adeps erat Domini iure perpetuo, vt patet Leuit. 3.cap.si autem locus esset distans, non poterat hoc compleri, quia non poterant pecora adduci in locum Sanctuarij, ideo fiebat quod sequitur.

Occides de armentis tuis, & pecoribus. Vocantur armenta magna animalia,vt boues: pecora vocantur hic parua, vt capræ, & oues,& de istis licebat immolari, & poterat occidere ipse q habebat ea,& comedere in quocunque loco vellet. *Sicut præcepit tibi.* Suprà hoc mandauit in isto cap.

Sicut comeditur capra, & ceruus:ita vescēris eis. i. sicut capra,& ceruus sūt animalia immūda ad offerendū, & ideo effuso sanguine,& nulla alia solēnitate præmissa cōedi possunt:ita animalia quęcunque volueris poteris comedere in oppidis tuis, sine aliquibus cæremonijs præpositis. *Mundus & immundus.* Immundi fiebant per tactum mortui, vel animalium morticinorum,siue mulieris menstruatæ,& in fluxu sanguinis, vel seminis,& multis alijs modis, de quibus Leuit.11.12.14.15.ca. *In commune vescentur:hoc solum caue ne sanguinem comedas.* Id est, quilibet poterit comedere de carnibus istis communiter, siue mundus,siue immundus,nec est in hoc aliqua differentia. de carnibus aūt hostiarū nullus comedere poterat,nisi mundus,vt patet Leuit.6.& 22.c. & qui immundus esset, & scien-

D

ter comedebat de sanctificatis,moriebatur, vt patet Leuit.7. c. *Sanguis eorum pro anima est.* Anima enim sedet in sanguine, quia anima vnitur corpori secundùm quādam harmoniam repertam in corpore,& ista est præcipuè in calido & humido, quæ sunt principia viuendi, ideo dicimus calorem naturalē, & humidum radicale vitam conseruare. Et ista duo reperiuntur in sanguine magis,quàm in alio humore,ideo sanguis dicitur sedes animæ: animam autem comedere velle horribile est,ideo nec sanguinem comedere debent, quia in pecoribus sanguis loco animę est. Ratio autem potissima,quare sanguinem non comedebāt erat, quia omnis sanguis erat ad expiandum peccata, vt patet Leuit. 17. & tangit eam Apostolus ad Hebr.9.c. *Idcirco non debes comedere animam cum carnibus.*

An valeat consequentia de qua in litera, de esu sanguinis.

QVÆSTIO XII.

SATIS valet ista consequentia, scil.quòd horribile est comedere animam alicuius rei, cùm sit principium essendi, & viuendi, sed sanguis in animalibus est loco animæ quātum ad bruta. ergo non debet comedi sanguis, & caro, quia tunc comederetur anima cum carnibus,quod horribile est.anima autem in pecoribus comedi non potest, quia non est in eis anima aliquid quod est, sed aliquid quod est ipsum animal, &

E

per se nō est ipsa anima pecorum ens,ideo deficiente illa harmonia secundùm quam manebat anima. iam non erit aliquid illa anima,sed non est sic de anima nostra, quia non deficit mox, vt homo moritur, immò ipsa anima humana immortalis est,& licèt in corpore sit,vt pars speciei, & nō sit suppositum,deficiente homine ipsa est suppositum, & hoc aliqd & habet actus quos ipsa agere dicitur, sicut homo ante agere dicebatur.non ergo dicetur sic de homine,sicut de pecorib⁹, quia sanguis in homine pro anima esse non potest, cùm anima maneat.in pecoribus autem sanguis pro anima est. *Sed super terram funde quasi aquam.* Hic manet adhuc sanguis in officio suo, nam cùm sanguis sit loco animæ, ad expiandum est. cùm autem super terram funditur, & nō comeditur propter mandatum Dei,fit ei sacrificium de ipso sanguine, sicut cùm funditur ad basem altaris in cæteris sacrificijs,& non concrematur, sicut cæteræ carnes, sed solis cornibus altaris tinctis cum sanguine illo, reliquus sanguis ad basem funditur, & hoc generaliter erat in holocaustis,vt patet Leuit.1.c.& in victimis pacificis,vt patet Leuit.3. in victimis autem pro peccato interdum referebatur sanguis in tabernaculum, vt aspergeretur coram sancto sanctorum, vt pro peccato summi sacerdotis,vt patet Leuit.4.c.& ibi de peccato totius populi, & peccato principis.interdum autem sanguis iste partim aspergebatur intra sancta Sanctorum contra arcam, & tingebantur cornua altaris thimiamatum, quod erat intra tabernaculum. de aspersione sanguinis contra arcam patet Leuit. 16. c.

F

quia hoc erat in die propitiationis solùm, & nunquam in alio die, vel tempore anni intrabat sacerdos magnus in sancta Sanctorum: est autem iste dies propitiationis decimus dies Septembris,vt patet Leuit. 23. c. de tinctione cornuum altaris thimiamatum in sanguine patet infrà 30. c. *Funde quasi aquam.* Id est totaliter funde non retinendo aliquid de illo, qa tibi inutilis est, & in hoc magnum cultum Deo exhibes eius parendo præceptis. *Vt benè sit tibi, & filijs tuis post te.* Quia patres benè agentes non solùm merentur sibi misericordiam Dei, sed etiam filijs suis. *Cùm feceris quod placet in conspectu Domini.* Id est prosperaberis faciendo præcepta Dei. *Quæ autem sanctificaueris,& voueris Domino.* Id est illa quæ per votum sanctificaueris Domino: propriè sanctificare est ad Dei cultum applicare,animalia autem quæ vouentur applicantur Domino,quia ei offerre debent, nec alicui licet comedere illa. Sanctificatum aliquid dicitur cùm diuino cultui applicatur,siue illud sit tempus,sicut dicimus diem sabbati sanctificatum, vt patet Exod.20.cap.quia ad cultum eius separari debet, scil.vt in illo die non vacaret homo mundanis negotijs, sed ad Dei contemplationem reseruaret:sanctificantur etiam res inanimatæ,vt res sacræ, quæ ad solius Dei cultum, & nullo modo in vsus humanos conuertendæ sunt,& isto modo vocatur tabernaculum Sanctum, & sancta Sanctorum,& Sanctuarium vt patet in multis locis, etiam ipsum vnguentum quo vnge-

Quæ sanctificari poterant.

A bantur ſacerdotes, & ea quæ in templo erant, ſcilicet omnia vaſa tabernaculi, & thimiama, quod adolebatur coram Domino in altari aureo thimiamatum, ſanctum vocatur, & ſanctum Sanctorum, vt patet Exod. 30. cap. ſanctificantur etiam res animatæ, vt pecora, ſicut ſunt primogenita, de quibus dicitur Exod. 13. cap. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam tam in hominibus, quàm in iumentis: ſicut autem iſta ex lege ſanctificata ſunt, ita alia ex voluntate ſanctificantur, & iſta ſunt quæ Domino vouemus, quia per hoc iuri noſtro ſubtrahimus, & cultui diuino applicamus, & poteſt aliquis ſanctificare rem inanimatam, vt domum, vel agrum, & tunc dabatur pro eo certum pretium, quod conſtitutum eſt Leuit. 27. cap. & redibat domus vel ager ad eum qui vouerat. aliquando vouebantur res brutæ immolabiles, vt boues, oues, capræ, & tunc, ſi iſta animalia munda erant talia, qualia immolari poſſent, non poterant redimi, nec commutari, ſed ſi aliquis conaretur commutare animal, quod vouerat pro alio, tam ipſum quod commutabatur, quàm id pro quo commutabatur, conſecrabantur Domino, vt patet Leuit. 27. cap. & ibi ponuntur aliæ multæ regulæ de votis, & pretijs redemptionis votorum, & quid faciendum eſſet ſi animal eſſet immundum, vel ineptum ad immolandum. hic autem ſolùm loquitur Scriptura, quando vouebantur animalia quæ immolari poſſent, quia tunc ferenda erant in locum Sanctuarij, ſi autem eſſet res inanimata, redimebatur, vt ſuprà dictum eſt. *Venies ad locum quem elegerit Deus, & offeres.* Si tamen locus multum diſtaret à loco Sanctuarij, poterant primogenita pecorum, vel ea quę vouerant vendere, ſiue comedere, & pretium eorum afferre in locum Sanctuarij, ſicut dicitur de decimis infrà 14. cap. *Carnes, & ſanguinem ſuper altare Domini Dei tui.* De ſanguine hoſtię tingebātur cornua altaris, & reliquus fundebatur ad baſim, vt patet Leuit. 3. cap. carnes autem cremabantur ſuper altare, aliter in holocauſtis, aliter in pacificis, aliter pro peccato, vt ſuprà diſtinximus. *Sanguinem hoſtiarum fundes in altari.* Id eſt ad baſim altaris, & non ſuprà. *Carnibus autem ipſe veſceris.* Ex hoc patet, quòd iſtæ erant hoſtiæ pacificæ, quia de holocauſtis, ſiue pro peccato nihil comedit offerens, vt patet Leuit. 1. & 6. cap. de iſtis pacificis comedit offerens omnes carnes detracto adipe cum renibus, ſiue lumbis, ad Dei incenſum in altari, & armo dextro, & pectuſculo ad ius ſacerdotum, vt patet Leuit. 3. & 7. cap.

B Cùm autem dicitur hic de ſanguinis oblatione ſuper altare, & de carnibus: non eſt intelligendum, quòd funderetur ſanguis ſuper altare, quia ſolùm tingebantur cornua eius quatuor, & fundebatur reliquus ad baſim, ſed dicitur fundi in altari, id eſt in circuitu altaris. ſemel autem ſolùm fuit ſanguis fuſus ſuper altare, ſed tunc non erant datæ leges de ritibus ſacrificiorum, ſcilicet quando fuit confirmatum pactum legis inter Deum, & Iſraël: nam cùm occiſi fuiſſent boues, & hirci, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 9. cap. & ſanguis eorum

C receptus in crateres medietas ſanguinis ſuper altare fuſus eſt, reliqua autem medietas cum aqua, & lana coccinea ad aſperſionem populi fuit: de his habetur Exod. 24. cap. ibi autem ratio fuit ſpecialis, ſcilicet quare dimidia pars ſanguinis fuiſſet in altari fuſa. Quod autem dicitur hic de carnibus, quòd ipſe comedere debebat offerens, ſed in quaſdam diſtinguitur, quia aut erāt carnes animalium immolatorum, vt hoſtiæ pacificæ, aut hæc animalia, vt vota immolabantur, ſi autem eſſent animalia habentia carnes in pacifico ſacrificio oblatas, pertinebant ad ipſos offerentes quædam partes eorum, ſicut determinatur Leuit. 3. & 7. atque 8. cap. ſi autem eſſent animalia ex voto data, non poterant carnes eorum comedi ab ipſis immolantibus, ſiue offerentibus ea, quia iſta pertinebāt ad iura ſacerdotalia, vt patet Num. 18. cap. iſta diſtinctio vera eſt, ſed non conuenit ad præſens: nam hic dicitur de votis, ſcilicet, quæ autem ſanctificaueris, & voueris Domino, &c. ideo dicendum, quòd aliquod animal immolabile poterat dupliciter voueri. Vno modo, quòd voueretur ſimpliciter, ſcil. dicendo, ego voueo iſtud animal Deo, & tunc per votum totaliter abdicabat à ſe ouem, aut bouem, vel aliud animal, quod vouebat, & tranſibat in ius ſacerdotum, vt patet Num. 18. ca. cùm omnia vota ad eos pertinerent. ſi autem votum eſt cum determinatione, vt ſi dicatur: ego voueo facere Deo hoſtiam pacificam de vno ariete, vel boue, tunc ex eo quod vouerat, tenebatur facere illud ſacrificium, tamen remanebat ſibi poteſtas comedendi de animali immolato ſecundùm partē determinatam ei à lege. tantùm enim nunc comedere poterat vouens de animali ſic immolato, ſicut ſi immolaſſet illud in hoſtias pacificas, & non vouiſſet, quia quando vouit iſtā conditionem ſibi reſeruauit, ſcil. vt offerret illud animal tanquā hoſtias pacificas, & ſic ſtat hic litera, quòd de voto comedere quis poſſet. *Obſerua, & audi.* Hic ponit concluſionem intentā, ſcil. non colere idola, quia omnia ſupradicta ſunt de modo colendi Deum, cui maximè repugnat idololatria. *Obſerua, & audi.* Ponuntur iſta verba duo, quia vnum notat attentionem & aliud conſenſum, ſcil. Obſerua, id eſt diligenter attende q̄ dico. Et audi, id eſt exaudi, ſcil. conſentiendo, quia aliàs auditio nihil prodeſt, cùm non ſequetur exauditio. *Quæ præcipio tibi.* Frequenter repetit iſta Moyſes, quia ſciebat iſtum populum pigrum ad obediendum mandatis Dei, & exequendum ea, ideo oportebat eum crebrò moneri, vt diligenter aduertat. *Vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te in ſempiternum.* Id eſt, ſi tu audis mandata Dei, & opere comples, Dominus dabit tibi vitam, & proſperitatem omnium bonorum temporalium, & non ſolùm tibi, ſed etiam filijs tuis meritis tuis, quia cùm patres ſunt boni, Deus propter eos miſeretur filijs vſque in mille generationes, ſiue vſque millia, vt patet ſuprà 5. ca. & Exodi 34. *In ſempiternum.* Ponitur hic ſempiternum, ſecundùm quod aliàs in Scriptura poni conſueuit, ſcil. pro magno tempore, non tñ pro vita æterna, quia pater quantumcunq; bonus ſit, nunquam meretur pro filio vitam æternam, niſi cùm filius bonus eſt, & tunc ipſe pro ſe meretur. indirectè tamen poteſt mereri pater pro filio vitam æternam, quia per bona opera ſua promerebitur, vt Deus dirigat filium eius in viam ſalutis æternæ.

Cùm feceris, quod bonum eſt, placitum in conſpectu Domini Dei tui. Id eſt, quòd faciendo ea quæ coram Deo placita ſunt promeremur pro nobis, & filijs noſtris bonum, bonum autem, & placitum idem eſt alicubi. namque placitum, & bonum nō ſunt idem, quia non amamus ſemper ea quæ ſunt bona ſimpliciter, ſed quæ videntur nobis, vt patet in principio 8. Ethicorum. Deus autem qui regula æterna eſt, & non deficit ab eo, quod ſecundùm ſe eſt verum, & bonum, ſemper vult id, quod eſt ſecundùm ſe bonum, ideo bonum, & placitum corā eo idem ſunt.

Cùm diſperdiderit Dominus Deus tuus. Hic ponitur tempus completionis horum præceptorum, ſcil. poſtquam ingreſſi eſſent in terram poſſeſſionis, & gentes deſtructæ eſſent ipſis compoſita pace quieſcentibus. *Ante faciem gentes.* Id eſt, quòd faciet eas non poſſe ſtare ante faciem tuam, quia dato, quòd illæ gentes pugnarent interdum cum Iſraëlitis, tamen confeſtim terga vertentes agebantur in fugam, & hoc fortè, quia crabrones effugabant, de quibus Exod. 23. cap.

Ad quas ingrederis poſſidendas. Id eſt quarum terram poſſidere debes, quia ipſas gentes nullo modo poſſidere poterant, ſcil. nec faciendo eas tributarias, nec ſubijciendo in ſeruitutem, quia nullum fœdus licitum erat cum eis, vt patet Exod. 23. & 34. & infrà 20. cap.

Et poſſederis at q; habitaueris in terra earum. Id eſt quòd expuleris gentes, & acceperis terram eorum, & pacificè poſſederis.

Caue ne imiteris eas. Colendo idola, ſicut ipſæ coluerunt. *Et requiras cæremonias earum.* Scilicet, inquirendo quales ritus habuerunt gentes illæ in colendo deos ſuos, ideo non erat licitum Iudęis tunc legere aliquos gentilium libros continentes deorum cæremonias, nobis autem licet, quia non eſt occaſio idololatrandi in nobis ſicut in eis erat. Item quia oportet habere teſtimonium ex his quæ foris ſunt, ideo B. Paulus arguens contra Philoſophos Athenienſes, vſus eſt auctoritate Poëtarum, & ſapientum teſtimonijs vtitur.

Poſtquam fuerunt te introeunte ſubuerſæ. Id eſt, poſtquam tu intraueris, & poſſederis terram Chanaan, ipſæ gentes, quę ante poſſidebant, iam non erunt, cùm neceſſe ſit prius te delere eas, quàm teneas terram earum, deſtructis eis cùm eam tenueris non debes inquirere cæremonias earum, ſcilicet qualiter illæ gentes coluerunt deos ſuos, ſcilicet, quod quærerent ab alijs gentibus vicinis, vel in libris gentium, quas deleuerant. neutro enim modorum horum facere debebant. Quòd autem ipſi inquirerent cæremonias gentium, quæ fuerant in terra illa, videbatur eſſe, quia gentiles putabant quamlibet terram Deum ſuum habere, & quemlibet Deum

D

Concluſio intēta, ſcil. non colere idola.

E

Tēpus completionis horum præceptorum.

F

Animal immolabile dupliciter voueri poterat

deter-

A determinatas cæremonias cultus, & quando non obſeruabantur in terra illa cæremoniæ Dei illius, putabant Gentiles ob hoc euenire omnes plagas quæ eueniebant, ſicut patet de his quos rex Aſſyriorum adduxerat de terra ſua, vt habitarent in vrbibus Samariæ, quas expoliauerat Iudæis cultoribus terræ illius, & cùm iſti Gentiles cępiſſent habitare in terra Samariæ, non timebant Deum verum: ideo immiſit in eos leones qui occidebant eos, & tunc nunciatum fuit regi Aſſyriorum in hunc modum: Gentes quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ, ignorabant legitima Dei terræ, & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quòd ignorent ritum Dei. & ſic vetabat Deus verus, qui erat Deus Hebræorum, ne Iudæi expulſis Chananæis de terra, putarent illam terram habere certos deos, qui determinarent ſibi certas cæremonias, quas tenerentur facere habitatores terræ, ſi vellent in pace viuere, ſed quòd ipſum ſolùm tanquam Deum verum timerent, & à nullo alio formidarent. ad hoc autem vehementer prompti erant Iſraëlitæ, ideo vetat eis Deus ne aliquando talia inquirant. ſic dicitur eis Hieremiæ 10. capite, Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere: ad idem admonet eos Leuit. 18. ca. ne ſequantur cæremonias accolarum terræ, quia ſicut terra euomuit illas propter peccata ſua, ita euomet Iudæos, niſi obſeruent mandata Dei, quando talia egerint, qualia illæ gentes quæ antè habitauerunt in terra.

B *duplex litera expoſitio.*

Sicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos, ita ego colam. Poteſt eſſe duplex ſenſus. Vno modo, ſicut ipſæ coluerunt deos ſuos Baalin, Aſtaroth, &c. ita ego colam Baalin, & Aſtaroth, vel ſicut ipſæ coluerunt deos ſuos per tales cæremonias, ita ego per eaſdem colam Deum meum, & hoc magis conſonat ſuperioribus, quia dicebatur, quòd non requirerent cæremonias Gentilium, & inferiori, quia dicitur non facietis ſic Domino Deo veſtro. *Omnes abominationes quas aduerſatur Dominus.* Id eſt quas odio habet.

Fecerunt. Quia dæmones à Deo permiſſi quantum potuerunt gentes à vero Dei cultu abſtraxerunt per quaſdam vanas ſuperſtitiones, ideo Deus odio habebat iſtas cęremonias. Abominationes operati ſunt gentiles in terra illa, quę diſplicebant in oculis Domini, colendo valdè obſcœnè deos ſuos, & ab omnibus iſtis abominationibus mandat Deus Iudæos cauere: magna enim abominatio eſt, quòd eo relicto alius Deus colatur, qui non eſt Deus, ideo non licebat Iudæis relinquere Deum ſuum, & colere Deum alium mutando nouos Deos, & de hoc conqueritur Deus per Hierem. cap. 1. dicens: Tranſite in inſulas Cethin, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dij. populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum. obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini, dicit Dominus. Alia abominatio eſt Deo, quòd ipſe colatur cum alijs dijs: nam ipſe eſt verus Deus, atque bonum ſummum. dij autem gentium aut dæmones ſunt, aut nihil ſunt. quòd ergo compararetur aliqua creatura, & aliquando illa quæ eſt viliſſima, Deo in honore, magna abominatio eſt, & iſtam abominationem faciebant Samaritani, quia Deum cœli timebant, & tamen quilibet Deum ſuum colebat, atque ei ſacrificabat, vt patet 4. Regum 17. c, hoc autem vehementer Iudæis cauendum erat, ne cum Deo ſuo vero alium colerẽt: alia abominatio erat, quòd Deus verus, qui ſummum honeſtum eſt, ſecundùm turpiſſimas cæremonias Gentilium deorum coleretur: honeſtiſſimo namque Deo puriſſima oblatio conuenit, & hoc volebant facere quidam Iudæi: nam putabant cæremonias debitas fore diuerſas terris diuerſis, & quia nolebant totaliter præuaricari, nolebant dimittere Deum ſuum pro alio Deo, tamen miſcebant, vt vtrumque ſecundùm eorum iudicium complerent, ſcilicet colebant Deum ſuum verum, ne viderentur eum deſeruiſſe, & vt placarent deos terræ illius, volebant immolare Deo ſuo ſecundùm conſuetudinem deorum terræ illius, id eſt, qui prius culti ſunt in terra illa. Deus autem abominatur hoc, quia ſicut ſecundùm veritatem ipſe ſolus Deus eſt, ita ipſe ſolus vult coli, & quia nullus poteſt ſtatuere cæremonias debitas cultui Dei, niſi ipſe Deus, ideo non debet coli ſecundùm aliorum falſorum deorum cæremonias, ſed ſecundùm cæremonias quas ipſe ſtatuerit, & hoc eſt, quod vetat hic, dicens: non facietis ſic Domino Deo veſtro, id eſt, non coletis eum eo modo quo coluerunt gentes iſtæ deos ſuos. commiſerunt peccata valdè grauia, vt patet infrà. quia aliqui coluerunt deos immolantes eis filios ſuos, vt erat quantum ad deos Samaritanorum, qui erant de Sapharnain, ſcilicet ad Ramelech, & Anamalech dijs Sapharnain: committebant etiam peccata cum pecoribus, & Sodomitica, & inceſtuoſa, vt cum ſororibus, & matribus, vt patet Leuit. 18. ca. mille etiam turpitudines quæ fiebant in alijs ſacrificijs, vt in ſacrificio Priapi fiebant mille inhoneſtatum genera, ſcilicet demonſtratio verendorum ſacerdotis Priapi, & deinde confluxum ad actum venereum: nam expletis ſacrificijs quaſi vocalibus Priapi, ſequebantur ſacrificia realia ipſius Priapi, ſcilicet conuentus ad coeundum, ſiue ſub locis frondoſis, & obſcuris, ſiue in locis ſubterraneis, & ſpecubus, de quo creata fuit magna lues in Iſraël: nam Priapus in abſcondito celebrabatur, & conuenientibus multis execrabantur opera turpiſſima, ita vt mater regis Aſa eſſet princeps eorum, qui colebant Priapum, & vacabant illi operi nefario, vt patet 3. Reg. 15. multi quoque alij modi turpiſſimi obſeruabantur in ſacrificijs aliorum deorum gentilium, cùm quæque gens pro ſua capacitate turpitudinibus, & obſcœnis libidinibus abundaret. de his ſacrificijs M. Varro in libris ſacrorum, & Ouid. in libris Faſtorum, & Auguſtin. in pleriſque libris de ciuitate Dei. ideo dixit Deus, quòd iſtæ gentes fecerunt omnes abominationes in dijs, quia per omnem modum ſcelerum verſabantur.

E

Fecerunt dijs ſuis offerentes filios ſuos, & filias comburentes igni. De iſta combuſtione aliquid diximus Leuit. 20. ca. Erat enim magnum idolum, quem Iudæi Moloch vocant, id eſt regem, vel principem aliorum idolorum, & illud cupreum, vel alterius metalli, & incendebatur ex parte interiori quouſque inflammaretur, tunc ponebant pueros teneros ſiue puellas in manibus illius idoli ardentis, pſallentibus ſacerdotibus in vaſis muſicis, & magna voce concinentibus, ne voces pueri morientis à parentibus audirentur; & tunc dicebant puerum à dijs ad æthera raptum, & hæc erat dæmonum gratiſſima oblatio, cùm Deus illam maximè abhorreret. *Quod præcipio tibi hoc tantùm facito.* Quia aliqui in cultu Dei volebant obſeruare cæremonias ſcriptas in lege, & inſuper cæremonias quas obſeruabant gentiles. *Nec addas quicquam.* In colendo Deum ſuprà id, quod eſt in lege.

Et ſi dicas contra, quia Chriſtus dixit Luc. 10. c. quicquid ſupererogaueris ego veniens reddam tibi. in quo laudat, & promittit mercedem magnam his, qui ſuper ea ad quæ obligantur ex lege, aliquid boni operis ſupererogant.

Reſpondetur, quòd facere aliquod bonum ſuprà legem, ſanctum eſt, ſed facere ſuprà legem aliquid quod eſt contra legem, hoc malum eſt, & prohibetur hic. *Nec minuas.* Faciendo minus quàm mandat lex, de his dictum fuit ſuprà cap. 4. & ibi vide.

C F

An facere ſuprà legem, id eſt opus ſupererogationis, ſit peccatum.

QVÆSTIO XIII.

CONSIDERANDVM autem eſt, quòd facere ſuprà legem, eſt aliquando malum, & aliquando bonum, ſicut eſt de actibus virtutis. nam virtutes ſunt inter duo extrema, quorum quodlibet eſt vitioſum, quando autem aliquis excedit à medio modicum, non dicitur malè agere, quia medium in materia virtutis non ponitur indiuiſibile, ſed habens quãdam latitudinem. Dum autem aliquis intra illam latitudinẽ eſt, adhuc non exceſſit medium, nec dicendus eſt malefacere. Et ob hoc contingit virtuoſos viros inter ſe non conſonare totaliter, quia medium, intra quod virtuoſi ſunt, latitudinẽ habet. ſi autem medium illud eſſet indiuiſibile, neceſſe eſſet omnes virtuoſos eadem, & totaliter ſimilia facere. & iſto modo dato, quòd lex mandet aliquid, quod nos poſſumus facere pluſquam mandat lex, & benè agemus, quia illud eſt intra latitudinem, vtpotè ſi lex mandauit ieiunare vna die, & nos velimus ieiunare duobus, vel tribus, benè agimus, & valdè meremur, niſi fortè in lege vetitum ſit aliquid eorum, quæ nos agimus, vt ſi lex mandauit vna die ieiunari, & mandauit non ieiunari diebus Dominicalibus: nos autem volumus

A

ieiunare tribus non peccamus, quia non excedit̃ medium. si tamen in illis diebus velimus ieiunare diem Dominicam, peccamus, quia iam est extra medium cùm sit contra mandatum legis. Si tamen aliquis tantùm velit ieiunare, vt penitùs nihil comedat, aut valdè paucum, quod ad vitam non sufficit, iste est extra medium, & plus agendo peccat. Si autem lex mandat abstinere à fornicatione, si autem aliquis abstineat etiam à coitu matrimoniali nolẽs accipere vxorem, ita quòd sit in viduitate, vel virginitate, magis agit quàm lex mandet, tamen benè agit, & valdè laudatur, quia omnia ista adhuc sunt infrà medium. Tamen si Deus mandaret abstinentiam à fornicatione, sicuti nunc mandatum est, & mandaret multiplicationem generis humani per honestas nuptias, sicut fuit in principio generis humani, cùm dixit primis parentibus: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, vt patet Genes. 1. cap. & postea iterum post diluuium, vt patet Genes. 9. cap. si aliquis existentibus his edictis abstineret à fornicatione secundùm vnum edictum illorum, & non à fornicatione, sed etiam ab actu matrimoniali volens in virginitate manere, peccaret, quia excedebat medium virtutis. est autem hic medium virtutis determinatum à lege, scilicet quòd debeat vitari fornicatio, & non vitetur matrimonialis concubitus. inter vtrumque autem est medium. qui verò, vel à nullo coitu abstinet, vel ab omnibus abstinet, his positis extrà medium est. Sic autem hic sacrificare quidem cum omnibus his cæremonijs quę suprà positę sunt, est medium in isto actu latriæ determinato à lege, si autem aliquis in aliqua istarum defecerit, à medio recedit, & malè agit, si autem aliquis obseruare velit non solùm has, quæ positæ sunt, sed insuper plures nullam istarum tollendo, rectè ageret, nisi lex determinaret nõ esse magis agendum: lex enim determinare potest mediũ virtutis, quia leges sunt positæ à sapiente viro, cùm sapientis sit ordinare, vt patet 1. Metaphys. sed medium in virtute est secundùm rectam rationem, & sicut sapiens determinabit, vt patet 2. Ethicorum. ergo lex potest assignare rectissimè medium in qualibet virtute, si ergo lex dixit debere tales, & tantas cæremonias obseruari, & non aliquid amplius, si aliquid plus obseruetur necesse est esse malum, cùm sit extra medium. ista autem lex quæ hic ponitur, scilicet: Quod pręcipio hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas: intelligitur hic specialiter in sacrificijs: nam in alijs generibus humanæ actionis, licèt contra legem agi nunquam licitè possit, licitè tamen agitur intra legem, quia non immediatè est extra medium, si suprà legem agatur. In sacrificijs tamen erat aliquid speciale, quia nec poterat licitè agi contra legem, nec suprà legem, & ratio huius est, quia Iudæi erant proni ad cæremonias gentilium, & si permitterentur agere vltrà certam regulam, daretur eis occasio ad idololatrandum, & cuilibet immolandum, vt vult, & sequendum omnes cæremonias gentilium, ideo rectum valdè fuit, vt certa regula daretur in sacrificando, & nec aliquis posset addere, vel diminuere, quia quouis modo pertinebat ad occasionem idololatriæ. Non est autem sic in alijs actibus, vt si quis ieiunet magis quàm mandat lex, vel magis abstineat à coitu quàm lex mandet, quia in his non est occasio alicuius mali immediatè, sicut in sacrificando, ideo quandocunque iste textus allegetur, nihil agit ad propositum, nisi cùm inducatur in materia sacrificiorum, de qua hic loquitur specialiter.

B

C

Caput XIII.

Nõ sũt audiendi falsi Prophetæ.

Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem eius. Ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Aegypti, & redemit vos de domo seruitutis, vt errare te faceret de via quã tibi præcepit Dominus Deus tuus, & auferes malum de medio tui.

D

Si *surrexerit*. Suprà dictum fuit de modo diuini cultus, hic agitur de euitando, & destruendo idololatriæ ritu, quia vnius oppositorum destructio, alterius est confirmatio. Et ponuntur tria. Primò ponitur pœna Prophetæ, vt fallat aliquid prædicentis. Secundò ponitur sententia personæ coniunctæ in consanguinitate, vel affinitate ad idololatriam persuadentis, ibi. *Si tibi voluerit persuadere.* Tertiò ponitur destructio ciuitatis idolum colentis, ibi. *Si audieris in vna vrbium. Si surrexerit in medio tui Prophetes.* De modo Prophetiæ dictum fuit Num. 12. c. & 22.

De quo Propheta hic loquatur Moyses: Præterea quot modis prophetia siue verius scientia de futuris haberi potest, & an omnis talis cognitio verè possit dici Prophetia.

Qvæstio I.

E

Prophetа autem qui hic dicitur, malus est, vt patet ex fine, quia ad malum incitat, & ista prophetia est prophetia impropriè dicta, quia omnis prophetia Spiritu sancto dictante fit, vt patet 2. Petr. c. 1. sed ista non est à Deo, vt communiter, potest tamen ista prophetia esse à Deo ad aliquod bonum, & ille qui suscipit eam, ex malitia sua conuertit ad malum, vt Balaam qui à Deo reuelationes recipiebat, sed per eas contra Dei voluntatem facere nitebatur volendo maledicere Iudæis, vt patet Numer. 22. & 23. & 24. cap. sic etiam de Caipha, qui à Spiritu sancto locutus est, vt patet Ioan. 11. cap. sed verba illa ad malum intellectum retorsit, & Deus permittit istum deprauare verba sua ad tentandum gentem illam, vt patet infrà. sicut hæreticos in Ecclesia permisit ad confirmandum sacram Scripturam, & vt nos cautiores redderet, & multæ veritates notę fierent: si enim hęretici non fuissent, tanta claritas non fuisset, & sapientia in Ecclesiasticis doctoribus, quia otium ingenia eneruaret, magni autem labores magna ingenia acuunt. Poterat etiam ista prophetia à Deo esse mediatè, ita quòd aliquis verus Propheta audiret aliquid à Domino: deinde falsus Propheta audiens à vero Propheta antequam alijs notum fieret, publicaret: & tunc adiungeret, quòd irent ad colendos deos alienos. Potest iste Propheta à dæmone reuelationem recipere, & hoc dupliciter, quia aut dæmon istam cognitionem habuit diuina reuelatione, vel angelica, qua sæpè multa dæmonibus reuelantur, vt profuit membris Christi saltem indirectè, & tunc est vera Prophetia, qa est de supernaturaliter cognitis: aut illa sunt cognita à dęmone solo lumine naturali, vel per temporũ experientias, & tũc non est verè prophetia, quia ista naturaliter cognosci potuerunt: sic aliquãdo dæmon pdicit futuras bellicas clades, & locorum destructiones, quia aliquid intellexit ex motu cœli: aliquid autem ex his quæ homines moliuntur, sed nondum ad publicum prodierunt, quę tamen ipse quibusdam signis cognoscit, sicut ait beatus Antonius corrigens monachos suos contra dæmonum astutias, & habetur in vitis Patrum. Quandoque dæmones aliquos de longinquo venientes cognoscunt, & in alijs remotis locis prædicunt eos tali die ad locum illum venturos, quasi res antequam fiant cognouerint. Quandoq; ex re inchoata finem operis coniecturãt, sic si viderint magnas pluuias in Æthiopia esse, denunciat in Ægypto Nili magnam inundationem futuram, quia Nilus de Æthiopia per Ægyptum transit. hoc autem non ex aliqua diuina cognitione, sed ex naturæ agilitate prędicit, quia subito quæ in diuersis terrarum partibus fiunt, considerare potest. Contingit tamen, quòd aliquando in his fallatur, quia causas ex quibus futura prænosticauerat, Deus aliorsum vertit, & sic dæmonum falsitas demõstratur. Potest etiam aliquis homo per considerationem cursus astrorum aliqua futura perscrutari in tali certitudine, qualem Deus, & natura permittunt, & licèt Propheta non sit, videtur tamẽ alijs Propheta, quia futura cognoscere solius Dei esse putant, non refert

F

quo-

A

quocunque modo horum cognoscat, dum tamen dicto suo malum finem non adiungat.

Si surrexerit in medio tui Prophetes. Id est, de populo tuo, quia si aliquis gētilis aliqua futura eis prædiceret, semper putarēt eum à dæmone suscepisse, quanto magis adiungendo talem finem, quia semper suspectus esset, ideo siue bonum, siue malum diceret, non crederent ei.

Prophetæ, & videns somniū differunt.

Aut qui somnium se vidisse dicat. Distinguit hic inter Prophetam, & videntem somnium: Prophetæ enim habent duos gradus, quia aliqui à Deo reuelationem recipiunt in vigilia, aliqui in somnio, vt patet Num. 12. cap. & in istis reuelatio in vigilia clarior, & maior est, ideo hic vocatur solùm Propheta qui aliquid vigilans vidit, vel audiuit à Deo: qui autem per somnium non vocatur Propheta. In hoc autem nō multum refert, quia siue aliquis audiat in vigilādo, & videat, siue hoc in dormiendo patiatur, si tamen intelligit id, quod repræsentatur, & scit, quod à Deo fuit, ea quę videt aut audit, Propheta est: & patet, quia cognitio causata in nobis de his, quæ naturaliter cognosci non possunt, sed supernaturaliter cognosci non possunt, sed supernaturaliter eleuamur Prophetica est. Primò dicebatur, quod videns aliquid aut audiens, videat quod dicitur aut repręsentatur intelligens illud, vt patet Daniel. 10. cap. cùm dicitur intelligentia opus est in prophetia, siue in visione, ideo licèt Pharao viderit septem spicas, & septem vaccas pingues, & totidem spicas percussas vento vrente, & vaccas macilentas, vt patet Gen. 41. cap. & Nabuchodonosor qui in somnijs vidit statuam auream, argenteam, æreā, ferream atque fictilem, vt patet Dani. 2. c. & de alio somnio, scilicet de arbore magna in qua habitabant omnes aues, & sub ea conuersabantur omnes bestiæ terræ: nam hoc somnium non intellexit, ideo quæsiuit à Daniele, vt patet Dani. 4. c. idem patet de Balthasar qui vidit tres digitos scribentes in pariete, & literam legere nesciuit, nec interpretationem eius inuestigare, vt patet Dani. 5. c. secundum est, quod ipse q est Propheta, quantū ad somnia cognoscat illa somnia à Deo venisse: nam dato, quòd aliquis videat aliquod somnium, cuius interpretationem cognoscat, quia naturalem causam habeat, fortè non vocatur Propheta, sed naturalis inquisitor: nam sicut ipsum somnium causam à natura habet, ita & cognitio sua radicem naturaliter habet suæ cognitionis, quia sicut se habent res ad esse, ita se habent ad cognosci. Prophetæ autem solùm vocantur illi, qui diuina gratia veritatem aliquam supernaturalem, aut supernaturaliter cognoscunt, in his aūt quæ per nosipsos speculando, aut dæmonū perspicacitate cognoscimus, licèt omnibus alijs occulta sint, Prophetæ dici non possumus: nā sicut nos naturaliter cognoscimus, ita & dæmones naturaliter solùm cognoscunt, cū nihil nunc in verbo cognoscant, sicut ipsi Angeli beati, sunt tamen acutiores dæmones in naturali cognitione quàm nos, quia dæmones omnia quæ naturalia sunt, cognoscunt, cùm intellectus eius sit superior naturaliter ipsis rebus naturalibus, & nō est in potentia ad illa, sed est in actu illorum, sicut nos in actu principiorum, & adhuc perfectiùs ipsi cognoscunt, & magis sine discursu ipsas naturales conclusiones quàm nos naturæ principia, de his autem Exod. 23. c. dictum fuit, quando ergo dicitur hic, quod aliquis dicit se vidisse somniū, nō est sensus quòd dicat se solùm somniasse aliquid, & cognoscere interpretationē eius, quia ex hoc nō est immediatè Propheta, nec propter hoc iudicatur esse Propheta, sed iste debebat dicere se vidisse somnium, id est, quod Deus ostenderat ei aliquam visionem in somnijs, & quod declarauit ei, quæ signabat illa visio, tunc enim Propheta dici poterat, & habebant locū ea quæ in hoc c. continentur, quia poterat esse verus Propheta, vel fallere populum inducēdo ad idololatriā, vel alia mala.

Dæmones sūt nobis acutiores in naturali cognitiōe

C

Et prædixerit signum. Id est, aliquod futurum quod signet eum verum dicere, vel à Deo dicere, & illud non sit valdè mirabile, quia non prædicitur magnum bonum, vel magnum malum.

Atque portentum. Id est, magnum mirabile, vel siguum est est aliquid quod citò venit, vel immediatè monstratur, & dicitur signum, id est, argumentum demonstrās veritatem dicti, sic cōuersio virgæ in colubrū vocatur propriè signum, qa dictis verbis p Aarō immediatè fecit illud, vt veritas verborū demonstraret, portenta vocant quę post futura prędicuntur, & dicunt portenta quasi procul tendētia, i. de procul futura.

Et euenerit quod locutus est. Quasi dicat, antequàm eueniat quod prædictum est, nullam certitudinis constantiam habet dictum Prophetæ illius, sed si eueniat tunc aliqualiter mouere posset audientes, & tamē vtrum dicto eius credant, vel nō credant ex his quæ post adiunget, demonstrabitur. Nam si aliquid dixerit, & ad confirmationem illius aliquod signum futurum, vel portentum prædixerit, & euenerit signum vel portentum, & posteà subiunxerit aliquod malum ex hoc malo quod subiunxit, patet, quòd ille malus Propheta sit, quia impossibile est, quòd Deus mandet nobis colere deos alienos, cùm ipse hoc maximè detestetur, & zelet. Alia autem quæ iste Propheta dixit, & fecit, vt quædam tentatio à Deo missa fuerunt, ideo tali Prophetæ quantumcunque vera dicat, si talia mala subiungat assentiendum nō est, cùm constet hoc malum esse super omnem veritatem, si autem his factis, & dictis bonum aliquod subiunxerit, quòd legi congruat, credendum est bonum esse talem Prophetam, & à Deo missum, & tanquàm veritatem dicenti assentiendum est ei. *Et dixerit tibi, eamus, & sequamur deos alienos.* Scilicet dimittendo cultum veri Dei. *Quos ignoras.* Scilicet esse deos, quia non demonstrauerunt tibi per magna signa potentiæ diuinæ, quod dij sunt, sicut ego tibi demonstraui, ideo me Deum esse cognoscis. *Non audies verba Prophetæ illius.* Quia quæcunque signa faciat, satis constat, quòd à dæmone loquatur, quia impossibile est tolaliter, quòd Deus mandet dimitti cultum suū, & coli dæmones, & alias creaturas: iudicabitur ergo, quod illud signum à dæmone, & non à Deo factum est, quia Deus non est confirmator falsitatis. Potest tamē contingere, quòd Propheta falsum dicat, & quòd Deus miraculum faciat ad petitionem illius Prophetæ, sed in hoc distinguendum est, quia aut Propheta dixit aliquod verum admiscendo falsitatem, aut puram falsitatem dicit.

D

Notiò mali Prophetæ.

E

Deus non est falsitatis confirmator.

Si autem puram falsitatem dicat, impossibile est Deum illam falsitatem per miraculum confirmare: non quidem quia Deus impotens sit facere miraculum quandocunque voluerit, sed quia fidelis est, & veritas est, & seipsum negare nō potest, vt patet 2. Timoth. 2. cap. si autem veritatem falsitati admixtam dicit, distinguendum: quia aut veritatem & falsitatem simul dicit ante operationem signi vel portēti: Aut primò dicit veritatem puram, deinde operatur miraculum, & post coniungit falsitatem.

Si primo modo, impossibile est, quod Deus ad confirmationem veri & falsi coniunctorum mirabile operetur, quia seipsum negaret, ac si solum vel purum falsum confirmaret, quia admixtio veri & falsi est quædam copulatiua quæ ad falsitatem vnius partis tota falsa est. Item sequeretur absurdissimum, scilicet quòd non esset certum vtrum omnia, quæ Christus dixit, vera essent, cùm ipse miraculis diuinis confirmauerit, si miraculum vel signum à Deo verum & falsum simul confirmare posset: quia cùm nos contra infideles sic arguamus, Christus ad confirmationem legis Euāgelicæ signa fecit, quæ à solō Deo fieri possunt, ergo vera est, negaretur enim consequentia.

F

Et responderetur quod aliquando Deus per miraculum verum & falsum coniunctum confirmat. Si autem accipiatur secundum, scilicet quòd prius Propheta dicat puram veritatem, deinde operetur miraculum, post admiscat falsum, vt si diceret aliquis Propheta, quòd Deus iudicaturus esset in fine seculi omnes homines, deinde miraculo comprobaret, post diceret. Nunc ergo mandat vobis Deus, quòd eatis ad colendum idola, & hoc modo Propheta falsum dicens miraculum demōstrare potest, nec potest dici ex hoc, quod Deus falsitatem affirmat, quia miraculum solum respicit præcedentia immediatè, & non subsequentia: quia si diceremus, quòd facto signo semper veritas sequeretur, daremus quòd ille Propheta nunquàm ampliùs mentiri, vel errare posset: sed hoc falsum est, & non est maior ratio, quòd Propheta mentiri posset magno tempore post signum factum quàm immediatè, cùm signum solùm ad præcedentia referatur: si autem dicatur aliter, quòd Propheta diceret aliquibus sic, Deus demonstrabit vobis nunc tale miraculum, vt credatis eis quæ dicam vobis, oportebit quòd miraculum ad futura respiciat: respondetur quod prophetiæ nunquàm consueuerunt sic fieri, sed quòd verba proponantur, & miraculum subsequatur, quia certior modus est iste audientibus quàm

alius. Si autem talis modus prophetiæ daretur, tunc dico, quod illud ſignum erat confirmatiuum illorum verborum, quæ immediatè Propheta ille diceret, & non omnium quæ diceret in tota vita, & tunc non poſſet ille Propheta dicere, niſi verum, quia Deus non permitteret eum dicere niſi verum, ne ſignum ſuum falſum eſſet: & ſic habetur de Balaam, cui Deus reuelabat, quod populo Iſraelitico benediceret: ipſe autem conabatur ſi quo modo poſſet maledicere, vt patet Nume. 23. cap. & 24. ideo dixit non poſſum aliud bonum, vel malum dicere, niſi quòd Domious poſuerit in ore meo: ſi autem daremus ſaltem per impoſſibile, quòd ille Propheta falſitatem diceret, & videretur facere aliqua ſigna quæ ſolus Deus facere poſſet, negandum eſſet, quod aliquid faciebat, ſed diceremus quòd maleficijs aſpicientium oculos ludificaret, ſicut patet de Antichriſto qui falſiſſima contra Catholicam fidem proferet, & videbitur confirmare illa per miracula, quæ ſolus Deus facere poteſt, vt mortuos ſuſcitare, & ſimilia, quæ omnia falſa erunt, & per ſolam ludificationem ſenſuum procedent, vt ait Apoſtolus 2. Theſſ. cap. 2. cuius aduentus erit ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute, ſignis, & prodigijs mendacibus, de his aliqualiter dictum fuit ſuprà 4. cap. *Quia tentat vos Deus veſter.* Id eſt, permittit talia circa vos fieri, vt per tentationes virtus appareat, quia virtus in infirmitate probatur, 2. Corinth.

Aduentus Antichriſti qualis erit.

An Deus tentet homines, vt litera ſonare videtur, & quomodo intelligitur dictum Iacobi, quod Deus intentator malorum eſt.

QVÆSTIO II.

ALIQVIS arguet contra hoc, quia dicitur quod Deus tentat homines, nam Iacobi primo dicitur, nemo cùm tentatur dicat, quod à Deo tentatur, ipſe enim neminem tentat. Deus enim malorum intentator non eſt: vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.

Reſpondetur, quòd tentatio dicitur dupliciter, quædam eſt tentatio Dei, quædam verò hominum, id eſt, quædã tentatio eſt contra Deum, quædam contra homines, tentatio contra Deum dicitur velle accipere experientiam circa aliquam rem quid Deus faciet in illa, vt ſi quiſquam voluntariè exponat ſe periculo rogans, vt Deus liberet illum, & ideo ſe exponit, vt videat vtrum Deus liberabit eum, & ſic quomodocunq; quiſpiam vult accipere experientiam de aliquo pertinente ad voluntatem diuinam vel potentiam, ſcilicet volẽs ſcire vtrum Deus talem rem poſſit, & quomodo poſſit, & an velit eam facere, tentat Deum: quia quærit experientiam de eo, de quo certus eſſe debebat, & repugnat tentatio Dei fidei exiſtens quædam ſpecies infidelitatis: nam de eo quod quiſq; pro certiſſimo tenet, experientiam capere non deſiderat, de hac tentatione diximus, Exod. 16. & 17. cap.

Tẽtatio contra hominem eſt triplex.

Alia eſt tentatio contra hominem, & iſta eſt triplex, quædã eſt quæ nihil aliud eſt, quàm inſtigatio aut promotio hominis ad malum: alia eſt quæ eſt deiectio hominis directè in ſolam pœnam. Alia eſt quæ eſt eleuatio hominis ad maiorem excellentiam. Prima eſt tam in bonis quàm in malis. Secunda etiam in eiſdem. Tertia in ſolis bonis.

1 Tentatio.

Primo modo dicitur tentatio qua aliquis allicitur directè ad malum, vt quòd quis ad actum venereum inſtigetur, vel quòd quis ad iram vel ad furtum, quia iſta directè mala ſunt, & tẽtatio iſto primo modo eſt à nobis à principio intrinſeco, ſcilicet quia in nobis ſunt paſſiones ad libidinem, & iram, & furtum, & de hac loquitur directè Iacobus in auctoritate allegata, quod patet applicãdo eam, nemo cùm tentatur, id eſt cùm tentatur, vel inſtigatur ad libidinem, vel iram, & ſimilia quæ mala ſunt, dicat quod à Deo tentatur, id eſt, quod Deus dat ei illud deſiderium, vel inſtigationem ad illud directè malum, & ſubdit ibi litera immediatè cauſam, quare nullus debet dicere ſe tentari à Deo, ſcilicet, Deus enim malorum intentator non eſt, id eſt, Deus nunquàm tentat hominem dando vel cauſando in eo deſiderium ad mala, & iſtæ tentationes quas patimur, ſunt quædam deſideria incitantia ad malum, ergo non debetis dicere, quòd Deus tentat vos, quòd autem ſic intelligi debeat, patet: quia iſta litera ſolùm debet habere duos ſenſus, ſcilicet, Deus intentator malorum non eſt, id eſt, Deus non tentat homines malos, vel Deus nõ tentat homines incitando eos ad malorum deſiderium. Primus ſenſus ſtare non poteſt, quia ſi accipiatur tentatio non pro ea quæ eſt ad peccatum, ſed pro pœna inflicta non ſolùm irrogatur bonis, ſed etiam malis: imò malis magis ſupplicium irrogat quàm bonis: neceſſariò ergo manet alius ſenſus, ſcilicet quòd accipiatur pro deſiderio rerum malarum, ſcilicet, quòd Deus malorum intentator non eſt, id eſt, quod Deus non tentat nos inſtigando, vel inclinando nos ad mala. Et patet, quòd iſta litera non recipiat, niſi duos iſtos ſenſus: quia fundatur tota iſta ſententia ſuper illum genitiuum malorum, & ille genitiuus ſolùm poteſt ſignare duo: quia aut ſtat in maſculis genere, & tunc ſignat malos homines, & ſic ſtat primus ſenſus, ſcil. quod Deus non eſt tentator malorum, id eſt, non tentat malos homines Deus, & iſte ſenſus improbatus non eſt: aut ſtat iſte genitiuus malorum neutro genere, & tunc ſignat res malas, ſicut nomen ſubſtantiuum, & ſic ſtat ſecundus ſenſus, ſcilicet quod Deus non eſt tentator malorum, id eſt, ad malas res: nam non poteſt exponi, quod Deus non eſt tentator malorum, id eſt, malarũ rerum, ſcilicet quod Deus non tentat malas res, quia cùm impoſſibile ſit ipſas res tentari, non dicetur, quod Deus non tentat malas res, quia ſuperfluum eſſet dicere, ſicut ſi diceretur Deus non comedit lapides: neceſſe eſt ergo illam manere ſententiam.

Confirmatur etiam hoc clariſſimè ex ipſa litera Iacobi ſubſequenti, ipſe enim, id eſt, Deus neminem tentat, ſcilicet illiciendo ad mala deſideria, quod ſic intelligendum neceſſariò eſt, quia ſi loquamur de omni tentatione, falſum erit ſatis manifeſtè, cùm ſæpè in ſacra ſcriptura reperiamus, quòd Deus multoties tentauerit homines, & declarat cum ſubdit, vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: ecce qualiter concupiſcentiam noſtram dixit eſſe tentatricem noſtri, & non Deum, & ſic declarauit ſe intellexiſſe de tentatione, quæ eſt inſtigatio ad malum actum: nam actus iſti ad quos inclinant paſſiones mali ſunt, quando nos eos tentationes vocamus: iſtę autem tentationes ſemper ſunt à nobis, quia concupiſcentia quæ eſt principium intrinſecum nos allicit ad hoc & abſtrahit à iudicio rationis, ſicut ipſe Iacob. dixit, nec tamen tollitur ex hoc quin & ipſum exterius obiectum tentet, cùm ſit apprehenſum ſub ratione pulchri & boni, atque conferentis nobis: nam tentatio iſto modo dicitur inſtigatio ad malum, ſed ipſum obiectum quod exterius eſt inſtigat nos aliqualiter, ergo, & ſic ſi quis videat pulchritudinem, allicitur ad actus venereos: ſi viderit cibos benè conditos, allicitur ad ſumendum eos qualitercunque, ſed non computat Iacobus ipſum obiectum exterius tanquàm tentans: quia illud nihil agit, niſi in virtute principij inclinati, ſi enim paſſiones quæ ſunt primum intrinſecum adſunt, & obiectum aliqualiter moueat, faciliùs celebrabitur actus: ſi tamen obiectum prius ſit, & ſecundùm totam ſuam virtutem moueat, paſſionibus non exiſtentibus, vel confractis: non fiet motus, nec tentatio: ſic patet de perfectè habituatis circa temperantiam, ſiue in tactu, ſiue in guſtu: nam cùm habitus perfectus ſit, neceſſe eſt paſſiones eſſe domitas, vel expulſas, & quòd per habitum quaſi naturaliter inclinemur, cùm habitus ſit ex conſuetudine, & conſuetudo ſit altera natura, vt patet per Ariſto. in 7. Ethico. & tunc licèt talibus viris apponantur obiecta pulchra fruibilia ſecundùm tactum, aut delectabilia ſecundùm guſtum: tamen non mouebuntur deficiente ipſa paſſione, nam motus paſſionis eſt magis neceſſarius, & fortior, quàm motus obiecti, cùm ipſa paſſio moueat ab intrinſeco: obiectum verò ab extra mouet, quæ autem intrinſecùs ſunt, fortiora ſunt: mouet autem bonum vel pulchrum extra apprehenſum in ratione amati, & deſiderati: mouet autem paſſio in ratione amantis & deſiderantis: mouet etiam bonum extrinſecum in ratione obiecti & finis: mouet autem paſſio in ratione principij efficientis: motus ergo paſſionis fortior eſt quàm motus obiecti, quia motus finis eſt intentionalis: motus autem efficientis principij eſt realis: eſt ergo obiectum, vt adiuuans, ſed non vt perfectè mouens, licèt ab ipſo principio motus ſit: eſt autem paſſio ipſum motum cauſans, ideo licèt obiectum prius interdum ad tentationem adiuuet, paſſio tamen eſt ipſa quæ tentat. Et iſto modo loquendo manifeſtiſſimum

Motus paſſionis fortior eſt motu obiecti.

eſt,

A

est,quod dicebat Iacobus,scilicet quòd Deus tentator malorum non est, & ipse neminem tentat, quia licet reperiamus, quòd Deus alicui pœnas inflixerit, nunquàm tamen legit nec poterit reperiri,quòd aliquem virum incitauerit ad fornicandum, dando ei desiderium venereum, vel dando alia desideria turpia,quæ necessariò ad malũ sunt eo modo, quo nos vocamus illa passiones,sicut proprius tentationes.

2.Tentatio.

Secunda tentatio est, quæ est deiectio hominis directè in solam pœnam, licèt indirectè, & secundùm quod tentatio est,est occasio ad culpam, & isto modo omnes pœnarum inflictiones sunt tentationes, quia licèt pœnæ secundùm se nõ sint malum culpæ,sed potiùs sanatiua culpæ, vt ait Aristoteles in 2.Ethic.dicens pœnas esse medicinas quasdam interiorum,tamen sunt hominibus occasio malum faciendi, vtpotè,quia aliquis propter pœnas,quas sustinet,peccata commit tit,vt pœnas illas euadat, sicut cùm quis videns sibi mala imminere,& actualiter infligi, nisi Christum neganerit,dimittit fidem Christi,vt pœnas non subeat, vel quas sustinet euadat,& si non infligerentur ei istæ pœnæ, non negaret fidem Christi:fuerunt ergo ei istæ pœnæ occasio culpæ,&sic si quispiam à proximo suo mala sustineat,prouocatur ad odium,& maledictiones quæ mortalia peccata sunt: istæ tamen pœnæ interdum infliguntur ab eo, à quo infliguntur ad hoc, quòd is cui infliguntur per eas in mortalia peccata prolabatur: & isto modo Deus nunquàm tentat quemquam, quia Deus malorum tentator non est, id est, nunquàm hominem tentat irrogando aliquid,vt malè agat: nam hoc iniustissimum est,quod de Deo concedere, aut cogitare nefas est: coincidit autem iste modus cum primo,scilicet, quia sicut concupiscentiæ secundùm se inclinant ad talem actum, quæ secundùm se malus est, ita qui sic infligunt pœnas ad hoc infligunt, vt per eas homines agant id quod malum est, sed in hoc solo differentia est, quia concupiscentiæ ab intrinseco sunt:pœnę autem ab extrinseco,& iste modus tentandi conuenit dæmonibus, qui inuident charitati nostræ, nec alium vnquàm tentandi modum tentent:& hoc modo Sathan percussit omnia bona Iob permittente Deo, & nouissimè corpus eius, vt eum ad peccandum induceret, de quo Iob primo, & secundo cap. conuenit autem interdum iste modus hominibus, qui ex sola inuidentia charitatis fraternæ perturbãt eos,vt in mortalia prolabi faciant, quod quidem immanissimum scelus est,& est in Spiritum sanctum:nam nihil iam malitiæ supereſt, cùm quis charitati proximi sui tantum inuidet, cùm ex solo desiderio destruendi charitatem eius eum frequentibus lacessit iniurijs, atque contumelijs afficit:talis autem pœnarum inflictio rectissimè tentatio dicitur,aliquando autem pœnæ nobis infliguntur, & nobis malorum occasio sunt: & tamen non infliguntur ab his, à quibus infliguntur, vt peccatorum occasiones sunt, sed ex alia causa. Et tunc est differentia in illatione harum pœnarum ad hoc, quòd tentationes sint: nam quædã iustè infliguntur, quædam verò nequiter:secundum autem quod pœnę iustiùs infliguntur, minus habent de ratione tentationis: cùm autem magis iniustè, magis tentationis naturam habent, cùm maiorem ad malè agendum occasionem præstent, quia cùm homines pœnas iniustè patiuntur,magnus dolor eis est:cùm verò iustè inferuntur æquanimius tolerant, iuxta illud poëticum.

B

Quis modus tentandi cõuenit dæmonib

C

Pœnas qui patitur quas non tolerare meretur.
Tristior efficitur quàm si meritò pateretur.

Cũ magis irrigandio gs debet tolerare pœnas cũ iniustè patitur q̃ cũ iustè.

Licèt è contrario esse deberet: quia cùm maiori gaudio deberet aliquis tolerare cùm iniustè patitur, quàm cùm iustè punitur: quia maiori honore dignus est, qui iniustè patitur, quàm qui iustè. Sic enim clamauit Socra. cùm Athenienses eum veneno necare publicè vellent, & hoc vxor eius cognosceret plorans clamauit, ô Domine mi, qui innocens moreris:ad quam Socra.tace,inquit,quoniam meliùs innocentem quàm nocentem mori:cùm ergo alicui pœnę iustè infliguntur,licèt aliquis ex illis ad malum moueri possit, tamen non consueuerunt vocari tentationes, quia non mouetur aliquis rationabiliter ex talibus pœnis, cùm promeruerit eas. Et si iste modus pœnarum inflictarum vocetur tentatio, dicemus quòd Deus tentat nos, quia interdum per seipsum nobis pœnas infligit in punitionem scelerum nostrorum, vt patet Leuit.26. & Deuteronom.28. & per totam scripturam sacram: etiam dicemus, quod iusti iudices tentant nos, quia pœnas nobis iustè infligunt, per quas induci possumus ad malum, sed quia iustè infliguntur non debent cessare iudices ab inferendis eis, etiam si aliquod malum ipsi patienti sequeretur, vtpotè si diceret punitus se desperaturum, nisi pœnæ illæ remitterentur,ei non deberent remitti, si talia crimina egisset, in quibus lex imponeret pœnam mortis, quia aliàs destrueretur totus ordo politicus, qui præferendus est bono vnius hominis,etiam spirituali: nam iudices hoc quod regunt,curare debent, quòd autem aliquis desperet, quia infliguntur ei iustæ pœnæ,à malitia eius est, cui non potest imponere legem,aut remedium ipse iudex, cùm pertineat ad aliud superius principium, scilicet ad Deum qui gratiam apponit, vel non apponit:ideo iudex faciendo quod lex mandat, ampliùs curare non debet siue bonum,siue malum sequatur. Quando autem pœnæ iniustè irrogantur quantum ad eum qui irrogat,habet maiorem rationem tentationis, & qui sic irrogat,non solùm peccat, quia malè agit, sed etiam quia mali occasio est, & hoc modo nunquàm Deus tentat hominem, quia ipse nihil iniustè agit,permittit tamen nos illa pati,quia licèt ipse qui agit, iniustè agit, tamen ipse qui patitur, iniustè non patitur,sed valdè iustè:nam si iustè nõ pateretur, impossibile erat Deum permittere talia pati, quia tunc cessaret iustitia prouidentiæ: quicquid enim Deus permittit, iustè permittit.

D

E

Et si dicas quare ergo permittit, quòd ille qui agit, agat iniusta? Respondetur,quòd Deus non permittit illum agere iniusta, quia id quod ipse agit iustum sit, cùm inferat pœnas tali homini, cui Deus inferendas esse iudicauit: agit tamen mala voluntate, cùm non agat propter quod debet, aut qualiter debet, & sic de cæteris circumstantijs: hoc autem non potest Deus consentire, vel dissentire: quia agere mala voluntate,vel qualiter non oportet, non est aliquid positiuum, circa quod Deus habeat causalitatem iustam vel iniustam, cùm causalitas solùm sit ad ens, vt declarauimus de hoc magis Exodi 23.cap. in ista tamen tentatione quæ est per irrogationem pœnarum circa eundem actum numero, possunt esse plures radices maioris aut minoris tentationis, vtpotè si dæmon alicui homini suggerat percutere alterum: hic dæmon suggerit, homo percutit, Deus permittit: dæmon autem solùm suggerit, vt iste qui percutit percutiendo malè agat, & qui percutitur patiendo charitatem perdat saltem affectus tædio, aut iniurijs lacessitus: homo qui percutit,ideo percutit, vt vlciscatur de vera iniuria, aut extimata: Deus qui idem permittit, ideo permittit, vt qui percutitur, corrigatur, vel saltem malum culpæ per ordinem pœnæ dirigatur, & hoc modo summa prouidentia res nostras omnes in bonum dirigit, nec tanta mala nos agere possumus, quanta ipse potest in bonum ordinare, cùm sit proprium diuinitati ex malis ipsis bona elicere, vt declarat Boet.de consol.lib.4.prosa 6. & hoc modo tota rerum vniuersitas in perfectissimo ordine perseuerat, cùm per illam summam potentiam,id quod malum creditur,in bonum dirigitur, atque ita bona sunt cuncta quæ sunt.

F

3 Tentatio.

Accipitur tertio modo tentatio prout est pœnæ inflictio, quæ est directè inflicta ad maiorem excellentiam,& hęc propriè ad Deum pertinet, qui nobis sæpè angustias præparat, vt ad maiora bona eleuet: & sic dicitur quod tentauit Deus Abraham, vt patet Genes.vigesimo secundo cap. scilicet, vt virtutem eius perfectiorem redderet per obedientiã duram, & eum cunctis gentibus notum faceret, virum esse notabilẽ, & sic dicitur sæpè in sacris scripturis, quòd tẽtauit eos Deus, & inuenit dignos se, & quòd tãquàm aurum in fornace probauit electos Dominus. Differt autem iste tertius modus tentationis à superiori,quia pœnæ quæ infliguntur modo superiori,à Deo non infliguntur ad tentandum, licèt per accidens sint tentationes, sed infligebantur ad puniendum mala facta,etiam ea quæ ab hominibus nobis infliguntur. Deus in pœnam malorum directè cuenire permittit. Mala autem quæ infliguntur nobis tertio modo,ideo infliguntur,vt meliores efficiamur,& non directè in pœnam alicuius mali præteriti, sicut dolor ille quem sustinuit Abraham, & angustia triduana quando obediuit immolare filium suum, & vsque ad tertium diem ambulauit cum eo, quando vidit montem, in quo eum immolaturus erat, vt patet Genes.22. cap. in his

A autem tribus diebus compassione vnigeniti sui charissimi, quem illicò occisurus erat, quantam angustiam pius ille pater Abraham tolerauit, vix intellectu concipi potest, sed hæc angustia non ei directè in pœnam alicuius peccati data est, sed dubium non sit eum in aliquo peccato tantã apud Deum angustiam meruisse, sed ad augmẽtum virtutis, & famę promulgationem: nam sic dixit text⁹, quòd tentauit Deus Abraham, & non dixit puniuit, quasi pro aliquo reatu talis irrogaretur angustia. Nunc autem cùm dicitur tentat vos Deus, nõ potest intelligi, quod ista tentatio pertineat ad primum modum: nam Deus malorum intentator non est: id est, non tentat aliquem, vt malè operetur. Et si arguas contra, quia iste Propheta malus malè suadet, scilicet vt dimittant Deum suum, & sequantur deos alienos.

Ad hoc respondetur, quod ista tentatio potest pertinere ad primum, vel secundum modum, prout quędam pœnę inflictio, & non potest accipi, quod ipsa dcitur esse à Deo tanquàm volente nobis tales irrogare occasiones, vt deficiamus à charitate eius. Pro quo distinguendum, quia quando aliquis Propheta sic mendax veniret, & faceret signa, aut portenta secundùm eum, qui supra declaratus est modum, aut populus peccauerat grauiter contra Deum, aut manebat in cultu Dei: si autem populus manebat in cultu Dei, & gratus erat illi, ista tentatio pertinebat ad tertium modum, scilicet, quod Deus faciebat, vt virtus populi maior esset, qui talibus tentationibus restitisset, sicut angustia inflicta Abrahæ, cùm mandatum fuit ei, quòd immolaret filium, erat ad virtutem eius augmentandam, quia talis erat Abraham, vt non esset tunc in aliquo graui peccato, pro quo specialiter talẽ angustiam meruisset, licèt considerando generaliter satis Abraham illam pœnam mereretur ex alijs negligentijs, vel peccatis, & tunc est sensus.

B *Tentat vos Deus vester, vt palàm fiat vtrum diligatis eum, an non.* Id est, istud malum & occasio peccandi, quod illatum est: ideo Deus vester permisit, vt vobis eueniret, vt sic manifestaretur magis virtus vestra, scilicet quòd amor vester ad eum esset cognitus, & maior efficeretur resistendo aduersitati: si autem Israelitæ grauiter peccauissent contra Deum, quando ista egissent contra eos falsi Prophetæ, pertinebat ista tentatio ad secundum modum tentationis, scilicet, quod sicut in vindictam delictorum Deus eis pœnas alias immissurus erat, vt famem, hostem, & pestem, morbos, & similia: ita permittebat in eos occasionem malè agendi dari, quia vt declarauimus latè, Exodi 4 & 9. cùm diximus de modo, & causa obdurationis: Deus dat pœnam hominibus pro peccatis, & quanto maius peccatum est, tanto pœna maior est, & si peccatum maximum, & pœna erit maxima. Inter pœnas autem est differentia secundùm magnitudinem: nam sicut quodlibet peccatum quantumcunque paruum habet magis de ratione mali quàm pœna quantacunque sit, eo quod pœna est mala secundùm quid, peccatum autem est malum per se: ita quantumcunque aliqua pœna magis accedit ad rationem, vel conditionem peccati, tanto peior: & quia pœna corporalis nihil habet secundùm se de culpa, vel de inclinatiuo ad culpam, si detur aliqua pœna quæ directè sit occasio culpæ, licet ipse qui infligit, non infligat eam, vt sit occasio ad culpam, illa peior erit quàm quæcunque pœna corporalis, & sic cùm induratio sit id, quod magis attendit ad conditionem pecati inter cætera, quæ peccatũ non sunt, nulla pœna est maior inter eas quas Deus viuentibus dat. Sic ergo occasio quælibet alia ad peccandum licèt non sit obstinatio, quia magis habet de ratione culpæ, quàm pœna quælibet corporalis, potest dari pro peccato, & non pro quolibet datur, sed pro magno, & hoc modo cùm Iudæi infregissent pactum Domini non confringentes aras gentilium, & inientes cum eis fœdera, Deus dedit eis in pœnam, quòd haberent occasionem ad peccandum, vt patet Iudi. 2. cap. cùm dicitur. Angelus Domini ascendit de Galgala ad locum flentium, & ait: eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum ne facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius in sempiternum, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocem meam, quare hæc fecistis? quamobrem nolui delere eas à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam: ecce qualiter pro pœna peccati dedit eis occasionem peccandi, non quidem quòd ideo ipse daret, vt peccarent, sed dedit in pœnam, per quod ipsi verè inclinarentur ad peccandum, & tunc est sensus literæ huius.

Tentat vos Dominus Deus vester. Id est, quia peccastis contra eum tentat vos, id est, permittit vos tentari: omnia namque quæ Deus permittit ipse facere dicitur, & cùm ipse permittebat, quòd talis malus Propheta ad vos veniat ita fallens, dicitur tentare vos, & sic dicitur de omnibus alijs malis, quòd ipse agat, quia nullum malum infligitur, quòd ipse non permittat: ideo omnia illa facere dicitur, vt patet Amos 3. c. cùm dicitur, si erit malum in ciuitate, & Dominus nõ faciet, quasi dicat non: ita namq; intelligi debet, vt patet ex his, quæ procedunt in litera eiusdem Prophetæ. *An diligatis eum an non.* Id est, sic notum fiet vtrum diligatis eum, an non, cùm vobis talis euenerit aduersitas.

Sed adhuc argues, quòd non posset hoc intelligi de tentatione secũdo modo dicta, sed necessariò de tentatione tertio modo dicta: quia hic dicitur, quod tentat Deus istos, vt notum fiat vtrum eum diligant, an nõ: ergo solùm fit ad demonstrandum vtrum Deum diligant, & non fit ad infligendũ eis pœnas pro aliquo peccato, quod pertinebat ad secundum modum: velle autem demonstrare vtrum aliquis Deum diligat, nõ fit ad infligendum eis pœnas pro aliquo peccato, quod pertinebat ad secundum modum: velle autem demonstrare vtrum aliquis Deum diligat, vel non diligat, ad tertium modum pertinet. E

Respondetur, quòd si solùm fieret talis pœnarum inflictio, vel talis permissio Dei, vt innotesceret vtrum diligerent vel non diligerent Deum Israelitæ, pertineret ad tertium modum tentationis, si verò notent consecutionem pertinet ad secundum modum, scilicet quòd nõ dicatur, quod ideo tentat Deus, vt notum fiat vtrum diligant eum, vel non: sed quod Deus tentat illos immittendo eis pœnas pro malis factis, & per illas pœnas illatas notum fiet vtrum eum diligant, vel non: similis modus loquendi habetur Iudi. 2. cap. in fine, vbi ponũtur quædam ad solam pœnam malorum factorum, tamen exprimuntur verba similia illis, scilicet iratusque est furor Domini in Israel, & ait, quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit, ego non delebo gentes quas dimisit Iosue, & mortuus est, vt in ipsis experiar Israel vtrum custodiant viam Domini, & ambulẽt in eam, sicut custodierunt patres eorum, an non: ecce qualiter in pœnam hæc manifestissimè data sunt, quia Israel non custodierat pactum Domini: tamen Deus dicit, quod ista fient, vt experiatur vtrum Israelitæ custodiant pactum eius, an non: quia, vt non tenetur ibi finaliter, sed consecutiuè: ideo ad vtrunque modum ista litera exponi potest, scilicet de tentatione secundo modo dicta, aut tertio modo.

C *Vt palàm fiat vtrum diligatis eum, an non.* Id est, vt cognoscant alij in tribulationibus vestris, vtrum diligatis eum, an non: & vt vos ipsi cognoscatis, quoniam homo seipsum non cognoscit, donec in aduersitatibus sibiipsi innotescat: Deo aũt nihil notũ sit, quia ipse æqualiter cognoscebat antequàm fieret, sicut postquàm factum est. *Dominum Deum vestrum sequimini eum, & ipsum timete.* Colendo & exequendo eius præcepta affirmatiua, & timete ne faciatis contra eius præcepta negatiua, quia per timorem Dei declinatur à malo. *Mandata eius custodite.* Quæ iam dicta sunt. *Et audite vocem eius.* Obediendo eis quæ in futuro mandabit. *Ipsi seruietis.* In opere. *Ipsi adhærebitis.* Corde. *Propheta autem ille.* Id est, qui dicit se vidisse vel audisse in vigilia. *Aut fictor somniorum.* Qui dicit se per somnium à Deo recepisse: vocatur iste somniorum fictor qui subiungit in fine interpretationis somniorum, quòd eant ad colendum deos alienos: nam si iste non fingeret somnia, sed verè à Deo recepisset, non incitaret homines ad malum per talia somnia: nam ista somnia: nam ista somnia solùm erant ad suadendum populis, quòd colerent deos alienos, scil. dicentes, quod viderunt tale somniũ, quod per noctem talem visionem à Deo receperunt, in qua admonebãtur, vt irent ad colendum deos gentium: nam sicut boni per somnia bonos incitant, ita mali per falsa somnia bonos ad malum incitare conantur, de somnio bonorum patet, 2. Machab. 15. cap. quando Iudas Machabęus contra Nicano- F

Somniorum fictor qs vocetur.

A

rem pugaturus erat,& vidit in somnijs Onian sacerdotē magnum iam defunctum,& Hieremiam Prophetam, qui ei dedit gladium, in quo triumpharet de hostibus : qui autem à Deo mouentur,somnia non fingunt, & ipsa quæ vera sunt, ad malum non subordinant, & sicut iste qui dixit esse colendos Deos alienos,& admonet hoc per somnium , est fictor somniorum, ita qui dicit Deos colēdos,& admonet hoc per visionem propheticā, non est verus Propheta, licèt hic vocetur Propheta, quia veri Prophetæ non possunt veritates cum falsitatibus proferre, & vtrunque miraculorum testimonio confirmare:ideo tam pseudopropheta quàm somniorum commentator occidendus est. Interficietur si conuictus fuerit in iudicio talia dixisse, aut ipse sponte confessus est. *Vt auerteret vos à Deo, qui eduxit vos de terra Ægypti.* Quasi dicat satis meretur mortem, quia magna iniquitas erat disturbare vos à via Dei vestri, qui tanta beneficia vobis tribuerat.

Et auferes malum de medio tui. Id est,malum nociuum,quia posset alicui persuadere,quòd iret ad colendos Deos alienos, nisi interficeretur.*Vel auferes malum.* Id est,malum deforme, quia valdè est turpe vel deforme , quòd aliquis ita malus maneat inter alios rectè viuentes.

B

Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ,aut filius tuus , vel filia , siue vxor, quæ est in sinu tuo,aut amicus quē diligis, vt animam tuā,clàm dicēs: eamus,& seruiamus dijs alienis,quos ignoras tu & patres tui,cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul sunt,ab initio vsq; ad finem terræ:non acquiescas ei,nec audias , neq; parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum.sed statim interficies. Sit ptimùm manus tua super eum , & postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo,qui eduxit te de terra Aegypti,de domo seruitutis, vt & omnis Israel audiens timent & nequaquā vltrà faciat quippiā huius rei simile.

Pœna personæ cōuerti ad idolatriam persuadentis.

*Si tibi voluerit.*Hic ponitur seccundum, scil.pœna personæ conuerti ad idolatriam persuadentis.*Frater tuus filius matris tuæ.* Id est,filius ex matre etiam & patre. Filij enim vterini magis se diligere solent, vt patet de Ioseph, & Beniamin , vt patet Gen.43.& 45.cap. *Aut filius tuus vel filia tua.* Ponit hic personas multum coniunctas , quia has multum diligere solemus, si ergo has occidere debemus in tali casu , quanto magis extraneos?*Siue vxor quæ est in sinu tuo.* Id est,quę dormit inter brachia tua,quæ vocantur sinus. *Aut amicus quem diligis,vt animam tuam.* Quia amicus est alter ipse,vt patet 9.Ethic.perамandus est, vt vita:sed in talibus sanctiùs est honorare veritatem,scilicet veritatem cultus diuini.

C

Vtrum si pater sit occultè idololatra , vel hæresiarcha , & incitauerit filium suum ad idololatriam.siue ad aliquam damnatam hæresim, teneatur filius patrem prodere , aut eum in fidei fauorem & detestationem tanti criminis de huiusmodi delicto accusare.

QVÆSTIO III.

QVID de patre?nam hic nō fit mentio de patre aut matre,vtrum si suaserint filijs suis colere deos alienos , debeant eos accusare ad mortem.

Et dicet aliquis, quod non solùm filios & vxorem accusare & occidere tenemur in tali casu , sed etiā patrem & matrē, quia magis Deum diligere debemus quàm patrem , sic enim Christus clamabat,si quis vult venire post me, & nō odit patrem,& matrem , & adhuc animam suam , non potest meus esse discipulus,odisse aut patrem, & matrem, & animam nostram est, quia omnem amorem quem ad parentes & cognatos nosipsi gerimus , amori diuino postponamus Deum magis amando : cùm ergo pater aut mater cultui diuino repugnauerint,videtur quòd occidendi sint.

Item sicut ait Aristot.in primo Ethic. cap.de idea Platonica , propter veritatem oportet etiam familiaria destruere, quia amico & veritate existentibus sanctiùs est pra honorare veritatesed nulla maior est veritas , quàm veritas diuini cultus:ergo cùm pater, vel mater repugnant huic cultui , oportet destruere cum eis omnem familiaritatem , & negare paternitatem , facereque eis tanquàm si parentes non essent, si autem parentes non essent , eos accusare atque occidere deberemus,ergo si repugnant cultui diuinno , eos occidere debemus tanquàm extraneos.

D

Item si filij non deberent accusare patrem & matrem ad idololatriam suadentes, hoc esset, quia magis diligimus patrem,& matrē,quàm alios homines , sed magis debemus diligere vxorem quàm patrem, & matrem , & ipsam vxorē accusare debemus , si ad idololatriam nos incitat,ergo etiam erit de patre & matre,antecedens patet: nos debemus diligere animas nostras magis quàm animas hominum aliorum , siue parentum,siue non parentum , & deinde magis corpora nostra,quàm corpora omnium aliorum,sed corpus vxoris amare tenemur in eodem gradu,in quo corpus nostrum,vt patet ad Ephes.5.cap. cùm dicitur viri diligere debent vxores suas, sicut corpora sua , ergo magis debent diligere vxores quàm parentes suos. Etiam patet hoc, quia vir & vxor iam nō sunt duo,sed vna caro,vt ait Apostolus ad Ephes.eodem cap.sicut ergo vnus homo seipsum diligit, quia habet ad se maximum amorem, ita debet diligere vxorem suam , quia iam est idem corpus cum illo. Etiam quia in eodem cap. dicit Apostolus, quòd viri diligant vxores suas , sicut Christus dilexit Ecclesiam,sed amor Christi ad Ecclesiam fuit maximus: nam pro ea mortuus est,& non est maior amor,quàm vt vnus pro alio moriatur,vt patet Ioan.15.càp. scilicet maiorem hac charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis,ergo maximus amor qui in istis rebus inferioribus haberi debet , est amor viri ad vxorem , sed vxorem quis debet accusare & occidere,si nos ad idololatriam incitet,ergo à fortiori patrem & matrem cùm minùs debeant diligi: patet hic cùm dicitur,aut vxor quæ est in sinu tuo.

E

Item magis amat homo naturaliter filios , quàm patrem, vel matrem , sed filios tanquàm hostes accusare debemus , si nobis suaserint inclinari in idololatriam, ergo etiam patrem & matrem,antecedens patet per Aristot.in 8.Ethico.vbi post amorem,qui est hominis ad seipsum, nullus maior est,quàm quòd aliquis pater amet filium , vel mater filium : & est ratio quam ipse assignat ibi, prima, quia patres diligunt filios suos tanquàm particulas substantię suæ,quia filij quondam in patribus præfuerunt ante seminis emissionem : filij autem non diligunt patres tanquam aliquam partem sui,cùm pater non sit pars filij,sed potiùs è contrario , ergo magis naturaliter amat pater filium quàm filius patrem. Est autem alia ratio, quia ille magis diligit,qui magis cognoscit:sed magis cognoscunt parentes, qui sunt filij sui, quàm filij, qui sunt parentes sui , ergo magis diligent. Etiam quia patres non solùm per certitudinem cognoscunt magis filios , quàm filij patres,sed etiam maiori tempore: nam filij cognoscuntur à parentibus,ex quo nascuntur: tamē non cognoscuntur ipsi parentes quousque magni sint, & ratione vtentes : patet hoc per Aristotelem in prologo libri Physicor. vbi dicit, quòd pueri à principio omnes viros patres vocant, & omnes fœminas matres:posterius autem determinant vnumquodque. Etiam quia dum aliquis magis conuiuit, & delectatur in aliquo,qui sunt actus amicorum tanto magis diligit eum , sed parentes conuiuunt filijs suis à primordio ætatis, & delectantur in vagitu paruulorum, & alijs præludijs infantilibus: filij autem non conuiuunt parentibus , quousque aliquliter sint intelligentes & delectentur in conuersatione paterna & materna, ergo magis naturaliter diligunt patres filios quàm filij patres.Et eisdem rationibus matres magis amant filios quàm patres,applicando ista ad matrem eo modo quo applicat Aristot.in 8.Ethic.sed patres debēt accusare filios suosad mortem,si incitauerint patres ad idololatriam, vt patet hic : ergo filius à fortiori poterit accusare patrem & matrem,cùm solitauerint eum ad idolatriam. Respondetur, quòd licèt pater vel mater filium,vel filiam ad colendos deos alienos incitarent, non poterant, nec debebant filij accusare patres de hoc,vel matres.

F

T.cō. 2

Et primò videtur hoc , quia cùm litera ponat hic in isto casu, qui est specialis , quòd vxor possit accusare virum , aut

Adde quia licet de

A

patre non inuenitur expressè prohibitū, qa tamen Deus dedit legē, ad quāmihil addere licet inf. 4. & apo. vl. satis intelligitur esse prohibitū q nō est expressum & maximè, qa leges pœnales restringendæ sunt, vt sunt iura vulgata.

B

C

Magis debemus patri quā Angelus & Apostolis, & omnib. sanctis.

vir vxorem, & filios, & sic de alijs quos diligit: cùm parentes sint illi quos in maximo honore tenemus, si illos intelligi voluisset illos expressisset, cùm de illis maius dubium quàm de omnibus alijs rationabiliter esse debeat: sed litera non expressit illos, ergo noluit de illis hoc intelligi. Item si ille qui ab alio solicitabatur ad idololatriam, solùm accusare deberet incitatorem suum: satis quidem cōcedi potuisset in fauorem cultus diuini, quòd filius accusaret patrem solicitantem eum taliter, sed nō ad hoc tenebatur solicitatus ab alio solùm, sed etiam debebat occidere ipsum solicitatorem, vt patet infrà cùm dicitur, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim interficies: sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur, si ergo filius possit patrem aut matrē in huiusmodi crimine accusare, debebat etiam occidere, sed quòd filius patrem occidat voluntariè ex quacunq; occasione scelestissimum est, & penè nihil magis cōtra naturam, ergo non licebat, quòd accusaret eum.

Item quia nihil magis honorabile est post Deum quàm nomen patris & matris, nam Philosophus in 9. Ethic. parentes immediatè post Deum posuit, scilicet dijs & parentibus non possumus retribuere æqualia, & hoc quia penè infinitum bonum est, quod à patre matreque recepimus: nam à patre & matre esse recepimus totum quod sumus, scilicet esse homines, huic autem bono non potest æquiparari aliquod bonum alterum quod ab aliquo alio inferiori agente præstetur: nam etiam si aliquis nobis omnes terrarum nationes in nostra potestate subigeret, vel quodcunque alterum bonum quantumcunque magnum tribueret, non æquabitur beneficio paterno quod recepimus ab eo, quando nobis Esse per generationem communicauit Et hoc quia esse est prima perfectio & fundamentum omnium aliarum, cùm sint aliæ benè esse, ergo ista maior est: aliæ namque sine ista non sunt: ista etiam cæteris ablatis est. In isto autem genere Deo etiam tenemur super omnia: nam magis operatur Deus ad generationem, quam operetur pater noster & mater, quia secundùm primam regulam libri de causis, omnis causa primaria magis influit in effectum quàm causa secundaria: Deus autem est causa primaria, quia in coordinatione causarum naturalium concatenatarum, prima causa est Deus, secundum etiā ipsorum philosophorum testimonium, vt patet per Aristotel. in 12. Meta. cùm non sit procedendum in infinitum in causis, vt patet in primo Metaphy. & in primo Ethic. cùm ergo Deus sit causa prima, necesse est, vt tota virtus naturæ nascatur ab eo tanquàm à quodam fontali principio. Sicut si ab aliqua fonti scaturigine aqua erumpat, & posteà per multa terrarum media fluat, & deriuetur in aliquē locum plantationum, causabit ibi vim germinatiuā, vel saltem faciet germinare, vt patet Esa. 55. ca. scilicet quòd imber det semen serenti, & panem comedenti, ita ergo à Deo tota virtus influendi naturalis deriuabitur per concatenationem causarum subordinatarum, & necesse erit, vt deriuetur in ipsum effectum per medias causas, tanquàm virtus agentis deriuatur ad id quod fit per instrumentum: causæ namque secundæ ad ipsam primam aliquo modo se habent, vt instrumentum ad principale agens, de quibus latiùs dictum fuit Exod. 23. cap. Cùm autem pater sit causa vltima in concatenatione naturali, scilicet causa particularis: necesse est, vt tota virtus influēdi in effectum quam habet, deriuetur ab ipso primo agente, qui est Deus: magis ergo Deus influet ad generationem alicuius hominis quàm ipse pater, qui gignit, assimilans sibi genitum in specie. Et si adhuc magis tenemur Deo de beneficio quod recepimus, in hoc quod accepimus Esse, quàm patri nostro,

Nulli tamen post Deum tantum tenemur, sicut patri nostro, magis namque ei tenemur quàm Angelis, & quàm Apostolis, & quàm beatæ Virgini Dominæ nostræ, quia maius bonum ab ipso recipimus quàm ab omnibus istis sub Deo, coram quo omnis creatura contremiscit, & nullum nomen maioris reuerentiæ & honoris est, quàm nomen paternum atque maternum. Quid ergo esset patrem aut matrem occidere aliud quàm totam naturam destruere? non licet ergo filium ex quacunque causa manus in patrem, aut matrem immittere: nam non solùm occidere, vel percutere, sed etiam subsannare atque irridere mortem meretur, sic dicitur Prouerb. 30. cap. oculum qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ. In hac autem quæstione dicendum est, quod si pater aut mater filium, vel filiam, ad colendos deos alienos incitarent, debebat filius si proficere posset verbotenus dissuadere eis hunc cultum, & è conuerso ad verum Dei cultum conuertere.

D

Nota verbū dere.

Si autem non potest, & potiùs timet, quod fortè ipse perueretur à matre, vel patre, fugere debet ab eis ne subuertatur: non tamen debet prodere patrem aut matrem huiusmodi vitio esse maculatos.

Et eodem modo agendum esset, si quis Christianus haberet patrem Christianum qui occultè esset Arrianus, vel Manichæus, aut habens aliquam damnatam hæresim, & vellet pater filium ducere in hanc hæresim, si filius non posset patrem conuertere, deberet ab eius conuersatione abstinere, nec peruerteretur ab eo: non tamen debebit eum accusare, vt infligeretur ei vlla pœna.

Nota verbū occultè sec⁹ publicè. Nota verbū accusare, an tamen prohibitus accusare possit denunciare disputandū est alias.

Sic autē si quis esset iudex in aliqua ciuitate, & pater suus aut mater committerent aliqua delicta, propter quæ secundùm leges deberent occidi, non debebit eos occidere, sed vel relinquere officium siue dignitatem iudicaturæ, vt posset licitè cessare ab eorum occisione sine legis iniuria, aut remittere ad alios iudices. Nam non solùm patrem occidere quod est planè inextimabile vitium, vituperatur, sed etiam quòd aliquis iudex existens occidat filium suum per legem, vt patet de Bruto primo consule Romanorum, qui duos filios suos amicos Tarquiniorum, eo quòd tractauissent de reducendis regibus ad vrbem, virgis cæsos securi percussit, vt ait Titus Liuius primo ab vrbe condita, & ob hoc multum vituperatur, vt patet per Virg. Æneid. lib. 6. cùm dicitur.

E

Vltoris Bruti, fascesq; videre receptos.
Consulis imperium hic primum sæuasq; secures
Accipiet, natosq; pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Infœlix vtcunq; ferent ea facta minores.
Vicit amor patriæ laudumq; immensa cupido.

Nunc ad argumenta responderi potest, ad primum cùm dicitur, quod amor Dei præponendus est amori paterno & materno, sed si pater vel mater inducant nos ad colendos Deos alienos, segregant nos ab amore Dei, ergo occidendi sunt.

F

Respondetur, quod non valet consequentia, & quādo dicis, quod amor Dei præponi debet amori paterno & materno, verum est, & sic faciēdum est, quod si nos propter Deum tenemus fidem Catholicam, & pater aut mater nos inducunt ad idololatriā vel hæresim, non debemus assentire eis, sed fugere, & sic præponimus amorē Dei amori parentum: nam si parentes magis quàm Deum amaremus, consentiremus persuasioni parentum propter eorum amorē, & desereremus fidem quā tenemus, sed nō faciemus, ergo magis Deum quàm parentes amamus. Quod autē propter hoc, quia Deum magis amamus, parentes obsistentes nobis occidere debeamus, nihil aliud est quàm dicere quod quandocunque Deo repugnant, occidendi sunt: quod falsissimum est. Et si dicis, quod non sunt occidendi quandocunq; Deo repugnent, sed specialiter in isto casu, quia magna repugnantia est ista.

Respondetur, quod nec in isto casu est aliqua ratio sufficiens, quare occidi debeant, cùm lex hoc non mādauerit. Ad secūdum quando dicis, quod propter veritatem oportet etiam familiaria destruere, sed nulla est maior veritas quàm veritas fidei Catholicæ, ergo pro ea si pater destruat vel mater, oportet destruere familiaritatem ad eos, & occidere eos tanquàm extraneos. Respondetur, quod propter veritatem fidei Catholicæ oportet destruere familiaritatem ad patrem & matrem, scilicet, quòd si pater aliquid nobis suadet, quod contra Deum est, non est sibi obediendum. Et si sine contumelia creatoris eis cōmunicare non possumus, etiam si mandet quòd maneamus in familiaritate & seruitio eius, non est manendum, & sic priuamus patrem nostrum iure, quod in nos habebat, scilicet vt posset nobis imperare in omnibus rebus licitis tanquàm rebus suis, & quantum ad hoc propter veritatem fidei Catholicæ familiaria destruimus, quia familiaribus propter veritatem non destruendam non assentimus. Quòd tamen nō possimus negare patrem nostrum esse

A

patrem, vel quòd possimus contra cùm agere tanquàm contra aliquem extraneum, non contingit: quia tantum beneficium quantum nobis egit in dando esse, nõ aboletur ex quocunque malo, quòd pater aut mater egerit, & obligatio nostra ad eos non deletur ex quocunque actu quantumcunque malo, quia illud beneficium reputatur quasi infinitum, quia in nobis maius beneficium recipi nullum potest quàm esse: ideo semper tenebimur ad parentes quantumcunque grauiter deliquerint.

Ad tertium argumentum quando dicis, quòd si non deberet homo patrem & matrem accusare in tali crimine, hoc est, quia magis diligere eos quàm omnes alios, sed magis diligit vxorem, & tamen eam potest accusare in isto crimine, ergo potuit accusare patrem & matrem. Negatur antecedẽs, nam verè, ideo non possumus accusare patrem & matrem, quia magis eos diligimus quàm vxorem & omnes alios, sed ideo non possumus accusare eos, quia ad maiorem reuerentiam & honorem eis tenemur, & ad omnia alia genera retributionis: nam pater & mater sunt tanquàm summũ bonum nobis conferentes, scilicet esse: ideo eos in maximo honore & reuerentia tenere debemus, scilicet in reuerentia quę est prima post reuerentiam Dei: vxorem autem licèt diligere debemus inqnantum est eadem caro nobiscum, tamen non tenemur ei ad tantum honorem, cùm sit aliquid minus nobis, nec aliquid ab ea secundùm quod huiusmodi recipimus, propter quod teneamur reuerentiam exhibere, vt non possimus accusare, præcipuè cùm & ipsa vxor sub disciplina viri sit.

B *An magis teneamur diligere vxorẽ q̃ patrẽ aut matrem.*

Item quando dicitur, quod magis tenemur diligere vxorem quàm patrem aut matrem. Respondetur, quòd si consideretur amor prout est quædam affectio causata ex communicatione necessaria, in cõseruatione ipsius communicationis magis diligimus vxorem quàm patrẽ & matrem, quia cũ nullo est maior cõmunicatio viro, quàm cum vxore: nam vir cõmunicat vxori in omnibus, in quibns cõmunicat, cum omnibus alijs hominibus, & insuper cõmunicat cum ea in actu matrimoniali, in quo consistit magna cõmunicatio: qa ergo inter virum & vxorẽ maxima cõmunicatio consistit, debet esse maior amor inter eos quàm inter omnes alios, etiam si dicatur amor, vt aliquid conseruatiuum cõmunicationis, debet esse maior amor inter virum & vxorem quàm inter omnes alios, qa ibi requiritur magis præsumptio amicitiæ quàm in omnibus alijs, cùm magis inuicem sint matrimoniali fœdere obligati ad inuicem. Si autem consideretur amor prout est quædam affectio causata ex susceptο beneficio, cum nullas sit à quo maiora quàm à parentibus, præterquàm à Deo beneficia receperimus, ipsos parentes magis quàm omnes alios homines diligere tenemur, & si semper non sequatur amor secundùm quantitatẽ beneficij, reuerentia tamen causari debet secũdùm quantitatẽ beneficij, & qa reuerentia est secundùm quã contra quenquã insurgere erubescimus, aut erubescere debemus, cùm ergo reuerentia maior sit ad parentes quã ad omes alios, minus possumus in eos insurgere accusando, vel similia faciẽdo quàm in omnes alios. Ad quartum quando arguis quod magis naturaliter debent amare, & amãt patres filios, quàm filij patres, sed possunt accusare filios, & occidere, si suaserint patri conuerti ad deos alienos, vt patet in litera, ergo filius à fortiori poterit diligendo valdè patrem suum eum accusare, si circa talia deliquerit. Respondetur vt suprà dicebatur, quod non ideo filius non potest patrem occidere, quia eum magis quàm cæteros diligit, sed ideo non potest eum accusare, licèt possit cæteros accusare, quia maiori reuerentia tenetur ad eum quàm ad alios, vt dictum est, filius enim tenetur patri ad maximam reuerentiam post Deum, sed pater non tenetur filio ad aliquam reuerentiam secundùm quod huiusmodi: secùs si filius esset prælatus, vtpotè existens, vel habens aliquam dignitatem iudicialem temporalem, vel spiritualem: nam tunc pater tenebitur filio ad aliquam reuerentiam, non quidem secundum quod filio, sed secundum quod prælato. Etiam quando dicis, quod naturaliter magis inclinatur homo ad amandum filios, quàm ad amandum parentes, ergo si potest accusare filios, & poterit accusare & parentes.

Respondetur, quod secũdùm naturam magis inclinamur ad amandum filios quàm parentes, secundùm tamen rationem valdè magis diligere debemus parentes, & secundùm charitatis ordinem: nam vbi est amor ordinatus, illud debet magis amari quod quantum ad nos maius bonum existimatur, sed pater in ratione summi boni accipitur excepto Deo, in quo est primò ista causalitas: ergo patrẽ magis secundùm rationem amare debemus quàm filios: nã filius non accipitur sub ratione alicuius magni quantum ad nosipsos gignentes, cùm nihil ab illo susceperimus: sed potiùs ipse à nobis totum quicquid est.

Concludẽdum ergo quòd si pater aut mater filios ad idololatriam solicitarent, nõ debebãt accusare eos, nec occidere, sed corrigere eos si possunt corrigi: sin autẽ fugere ab eis obseruando, ne ipse ab eis subuertatur, dum eos laboret conuertere: nullo tamẽ modo in aliquo alio ei molestus erit: quorũ nullum quantum ad filios obtemperatur. *Cunctarum in circuitu gentium.* Siue procul, siue propè non refert, quia quocunque modo contra veritatem diuini cultus agitur. *Nec audies.* Non solùm est ei consentiendum tanquàm iniusta persuadẽti, sed nec audire debes, quia voces illæ execrabiles sunt. *Non parcat oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum.* Quia tenetur eum accusare de tali delicto, & occultando tale crimen valdè peccat, quia ipse sui damni causam dat, quia fortè permittet Deus hunc decipi ab illo, quia eum accusare noluit.

Sed statim interficies eum. Id est, accusabis eum, vt interficiatur, quia per te interficere non poteris, patet: quia dicitur infrà quòd totus populus occidet illum, quod non potest intelligi, nisi de publicè condemnato.

Sit prius manus tua super eum. Id est tu prius quàm alij lapida eum, deinde totus populus: manus enim testium prima lapidabat condemnatum, vt patet infrà 17. cap. & in morte beati Stephani testes deposuerunt vestimenta, & primi eum lapidabant, vt patet Act. cap. 7. *Sit manus tua super eum.* Esse manum alicuius super aliquem aliquando accipitur in bonum, aliquando in malum. Quòd accipitur in bonum, vt patet de Prophetis, quia dicitur, quòd manus Domini fuit super aliquem Propheram, scilicet eum eleuans ad prophetandum, & sic dicitur de Helisæo cùm debuit prophetare coram rege Ioram, quod facta est super eum manus Domini, vt patet 4. Regum 3. cap. Aliquando accipitur in malum, & signat pœnam, & sic dicitur in Psalm. 37. confirmasti super me manum tuam, id est, posuisti fortiter manum tuam super me ad puniendum me, & sic accipitur hic, sit manus tua super eum, scilicet ad puniendum eum. *Et post te omnis populus mittat manum.* Id est, omnes mittant manum ad percutiendum, occidendumque eum.

Lapidibus obrutus necabitur. Id est, lapidabitur, & sic morietur, dicitur obrutus pressus vel opertus, scilicet quando tanta lapidum congeries super aliquem iacitur, quod operitur: & sic dicitur, quod aliquis obruit thesaurum humi, id est, cooperit in terra. *Quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo.* Rationalis causa est, vt qui maximum malum inferre voluit, scilicet separare hominem à Deo, maximum malum patiatur, scilicet acerbissimam mortem qualis est lapidatio, & combustio, & similia genera mortis. Si autem vnus homo voluisset nocere proximo suo in alijs rebus minoribus, vtpotè, quia voluit res eius furto tollere, aut res eius aliter damnificauit, non patiebatur talem pœnã: quia malum quod illatum erat, paruum erat: imponebantur ergo aliæ pœnæ, vt patet Exodi 21. & 22. vbi ponuntur iudicialia præcepta infligentia pœnas peccantibus circa istas res forales.

Vt omnis Israel audiens timeat. Est ratio superioris, scilicet, quod totus populus lapidabit eum, vt omnes iniuriam Dei vindicent. Secundò, vt omnes videntes atrocem pœnam à similibus arceantur. Quando mali pestilentes puniuntur aut occiduntur, multiplex inde sequitur bonum. Primum, quòd si isti puniantur, & non occidantur, illa pœna eos per timorem coget à malo recedere, vel fortè intolerantia pœnæ conuertentur ad cor, & non solùm timore futurarum pœnarum à malo recedent, sed amore sectandæ virtutis, quod quidem magnum bonum est.

Item quia quando quis sic punitur, omnes videntes timent talem pœnam, quia est nimium dolorosa & infamatiua, vt ergo talem euitent, si talibus vitiis obnoluti sunt, desernnt quidem: si verò nondum talia egissent, sed ad agendum promptitudo vlla erat, reprimitur illa per contemplationem

C *Vt refert Valer. lib. 2. de instit. antiquis, de Q. Fabio maximo.*

D *Aliqui de quorũ ignorantia dolendũ est hac auctoris conclusionem tanq̃ eroneã mordẽt & lacerãt, sed ne in meridiano splendore eorũ insipientia amplius eos errare faciat, nimis q̃ sapiẽdo dissipiant, legant translationem Chaldaicã inf. 24. c. q hoc expresse dicit. Et Exo. 32. c. vbi Deus iussit Leuitis q̃ idolatria occiderẽt fratres & propinquos nõ tamen patres. Idẽ sentit glo. cũ ibi allegat. in c. literis de psumpt. sup verbo de fratre, põdera verbũ nõ nouos, & nõ dixit accusa. facit text. in c. cũ q̃ venerabilẽ qui si. sunt leg. §. sanè idẽ tenet Heric. Herpt in speculo p̃ce. 4. ei álex. in gl 3. tit 1. & Astensis li. 1. nu. 24 Sed*

A

Restat dubiū, & ab auctore nō tangitur, an interueniente precepto Papæ, liceat filijs nō teneatur accusare teneantur saltem denunciare hæresim occultam patris. Solutio colligitur ex dictis auctoris hic, & 3. Reg. 15. q. 16. Et Ios. 7. c. q. 69. & Mat. 6. c. q. 65. ad 4. & q. 66. & 79. & 8. c. q. 67. & 69.

b

pœnæ peccantibus illatæ. Si autem qui punitur occiditur, etiam ista mors valdè vtilis est. Primò, quia illi quibus iste nocebat, securi erunt, & quies quædam dabitur politiæ, quod maximè intenditur in pœnis inflictis à legislatoribus, & istud motiuum tangebat suprà cùm dixit de fictore somniorum, aut pseudopropheta, scilicet, Propheta ille, aut fictor somniorum occidetur. *Et auferes malum de medio tui.* Item vtilitas magna est, quia si ille qui peccatis assuetus est, nō occideretur, peccaret adhuc vlteriùs, & quia peccare est malum dum iste magis viueret, efficeretur peior: qui ergo tollit ei vitam, tollit partem malitiæ, occasionaliter ergo valdè vtilis est ipsi, & hoc tangitur infrà cùm dicitur, & nequaquàm faciat aliquid huius rei simile, id est, si occidatur tolletur ei, quòd non possit vltra malum operari. Item aliud bonū & magnum est, cùm ipse qui peccat malus sit, & extra omnem ordinem iustitiæ, per ipsam pœnam inflictam reducitur ad ordinem iustitiæ, quia pœnæ ordinant culpam: tanto enim aliquis peior, quanto inordinatior est. Et tunc est magis inordinatus, quando magis peccat, & peccata sua non ordinantur aliquo modo per ordinationem pœnæ, ergo cùm peccatum alicuius ordinatur per pœnam, minus malum habet, & si totaliter ordinentur peccata per directionem pœnarum in ordinem iustitiæ, istam vltimam causam ponit Boetius in 4. de conso. prosa. 4. esse sufficientem, quod melius est ipsis malis puniri, quàm impunitos esse cùm dicit, feliciores inquit improbos supplicia luentes, quàm si eos nulla iustitiæ pœna coerceat, nec hic nunc melior, quòd cuiuis veniat in mentem corrigi vltione prauos mores, & ad rectum supplicij terrore deduci: cæteris quoque exemplum esse culpanda fugiēdi: sed alio quodam modo infœliciores esse improbos impunitos: tamen quamuis nulla ratio correctionis, nullusque respectus habeatur exempli.

Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ, atq; dixerunt, eamus vt seruiamus dijs alienis, quos ignoratis: quære solicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam: omniaq; quæ in illa sunt vsq; ad pecora. Quicquid etiam supellectilis fuerit, cōgregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus. Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui: multiplicetq; te, sicut iurauit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui: custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodiè, vt facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

c

Vrbis destructio idololatrātis.

Si audieris in vna vrbium. Hic ponitur tertium, scilicet vrbis destructio idololatrantis. *In vna vrbium tuarum.* Id est, in vna vrbe terræ promissionis. *Aliqui egressi sunt filij Belial.* Id est, apostatæ Belial, in Hebræo apostasia est: filius autē Belial est multum apostata, sicut filius inobedientiæ, vocatur inobediens: & dicuntur apostatæ, quia à religione vel cultu Dei incœpto retrocedere faciunt. *Egressi sunt filij Belial.* Non dicuntur egressi quasi de terra recessserint, quia si recessissent non subuerterent terram prouocando ad idololatriam: sed dicuntur egredi, id est, surgere, vel proprius incipere: ista duo verba, scilicet egredi & surgere in sacra scriptura secūdùm morem loquēdi Hebraicum signant incœptionem alicuius actus in eo, qui ante non faciebat aliquid tale, de isto verbo surgo exempla multa sunt, de isto verbo egredi patet, Exod. 2. cap. in principio, vbi dicitur, de Amram qui habebat vxorem, quam non cognoscebat à multis diebus: & postea incœpit cognoscere, quando debuit concipi Moyses, cùm dicitur, egressus est post hæc vir de stirpe Leui, & accepta vxore stirpis suæ, &c. id est, ille vir redijt tunc ad cognoscendum quasi de nouo suam vxorem, quam à multis diebus non cognoscebat: & sic dicit hic egressi sunt filij Belial, id est, aliqui mali viri, qui ante hoc in quiete erant, incœperunt nunc nouiter solicitare gentem ad cultum idolorum.

D

De medio tui. Id est, de inter te, & loquitur ad totum populum: quia de ipso populo multoties insurgunt aliqui, qui totum populū perturbant, sicut Arrius presbyter Alexandrinus de medio Christianorum, id est, de ipsis Christianis surrexit: sed eos valdè ad errorē solicitos reddidit, vt auerteret habitatores. Auersio dicit recessū à vero bono, siue vero cultu Dei ad cultum dæmonum: & sic accipitur à peccatis auersio & conuersio: isti autem viri Belial ideo surrexerunt, vt auerterent habitatores à vero cultu Dei. *Vrbis tuæ.* Dicit hoc ad totum Israel qui vrbes habebat: nam de popularibus nullus vrbes habebat. *Atque dixerunt, eamus & seruiamus dijs alienis.* Ista sunt verba solicitantium ad idololatriam: tamen ipsi non solicitant eodem modo quo hic dicitur, scilicet vt dicerent alijs conciuibus suis eamus, & seruiamus dijs alienis: nam si sic dicerent, in verbis suis arguerent seipsos maledicere, dicentes illos deos ad quorum cultum suadebāt esse deos alienos: & sic innuerent alium esse Deum verum, aut proprium ipsorū, cui deberent cultū impendere: & in ipsa eorū suasione eorum iniquitas proderetur, sed forma verborum suorum erat: venite eamus, & seruiamus deo Astaroth, vel deo Priapo: quia melius erit vobis cum eo quàm cum isto Deo quem habemus: & hoc patet Hiere. 42. cap. nam sic respondebant Israelitæ de cultu idolorum, quando suadebatur eis, quod dimissis falsis dijs ad verum Deum conuerterentur dicentes, quod quando colebant reginam cœli, & libabant ei, nunquàm inuenerunt eos mala: cùm verò Deum cœli colebant, fames, gladius, & angustia opprimebant eos, in quo innuebant non esse reginam cœli, id est, Dianam sororem Phœbi deam alienam & falsam, sed propriam atq; bonam: vt quippe quæ suis cultoribus beneficaceret: & sic quando ad cultum alicuius dei gētilitij, mouebantur, hoc colore muniebantur: scriptura tamen non secuta fuit hic verba eorum, sed ipsam veritatem, scilicet quod secundùm veritatem isti quos colere volebant Israelitæ, aut ad quos colendos mouebantur à viris Belial, erant alieni dij, id est, si dij vocari possent saltem secundùm vulgarium opinionem, tamen alieni erant: quia non erant illi qui benefecerant Israeli, & eduxerant eum de Ægypto.

E

Quos ignoratis. Nec etiam erant ista verba ipsorum seductorum, quia non dicebant ipsi istos deos ignoratos: nam illud ignoratum est quod pauci nominis atque incelebre est: & ex hoc ipso quod incelebre, dat de se quādam præsumptionem, quòd non sit magnum bonum: quia magna bona necessariò famosa sunt, sicut dixit Matth. cap. 5. non potest absconditi ciuitas super montem posita, id est, res quæ eminentes sunt, nō possunt latere, sed necessariò per ora hominum promulgantur: primò ipsi viri pessimi ad inducendum alios ad cultum alicuius gentiliaci dei dicebant, hūc inter omnes deos famosum atque glorioſi nominis esse: sed Deus ipse & Moyses hoc protulerunt ad Israel, scilicet: *Quos ignoratis.* Id est, quòd licèt isti qui conantur vos inducere ad idololatriam, dicant talem deum esse famosum, & tamen vos ignoratis eum, id est, non cognoscitis eum esse deum: quia non vidistis aliquam operationem mirabilem factam ab ipso, etiam quia vobis nec patribus vestris nunquàm aliquod bonū fecerunt, per quod suam ostenderent deitatem.

F

Quomodo poterat cognosci quòd Deus iste Israel erat verus Deus, & alij qui non erant dij, cognosci vt dij falsi, vel non vt dij.

Qvæstio IIII.

Sed circa hoc est dubium quomodo Deus dicebat Israelitis, quod non cognoscebant alios, qui vocabātur dij esse deos, & quod cognoscebant eum esse Deum.

Respondetur, quod hic sunt duo, scilicet quomodo poterat cognosci, quod Deus iste Israel erat verus Deus. Secundò, quomodo poterant alij qui non erant dij, cognosci vt dij falsi, vel non vt dij.

Ad primum, scilicet quomodo iste qui dicebatur Deus

A

Israel, poterat cognosci esse Deus: respondetur, quòd homines cognoscere habent, quicquid cognoscunt, secundùm modum possibilem naturæ suæ: quia cognitio non fit secundùm naturam rei quæ cognoscitur, sed secundum naturam rei cognoscentis, scilicet, quòd ita recipit res, vt est susceptiua, & non vt est res susceptibilis: ideo si res susceptibilis non sit talis, vt concordet modo potentiæ receptiuæ non recipietur in ipsa, de hoc Boetius de conso. libr. 5. prosa vltima, si ergo nos cognoscere debemus diuinam naturam, non cognoscimus eam vt cognoscibilis est: sed cognoscimus vt nos cognitiui sumus, nos enim cognoscimus res absolutè sub conceptu diffinitionis, qui est conceptus compositus, cognoscimus autem res comparatè per modum cuiusdam discursus: ideo cùm Deum apprehendimus, vt simplicem quidditatem, sicut & in alijs rebus quas apprehendimus, cognoscimus eum sub quodam conceptu diffinitionis: conceptus autem diffinitionis, siue propriè sumptæ, siue largè includit formaliter compositionem: ideo cùm diffinitio propria est, dicit compositionem propriam, quæ est compositio ex materia & forma: cùm autem diffinitio dicitur largè, diffinitio est includens necessariò conceptum compositum in alijs generibus compositionum, quæ nominata propriè dicuntur compositiones, sicuti est compositio ex actu & potentia, & genere, & differentia, & materia, & forma. Et quantum ad primum modum diffiniuntur entia naturalia, quæ sunt suppositæ naturæ, siue sint primæ substantiæ, siue secundæ substantiæ: quia verè includitur in eis compositio ex materia & forma, in accidentibus auem non reperitur compositio ex materia & forma, sed ex genere & differentia, actu & potentia, esse & essentia: cùm ergo nos cognoscamus Deum, eum cgnoscimus absolutè sub quodam conceptu diffinitiuo largè sumpto: & quia iste conceptus necessariò importat compositionem quandam, in Deo autem compositio nulla reperitur de istis omnibus: ideo nos non possumus cognoscere Deum naturaliter, sicut ipse cognoscibilis est: ideo cognoscimus nos Deum, sicut cognoscimus alias res naturales: nos autem naturam illam perfectiorem iudicamus, cuius actus & naturales proprietates perfectiores videmus: ipsa namque substantia in se perfecta est magis, aut minus: sed perfectionem eius nos non cognoscimus nisi per qualitates & opera: patet hoc quia sicut est in accidentibus, quod habent gradus intensionis & remissionis: ita in substantijs diuersarum naturarum est, quod vna substantia plures gradus perfectionis substantialis habet quàm alia: nam nunquàm sunt duæ species æqualis perfectionis substantialis in vniuerso, & includit contradictionem eas esse: nam species sunt sicut numeri, vt patet per Philosophum: & sicut in numeris, impossibile est dare duos numeros æquales, qui non sunt eiusdem speciei: ita impossibile est reperire duas species eiusdem perfectionis essentialis: quia illa iam essent vna species: licèt omnia indiuidua eiusdem speciei sint eiusdem accidentalis perfectionis plerunque, & semper eiusdem perfectionis essentialis. Hoc tamen differt, quia impossibile est illam speciem, vel rem aliquam eiusdem speciei habere maiorem perfectionem substantialem, vel minorem, in accidentibus autem intenditur & remittitur.

Diffinitiõis conceptus formaliter cõpositionem includit.

B

Includit contradictionẽ duas species esse aequalis perfectionis substantialis.

C

Hoc autem sic existente, licèt species humana sit perfectior specie asinina: & quilibet homo quolibet asino perfectior sit, non tamen cognoscitur ista perfectio per ipsam rei substantiam, sed per vires eius operatiuas: quando enim aliqua natura perfectior est, tanto qualitates, aut naturales eius proprietates perfectiores sunt: & quia etiam ipsæ virtutes operatiuę, vel habitus nõ cognoscunt nisi per operationes: ideo totius cognitionis nostræ operatio potissimùm principium est: cùm tamen secundùm naturam essentia cognoscibilis esset innata: est tamen nobis via à notioribus nobis in magis nota naturæ, & minus nota nobis, vt ait Aristotel. in procemio libri Physicorum, diuina autem natura si per se cognosceretur, cùm ipsa sit simplicissima, per seipsam cognosceretur: nec considerarentur res exteriores, scilicet ipsa operata: nos tamen qui aliter cognoscere non possumus, cognoscimus Deum per ea quæ extra fiunt: & quod communis conceptio animorũ est, Deum esse id quo nihil melius excogitari possit, vt ait Anselmus & Boet. de consol. libr. 3. prosa 10. ideo cognoscemus naturam diuinam in aliqua re esse secundum quod reperitur maximo enti, aut bono conueniens actus, & iste est actus perfectissimus. Cùm ergo homines vident per potentiam alicuius fieri id, quod maximum inter omnes actus est, putant illam rem esse Deum: & quia non solùm est attributum Dei potentia, sed etiam bonitas, & sapientia, non solùm iudicari posset de aliqua re, quod erat Deus, quia habebat actum conuenientem summæ potentiæ, sed etiam quia habebat actum conuenientem summæ sapientiæ, aut summæ bonitati: quia cum nobis actus bonitatis non sunt ita clarè cogniti, vel actus summæ sapientiæ, sicut actus potentiæ, cognoscimus Deum magis, quia summè potentem, id est, omnipotentem, quàm quia summè bonum, aut summè sapientem, quãdo ergo vident actus maximæ potentiæ conuenire alicui rei, sine dubio eam Deum vocant. Nunc ergo quia Iudæi videbant, quòd Deus suus qui eis loquebatur, faciebat maxima opera, quæ nullus hominũ, aut aliorum deorum facere poterat, ergo vt Deus cognosci debebat: patet hoc quantum ad ipsos Iudæos, quibus nunc Deus loquebatur: nam ipsi viderant ea, quæ Deus fecerat infligendo plagas Ægyptiacas: & quomodo magi, maleficiique Pharaonis, nec similes efficere in virtute deorum suorum potuerunt, licèt ad hoc conarentur, vt patet Exod. 7. & 8. c. viderunt etiam in mari Rubro potentiam magnam, cùm mare diuisum est in diuisiones, & transierunt pede sicco: receperũt etiam aquam amaram versam in dulcem in Marath, vt patet Leuit. 15. receperunt etiam manna in deserto Syn, vt patet Exod. 16. cap. hostes eorum Amalechitæ in Raphidi victi, ibique de petra aquam recipiunt, vt patet Exodi 17. cap. multa quoque alia in hunc modum, quorum totus Pentateuchus plenus est. Deum ergo istum cognoscere poterant qui talia effeciisset: de dijs autem gentilium nihil in hunc modum cognoscebatur, cùm non fierent talia ab eis: Deus ergo iste verus cognosci poterit. Sed argues quòd ista non sit sufficiens cognitio: nam Deus Hebræorum dicebat se facere ista magnalia, cùm tamen ipse non videretur: poterat quispiam alius Deus ea facere, vtpote si Iupiter, aut Mercurius, alijq; dij gentium ista facerent, & Deus ipse Hebræorum diceret se facere ea: & sic de quolibet actu reuocaretur in dubium, dato quòd videremus fieri miracula, & Deus clamaret dicens, ego feci hæc: tamen quia nos non poteramus videre ipsum agentem, faciliter occultaretur fraus, scilicet, quòd faceret hæc aliquis de dijs gentium, & Deus Hebræorum diceret se fecisse. Respondetur, quod istud argumentum non concludit: nam si Deus Hebræorum diceret, ego eduxi vos de Ægypto, cùm constet de ista eductione de Ægypto, quæ per miracula multa ad diuinam potentiam pertinentia facta est, oportebat eam reducere ad aliquod maximum agens, scilicet diuinum, & tunc quæritur an iste Deus Hebræorum, qui dicit se talia egisse, erat maioris potentiæ quàm illi dij, de quibus dubitatur vtrum illud egerint, scilicet Mercurius, Phœbus, Iupiter, Saturnus, aut minoris: si autem maioris potentiæ est: ergo ipse magis est Deus quàm illi, de quibus dicebatur: quia deitas in summo ponenda est: dato ergo, quòd Deus Hebræorum qui ista fecisse se diceret, non fecisset, sed Iupiter, aut Saturnus, vel quilibet de alijs: si tamen ponatur Deus Hebræornm maioris potentiæ, quàm aliquis de istis dijs gentium, etiam si alij dij fecissent, & ipse se fecisse diceret, ipse magis, vt Deus cognosci poterat, cùm magis, vt potens agnosceretur. Si autem diceretur, quòd Deus Hebræorum dicens ista se fecisse, & non faciens esset minoris potentiæ quàm alij dij gentilium, de quibus dubitaretur an ista fecissent, cùm Deus gloriam suam alteri non tradat, non permitterent isti dij gentium Deum Hebræorum istam gloriam eorum vsurpare, sed cogerent eũ tacere: sed non poterant, nec faciebant, ergo maioris potestatis erat ipse. Item hoc patet, quia dato quòd dij gentilium nollent gloriam suam, & permitterent eam cuilibet vsurpandum, quia tamen ipsi boni essent: si dij essent mendacium virtute sua non confirmassent: confirmassent tamen mendacium si ipsi miracula agerent, per quæ Deus Hebræorum vellet sua mendacia confirmare, & ante miraculorum operationem promitteret se facturum miracula super tali aut tali re: istud namque est argumentum potissimùm, per quod probatur aliquem hominem à Deo missum, quia operationes suæ, & dicta confirmantur diuino miraculo.

D

E

F

Deitas in summo ponenda est.

Istud enim experimentum de falso & vero Propheta datur infrà 18. cap. quòd tamen nullius momenti esset, si Deus mendacia confirmaret. Secundum erat quomodo poterant cognosci non esse dij isti, qui dij gentium sunt: & hoc patet ex superioribus: nam eo modo quo probatur aliquem verè esse Deum, oppositò modo probatur non esse Deum de alio alio: sicut ergo Deus Hebræorum probabatur esse verus Deus, quia conueniebant ei actus maximè potentiæ, ita probatur istos non esse deos, quia non conueniebat eis actus maximæ potentiæ: nam isti non poterãt facere ea, quæ Deus Hebræorum faciebat, vel similia faciendo, aut suos cultores à pœnis inflictis à Deo Hebræorum liberando. Item ipsi dij Ægyptiorum nõ potuerunt se liberare à pœna inflicta à Deo Hebræorum, ergo non erant maximè potentes: nam contra maximè potentem nihil quisquam potest, sed Deus Hebræorum intulit pœnam dijs Ægyptiorum comminuendo eos, ergo ipsi non erant omnipotentes, patet hoc Exod. 12. & Numer. 33. vbi dicitur, quod Deus fecerat iudicium in dijs Ægyptiorum, sicut in ipsis Ægyptijs. Satis ergo cognosci poterat ex his, quod non erant dij illi gentilium, qui ista mirabilia faciebant. *Quære solicitè.* Quia tale factum non est sub silentio dissimulandum: quia in hoc totius mali consummatio est. *Et diligenter rei veritate perspecta.* Ne ciuitas innocens indiscreto aliorum zelo deleatur. *Si inueneris certum esse quod dicitur.* Id est, quod viri apostatæ seduxerunt ciuitatem, vt idola colerent. *Et abominationem hanc opere perpetratam.* Quia licèt alicui ciuitati consultum fuisset, vt coleret idola, & probetur ipsam consensisse: si tamen non coluit actualiter sacrificando, vel faciendo altare, siue thurificando, non infligebatur pœna infrascripta. Et si in ciuitate factum fuisset hoc malum, non propterea puniretur, sicut patet in litera: nisi tota ciuitas publicè hoc ageret, vel rectores ciuitatis, qui ciuitatem totam in virtute continent, ad hoc publicè consensissent. *Statim percuties habitatores vrbis illius.* Totus Israel ad hoc congregari debebat, sicut patet Iosue 22. quando totus Israel congregatus est contra tribum Ruben, & Gad, & dimidiam partem Manasse: quia ædificauerant altare magnum, quod erat signum idololatriæ, sic patet Iudic. 20. cap. quando congregatus fuit totus Israel contra viros Gabaa, quia Leuitæ vxorem fornicando occiderunt, & pugnauerũt contra eos vsque ad deletionem ferè vniuersæ tribus Beniamin. *Vsque ad pecora.* Id est, etiam pecora occidentur, & nullus comedet ea in detestationem tanti criminis. *Vt vniuersa consumas Domino Deo tuo.* Id est, ad seruitium Domini Dei tui: quia iustum est, quod sicut ipsi se & res suas ad seruitiũ idolorum transduxerunt, ita ipsi cum rebus suis ad Dei seruitium reducantur.

Quomodo incensio ciuitatis, & omnium quæ in ea erant, ad seruitium Dei reduci poterant.

QVÆSTIO V.

QVOMODO autem ista ad seruitium Dei reduci possint dubium videtur: nam si reducerentur ad cultum Dei, hoc esset per immolationem & sacrificium de ipsis factum, quod non videtur posse stare: nam licèt pecora quæ hic reperirentur, possent ad honorem Dei concremari in sacrificio, cùm sint animalia immolatitia, de hominibus tamen non videtur: quia non est homo animal immolatitium: Deus enim talia sacrificia abhorreret. Etiam supellectilia in ciuitate ipsa reperta sunt aliquid immolabile, nec tali modo offeribile, postremò nec ipsa omnia pecora: nam licèt quædam pecora immolatitia essent, scilicet tres species, vt boues, oues, capræ, sicut patet Leuit. 1. cap. tamen non erant cætera immolabilia, vt asini, equi, & cætera genera horum, præcipuè cum quedam inter ista, ita sunt abominabilia Deo, quod non solùm offerri vetita sunt, sed etiam nec precium eorum dari Domino debebat, sicut patet de canibus, vt dicitur infrà 23. cap. non offeres precium canis Domino Deo tuo, nec mercedem prostibuli. Item quia adhuc de ipsis animalibus quæ secundùm speciem immunda erant, quædam essent confractis pedibus, vel amputatis auribus, & sic de cæteris singularibus defectibus, qui erant impedientes ne talia animalia immolarentur Domino, vt patet Leuit. 22. cap. Item quia ista animalia erant viua, & pellem habentia: nunquàm tamen aliquod animal erat quòd sic Domino immolaretur: nam etiam si esset pro peccato, & deberet comburi totum animal cum fimo suo, & pelle, atque cornibus, vt patet Leuit. 4. cap. tamen primò iugulabantur, & de sanguine eorum aspergebatur contra sancta Sanctorum, vt patet suprà 12. cap. aliàs qui talia faceret dignus erat morte, vt patet Leuit. 17. cap. sed hoc non fiebat intra atrium tabernaculi, sed in ipsa ciuitate quæ peccauerat, vt dicitur in litera, quòd cuncta cum ea comburi debebant, vt esset tumulus sempiternus, ergo non erat sacrificium: multæ quoque aliæ rationes possent ad hoc adduci sumptæ ex proprietatibus sacrificiorum, de quibus non expedit vlteriùs dicere.

Sacrificium triplex

Respondetur, quòd ista incensio ciuitatis non erat sacrificium factum Deo: quia sacrificium in tres distinguitur species, scilicet in holocaustum, & victimas pacificas, & hostiam pro peccato, vt colligitur Leui. 1. & 3. & 4. cap. & quasi per totum, sed nullum de istis poterat hic esse, ergo non erat sacrificium: antecedens patet inquirendo proprietates communes conuenientes ipsis sacrificijs, scilicet quòd fierent in loco debito, scil. atrij tabernaculi, & quòd fierent à debito ministro, scil. à sacerdote, & quod obseruaretur munditia immolandorum pecorum: debebant etiam obseruari conditiones propriæ cuiuslibet generis istorum sacrificiorum: nam sicut in speciebus naturalibus, sicuti sunt distinctæ species, ita distinguuntur passiones: ita in speciebus diuersis sacrificiorum oportet esse distinctas proprietates eorũ: de his autem nihil obseruabatur incendendo taliter aliquã ciuitatem, ergo nõ erat sacrificium propriè dictum. Erat tamen ista incensio ciuitatis cum omnibus qui intra erant, quoddam genus oblationis factæ Deo: nam oblatio generalius quid est quàm sacrificium, sicut primitiæ offeruntur, & precium redemptionis hominum, & asinorum primogenitorum, vt patet Exod. 13. & Num. 18. cap. tamen ista precia non immolabantur, quia impossibile erat ea immolari: sic ergo de ista ciuitate dicendum est, quod sicut odor holocaustorum, & aliarum victimarum erat gratus Domino, vt patet Leuit. 1. & in multis alijs locis, ita odor istius ciuitatis incensæ erat Domino gratissimus, licèt non esset sacrificium, & hoc notauit litera hic cùm dixit, vt vniuersa consumas Domino Deo tuo: & non dixit vt vniuersa sacrifices, aut immoles Domino Deo tuo: nam ad immolandum multæ cæremoniæ requirebantur, quarum nulla hic obseruabatur: ad consumẽdum autem solùm requirebatur ignis appositio, quæ cuncta consumens vocaret, & hoc fiebat in ciuitatibus: quòd autem in hoc esset cultus Dei specialis comburendo homines, & pecora, cæteraque patet: quia nunquàm poterat aliquid voueri Deo, nisi illud esset specialis cultus Dei, vt quòd quis voueat castitatem, vel ieiunium, aut cætera bona opera, quæ specialiter sunt ad Dei honorem: sed talis incensio ciuitatum, & occisio hominum, pecorumque, & cæterorum Domino vouebatur: ergo erat aliquis specialis cultus Dei in ea, antecedens patet Numer. 21. cap. vbi cùm Chananæus rex Arad cum populo suo iuerat in bellum contra Israelitas, & accepit ex eis prædam, & tunc sequitur in litera, atque Israel voto se Domino obligans ait, si tradideris populum istum in manu mea delebo vrbes eius. Sed dices, quod fortè Israel malè vouit, quia non debuisset vouere immolare Domino viros & pecora:

Respondetur quod falsum est: nam in eadem litera sequitur immediatè, quòd benè egerint Israelitæ cùm dicitur, exaudiuitque Dominus preces Israel: & tradidit Chananæũ, quem ille interfecit subuersis vrbibus eius, idem patet Iosue 6. cap. nam cùm Deus dixisset Iosue, quòd traderet in manibus eius Hierico, mandauit cunctis de populo, quòd illa ciuitas esset anathema, id est, segregata ab humanis vtilitatibus, & Dei obsequio applicita: ita quòd viros, & vxores, & pecora, & supellectilia omnia, quæ in ciuitate erant, vno incendio conflagraret: & postea nullus habitaret in illa, sed esset eremum vsq; in sempiternum: quod autem hoc in Dei cultum factum fuerit patet, quia dixit omnia vasa auri, & argenti, & æris, & quicquid ferri reperiretur, Domino consecraretur, reponereturque in thesauris eius: erat ergo acceptissima Domino talis incensio ciuitatum.

Sed adhuc dices quomodo homines poterant ista con-

A

sumere ad seruitium Dei, cùm non sint res quæ de se applicari possint cultui Dei sicuti canes, & immunda pecora, & similia?

Respondetur, quod non est eadem ratio quantum ad omnia ista: est enim specialis ratio quantum ad ipsos homines qui erant in talibus ciuitatibus, scilicet, quia licet Deo non esset accepta hostia immolatio alicuius hominis, tamen quia isti idololatræ valdè peccauerant, iustum erat eos crudeliter lacerari: & quia alij qui non erant idololatræ incendendo ciuitatem, & consumendo omnia infligebant meritas pœnas peccantibus, erat gratissima mors Domino mors ipsorum idololatrantium, & recipiebat eam tanquàm sacrificium: nõ quidem quòd acceptaret Deus ipsorum idololatrantium mortem propter ipsos, qui moriebantur: nam isto modo sola mors Sanctorum est Domino preciosa, vt patet Psalm. 115. mors aut malorum abominabilis, sed erat mors ista gratissima Deo propter eos qui eam infligebant: ideo ad honorem Dei talis consumptio fiebat: in pecoribus autem & omnibus alijs rebus erat alia ratio, quia cùm illi possessores propter delicta sua mori deberent, res eorum manebant possidendæ reliquo populo: quod ergo ipse populus cuius iuris omnia illa effecta erant, propter Dei amorem abdicaret à se, & incenderet ea in cultum Dei, vt totus populus terreretur: & illa quæ pertinuerãt ad viros infandissimos ad nullum vltrà applicarentur, sicut ergo cùm quis aufert sibiipsi aliquam rem quam possidet, & Deo tribuit, est gratus Deo: ita cùm

B

populus istas res pro suis possidere deberet per mortem aliorum, & Deo attribuebant abdicando à se, & incendendo, dicebantur consumere ea in honorem Dei, & verissimè sic erat: ista ratio etiam applicari potest ad ipsos viros, qui in ciuitate illa occidebantur: nam cùm isti peccauissent maximè contra Deum, merebantur effici serui propter peccatum suum, & hoc quòd fierent serui eorum qui non peccauerãt: quod autem reliquus populus potens habere vtilitatem recipiendo illos in seruos, aut vendendo alijs gentibus, propter Deum careret illa vtilitate, erat quidam cultus Dei, antecedens patet ex similitudine: nam sic iura canonica sanxerunt de aliquibus multum peccantibus, scilicet de illis qui Sarracenis arma, & naues, & ferrum, & lignamina galearum tribuunt: aut in eorum nauibus sunt magistri in practica exercenda, quòd omnium rerum suarum possessione per seculares principes mulctentur, & efficiantur serui capientium eos, vt patet extra de Iudæis, & Sarracenis, in c. ita quorundam.

Alia ratio communis ad ista esse potest, scilicet, quòd licèt istæ res incensæ de se non placeant, immò sint abominabiles, tamen magis placet Deo obedientia illa, quæ exhibetur in quantum ad mandatum eius omnia consumuntur, quàm quòd aliquid alterum fieret de illis rebus, vt patet 1. Regum 15. cap. immò si populus vellet accipere de pecoribus

C

ciuitatis illius, vt ea postea offerret Domino, & non ad alium finem, non placeret Domino talis immolatio, sicut cùm Saul reseruauit pinguiora pecora terræ Amalech ad immolandum, quæ tamen Deus mandauerat occidi, displicuit Domino, & priuauit posteritatem eius regno ob hoc, vt patet 1. Regum 15. cap.

Et sit tumulus sempiternus. Et sit in æternum pro sepultura eorum, quæ intra occisa sunt: quia primò occidebantur homines, & pecora intra ciuitatem, deinde deijciebantur muri, & vniuersa domorum congeries super mortuos, & sic tota ciuitas videbatur vnum sepulchrum omnium mortuorum.

Non ædificabitur amplius. Id est, postquàm sic in vltionem sceleris idololatriæ talis ciuitas combusta, & in solum redacta fuerit, nullus debebat ibi sedes locare, quòd si quisquam contra hoc attentare vellet, magni criminis reus erat, violãs præceptum Domini, & non solùm hoc, sed etiam per hoc videbatur consentire malitiæ perpetratæ in ciuitate illa. Hoc autem est, sicuti cùm quis commisit in regem crimen læsæ maiestatis, facit prosterni omnem habitationem eius vsque ad fundamenta, & nullus posteà in ipso loco domos facere potest: aut de rebus pertinentibus ad ædificia illa nihil assumi debet pro aliquo ædificio: si quis autem ibi sedem locare maluisset priori crimini fauere censebatur, & regi noxius erat ad pœnam. Deus etiam peccantibus valdè ciuitatibus

Anathema assimilabatur crimini læsæ maiestatis

D

tales pœnas infligit, vt totaliter deserantur, nec habitentur in sempiternum, vt patet de Babylone, quæ propter multiplicationem fornicationum suarum, cùm esset meretrix magna, meruit tali damnari sententia, vt semel desolata in æternum non habitaretur, vt patet Esai. 13. cap. cùm dicitur: & erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclita in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & non habitabitur vsque in finem, nec fundabitur vsque in generationem & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & syrenæ in delubris voluptatis. Et sic Iosue cùm propter peccatum Hiericontinorum eos quasi primitias bellorum suorum Domino totaliter obtulisset, mandauit sub imprecatione malorum ne quis in futurum ædificaret Hierico, vt patet Iosue sexto cap. cùm dicitur in tempore illo imprecatus est Iosue dicens maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hierico, in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas illius. Peccatum aut volentium rursus talem construere ciuitatem erat, quod vsurpabant ea quæ ad Deum pertinebant, sicut si quis aliquam rem Deo vouisset & obtulisset, iam res illa sanctificata erat, si autem iste postea vellet rem, quam vouerat accipere, vsurparet eam Deo cùm iam non sibi, sed Deo pertineret: vel si aliqua res secundùm legem sacra esset, & si aliquis

E

eam possidere vellet, peccabat, vt si quis res sacras possidere vellet, scilicet calices consecratos volendo eos pro vsibus suis emere: & eodem modo si quis virgines sacras, scilicet virgines vestales ad stuprum sollicitaret, aut eas in vxores peteret, capite plectendus erat, sicut volunt leges humanæ Romanorum antiquæ. Ciuitas autem idololatrarum ex lege Deo dicata erat, vt patet hic, ergo nulli fas erat in ea sedem constituere, aut aliquid ex ea rapere etiam de ipsis ciuitatis ædificijs ad faciendum aliam vrbem, vel aliquam domum, scilicet lapides, aut ligna, & similia.

Intelligeae Babylonia Chaldaica ierusalem Egyptiaca.

Non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua. Non accipies pro te de his quæ in ciuitate illa sunt aliquid: quia anathema sunt, id est, separata ab vsibus humanis, & solo diuino seruitio applicata: si autem aliquis de illo quicquam acciperet, lapidari debebat, sicut patet de Achor qui lapidatus est, quia accepit de Hierico regulam auream, & pallium coccineum, vt patet Iosue 7. cap.

Anathema quid sit.

Vt auertatur Dominus ab ira furoris sui & misereatur tui. Ad duo superiora referri potest, primò ad destructionem ciuitatis, & est sensus, destruere ciuitatem idololatrantem, ne propter eam irascatur Dominus toti populo, vel vt auertatur ira Dei, quæ iam propter illud malum erat orta contra totum populum: quia propter tale peccatum vnius ciuitatis contra omnes irascitur Deus, nisi puniatur: quia consentire videntur, sicut patet Nume. 8. cap. vbi dicitur, quòd si aliquis

F

de populo accederet ad ministerium, vel ad vasa sanctuarij, contra totum populum oriretur furor Dei, potest etiam referri ad illud.

Non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua. Quia si aliquis inde aliquid acciperet, contra totum populum accẽderetur furor Domini, vt patet in Achor, quia ex eo quod ipse rapuit clàm de anathemate, iratus est Deus contra Israel, & fugit Israel hostes suos, & mortui sunt de eis 36. vt patet Iosue cap. 7.

Et multiplicet te. Quia propter obedientiam ad illud opus bonum Deus multiplicaret eos in bonis. *Quando audieris vocem Dei tui.* Mente obediendo. *Custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodiè.* Opere complendo. *Vt facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.* Refertur ad tria, suprà posita, scilicet vt eum verè colas, idololatriam fugias, & idololatrantes deleas.

(.·.)

CAPVT XIV.

Suprà 7. & 26 Leui 11

FILII estote Domini Dei vestri. Non vos incidetis, nec facietis caluitiũ super mortuo: quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit vt sis ei in in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram, &c.

FILII. Suprà posita sunt præcepta cæremonialia immediatè pertinentia ad latriam: hic ponuntur alia cæremonialia ad corporalem pulchritudinem, & munditiam, quæ in latriam ordinantur: quia contrarium facientes immundi erant, & prohibebantur ad loca sacra. Et tanguntur tria, duo principaliter. Primò remouetur quidam ritus pertinens ad cultum idolorum. Secundò præcipitur munditia ciborum, ibi. *Ne comedatis quæ immunda.* Tertiò duplex decimatio fructuum agrorum, ibi. *Decimam partem.* Et ista secunda diuiditur in tres partes. Quia primò datur munditia quadrupedum. Secundò piscium, ibi. *Hæc comedetis ex omnibus.* Tertiò auium, ibi. *Omnes aues. Filij estote Dei vestri.* In Hebræo habetur. *Filij estis Dei vestri.* Idem est, id est, fitis similes Deo, quia filij eius estis, sicut filius patris similis est. Et ad hoc hortatur Deus, Leuit. 11. & in multis locis, sancti estote, quia ego sanctus sum: id est, mundi: & istum modum loquendi habebat Christus, vt patet Luc. 5. cap. estote misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est. *Filij estote.*

Ritus quidam remouetur ad idolorum cultum pertinens: quo gentiles nimis stultè vtebantur.

QVÆSTIO I.

MELIVS enim dicitur secundùm quod litera nostra transtulit, quàm secundùm quod in cortice literæ Hebreæ habetur: nam litera Hebræa interdum non multum obseruat tempora, & modos proprios loquendi, secundùm id quod figuræ intendit: proprior enim quantum ad hoc est lingua Latina, dicendo enim secundùm literam Hebraicam filij estis: est sensus quod Hebræi erant filij Dei, ideo debebant esse mundi sicut Deus, non erant Iudæi filij Dei naturales, sed adoptiui, ideo munditiam illam quam Deus hic admonet, non habebant naturaliter magis quàm aliæ gentes, sed solùm decebat eos habere: quia Deus eos specialiter adoptauerat, sicut immediatè dicitur: te elegit Dominus populum peculiarem de cunctis populis terræ, secundùm literam nostram est sensus quòd Deus illos hortetur ad munditiam, dicens.

Filij estote Domini Dei vestri. Id est, faciatis quòd sitis filij Dei vestri imitando eum in munditia, sic enim dixit Christus Matth. 5. cap. estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est, quasi dicat Dominus Deus per naturam Deus vester est, sed vos nõ estis filij eius nisi per specialem munditiam eum imitantes, & ex hoc infert.

Non facietis caluitium. Id est, quia filij esse debetis Dei vestri eum in speciali munditia imitantes, & incisio carnium, atq; caluitij factio sunt quædam coinquinationes, non debetis eas facere, & non solùm concludit quãtum ad hoc, sed etiam quantum ad omnia quæ in hoc cap. vetantur: est enim hoc quoddam principium generale ad excludendam omnem immunditiam, sicut Deus nullam immunditiam habet. Et quia sunt etiam ibi quidam habentes immunditiam, ideo ab eis cauendum est, vt sitis similes Deo vestro.

Non vos incidetis. Id est, laniabitis carnes vestras in morte amicorum vel cognatorum, quia hoc idololatræ ad deorum cultum obseruabant, vt patet 3. Regum 18. cap. de sacerdotibus Baal qui se lanceolis incidebãt ad sanguinis effusionem, & hoc gratissimum erat dæmonibus: de hoc Seneca in tragœdia septima quomodo sacerdotes seipsos percuterent, & elicerent sanguinem, de hoc autem specialiter August. de ciuit. Dei, lib. 2. & 7. vbi agit de ludis Berecynthiæ matris deorum, quam Romani consultu Phœbi, & librorum Sibyllinorum de montibus Idæis apud Troiam transduxerunt, cuius festiuitatem solenniter Roma celebrabat, de quibus Ouidius in lib. Fastorum. Hæc sacrificia vocabantur Phrygialia, quia deæ Phrygiæ, id est Troianæ, scilicet Berecynthiæ impendebantur, quæ Augustinus in derisionem fugalia vocat, quia omnem virtutem fugere compellebant, quæ in 2. de ciuitate Dei se vidisse cùm iuuenis foret, testatus est. Et in hoc festo post multa quæ sacerdotes agebant, hoc præcipuum erat, quod furere incipiebant tanquàm amentia percussi huc atque illuc toruo ore vagantes: & illi sacerdotes in religione potiores habebantur, qui cæteris abundantiùs insanirent. Erat etiam in eis hoc dolorosum, quod se incidebant cultris ad sanguinis effusionem, & membrorum detruncationem: alij enim carnem de brachijs, alij de cæteris corporis partibus abscindebant: & qui in hoc Berecynthiæ deæ magis placere optabant, ea die sibi virilia abscindebant. Fiebant autem hæc omnia in memoriam Atys dilecti Berecynthiæ, quem cùm casta illa dea pulchrum iuuenem in fidem recepisset, ne vnquàm aliquam fœminam carnaliter diligeret, atque cognosceret, ipse passione ductus hoc nõ seruauit iuxta Ouid. in lib. Fastorum.

Ah pereant partes quæ nocuere mihi.

Ob quam commemorationem omnium cultuum dignissimum putant sibi virilia amputare.

Non facietis caluitium super mortuo. Id est, non eradicabis capillos qui sunt in anteriori parte capitis super frõtem, quia hoc propriè vocatur caluitium: eradicatio autem capillorum in alia parte capitis nõ vocatur caluitium, & sic patet in Hebræo. quia dicitur.

Non depilabis capillos, qui sunt inter oculos tuos. Id est, qui pendebant ante oculos: quia antiquitùs non erat vsus tondendi capillos in rotundum, vt nunc maximè in Iudæis, quibus vetitum erat, vt habetur Leuit. 19. cap. ideo capilli crescentes ante oculos pendebant, nisi colligarentur in funiculos, vt faciunt fœminæ, Et vetabatur hoc, quia sic idololatræ faciebant: vel quia non erat multum plangendum in morte amicorum, vt videretur differentia inter eos qui totum bonum hominis cessare putabant in morte, & eos qui hominem morientem ad maiora bona transire certissimè credunt. Et hoc magis Christiani obseruare deberent, quanto firmiùs, & clariùs resurrectionis fidem habent: ideo Apostolus redarguit valdè Thessalonicenses, qui mortuos suos secundùm morem gentilium excessiuè deflebant, vt patet ad Thessal. 4. cap. quanto magis viri ecclesiastici & religiosi hoc cauere deberent? quia in eorum conuersatione resurrectionis spes relucere debet: & quanto religionis vel sanctitatis gradus altior, tanto ab his debet esse remotior: patet hoc in sacerdotibus veteris Testamenti, Leuit. 21. cap. quia sacerdotes iuniores in nullo mortuo contaminari debebant, quibusdam paucis ibi exceptis, sed summus sacerdos in nullo mortuo contaminari debebat. Et quanto ille qui moritur melioris vitæ fuit, tanto meliùs de eius obitu dolendum est: quia decursa vitæ huius fallaci & ærumnosa caligine ad regnum lucis translatus est. Sed nobis miseris dolendum est, qui morte illius à tãto dominici gregis pastore deserimur: nemo tamen in his omnibus pias prohibetur impendere lachrymas: quia Christus in hoc nobis exemplum extitit, quia videns Mariam Magdalenam, & alias mulieres plorantes Lazarum mortuum, quem Christus tenere diligebat, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & lachrymatus est, vt patet Ioan. vndecimo cap.

Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo. Id est, populus applicatus ad cultum Dei, ideo mundus esse debes. *Et elegit vt sis ei in populum peculiarem.* Id est, in populũ specialiter dilectum & custoditum, vt thesaurum siue peculium, & sic habetur in Hebræo. *In populum thesauri.* Id est, reconditum vt thesaurum, thesaurus enim diligenter absconditur ne quis eum furetur, aut tinea demoliatur, sic Deus diligenter respiciebat ipsos Iudæos cauens ne qua eis insurgeret tribulatio: & verissimè sic erat: quia nunquàm eis aliqua eueniebat aduersitas nisi in eis prior fuisset iniquitas.

* * *

D *Stultitia gentilũ in cultu deorũ.*

E *An mortui sint à nobis lugẽdi.*

F

A

Quare Iudæi appellentur populus peculiaris Deo.

QVÆSTIO II.

VOCAT etiam populum peculiarem, id est populum peculij, quia peculium dicitur specialis pecunia, quam patrisfamilias filius nondum emancipatus possidet, & est distincta à bonis paternis, & talis pecunia vocatur castrensis, vel quasi castrensis, vt iura humana appellant. Castrensis pecunia dicitur, quæ in castris, id est in exercitu acquiritur, vt si filiusfamilias militet, & inde aliquid acquirat. Quasi castrensis dicitur illa quam filiusfamilias in aduocando, vel docendo acquirit: nam hanc suam efficit, & vocatur peculium, quia eam specialiter possidet. nam licèt cætera quæ patris sunt, ad filium iure hæreditario veniant, tamen illa non sunt nunc specialiter eius: ea autem quæ in castris, vel in docendo acquisiuit, sua specialiter sunt: ideo magis ad ea afficitur quàm ad alia bona paterna, quæ ad eum peruentura sunt, licèt plura sunt. Hoc notatur Exod. 19. cap. cùm dicitur: Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta: ibi enim tota similitudo peculij filijfamilias innuitur. nam sicut filiusfamilias habet omnia, quæ sunt patris sui, & specialiter tamen habet ea, quæ ipse possidet de lucro castrensi, vel quasi castrensi: sic Deus omnes gentes generaliter possidet, cùm dicitur: Mea est enim omnis terra. & subdit populum illum debere sibi specialem esse, cùm dicit: & vos eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta, & quantum ad istum amorem specialem quem Deus gerebat ad Hebræos, tantum diligebat eos, quòd videbatur eis fauere contra alias gentes: & esse inimicus aliarum gentium propter eos, sic patet Exodi 23. cap. cùm dicitur: Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetq; te angelus meus.

Quid sit pecunia castrensis vel quasi castrensis

B

De cunctis gentibus quæ sunt super terram. Quia licèt aliæ gentes sint populi Dei, sunt tamen per solam creationem & gubernationem, tu autem speciali modo per cognitionem Dei, & specialia beneficia: gentes enim à Deo quasi neglectæ erãt, permisit enim illas ambulare iuxta desideria sua, & tradidit eas in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ, vt habebetur ad Rom. 1. c. *Ne comedatis quæ immunda sunt.*

Vnde proueniat immunditia in his cibis hac lege prohibitis.

QVÆSTIO III.

ISTA non sunt immunda de se, sed ex sola legis determinatione, quia mundum est quicquid cum gratiarum actione & benedictione suscipitur, vt patet Act. 10. cap. quia nihil immundum vocandum est, quod Deus sanctificauit. Et patet hoc, quia si aliqualiter essent aliqui cibi naturaliter immundi, non quidem immundi, id est quia sunt malę digestionis, vel quia aduersantur sanitati, sed quia peccatum causant in comedentibus quandocunque: ipsi tibi essent semper mali, atque immundi essent: cùm ea quæ naturaliter sunt, semper talia sunt: sed manifestum est quòd nunc tibi isti, nec mali, nec immundi sunt: ergo nec antea de se immundi erant. antecedens patet Act. 15. cap. vbi Apostoli determinauerunt in primo Concilio, in quo præsidebat Iacobus minor episcopus Hierosolymitanus, quòd non obligarentur Gentes ad custodiam legalium, & specialiter ad comestionẽ carnium suillarum, vt non prohiberentur ab illa, & Apostolus ad Roman. 14. cap. vbi hanc quæstionem ventilat, dicit quòd bonum est non facere aliquam differentiam in cibis: sed quandocunque sunt merè omnes æquales ad bonum, & malum, existimando, si tamen aliquis infirmus est, vt non agat contra conscientiam, olus manducet: quia omne quod non est ex fide peccatum est, id est quòd quando aliquis agit quicquam quod fidei, id est credulitati suæ repugnat, siue conscientiæ, quod idem est, peccatum est: illi ergo qui prædicabant abstinendum esse à cibis legalibus, id est qui secundùm legem vetiti erant, sic redarguuntur, vt patet de beato Paulo redarguente Petrum, qui quasi esset obligatus ad legalia, quando veniebant aliqui Iudæi ad locum, in quo ipse morabatur cum Gentilibus, segregabat se à Gentilibus in cibis: cùm autem non erant ibi aliqui Iudæi, comedebat cum Gentilibus indifferenter de omni cibo, vt patet ad Galat. 2. capite, cùm dicitur: Cùm venisset Cephas Antiochiam, restiti ei in faciem, quia reprehensibilis erat: prius enim quàm venirent à Iacobo quidam, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent subtrahebat se, & segregabat, timens eos qui à circuncisione erant, & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis ad illam simulationem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus, si tu cùm Iudæus sis Gentiliter viuis, quomodo cogis Gentes Iudaizare? & hæc quæstio satis dubia fuit in tota Ecclesia ante determinationem per Concilium Apostolorum in Hierosolymis: Paulus tamen semper tenuit non obligari Gentiles, nec ipsos Iudæos ad obseruantias Mosaicæ legis, licèt non auderet eos, qui oppositum tenebant, redarguere: & isto modo loquebatur ipse ad Romanos in decimoquarto cap. dicens: Alius credit se manducare omnia, id est, credit quòd nullum peccatum est manducando quodcunque manducauerimus: qui autem infirmus est, id est, qui habet conscientiam infirmam, putans se adhuc ad legalia obligari, olus manducet: is qui manducat non manducantem non spernat: & qui non manducat manducantem non iudicet. scilicet, quòd quilibet de alio malum iudicare non debebat, siue manducaret, siue non manducaret: nam alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem, id est, quòd quidam erant de Iudæis, & Gentilibus tunc qui iudicabant diem inter diem, id est, qui iudicabant illam obligationem legalium mansisse ad quoddam tempus, sed non semper: alij autem iudicabant omnem diem, id est iudicabant illam obligationem legalium obseruantiarum manere in omne tempus. Et concludit ibi, quòd quilibet istorum benè agere potest, dicens: vnusquisque in suo sensu abundet, id est quilibet habet pro se sufficientem determinationem si vnum agit: & qui manducat Domino manducat: gratias enim Deo agit. Apostolus tamen tenebat non manere istam obligationem: nam aliàs cùm lex in contrarium staret, scilicet Mosaica quę vetuerat tales cibos, nisi quis apud se certus esset non teneri illa lege, præsumptuosus esset, & contra conscientiam agens: cùm etiam in dubio potius legi standum esset: Apostolus tamen firmiter tenebat, quòd non obligabamur post mortem Christi legalia obseruare, tamen volebat hoc sic prædicare, ne aliquos ad peccandum induceret agendo contra conscientiam: nam si ipse sic prædicasset, propter eius auctoritatem multi habentes conscientiam suam confirmatam ad oppositum non potentes deponere conscientiam erroneam, manducarent: & sic agerent contra conscientiam & peccarent, vel quia fortè viderent omnes alios comedentes, ne ipsi mali viderentur, comedebant, & conscientia eorum dictabat eis oppositum: ideo peccarent. Et hanc fuisse causam suæ taciturnitatis in hac materia, demonstrat ad Romanos 14. cap. in principio, dicens: Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Romani enim credebant se non obligari ad obseruantias legales: quando autem inter eos aliquis veniret, qui discerneret cibos, arguebant contra eum tanquam contra malum Christianum, & contristabant eum, faciebantque sæpè contra conscientiam agere. Apostolus autem admonet, quòd dato quòd ipsi firmati sunt in hac veritate, quòd non obligarentur ad legalium obseruationem: tamen non debebant infirmos argumentis suis conturbare: & sic dicebat Apostolus de idoloticis, id est de cibis consecratis idolis: quia conuersi ad Christum de Iudaismo, & multi de Gentilitate putabant peccatum esse sumere cibos de immolatis dæmonibus: quia credebant aliquam virtutem, vel potius infectionem per consecrationem dæmonum in cibis illis causatam esse. Apostolus autem dicebat prima ad Corinth. octauo capite, quòd idolum nihil est, & ideo nec in cibis immolatis idolis virtus aliqua aliàs infectio causari poterat, & consequenter comestio illorum ciborum non erat ex se mala, sed solùm ex conscientia infirma: ideo qui firmiores erant & sciebant nullũ peccatum esse in comestione talium ciborum, non debebant comedere de illis, ne infirmos scandalizarent

C

Quo intelligitur, omne quod non est ex fide, peccatũ est.

D

E

F

A lizarent incitantes eos ad agendum contra conſcientiam.

Hæc quidem ante determinationem huius quæſtionis fuerunt. poſt determinationem autem Apoſtolus firmiſſimè prædicauit à nullo tali ciborum genere ob religionem abſtinendum eſſe: & increpat eos qui tales obſeruationes neceſſitatis eſſe confirmant, vt patet prima ad Timoth. quarto cap. cùm dicitur: Spiritus manifeſtè dicit quòd in nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi, loquentium mendacium, & cauterizatam habentium ſuam conſcientiam prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus: & his qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem: ſic etiam ait Apoſtolus ad Coloſſenſ. cap. 2. dicens non debere obſeruationes illas manere, nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, & etiam ait Apoſtolus ad Titum capite 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum: ſed inquinatæ ſunt eorum mens, & conſcientia. Et non ſolùm de cibis, ſed etiam de cæteris legalibus obſeruationibus concluſit Apoſtolus, nihil proficere fidem Chriſti ei qui illa obſeruabat, vt patet ad Galat. cap. 4. Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, timeo vos ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. & poſtea ad Galat. 5. cap. de circunciſione quæ præcipuè inter legalia erat, concluſit: Ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circuncidimini Chriſtus vobis nihil proderit: teſtificor enim omni homini circuncidenti ſe, quòd debitor ſit vniuerſæ legis faciendæ: euacuati eſtis à Chriſto qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis: nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. nam in Chriſto Ieſu nec circunciſio aliquid valet, nec præputium: ſed fides quæ per charitatem operatur. loquendo autem hic de cibis ſpiritualibus qui hic vocantur, & tenuit quidem iſta inhibitio tempore huius legis, ſpecialis conſideratio eſt: cauſę autem huius prohibitionis poſitæ ſunt Leuit. 11. cap. & ibi requirantur.

B *Et capream.* Eſt caprea ſylueſtris capra, quæ ſubtiliſſimos oculos habet, & in curſu velox eſt: vt patet ſecundo Regum ſecundo cap. vbi dicitur, quòd Aſael erat curſor velociſſimus quaſi vnus ex capreis, quæ morantur in ſyluis: habent etiam cornua, & capita dura, vt de montibus altiſſimis ſe præcipitantes ſe ſuper cornua illæſas ſuſcipiant, vt ait Iſidorus Etymol. 12. lib. *Bubalum.* Bos ſylueſtris eſt: iſti in Italia abundant. *Tragelaphum.* Animal eſt partim ſimile hirco, partim ceruo, & vocatur alio nomine hircoceruus, vt eius demonſtrat origo nominis, à tragos quod eſt caper, & laphos quod eſt ceruus, quia caper ceruus. *Pigargon & Origen.* Nomina ſunt quadrupedum quæ in terra iſta non habentur, ſed ſunt in terra promiſſionis, ideo nomina eorum in vſum noſtrum non venerunt. *Cameleopardalum.* Valdè differunt cameleon, & cameleopardalus: quia cameleon paruus vermis eſt, qui ad omnem colorem mutari videtur, vt patet 1. Ethicorum. cameleopardalus eſt animal quadrupedale multorum animalium figuras referens: eſt enim in capite ſimile camelo, in collo ſimile equo eſt, in reliquo corpore maculis vt pardus reſperſus eſt, pedes autem bubalo ſimiles habet: cameleontem autem Ariſtot. maximè mutabilem dicit, ideo vult quòd felix debeat eſſe firmatus, & non dependens ab infortunijs, vel infortunijs: quia ſic felicem debiliter firmatum cameleonta prædicabimus, id eſt ſæpè mutatum ſicut cameleontem ad omnem colorem.

C *Cameleopardalus quid ſit.*

An ſit verum quòd cameleon ad omnem colorem oppoſitum mutetur. Et de repræſentatione ſpecierum viſibilium tam in oculis quam in ſpeculo.

QVÆSTIO IIII.

CIRCA hoc tamen licèt ſic vulgariter dicatur, quòd cameleon ad omnem colorem oppoſitum mutetur, tamen non eſt ſic verum, licèt ſic videatur: nam quicunque viderit cameleontem, putabit realiter mutari colorem eius: quia quando apponitur ei res nigra, & cameleon niger videtur: ſi autem res rubra adiungatur, & ipſe ruber videbitur: non tamen poteſt eſſe quòd mutetur in eo color ſuus, & inducatur alius ſecundùm ſimilitudinem rei appoſitæ. D

Primò, quia ſi aliquis color deberet induci in cameleonte, hoc eſſet ab ipſo agente appoſito ipſi cameleonti, cuius ſimilis videtur cameleon: ſed hoc non poteſt ſtare, quia color non habet aliquam actionem realem, ſed ſolam ſpiritualem: ſed generare colorem aliquem, & corrumpere præexiſtentem, eſt actio realis: ergo non poteſt iſtud cauſari ex aliqua re ex ſola appoſitione ad aliquid coloratum tali colore. antecedens patet: quia color non ponitur de formis actiuis naturaliter. nam iſtæ ſolùm pertinent ad tactum, vt calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, & ſimilia: color autem ſolùm habet quòd multiplicet ſpeciem ſuam, & iſta ſpecies agat in potentiam viſiuam: iſta autem actio ſpiritualis eſt, quia ſolùm pertinet ad res ſpirituales, ſcilicet cognitiuas: in alijs autem rebus talis actio non habet locum, vnde licèt ſpecies viſibilis multiplicetur ad aliquem parietem, vel aliud corpus non habens potentiam viſiuam, non habet ibi aliquam actionem: res autem calidæ & frigidæ, humidæ & ſiccæ, in quaſcunque res naturales actionem habent, etiam ſi illæ res non ſentiant illam actionem, vt calor agit in lapidem, in lignum, in terram, & ſic de cæteris: quòd autem generare aliquem colorem, vel corrumpere ſit actio realis, manifeſtum eſt, quia colores in omnibus rebus naturalibus ſunt, ſiue ſentientibus, ſiue non ſentientibus. non tamen eſt immutatio ad colorem omnibus rebus naturalibus, ſed in ſolis habentibus cauſam viſiuam: ergo multum differt color, & immutatio facta à colore: & ſic non poterit res colorata per actionem coloris generare colorem ſimilem in aliam rem quamcunque, nam tunc cùm actio colorati vel ipſius coloris recipiatur maximè in oculo, ergo maximè oculus eſſet coloratus, ſed non eſt ſic: quia immò ipſe oculus non videtur coloratus, vel eſt ipſe color remiſſus valdè. item dato, quòd colorata res ſecundùm quòd colorata haberet actionem ad cauſandum colorem in aliam rem: tamen iſta actio cùm eſſet naturalis, oportebat quòd fieret per ſucceſſionem: quia natura non valet operari in inſtanti quod eſt operari ſine motu, ſed operari per motum ſucceſſiuè: ſed conſtat quòd iſta mutatio cameleontis ſubita eſt, ſcil. quòd ſtatim quòd apponitur ei aliquis color rei extraneæ, mutat colorem quem habebat: ergo non eſt ibi vera mutatio faciens acquirere colorē & deperdere. E

Item colores cauſantur in perſpicuo terminato ex commixtione elementorum ad ſeipſa: ſicut ergo ſunt diuerſæ cōmixtiones, & gradus commixtionum in qualitatibus elementaribus, ita erunt diuerſi colores, & gradus coloris in rebus compoſitis elementatis: cùm ergo color aliquis debet acquiri, neceſſe eſt aliquid variari in commixtione qualitatum elementalium: ſed iſta variatio non poteſt fieri ſubito, ergo nec talis mutatio coloris poteſt fieri ſubito appoſito alio colore, vel aliter, ſcil. quòd nullus color poteſt efficere mutationem in commixtione qualitatum elementalium, cùm potius ſit quidam effectus tantus color ab ipſa diuerſitate in cōmixtione qualitatum elementalium. Dicendum ergo quòd in cameleonte non mutatur aliquis color ad præſentiam cuiuſcunq; rei, ſed ſolùm apparet nobis talis mutatio facta: cauſa autem huius apparitionis dependet ex actione ſpecierum viſibilium: q̄dam enim ſpecies viſibiles fortiter operantur in ipſam potētiam ſuſceptiuam intensè imprimentes: aliæ ſunt ſpecies quæ remiſsè imprimuntur. F

Notandum de ſpecieb. viſibilibus.

Pro quo ſciendum, quòd quando ſpecies duorum viſibilium ſimul ſunt, illa ſpecies ſolùm immutat, quæ eſt fortior in imprimendo: eſt etiam regula quòd magis immutat potentiam viſiuam ſpecies directa ſiue radius directus quàm ſpecies reflexa, vel per remeationem. ſpecies directa eſt, quæ eſt ab obiecto immediatè in potentiam, ita quòd non terminatur in aliquid alterum, ſed in organum viſionis: ſpecies reflexa eſt illa quæ ab obiecto multiplicatur & terminatur ad aliquod corpus, & inde reflectitur ad potentiam viſiuā: & ſic eſt in viſione ſpeculorū: quia primò ſpecies alicuius rei multiplicatur ad ſpeculum, & ab ipſo ſpeculo reflectitur ad potētiam viſiuam: ideo quantum ad eandem rem nunquam eſt tantæ

virtu-

A virtutis,& impressionis visio reflexa,sicut visio directa: & sic imprimitur in oculo meo species alicuius hominis, si respicio eum directè, valdè: & tamen si respicio eum indirectè, scilicet,quia video imaginem eius in speculo, modicum imprimitur in oculo meo species illa. Et per hoc soluitur commune problema, scilicet,quare citius obliuiscitur homo imaginis suæ, quàm imaginis aliorum hominum, & aliarum rerum. ratio enim est, quia nullus homo potest videre imaginem suam directè,scil.seipsum respiciendo,sed videt eam indirectè in speculo: ista autem visio modicæ impressionis est, ideo non manet memoria illius. nam species dum fortius imprimuntur,diutius manent: memoria autem solum est dum manet species: ideo quia ibi manet species pauco tempore, necesse est pauco tempore manere memoriam imaginis nostræ in nobis: & hoc innuit Apostolus Iacobus in canonica sua,capite secundo cùm dicit: Estote autem factores verbi,& non auditores tantùm: nam si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo:considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit: licèt hoc generale sit quantum ad eandem rem, scilicet, quòd semper species visibilis directa alicuius rei est fortior quàm reflexa, tamen quantum ad diuersas res,fallit:quia aliquis color est cuius species reflexa fortior est quàm species alterius rei directa: patet hoc de corporibus

B specularibus,& de pupillis oculorum nostrorum:nam speculum quia corpus est elementatum,necesse est,vt aliquem colorem habeat: sunt tamen ita debiles isti colores, quòd impressio sua est multum leuis,& magis sentitur impressio indirecta,vel reflexa alterius rei quàm species directa istorum: & ob hoc in speculis repræsentantur imagines, & videt homo in eis imagines, & in ea parte vbi apparent imagines magis immutant nos ipsæ imagines,quàm color speculi, quia color ipsius speculi valdè debilis est. Idem de pupilla, quia non videtur habere aliquem colorem,licèt eum debilem habeat:apparent in ea imagines nostræ, & iudicamus de colore imaginum nostrarum in pupilla alicuius magis quàm de colore ipsius pupillæ:licèt color pupillæ directè videretur,& color imaginis repræsentatæ in pupilla indirectè videtur.Et ob hoc licèt vitra sint corpora specularia,quia habent colorem leuè, tamen multa intra habent colorem densum, scilicet nigrum valdè,vel rubeum,aut rubricatum, & tunc non repræsentatur in eis aliqua imago, sed in solis vitris albidis, quæ magis declinant ad lucem,quàm ad colorem. Sic ergo hic in cameleonte est color quidam naturalis, sicut in alijs rebus naturalibus,sed ille est valdè leuis sicut color pupillæ, & speculorũ, ideo sicut non videtur color pupillæ, sed species rerum repræsentatæ in pupilla, (licèt color pupillæ directè videri deberet) ita non videtur color naturalis cameleontis, sed color rerum repræsentatarum in eo, quia aliarum rerum colores reflexi fortiores sunt quàm ipse color cameleontis directus, ideo quandocunque cameleon alicui rei obijcitur, color illius rei multiplicat speciem suam ad cameleontem, & videtur cameleon coloratus tali colore quali est ipsa res cui obiectus est: cùm ille color reflexus sit fortior quàm color ipsius cameleontis: & per hunc modum necesse est cameleontem ad omnia mutari in diuersis coloribus; sicut speculum recipit diuersos colores obiectis diuersis rebus, & tamen semper manet suus color.

C *Duas cõditiones habere debet animal mundũ ad esũ.*

Omne animal quod. Hic ponuntur duæ conditiones, quas habere debet animal mundum ad cibos: prima,quòd vngulã diuidat: secunda, quòd cibos ruminet, quodcunque autem deficiat in vtraque siue in vna earum immundum est. *De his autem quæ ruminant.* Hic ponit aliqua animalia quæ vnam cõditionem immunditiæ habẽt: & in altera deficiunt.camelus, lepus, & cyrogrillus ruminant, sed vngulam non diuidunt: porcus è contrario vngulam diuidit, sed non ruminat.

Et cadauera non tangetis. Quia ita immundi erant ad ingressum Sanctuarij tangendo porcum morticinum, sicut comedendo,sed quantum ad aliam culpam, & pœnam differt multum, quia si aliquis scienter comederet carnem porcinam, mortem merebatur, sed non si scienter morticinum porcum tetigisset.

Hæc comedetis ex omnibus. Hic ponitur secundum,scil.munditia piscium. duas conditiones ponit in piscibus, scil. quòd pinnulas & squamas habeant,pinnulæ vocantur quędam alæ quibus pisces natant, quas non habet anguilla, & similes pisces:ideo Hebræi non comedunt illam. Causa autẽ omnium istarum conditionum,siue in quadrupedibus,piscibus, vel auibus,secundùm literam posita fuit Leuit.11.c. D

Omnes aues. Hic ponitur tertium,scilicet munditia auium. *Omnes aues mundas comedite: immundas ne comedatis, aquilam & griphem.* Sed non dat regulam de munditia auium, sicut dedit de piscibus, & animalibus quadrupedibus. Iudæi autem duas conditiones obseruant:Prima,quòd auis iecur habeat.Secũda, quòd digitum prominentem in posteriori pedis habeat, quasi in medio cruris.*Halietum.* Qui dicitur falco, & est auis regia:alij autem halietum auem paruam dicunt,quæ de rapinis paruorum auium sustentatur, vt ait Petrus in aurora.

Obtinet halietus paruas in corpore vires,
Sunt aues minimæ præda cibusq; suæ.

Ixon. Auis est pertinens ad genus vulturis, minor tamen vulture candidi coloris.*Et omne corumi generis.* Id est coruus,& pica,& cornix,quæ nõ nominatur coruus, sed ad genus coruorum pertinet. *Struthionem.* Auis ponderosissima est, quæ cùm alas habeat in altum se tollere non potest, & est valdè terrestris naturę,oua enim non fouet,sed negligenter in arena relicta fotu pulueris animantur,vt ait Isid.12.ety. *Noctuam.* Quæ nycticorax dicitur, vel lucifuga, quia de die comparere non audet propter oculorum teneritudinẽ, & si compareat quasi nihil videt:de qua Phil.2.Meta. *Larum.* Auis q̃ in aqua habitat & in terra,& piscibus insidiatur,vnde Petrus in aurora:

Fluminis habitator larus, & incola terræ.

E

Et accipitrem iuxta genus suum. Quia multi modi sunt accipitrum,qui corpulentia, & animositate nimis differunt. *Herodium ac cygnum & ibin.* Ad genus accipitris pertinet, & est auis parua magis animo & viribus, quàm corpore potens. quæ si primo impetu prædam non apprehendat, amplius persequi non dignatur, seipsam iracundia lacerans. *Mergulum.* A mergendo frequenter dicitur,& fulica vocatur,id est aucide braua,siue coruus marinus,vtriq; enim frequens immersio pertinet, Iudæi autem coruum marinum vocant. *Porphirionem.* Quæ pellicanus nominatur:est autem duplex, quædam quæ aquis maximè incolit.aliqua quę in terra semper viuit,& serpentibus insidiatur, oua eorum ipsosque serpentes mortuos deuorans. *Ac nycticoracem.* Noctua & nycticorax idem sunt, vt suprà diximus,& vt plerisque videtur,sed hic ponuntur vt distincta. Melius dicetur quòd noctua maior auis est quàm nycticorax,& est coloris albi,nycticorax magis ad coruinam speciem declinat, & coloris medij est vocaturque vulgariter machuelo. noctua vulgariter lechuza dicitur. *Onocrotalum.* Auis longi rostri est apud flumina manens,& maximè anguillis insidiatur,quæ cùm dormierit,resupina iacet rostrum erigens vt accipitris resistat insidijs, quæ ab aliquibus vocatur garca. *Caradrium.* Id est grus. *Et omne quod reptat & pinnulas habet non comedetur.* Vt serpentes alati,& squamas habentes. *Omne quod mundum est comedite,quicquid morticinum est non vescimini ex eo.* Siue animal mundum siue immundum esset. hic autẽ de mundis dicitur, quia de immundis manifestum est, quòd nullo modo comedere ea licet. *Peregrino qui intra portas tuas est da vt comedat.* Isti sunt aliqui gentiles peregrinantes inter eos, qui nondum ad Iudaismum conuersi fuerant. *Aut vende ei.* Si pauper est gratis da ei.si diues est,vende ei. *Quia tu populus sanctus Domini Dei tui es.* Ideo comedere non debes. *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* Prohibet hic quandam cõsuetudinem idololatrarum,qui deos agrorum placare volentes,hœdos in materno lacte coquebant, sperantes se sic omnium frugum copiam habituros.Iudæi autem à Deo vero omnia abundanter habebant,si recto corde in eum tenderent. F

Decimam partem separabis. Hic ponitur tertium, scil. decimatio omnium fructuum agrorum,& intelligitur hoc de secunda decima, vt probauimus suprà 12. cap. *Et comedes in conspectu Domini Dei tui.* Qui autẽ volunt,quod sit ista decima prima,mutant hic personã ita,q; ly separabis referatur ad populares,& ly comedes referatur ad Leuitas,sed ista mutatio nunquã fieri debet,nisi ex causa necessaria, & q.a ipsa Scriptura de se demõstrat,aliàs vbicunq; possemus mutare psonas, & nulla certitudo in Scriptura maneret. Item quia hoc dato multũ dissonat litera,quia dicitur immediatè,quod istam decimã in cõspectu Dñi comedetis, id est in atrio tabernaculi,vel ad minus.*In loco quę elegerit Dominus.* Sed hoc non conuenit decimę *Decimatio omniũ fructuũ agrorũ*

Leui-

A Leuitarum, quia illam in omni loco comedere poterant, vt patet Num.18.c. Item quia Leuitæ habebant istas decimas in possessionem & hæreditatem, cùm nihil aliud haberent vnde viuerent, vt patet Num. 18. c. ergo non solùm indigebant ista decima pro loco quem elegisset Dominus, sed magis pro ciuitatibus suis, vbi habebant familias suas. *Primogenita de armentis, & ouibus tuis.* De hoc dictum fuit suprà 12.cap. *Vt discas timere Dominum Deum tuum.* Id est sic faciendo assuefies ad rectè timendum Dominum Deum tuum, scil. timore casto, vel filiali, qui cum amore perfecto est, & per bona opera acquiritur: timor enim seruilis principium benè operandi est, sed per bona opera non acquiritur: timor autem filialis principium non est, sed per opera acquiritur loquendo semper de acquisitis, secùs est de infusis.

An hoc intelligatur de timore seruili vel filiali, & quæ mala fugienda, & quæ bona appetenda vtrinque magis censeantur.

QVÆSTIO V.

DE quo timore hoc intelligatur, an de seruili, vel filiali, dubium est: nam videtur de vtroque posse intelligi: de seruili quidem, scilicet quòd isti Iudæi, qui adhuc erant populus imperfectus, mouerentur in bonum per timorem seruilem: & sic faciendo ista, quæ mandata erant à Deo, timebãt eum seruiliter agentes per timorem desiderio vitandi mortem, vel pœnas infernas: magis tamen adhuc desiderio vitandi res temporales, quas magis timebant, cùm de eis non multum attenderent: bonum namque & malum aduersa fronte diffident, ideo quantum se aliquis habet ad cauendum malum aliquod, tantum se habet ad consequendum insectandumque bonum oppositum, sic enim innuit Aristot. in 8. Ethic. dans cognosci pessimum vitium per optimam virtutem oppositam, & optimam virtutem per pessimum vitium, sed sic est, quòd mala vitæ futuræ opponuntur directè bonis vitę futuræ, & mala vitæ præsentis bonis vitæ præsentis: ergo, qui multum fugit mala vitæ futurę, multum diligit bona vitę futuræ, quia non cognoscebant ea cùm adhuc carnales existerent, ergo modicum fugiebant mala vitæ futuræ, qui pari ratione non sciebant bona: bona autem huius seculi sciebant bona, quæ cernuntur, scilicet abundantiam diuitiarum, & multiplicationem filiorum, quietem in terra, immunitatem à languoribus, & suis hostibus dominari: hæc enim sunt quæ maximè Iudæi huius seculi amatores desiderabant, nimis ergo mala opposita fugiebant, esuriem, nuditatem, sitim, pestẽ, gladium, captiuationem, & duram hostium seruitutem. Vt ergo hæc non inferret eis Deus quę posse eum inferre eis experimento constabat, timebant eum, & obseruabant mandata eius, si autem hæc mandata nõ obseruarent, nec eum seruiliter, nec filiali amore diligerent: potest etiã hoc de filiali amore intelligi, scil. quòd isti facerent ista quæ mandata sunt, & sic timebunt Deum omni tempore, id est habebunt reuerentiam ad eum omni tempore sicut filij ad patrem. quis autem timor magis cõueniat huic literæ. Respondetur quòd timor filialis est, de quo debet intelligi, & patet, quia timor seruilis solùm habet se vt via ad bonum, & nõ vt terminus, cùm non possit manere in vita æterna, etiam quia ipse non habet in se aliquam rationem boni, sed solùm sortitur eam per accidens inquantum dat occasionem ad benè agendum, quando autẽ nullam ad benè agendum dat occasionem, nec per se nec per accidẽs est bonus sicut in dæmonibus qui valdè timent Deũ, & contremiscunt coram eo, vt patet Iacob. c.2. scil. dæmones & credunt, & contremiscunt, tamen dæmones non arcentur ab aliquo malo per hunc timorem, licèt quanta mala possunt & agere sinuntur, tanta agunt, & dum magis timent, magis ei quem timent inuident. nunc ergo cùm non possit habere rõnem finis, nõ ordinabũtur aliqua in ipsum: sed hic ponitur subordinatio quorundam bonorum actuum ad ipsum timorem, scilicet completio mandatorum hic positorum, cùm dicitur quòd daret primogenita, & decimas, & primitias, vt discat timere Dominum omni tempore, ergo timor finis est, sed nõ potest poni seruilis timor, vt finis talium operationũ, ergo non potest intelligi de amore seruili, intelligendo autẽ de amore filiali, est sensus, exerceas te in his præceptis, vt sic causes in te timorẽ Dei, id est quandam reuerentiam ad Deũ secundùm quam reuerearis omni tempore. *Et longior fuerit.* Istud est vnum impedimẽtum ad non deducendum primogenita ouium, & armentorum in locum Sanctuarij. *Tibiq; benedixerit, nec poteris ad eum cuncta portare.* Id est multiplicauerit greges, & armenta tua. & est hoc secundum impedimentum, scilicet multiplicatio: quia si magnus grex vel armentum duci deberet, magnus labor esset: & sic in deportandis frugibus. *Vendes omnia & in pretium rediges.* Ista est alia ratio quare non intelligatur de decimis Leuitarum, quia magnum damnum esset hoc Leuitis, quia fortè illæ res quæ dabãtur pro decima erant in paruo valore, ideo daretur pauca moneta, & in locũ ad quem portarent pecuniam & in quo esset Sanctuarium valerent maiorem pretij æstimationem, & sic redigerentur in pauca cùm iterum emerẽt. Item quia labor esset Leuitis emere in loco Sanctuarij, & deinde ferre in ciuitates suas, & tamẽ necessarium erat ad familiarum suarum sustentationem, melius ergo videtur, vt declaratum fuit suprà 12. c. quòd Leuitæ decimã suam per propinquas ciuitates vrbibus suis decimas colligerent. *Emes ex eadem pecunia quicquid placuerit tibi, & epulaberis.* Et etiam ista est alia fortissima ratio, quia qui dabat istã decimam, comedebat eam, quòd nullo modo dici potest de decima Leuitarum, quia tunc paucum aut nihil maneret Leuitis. & nec valet, quod dicebat Nicolaus, quòd isti dãtes decimas non comedebant de decimis, sed de carnibus victimarum pacificarum, quia dicitur hic quòd ex eadem pecunia q̃ data fuit pro rebus venditis, emerent oues, vel boues, vinum, & omnia quæ desiderarẽt, & epularentur. Et si dicas q̃ hic est mutatio personę, & quòd intelligitur hoc de Leuitis, quòd ipsi reciperent pecunias de rebus venditis, & ex illis pecunijs emerent sibi quicquid vellent. Hoc non potest stare, quia dicitur epulaberis tu, & domus tua, & Leuita, qui est intra portas: ergo nõ impossibile est quòd epulaberis referatur ad Leuitam, sed ad dantem decimas. *Siue ex armentis.* Iudei erãt multum dediti gustui, quia cùm rudes valdè essent, sola carnalia cognoscentes ferebantur in ista carnalia, Deus autem qui intrinsecè cognoscebat eorum defectum, & sciebat quid eis opportunum foret, vt sic eos cum lętitia magis ad cultum suum prouocaret, permittebat eos delectari in his quæ secundùm sensum, scil. in gustu, de quo magis diximus suprà c.12. *Siue ex armentis.* Armenta secundùm communem significationẽ pro magnis animalibus assumuntur, vt pro bobus, vaccis, & bubalis, atq; camelis, greges autẽ dicuntur congregationes minorum animalium, vt ouium, caprarũ, porcorum, & sic de cęteris. hic autẽ accipiuntur armenta è contrario, scil. pro paruis animalibus, vt capris, ouibus & porcis, & patet, quia sequitur immediatè. *Siue ex bobus.* Et ponuntur ista duo tanquã distincta: si tñ acciperetur armentũ propriè, cùm idem sit armentũ & bos, non distingueretur bos contra armentum. *Vinũ & sicerã.* Sicut in cibis carnium permittebat eos eligere quod vellent, ita in potibus dabat eis optionẽ. *Et omne quod desiderat aïa tua.* Id est omnia illa ad q̃ inclinaris secundùm tuam sensitiuã affectiuã, de quo magis diximus suprà 12. qũo anima desideret, & in hoc laxabat eis Deus spem in cibis & potibus, vt de quocunq; vellent comederent, & bibiberent, nam si limitasset eis cibos ad aliquod genus, quia ipsi erant imperfecti, tristarentur, & fugerent oblationem sacrificiorum, vt exercitationes in cultu diuino, quòd peius erat: vt ergo libenter mouerentur in cultum Dei, quasi non ex aliquo vrgenti præcepto, sed ex aliquo sui commodo, aut delectatione permisit eis cibis aut potibus vacare quibus vellent.

Et comedes coram Domino Deo tuo. Scilicet in atrio tabernaculi, quia qui sacrificium offerebat, intra atrium tabernaculi debebat illud offerre, aliàs mortis reus erat, vt patet Leuit. 17. cap. & si sacrificia pacifica erant, de quibus ipse offerens comedere debebat, intrabat offerens in atrium, & coquebat in cacabo, caldaria, aut lebete carnes victimarum, quæ ad ipsum sacerdotem pertinebant, & post sacerdos auferebat, quòd suum erat scilicet pectusculum, & armus dexter: vt patet Num. 18. c. & reliquę carnes manebant ipsi offerenti, vt patet Leuit. 7. c. has autem comedebat coram Domino, scil. intra atrium tabernaculi ante altare holocaustorum: nam extra locum sanctum eas comedi non licebat.

Et epulaberis tu & domus tua. Id est gaudebitis in cibis & potibus tu & vniuersi qui in familia tua sunt, nã Deus volebat

dies

A dies talium sacrificiorum omnibus esse dies lætitiæ, vt omnes tales dies desiderarent, & afficerẽtur ad sacrificia Dei, & Deo gratias agerent.

Et Leuita qui intra portas tuas est. Loquitur ad Israël, qui habebat ciuitates in quibus morabantur Leuitæ, & dicuntur aliqui morari intra portas, non quòd inter duas portas situentur, sed quòd intra portarum ambitum, & clausionem commorentur. erant autem isti Leuitæ, qui habitabant in toto Israël in ciuitatibus eis datis, erantq; seiuncti ab incolatu aliorum populorum, quia non morabantur cum eis in suis ciuitatibus: habebant namq; Leuitæ ciuitates 48. vt patet Num. 35. in quibus ipsi soli morabantur, & patet quia istæ ciuitates non habebant territoria ad seminandum, & vineas ad plantã dum sicut aliæ ciuitates aliarũ tribuum, sed paucum spatium ad exitum à ciuitate ad condelectandum, & agros ad pascendum pecora, & alias necessitates similes, non enim indigebãt vineis, & seminationibus, cùm ex decimarum redditibus sustentarentur, vt patet Num. 18. c. aliqui tamen de istis Leuitis habitabant extra ciuitates inter alios viros de alijs tribubus: & hoc fortè faciebant propter indigentiam, vel aliã quamlibet occasionẽ: & de istis propriè dicebatur ad Israëlitas, q. est intra portas tuas, id est non obliuiscaris Leuitæ, qui intra portas tuas commoratur, scil. in ciuitatibus, in quibus commoris. *Caue ne derelinquas eum.* Valdè hoc admonet Deus, quia Leuitæ erant pauperes, & indigebant sustentationibus factis ab

B alijs. *Quia non habet partem in possessione tua.* Hic demonstratur paupertas Leuitarum, & causa est, quia Leuitæ non poterant aliquid laborare colẽdo agros, vel vineas, sicut alij de alijs tribubus, vt sic sustineant se in necessitatibus: alij autem ista faciebant, ideo poterant magis abundare: ideo abundantes ipsi Leuitas inuitare debebant ad conuiuia in talibus solennibus sacrificijs, & hoc quia Leuitæ nullam partem possessionis inter cæteras tribus habebant, vt inde abundarent.

Leuitarũ pauperies ob quã decimæ eis debebantur

Anno tertio separabis. Hic agitur de tertia decima, quæ vocatur decima pauperis, & ista decima non fiebat anno quolibet sicut aliæ duæ, sed de triennio in triennium, & ista decima erat minor qualibet alia: decima enim prima quæ dabatur Leuitis maxima erat, quia fiebat de non decimato.

Secunda erat minor, quia decimabantur nouem solùm, antè verò decem.

Tertia minima erat quia fiebat de paucioribus, quàm nouem partibus. *Et repones intra ianuas tuas.* Ista decima nõ reportabatur ad locum Sanctuarij sicut alia secunda. *Venietq; Leuites.* In omnibus tribus decimis Leuites aliquam habebat, scilicet primam integraliter, secundam & tertiam quantum ad aliquid: & ratio huius quia Leuitæ multi erant nullam aliam habentes hæreditatem nisi decimas, & illas rursus decimabãt summo sacerdoti, vt patet Num. 18. c. ideo tãquam pauperes recipiebant partes de alijs decimis.

C *Peregrinus, & pupillo, & viduæ.* Istis fiebat decima ista, ne paupertate grauati cogerentur seruire Gentilibus, à quibus ad idololatriam traherentur.

Qui intra portas tuas sunt. Id est, intra portas vrbium tuarũ, non aũt intra portas domus tuę, quia hic loquitur toti Israëli. *Vt benedicat tibi Dominus in cunctis operibus.* Ista benedictio sẽper ponitur, quia per istam maximè ad eleëmosynam incitabantur, quia valdè carnales erant.

Caput XV.

Debito tum remissio.

SEPTIMO anno facies remissionem: quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere nõ poterit, quia annus remissionis est Domini, &c.

SEPTIMO. Dicto suprà de eleëmosyna, quæ fiebat Leuitis, & pauperibus, hic agitur de eleëmosyna, quæ fit omnibus debitoribus per remissiones 7. anni, & Iubileorum, & potest hoc reduci ad latriam indirectè, quia pauperes debitores ne cogerentur corporali pœna siue labore debita soluere, fugere possent ad Gentiles, & ibi idola colerent, & isto modo cogentes eos de terra fugere, darent eis occasionem colendi deos alienos, sicut dixit Dauid contra expellentes eum de terra Israël. 1. Regum 26. ...Maledicti sunt in conspectu Domini qui eiecerunt me hodie, vt non habentem in hereditate Domini, dicentes: Vade serui dijs alienis. ex pietate ergo Dei introductus fuit septimus annus remissionis, vt in eo debitores à suis creditoribus absoluantur, & serui à dominis.

D

Et tanguntur duo principaliter.

Primum remissio debitorum.

Secundò liberatio seruorum, ibi.

Cùm tibi venditus fuerit.

Tertiò de solutione primogenitorum, ibi.

De primogenitis qui nascuntur. Prima in duas partes. In prima de remissione. In secunda de liberali largitione, ibi. *Si vnus de fratribus. Septimo anno facies remissionem.* Toti populo ista dicuntur quasi vni viro, quia cuilibet de Israël. *Cui aliquid debetur ab amico vel proximo ac fratre.*

Quòd soli descendentes ex genere Iacob vocantur inter Iudæos fratres, vel proximi, qui verò conuersi sunt ex Gentilitate, vocantur peregrini. Et quòd Iudæus ex genere, & conuersus ad Iudaismum non vocantur amici inter se quantumcunq; fœdera aut beneuolentiam habeant.

Qvæstio I.

ISTI sunt Iudæi natione, ita quòd descendant de genere Iacob. Et non intelligitur hoc de cõuersis ad Iudaismum, patet, quia idem est de remissione debiti sicut de seruitute. sed qui conuersi erant ad Iudaismum, vel filij eorum si venderentur in seruos, non liberabantur in iubileo, vt habetur Leuit. 25. c. non vocantur conuersi à Gentilitate ad cultum Iudæorum fratres eorum, vel proximi eorum, quod satis patet hic, quia litera distinguit inter fratres, proximos, & amicos quantũ ad peregrinos, & aduenas: si autẽ proximi aut fratres vocarentur Gentiles, nullo modo distingueretur hic inter aduenas, & proximos, & frãtres, sed distinguitur: ergo nõ sunt alij proximi, vel fratres, nisi Iudæi ex genere, patet cõsequẽtia, quia vltrà aduenas, & peregrinos nõ poterat hoc intelligi nisi de Gentilibus, si nõ acciperentur aduenæ, & peregrini pro ipsis cõuersis ad Iudaismum vel filijs conuersorũ, cum Gentilibus autem cõmunicatio nulla erat Iudęis intra eandẽ ciuitatẽ, cùm ipsi de terra sua omnes idololatras excluderent, vt patet Exod. 23. & 34. & 6. & 7. c. relinquuntur ergo soli cõuersi ad Iudaismum, vel filij eorum, qui vocentur aduenæ, & peregrini, quòd autem non vocentur fratres patet, quia infrà soli Iudæi vocantur inter se fratres, cùm dicitur: Cùm venditus fuerit tibi frater tuus seruus Hebræus, aut Hebræa, &c. Fratres enim sunt inter Hebræos, vel illi, qui sunt carnales ex eodem patre sicut cõmuniter accipitur, vel qui sunt ex eadẽ familia. Vocatur proximus, qui licèt non sit coniunctus consanguinitate in gradu satis propinquo, est tñ coniunctus in cõmunicatione, vel vicinitate, vel per alios similes modos. Amicus vocatur, qui licèt non sit cognatus, vel affinis, vel vicinus, est tñ in beneuolentia, & amore non latente per contra passum coniunctus, vt ait Arist. 8. Ethic. & hæc omnia inter Hebræos ex genere. nam dato, quòd aliquis Hebræus ex genere haberet amicũ aliquem conuersum de Gentilitate, non proderit ei talis amicitia quantũ ad remissionem faciendã, q. tali amico non obligabatur Iudæus facere remissionem.

E

F

Quorũ remissio fieret, & quorũ non, & q. fraus vlla nõ poterat remissioni fieri.

Cui debetur aliquid ab amico. Si quis enim aliquid accõmodasset ad tempus incertum, & transirent septem anni vel pauciores, dum tamen veniretur ad septimũ annum remissionis, non propter hoc statim manebat res apud accommodatariũ, id est apud illum cui accommodabatur, sed reddebatur domino suo: quia res accommodata non debetur. illa enim potest deberi res, cuius possessio non est penes eum cui debetur proprietas, cùm autem res aliqua est in possessione alicuius, est etiam rei proprietas penes eum, non potest ei deberi illa res: quia id quod mihi debetur nondum est meum in specie, donec reddatur, & efficiatur mei iuris per traditionem factã mihi: res autem accommodata manet quantum ad proprietatem apud ipsum, qui accommodauit, manet enim penes eum possessio, quia ille possidet, cuius nomine possidetur, non ergo debetur res commodata ipsi commodatori, sed res mutuata, cuius possessio, & dominium transiuit ad ipsum commodatarium, debetur commodatori: vt si quis commodet

A alteri equum ad ambulandum vsque in villam, non dicitur debere equum iste illi: si tamē quispiam alteri mutuet decem florenos, iste cui mutuantur debere dicitur alteri decem florenos: quia proprietas & possessio florenorum transiuit ad eum illorum decem florenorum, quando ergo dicitur hic, ꝙ aliquid debeatur alicui à proximo suo, intelligitur, quòd ei mutuauerit, vel vendiderit, aut quomodolibet ei obligatus sit ad tradendum aliquam rem, quæ non est in proprietate vel possessione eius cui dari debet.

Et quantum ad hoc, inter Iudæos aduertendum erat, quòd si quis alicui rem aliquam mutuaret, vtpotè pecuniam, poterat creditor debitorem vrgere, vt solueret ante tempus redemptionis, scilicet ante septimum annum, si tamen eueniret, vt in anno remissionis septimo non esset solutum debitum, nunquam vlteriùs compellebatur debitor soluere illud debitum: & si conueniretur coram iudicibus, vt solueret illud debitum, absoluebatur per legem ipsam. & si aliquis renunciaret istam legem scilicet quòd dato, quòd infrà annum remissionis non solueret, quòd teneretur posteà soluere, non valebat ista renunciatio, quia ista lex erat introducta in fauorem pauperum principaliter, ideo priuilegio suo non poterant renunciare.

Item quia si possent renunciare legi isti, fieret fraus legi, ita quod lex ista non haberet locum in aliquo casu, nā quandocunque aliquis mutuaret aliquid alteri, mutuaret sub hac

B conditione appositā, scilicet prius faciendo renunciare isti legi, quòd ipsi qui mutuum accipere vellent, satis faciliter facerent coacti angustia inopiæ, & sic tantùm esset ac si lex ista nunquam data fuisset.

Ab amico, vel proximo, ac fratre suo repetere non poterit. Isti oēs Hebræi sunt, & de genere Hebræorum, nam si quis esset conuersus de Gentilitate, vel filius eius qui de Gentilitate conuersus est, non gaudebat isto priuilegio, quòd solis Iudæis ex genere indultum erat, vt patet infrà, quia facit differentiam inter amicum, proximum, & fratrem, ad peregrinum vel aduenam. *Quia annus remissionis est Domini.* Id est quia Deus statuit istum annum septimum, vt in eo omnia debita remitterētur, & qui seruus esset, liber efficeretur: ideo Iudæi filij Iacob in quorum fauorem hoc indultum fuerat, remittere debebant omnia debita, & remitti eis ab alteris, iste annus septimus remissionis non cōputabatur à tempore quo aliquid alteri mutuatum est, quia tunc non esset annus septimus aliquid commune, nec annus iubilei esset aliquid commune, contrarium autem patet Leuit. 25. c. quia in illo anno omnes serui liberantur, etiam de anno remissionis patet, quia in anno remissionis non colebatur, vel seminabatur terra, nec putabantur vineæ, sed nec ipse Dominus colligebat solus omnia, quæ sponte in agris suis, & vineis germinabāt, sed omnibus peregrinis & aduenis, atque pauperibus, & bestijs terræ ipsa relinquebat, vt patet in præallegato cap. sed computabantur isti anni

C sic, quia postquam intrauerunt Israëlitę in terram Chanaan, fecerunt vnum annū remissionis, & post septem annos fecerunt iterum annum remissionis, & sic de septem in septem annos remissionis annum celebrabant, & si aliquis vno mense ante annum remissionis mutuaret alteri pecuniam, transacto illo mense non poterat creditor petere illam pecuniam, quia iam erat annus remissionis, & sic erat de venditione seruorum, quia si vnus seruus venderetur alicui, qui esset Hebræus ex genere, liberabatur in anno remissionis, & dato ꝙ in anno sexto venderetur, in anno seq. scil. septimo liberabatur, vt satis declaratur Leuit. 25. c. *A peregrino & aduena exiges.* Peregrinus vocatur, qui de Gentilico ritu ad Hebræorum obseruantias conuersus est, & iste idem vocatur aduena, quia aduenierat de alia lege, vel opinione ad Iudaicam.

Quòd Deus dabat multa priuilegia Iudæis ex genere quæ non dabat conuersis ad Iudaismum. Et quæ erant.

QVÆSTIO II.

SCIENDVM quòd in hoc Deus videtur quodammodò magis fauorabilis Iudæis ex genere quàm conuersis de gētilitate: nam inter Iudæos de stirpe Iacob tenebat ista lex, scil. quòd remissio fieret debitoribus, inter aduenas, scil. conuersos de Gentilitate non tenebat. Item excellebant Iudæi ipsos conuersos in alio, quia Iudęi ex genere ciues vocabantur, cōuersi autem non vocabantur ciues, vt patet hic cùm dicitur, à peregrino & aduena exiges: ciuem, & propinquum repetendi non habebis potestatem, quod manifestè intelligitur de ipsis conuersis, sic dicitur suprà 1. c. quod iustum est iudicate, siue ciuis ille sit, siue peregrinus, ibi autem referri non potest peregrinus nisi ad conuersos, vt ibi declaratum est, sic etiam Leuit. 24. Item excellebant eos in alio, quia si vnus Iudęus vēderetur alteri Iudæo, non poterat eum tenere nisi vsq; ad annum redemptionis, vt patet Exod. 21. c. & infrà in litera, si tū emeret aliquem de conuersis ad Iudaismum, poterat eū tenere in æternū, vt patet Leuit. 25. c. cùm dicitur: seruus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati sunt in terra vestra, hos habebitis famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros, atq; possidebitis in æternum, fratres aūt vestros filios Israël ne opprimatis per potentiam: dabatur aūt ista aliqualis excellentia Iudæis ex genere super conuersos de Gētilitate, quia cùm Iudæi essent præcipuè populus Dei, cui lex data foret, si alijs compararentur quantum ad omnia, nimis indignarentur eis tanquam aliquid iniustum ab eis paterentur, vt ergo tolleretur locus inuidiæ, & cōtentionis in populo illo, qui adhuc rudis erat, voluit Deus conuersos minoris honoris esse quantum ad supradicta, quàm Iudęi ex genere essent, vt eis quodammodò subiecti viderentur. Et istum modum tenere voluerunt Iudæi cùm ad fidem Christi conuersi sunt, scil. quòd volebant præferri conuersis ex Gentilitate: & fuit ista disceptatio magna inter Romanos Christianos in Ecclesia primitiua, nam qui de Iudaismo conuersi fuerant Gentilibus se præferebant, Gentiles autem vice versa digniores se Iudęis cōuersis arbitrabantur, vnde in eis erant inuidiæ, & dissensiones, donec Apostolus in epistola, quæ ad Roman. dicitur, vtrosque redarguit demonstrans vtrosque peccasse, & indigere gratia Dei, nec aliquos eorū aliquid meritos, vt alteris præferri deberent.

Sciendum autem, quòd inter Iudæos erat quadruplex communicatio, quia aut Iudæi cum Iudæo, aut conuersi de Gentilitate cum alio conuerso, aut Iudæi cum conuerso, aut conuersi cum Iudæo, lex autem ista, quæ hic ponitur solùm tenet quantum ad vnum modum, scilicet quando communicat Iudæus cum Iudæo, nam tunc remissionis locus erat, & patet, quia dicitur, cui aliquid debetur à proximo suo, vel amico, aut fratre, manifestum est, quòd ista Dei locutio ad Israëlitas est, scil. ad Iudæos ex genere, & cùm dicitur ab amico, vel proximo, & fratre oportet intelligere de amicis, & fratribus Hebræorum, sed proximi, & fratres Hebræorum solùm vocantur alij Hebræi ex genere: ergo solùm ad eos dirigitur. Quod autem Hebræi solùm vocentur fratres, patet Leuit. 25. c. cum dicitur, fratres autē tuos filios Israël non opprimes per potentiam, sic etiam patet infrà: si autem esset inter conuersos ista communicatio, non tenebatur ista lex: nam si vnus alteri pecuniam mutuaret, poterat quocunque tempore repetere eam, quod patet, quia si nulla lex constituta esset iubens remissionem fieri anno septimo, non tenerentur facere: ideo quocunque tempore posset creditor à debitore petere id, quod debebatur: quia ergo ista lex non dirigebatur ad conuersos, sed solùm ad Iudæos, non tenebantur conuersi ad celebrandum istum annū remissionis. Etiam erat idem de venditione seruorum, quia si vnus Iudęus alteri Iudæo venderetur in seruum, liberabatur in anno remissionis: si autem venderetur vnus conuersus alteri conuerso, celebrabatur venditio simpliciter, nec liberabatur in anno septimo remissionis, nec in anno 50. Iubilei. Non tenebat etiam ista lex in tertio modo communicationis, scil. quando communicabat Iudæus cum conuerso, nam si aliquis Iudæus mutuaret quippiam cuiquam conuerso de Gentilitate, aut filijs conuersorum, non liberabatur ipse conuersus creditor in anno septimo remissionis, vel in anno iubilei quinquagesimo: de hoc patet hic cùm dicitur, quod in septimo anno remissionis ille, cui aliquid debetur à proximo suo, vel fratre, aut amico, non poterat repetere, cadebat enim à iure petendi quasi si ipse debitor nunquam fuisset obligatus creditori. dicitur postea à peregrino & aduena exiges, ciuē, & propinquum repetendi non habebis potestatem: idem si reciperet Iudæus aliquem conuersum in seruum, non liberabatur ille in anno remissionis, nec

in an-

D

E *Quæ altercatio inter Gētiles & conuersos in primitiua Ecclesia.*

F *Soli Hebræi inter se vocantur fratres.*

in anno Iubilei, sed erat seruus in æternum vt patet Leuit. 25. capitulo, cum dicitur hos transmittetis ad posteros iure hæreditario & possidebitis seruos in æternum. Nec tenebat ista lex in quarta communicatione, quæ est conuersi ad Iudæum, scilicet, quod si aliquis conuersus cuiquam Iudæo aliquid mutuasset, dato quod non solueretur ante annum remissionis, tamen manebat obligatio ad posteriora tempora vsque in æternum, patet quia lex solum dicit de Iudęo ad Iudæum, ergo in illis solis tenet.

Si autem arguas, quod ista lex dabatur in fauorem Iudęorum vt ipsi essent excellentiores, si tamen staret, quod Iudæi debentes alicui conuerso de gentilitate tenerentur soluere etiam post annum remissionis, non magis esset ista lex in fauorem Iudæorum quam conuersorum.

Respondetur, quod ista lex non dabatur Iudæis in fauorem contra illos, qui de gentilitate conuersi erant, sed dabatur Iudæis pauperibus, qui debitores erant in fauorem eorum contra creditores: etiam in hoc quædam excellentia erat, quia pauperibus conuersis non dabatur iste fauor contra conuersos creditores.

Item licet in ista parte de mutuatione rerum non seruaretur fauor aliquis omnium Iudaorum contra conuersos, quia non æqualiter vterq; iudicabantur in communicatione, etiam in ista quarta non seruabatur lex de redemptione seruorum, quia si Iudæus venderetur conuerso de gentilitate, non liberabatur in anno remissionis, vt patet Leuit. 25. cap. ideo mandabat Deus, quod quando aliquis Iudæus præ paupertate venderet se alicui conuerso ex gentilitate, ne opprimeretur ab eo per potentiam, quod cognati eius possent eum redimere, vel ipse posset se redimere, si tamen deberet in septimo anno liberari, non tantopere Deus mandaret, vt seipsum redimeret ipse venditus, vel quod à cognatis redimeretur: etiam patet magis hoc, quia subiungitur in litera Leuit. 25. quod si non posset se iste redimere, nec ab alio redimeretur, quod saltem in anno Iubilei liberaretur, si tamen venditus esset alicui Hebræo dato quod non redimeret se, nec redimeretur ab alio in anno septimo remissionis liberaretur: in hoc autē patet quod supra dicebatur, scilicet, quod etiam quantum ad istam legem dabatur maior fauor Iudæis quam conuersis de gentilitate, nam si gentilis venderetur Iudęo erat seruus in sempiternum, & transmittebatur ad posteros iure hæreditario, si tamen venderetur Iudæus conuerso, saltem liberabatur in Iubileo, vt patet de vtroque Leuit. 25. cap. *A peregrino & aduena exiges.* Id est, à gentili, qui peregrinatur inter vos, vel à conuerso de gentilitate ad Iudaismum.

Ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem.

Propinquus vocatur aliquis in cognatione coniunctus, ciuis vocatur quicunque Iudæus qui in eadem ciuitate morabatur: conuersi autem de gentilitate ciues non erant, quia non gaudebant duobus priuilegiis ciuium in quacunque politia, scilicet, quod participent lege, & principatu saltem concionatiuo, vt patet in primo capitul. tertio Politico, conuersi autem licet participarent lege quantum ad contractus vt nulla iniuria eis fieret, vt patet Leuit. 24. cap. æquum iudicium sit inter vos siue ciuis siue peregrinus peccarit: sed non participabant principatu, nec partem hæreditatis vnquam inter Iudæos assumere poterant, sed inter eos aliqualiter, vt valebant, viuebant.

Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.

Infra dicitur quod non deerunt pauperes in terra vestra aliqui respondent, quod intelligitur hoc si Iudæi bene se haberent, non essent pauperes in terra sua, si autem male se haberent, essent pauperes in terra.

Sed hoc implicat contradictionem si respiciatur, quia ista remissio pauperibus est facienda, & accommodatio vel donatio liberalis, si ergo quando Iudęi seruarent mandata Dei, non essent pauperes in terra sua, ergo ista lex solum seruari deberet, quando non seruarentur mandata alia, hoc contradictorium est, & ridiculum.

Item dato hoc Deus daret aliquam legem, quæ solum seruanda esset, quando ipsi qui seruare deberent mali essent.

Item implicatur alia contradictio, quia dicitur infra quod seruando ista benedicentur, & multiplicabuntur in omnibus bonis, sed solum ista benedictio promittitur bonis, ergo isti boni essent.

Item non potest stare, quia eadem benedictio datur tribuenti quando pauperes omnino esse non debent, vel quando dicitur, quod non deficient.

Dicendum ergo, quod istæ duæ auctoritates in eodem tempore intelliguntur, sed ista prima intelligitur imperatiue: illa secunda intelligitur assertiue. *Et omnino indigens, & mendicus.* Est sensus faciatis, quod inter vos non sint indigentes & mendici. Et adhuc ista propositio habet duos sensus secundum quod ly omnino potest determinare verbum erūt, vel nomen indigens, si determinet verbum est sensus faciatis quod nullus indigens sit in terra vestra, quia omnino præponitur negationi, & æquipollet suo contrario, scilicet, nullus vel nullo modo, & hoc falsum est, quia repugnaret alteri propositioni, scilicet, non deerunt pauperes in terra vestra: si determinet omnino nomen indigēs est sensus, faciatis, quod non sit aliquis in terra vestra, qui totaliter, vel omnino sit indigens, & mendicus. Et tunc bene stat alia propositio, quia possunt esse multi pauperes, quorum nullus sit totaliter indigens, vel mendicus, quia pauper dicitur, qui parum habet potest tamen aliqualiter vitam transigere sine hoc, quod ostiatim, & publice petat: omnino indigens, vel mendicus est, qui nihil omnino habet, sed ad viuendum cogitur mendicare, & tales mandabat Dominus ne essent in terra Israel, scilicet, vt darent eis diuites necessaria ad vitam, vel accommodarent, & si soluere non possent, quod remitterent. *Vt benedicat tibi Dominus.* Ex hoc patet, quod illa locutio est imperatiua: quia alias non coniungeretur benedictio propter illam: quia in illis solum meremur, quæ spōte agimus. *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui.* Id est, si voluntatem promptam ad obediendum, & faciendum habueris, scilicet, hoc quod mandatum est de subueniendo pauperi. Et econtrario si non obedieris Deo subueniendo pauperi diminuentur bona tua. *Et custodieris vniuersa, quæ iussit.* Id est, opere compleueris ea, quæ nūc mandauit de remittendo debita, & tribuendo pauperi, & omnia alia mandata supra posita. *Fœneraberis gentibus multis.* Hic ponuntur benedictiones accommodantis, & dimittentis debita, & sicut, per quæ quis peccat, per hæc torquetur, ita in quibus aliquis bene agit in his remunerationis partem accipit: qui ergo accommodat, vel gratis erogat, abundabit. *Fœneraberis gentibus multis.* Id est, quia pauperi accommodas, Deus multiplicabit in tantum bona tua, quod multis gentibus accommodare possis, & non indigeas vt aliquis tibi accommodet. Et non accipitur hic fœnerari pro commodatione facta sub vsuris, quia quamuis ad duritiam cordis eorum concessum fuerit eis, quod extraneis ad vsurā pecuniam traderent, ne à suis raperent: sed tamen de se non erat bonum, sicut de libello repudij, qui concessus est ad duritiam cordis eorum, vt habetur Matth. 19. capit. scilicet, ne vxores interficerent: non est ergo aliquo modo verisimile, quod Deus daret eis remunerationem boni operis in lucro quasi iniusto, & patet magis ex litera Hebraica, quia aliud verbum ponitur hic quam infra 23. cap. vbi permittitur eis accipere ab extraneis vsuras. *Dominaberis nationibus plurimis.* Si bene egeris. *Et tui nemo dominabitur.* Quia quando bene agebant omnes hostes timebant eos, si autem dimitterēt legem Dei, immediate aliarum nationum pedibus calcabantur, & ista litera tota legitur assertiue per modum prophetiæ, & non imperatiue vt aliqui putant. *Si vnus de fratribus tuis.*

De liberali largitione, & charitate ordinata ad proximos.

QVÆSTIO III.

INVITAT eos hic ad pietatem proximorum, nam Iudæi dura viscera habebant, vt magis vellent aliena rapere, quā cuiquam de suis erogare, Deus autem nunc admonet vt proximis exhibeant viscera charitatis, & dicit. *Si vnus de fratribus.* Fratres vt supra declarabamus accipitur solum pro eo, qui de genere Iacob est: alij autem peregrini vocantur, & aduenæ, hic autem cum opera pietatis ad omnes esse impendenda denunciet, ad fratres tamen principaliter, scilicet, ad eos, qui de genere Iacob, nam quilibet Iudæus tenebatur cuique valde indigenti (si poterat) erogare siue gentilis ille esset, siue conuersus, vel qualicunq; & dato, quod non esset in magna necessitate cuicunque tamen bene faciendo merebatur

Sicut per quæ quis peccat per hæc torquetur sic per quæ quis meretur per hæc præmiabitur.

A valde, sed in hoc magis tenebantur eis, qui de genere suo erant: eodem modo, qui conuersus de gentilitate erat, merebatur in benefaciendo alicui Iudæo pauperi, magis tamen merebatur benefaciendo alicui conuerso de gentilitate, qui erat de genere suo, propter dignitatem tamen Hebræorum mentio fit magis de eis, quam de conuersis de gentilitate. *Qui morantur intra portas ciuitatis tuæ.* Ad totum Israel loquitur & est sensus, qui moratur intra portas ciuitatis tuæ, id est, quod talis frater pauper habitat in terra promissionis in terra, quã Deus dederat eis, intra portas ciuitatis eorum vel potest loqui ad quemlibet de Israel, & est sensus. *Qui morãtur intra portas ciuitatis tuæ.* Id est, quod licet quilibet de Israelitis deberet benefacere aliis Iudæis quibuscunq; magis tamen tenebatur Iudæis, qui morabantur intra ciuitatem in qua ipsi habitarent, quam aliis Iudæis, qui in aliis vrbibus commanebant, quia licet omnes secundum naturam nobis proximi sint, illi tamen abundantius quos natura locorum, scilicet, ipsa propinquitas propinquiores fecit. *Non obdurabis cor tuum.* Scilicet, non compatiendo miseriæ eius. *Nec contrahes manum sed aperies eam pauperi.* Scilicet, vt nihil des ei. *Et dabis mutuum quo eum indigere perspexeris.* Si aliquando soluere potest, da ei mutuum, si tamen non posset soluere da gratis: sed vt communiter non erat in terra illa aliquis tam pauper, qui mutuum datum ad sustentationem soluere non posset, quia habentes accommodabant eis tempore necessitatis, vt non cogerentur vendere possessiones suas, vel si vendebant reducebantur ad eos post: hoc enim est quod homines habentes possessiones cito depauperat, quod quando indigent, accommodatum, siue mutuum non inueniunt, ideo coguntur vendere possessiones, & sic ad nihilũ rediguntur, & sic inter Hebræos per accommodationes, & debitorum remissiones, & venditarum possessionum redditiones non poterant esse mendici, vel omnino indigentes vt supra mandauit Deus. *Caue ne subrepat tibi impia cogitatio.* Tollit hic quandam ftaudem, vel calumniam, quæ contra pauperes fieri posset, vt si peteret aliquis pauper mutuum pauco tempore ante septimum annũ, diues videṡ appropinquare septimum annum, in quo remittebantur omnia debita priora, nollet mutuare, vnde cogerẽtur pauperes mendicare. *Ne forte subrepat impia cogitatio.* Vocatur cogitatio impia illa, per quam contra pietatem militatur, & accipitur pietas non pro cultu diuino, vt alibi accipi consuetum est, vt pro amore parẽtum, vel patriæ, sed pro misericordia, quæ debetur miseris proximis, hæc autem cogitatio est, vt si quis diceret cum cerneret annum septimum remissionis propinquare nolle, commodare siue mutuare quicquam fratri suo pauperi, quia veniente anno illo tollebatur omnis obligatio in debitoribus, nec poterat quisquam renunciare legi isti, quia tunc fraus magna fieret legi, & non seruaretur in aliquo casu, sed conuenirent creditores cum debitoribus, vt non obstante anno remissionis tenerentur C postea ad solutionem plenariam faciendam, vt ergo nõ perderent quicquam diuites de rebus suis, nolebant commodare paulo ante tempus remissionis, dicitur subrepere cogitatio, id est, insurgere latenter, vel paulatim, & istud est verbum quod pertinet proprie ad passiones: nam passiones obrepũt siue insurgunt latenter, & non cum impetu, ita vt quasi sentire non possint, donec iam insurrexerint. *Et dicas in corde tuo.* Ista est cogitatio impia, impia quæ poterat obrepere diuitibus ne darẽt quicquam pauperibus & hoc dicebatur in corde subrepat impia cogitatio. *Quia appropinquat septimus annus remissionis.* Id est, quia nunc appropinquat annus remissionis, si aliquid dedero non restituetur mihi, ideo dare nolo, & ex hoc sequitur, quod dicitur. *Et auertas oculos tuos.* Ille auertere oculos dicitur, qui petentem audire dissimulat, & sic nihil erogat: sic habet etiam, & obturari aures cum non audire dissimulamus pauperes exorantes, vt dicitur Prouerb. 21. ca. qui obturat aures suas ad clamorem pauperis ipse clamabit & nõ exaudietur. *A paupere fratre tuo.* Frater vocatur Iudæus ex genere vt dictum est: sed non solum peccabat Iudæus si auerteret oculos à Iudæo paupere nihil dando ex his quæ petebat, sed etiam si auerteret oculos ab aliquo conuerso de gentilitate, si eum nimis inopia anxiari conspiceret, magis tamen ei qui de genere suo erat tenebatur in pari causa necessitatis. *Nolens ei quod postulat mutuum commodare.* Sciendum quod in hoc poterat fieri fraus creditoribus, & fraus legi: esset enim fraus legi, si forte diuites, qui aliis mutuare poterant, mutuare nollent nisi cum multum distaret tempus septimi anni remissionis, ita vt interim à debitoribus, qui mutuauerant, recuperare possent, & sic contingeret paulo ante remissionis annum multos pauperes indigere, nec posse conuenienter sustineri, nisi eis mutuaretur: ideo tunc fuit posita hæc lex, vel potius admonitio, quod licet annus septimus remissionis instet; ita quod debitum tunc datum à creditore solui ei non possit, tamen si pauper indigeat, & petat mutuatum, diues dare debet etiam nihil inde sperando, quod si non dederit, & pauper clamauerit contra diuitem ad Deum, Deus imputabit diuiti hoc in peccatum impietatis, poterat etiam in hac lege anni remissionis fieri fraus creditoribus siue mutuatoribus: quia aliquis nolens soluere, quod mutuaretur ei, peteret mutuum paulo ante tempus remissionis, vt sic maneret debitum insolutum, & hoc modo multa inconuenientia sequerentur, scilicet, quod vel ipsi diuites à quibus alij peterent, depauperarentur si omnibus petentibus darent, vel quod nulli darent, quorum vterque satis erat inconueniens, & dissonum intentioni legis: quia nec lex volebat per fraudem diuites depauperari, nec pauperes indigentes nullo dante inopia anxiari. Considerandum ergo erat circa hoc, quod ille qui mutuum petebat paulo ante annum remissionis in tali tempore, in quo non posset soluere debitum, aut erat dies, siue non multum indigens, aut erat in magna indigentia, si autem non multum indigebat; aut dies esset, B E non erat sibi dandum in tempore illo: & dato, quod clamaret ad Dominum contra illum, qui non largiebatur, quod petebat, clamor ille non imputaretur in peccatum ipsi diuiti non danti, & patet, quia dicitur supra in litera, & auertas oculos à paupere fratre tuo, quasi dicat, quod non erat peccatum auertere oculos ab eo qui pauper non erat: si autem iste qui peteret erat pauper, ita quod si non daretur ei mutuum, non haberet necessaria ad vitam pro illo tempore, sed fame periret, aut cogeretur grauem in rebus suis sustinere iacturam, scilicet, vendendo possessiones suas pro paruo precio ne esuriret: & talibus quandocunque peterent comperta hac necessitate largiendum erat quocunque tempore peterent: alias imputaretur in peccatum eis, qui quod petebatur cum potuerint largiri noluerunt. *Nolens quod postulat mutuum commodare.* Hic accipitur commodare improprie nam commodare est aliquam rem ad vsum siue commodum alicui dare, quæ res eadem in substantia reddi debet, vt si equum commodet alicui ad equitandum, nam tunc cum non transeat Dominium rei commodatæ in commodatarium, sed maneat penes commodatorem, & possessio etiam non transeat: sed nomine commodatoris teneatur: quoniam ipse possidet cuius nomine possidetur, non manet res commodata apud in commodatarium, id est, apud illum cui commodata est, etiam transeunte remissionis anno, & hoc quia res commodata nunquam fuit debita commodatori, cum semper eius fuisset, siue quantum ad dominium, siue quantum ad proprietatem, sicut res meæ quas ego penes me teneo mihi debitæ non sunt quia totaliter meæ sunt: ideo nullus recusaret commodare aliquid siue ante tempus remissionis magno tempore, siue paulo ante, quia nullum periculum erat in commodando, cum res rediret ad commodatorem: erat tamen damnum in mutuando, quia res mutuatæ efficiuntur ipsius, cui mutuantur quantum ad possessionem, & proprietatem, ideo non tenetur reddere mutuatori easdem in substantia, cum ergo aliquis quicquam mutuat illud debetur ei, quia ab eius dominio, & possessione alienum effectum est, si tamen accommodat asinum non debetur ei asinus, quia à rebus eius alienus non effectus est, accipitur ergo hic commodare pro mutuare quod declaratur cum dicitur. *Nolens quod postulat mutuum commodare.* Id est, nolendo dare mutuum id quod postulat: & sic solum tenetur commodare pro dare, licet commodare significet ad commodum dare. *Ne clament contra te ad Dominum.* Quia videntes se pauperes locatos inter inopiæ & famis angustias nec aliquid facere potentes clamarent ad Dominum contra diuites nolentes eis in necessitatibus subuenire. *Et fiat tibi in peccatum.* Id est, reputet tibi Deus hoc ad magnum peccatum, quia fratri tuo in necessitate misericordiæ viscera concluisti. *Nec ages quippiam callide.* Id est, fraudulenter. *In eius*

Quid impia cogitatio.

Quid oculos auertere.

A necessitatibus subleuandis. Ne forte mutuaret pecuniam pauperi, vt habens familiaritatem cum eo filiam, vel vxorem eius ad actum illicitum prouocaret, sicut plerique fecerunt.

Quare mala multa necessitas fieri cogit.

QVÆSTIO IV.

MALA multa necessitas fieri cogit, & perpeti, multi enim necessitate rei familiaris coacti furta, & homicida commiserunt, ideo rogabat Salomon Deum, vt patet Prouerb. 30. cap. nec diuitias, nec paupertatem ei daret: ne propter paupertatem periuria, & furta committere cogeretur, multi etiam multa inhonesta perpeti consenserunt, vt inopiam subleuarent, ex hoc ergo diuites valde cauere debent ne pauperes ad aliquid inhonestum inducantur propter subleuationem inopiarum suarum. Vel potest aliter intelligi. *Nec ages quippiam callide in eius necessitatibus subleuandis.* Id est, non facies contra eum aliquam astutiam, euadendo ne ei subuenias in necessitatibus, scilicet, dicendo te non posse nunc succurrere, vel quod auertas oculos tuos ab eo fingens te non audire, vel quod aliquid alterum agas ita vt non succurras, quia instat annus remissionis in quo debitum deleatur, & iste sensus conuenit superiori literæ, scilicet, caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio. *Vt benedicat tibi Dominus*
B *Deus tuus.* Tenetur hic, vt consecutiue, id est, & benedicet tibi Dominus, quia ista erant bona opera ex genere, scilicet, subuenire miseris, cum ergo fierent ex charitate dupliciter merebantur, qui faciebant.

Primo, quia vita æterna eis dabatur, quæ pro quolibet actu charitatis nobis debetur de congruo.

Secundo, dabatur eis aliquod præmium temporale, quia iustum erat vt qui bona temporalia liberaliter largiebantur, in bonis quoque temporalibus lętarentur, & cum hic præcipuum sit bonum vitæ æternæ, potius & principaliter nominari debuit, sed conformat se scriptura conditioni illorum Iudæorum qui adhuc valde imperfecti erant, & magis afficiebantur ad bona ista temporalia, quam ad æterna, quę non multum cognoscebant. *Vt benedicat tibi Dominus.* Id est, & benedicet tibi Dominus, scilicet, dando multiplicationem in rebus temporalibus: quia benedictio semper importat multiplicationem, & hoc siue in temporalibus siue in spiritualibus: hic autem accipitur pro multiplicatione rerum temporalium solum, quod patet ex his quæ sequuntur, scilicet, in omni tempore, id est, quamdiucunque vixeris: multiplicatio autem hominis quæ est dum viuit ad bona corporalia pertinet: nam bona spiritualia quæ nos perficiant non viuentibus sed iam seculo defunctis impendentur. *In cūctis ad quæ manum*
C *miseris.* In hoc etiam patet quod intelligatur de benedictione temporali, scilicet, quod in cūctis ad quæ homo miserit manum, id est, in cunctis quæ incœperit prosperabitur: ista autem est maxima felicitas temporalis, sed nullo modo pertinet ad spiritualem benedictionem, quæ implicita est in his. *Non deerunt pauperes in terra tua.* Quia diceret aliquis ad quid est iste annus remissionis, vel mutuatio pecuniarum, quia nō est cui ista fiant cū omnes abundauerint? Respondetur quod non deerunt pauperes in terra promissionis quibus ista pietatis opera impēdantur, vocantur pauperes, qui aliquas possessiones habent, & tamen viuere non possunt nisi diuites eis frequenter mutuarēt, & aliquando remitterent. Quomodo autem ista auctoritas concordet superiori patuit supra. *Cum*
ter venditus fuerit. Hic ponitur secundum principale, scilicet, seruorum liberatio. *Frater tuus Hebræus.* Quia gentiles cōuersi ad Iudaismum nec filij eorum nati in Iudaismo non gaudebant hoc priuilegio: sed in æternum serui erant, nec etiam in Iubileo liberabantur sed transmittebantur iure hæreditario ad posteros vt patet Leuit. 25. cap. *Aut Hebræa.* Pluribus priuilegiis gaudebat hebræa quam hebræus: quia hebræa vendebatur vt dominus suus vel filius domini eam in vxorem acciperet: & si non acciperet, & ante annum remissionis apparerent in ea signa pubertatis, liberabatur à seruitute, vt traderetur à viro, & alia multa de quibus Exod. 21. cap. *Sex annis ser-*
uiet tibi. Negatiue intelligi debet ista litera, id est, non seruiet tibi vltra sex annos, sed aliquādo minori tempore seruiebat, vt si venderetur vno anno ante annum remissionis solum illo anno seruiret, quia in anno septimo qui erat idem apud omnes Iudæos, omnia remitti debebant, sed erat in precio differentia, quia cum vēditio in seruum esset temporalis, scilicet, vsq; ad annum remissionis iuxta extimationē temporis extimabatur precium, sicut fiebat de possessionibus, quæ remittebantur in Iubileo, vt habetur Leuit. 25. ca. *Sex annis ser-*
uiet tibi. Potest alio modo intelligi quod sex annis seruiet, id est, quod sex annis poterit seruire, & non amplius, quia hoc priuilegium dabatur Iudæis ex genere, scilicet, quod nō possent vendi vēditione seruorum, scilicet, in æternum, & causa eius vt patet Leuit. 25. ca. quia dixit Dominus mei sunt serui filij Israel: quia ego eduxi eos de Ægypto, sed temporaliter vendi poterant ad releuandum eorum indigentiam secundū tēpus. *In anno septimo dimittes eum liberum.* Computando istum annum non à venditione istius serui hebræi, sed ab anno remissionis qui proximo prędcesserat, quia iste annus apud omnes Iudæos idem erat quocunq; tempore venderetur vt supra declaratum fuit. *Dimittes eum liberum.* Scilicet, non imputando ei aliqua damna, vel negligentias, vel sumptus factos in ipso, vtpote si Dominus commisisset seruo illi hebræo aliquam rem, & seruus ille ex negligentia, vel alias perdidisset illam, aut alia domino intulisset, & postea exiēs à seruitute in
E septimo anno remissionis impeteretur à Domino, vt damna data resarciret, aut rediret in seruitutem, donec de illis esset Domino satisfactum, non poterat cogi ad soluendum quicquam illorum damnorū, vel seruiēdum pro eis, quod seruus erat & seruus est res Domini sui, tunc ergo quando iste damna intulit erat res Domini sui, cum inter seruum, & Dominum non sit iustū simpliciter, non potest dici Dominus passus damnum cum à re sua passus sit, sicut si ipse sibiipsi intulisset: secus autem esset de mercenario, quia si mercenarius aliquod damnum intulerit, cum sit liber manet actio ipsi cuius negocia gessit, aut labores negligenter, vt teneatur resarcire quantum damnum intulerit, idem est si seruus ægrotauisset, & Dominus expendisset multa in medicos propter eum, & postea peteret, non tenebatur ei quicquam reddere, cum in re sua egisset: in mercenario etiam secus quantum ad hoc ex causa assignata. *Et quid libertate donaueris.* Id est, quid liberū effeceris: nec accipitur hic donare libertate proprie, quia aliquis donat alterum libertate, cum ei libertatem gratis donat, vt si quis velit seruum qui ei tenebatur seruire, efficere liberum gratis, hic autem qui in septimo anno remissionis alterum donauit libertate, siue liberum abire permittebat, non dabat ei gratis libertatem cum cogeretur dare per legē, ipsa ergo lex seruos efficiebat tunc liberos & non Domini, si autem aliquis hebræus seruum suum hebræum ante annum septimum liberasset, dicebatur eū libertate donare, quia gratis impertiebatur libertatē, proprius ergo diceretur, & quid liberum abire permiseris, quia licet lex mandaret Dominus tamen permittebat. *Nequaquam vacuum abire patieris.* Vt appareat quod bono animo dimittis in libertate eum. *Sed dabis ei*
F *de gregibus viaticum.* Mouet hic Deus ad misericordiā hebręos erga seruos suos hebræos, nam cum hebræi serui in anno septimo liberabantur, erant pauperes deficientes necessariis ad vitam viaticis, cum in præcedentibus annis sibi non laborassent sed Domino suo, mox ergo liberati non haberent quid manducarent nisi alij impenderent, iustius ergo erat quod Domini sui penes quos manserant, largirentur eis quam cæteri, & ponuntur ea de quibus prouidere debebat Dominus seruo in libertatem exeunti, scilicet, viaticū, cibus paratus ad viam, & signat hoc quod Domini darēt seruis quando liberarent eos aliquid ad cibum, saltem pro paruo tempore, ita quod non intelligatur, quod mandaret Deus quod Domini darent seruis suis possessiones gregum, vel armentorum, aut vinearum, sed solum viaticum, id est, cibum pro aliquo tempore. *De gregibus.* Scilicet, de ouibus, vel capris aliquid ad cibos, scilicet, ouem, vel capram, aut aliquid modicum. *Et de*
torcular. Id est, quod etiam daret Dominus seruo vinum ad potum pro aliquo tempore. *Quibus Dominus Deus tuus benedixit*
tibi. Id est, in quibus augumentauit te dando abundantiam gregum, & vini & panis, licet non ponatur, intelligitur enim cum hoc sit præcipuum. *Memento quod ipse seruieris in Ægypto.* Ideo cum seruis misericorditer te habere debes: illi enim, qui aliquas iniurias passi sunt, magis miserentur eorum, quos talia perpeti vident, quam illi, qui nunquā talia passi sunt, cum

D *Iudæi in æternum vendi non poterant.*

Seruorū liberatio.

A ergo Hebræi passi fuissent in Ægypto durissimam seruitutẽ, satis miserendi causam habebant eis, qui inter eos seruiebãt, sic dicitur Exod.22.ca.aduenam, & pupillum non contristabis, nec affliges eum, aduenæ enim fuistis in terra Ægypti, & Exod.22.ca. dicitur peregrino molestus non eris, scitis enim animas peregrinorum, quia ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. *Et liberauit te inde Dominus Deus tuus.* Per mirabilia signa atq; portenta. *Et idcirco ego nunc præcipiam tibi.* Id est, quia ego liberaui te de seruitute, magnum beneficium tibi impendi, propter quod mihi obedire teneris, sed ego precipio tibi nũc misereri seruorum, ergo obligaris facere, quia ego mandare hoc possum. *Si autem dixerit nolo egredi.* Hoc est quando Dominus dedit aliquam famulam in vxorem seruo hebræo, & inde filios genuit, vult manere apud Dominum suum vsque ad Iubileum, vt cum exierit educat secum filios & vxorem: si autem in septimo anno exire vellet, manet vxor sua & filij apud Dominum: quia pecunia illius erant. *Et bene esse sibi apud te sentiat.* Quia forte putat melius viuere tibi seruiẽdo quam in libertate manendo. *Assumes subulam & perforabis aurem eius.* Hoc signum imprimitur, vt seruus esse cognoscatur. Et fit in aure, quia cum ipse audierit, quod sibi daretur libertas, & eam recipere noluit, per aurem peccauit, ideo in aure punitur: de ratione perforationis auris dictum fuit magis Exod. 21.cap. *In ianua domus tuæ.* Exod.21. cap. dicitur, quod seruus talis applicari debebat ad Deos, id est, ad iudices, & applicabitur ad ostium, & perforabitur ibi auris eius subula.

B

An in perforatione auris serui venirent iudices ad ostium domus Domini serui.

Qvæstio V.

SECVNDVM hoc videtur quod cum aliquis seruum libertate donare volebat in septimo anno, & ipse nolebat recipere, sed magis eligebat manere apud Dominum suum, veniebant iudices ad portam domus eius, vt coram eis fieret ista perforatio auris quasi ex mandato eorum: licet aliqui dixerunt, quod nõ veniebant iudices ad ostium domus ipsius, qui serui aurem perforare debebat: sed magis quod ipse Dominus cum seruo suo iret ad iudices, quod honestius videbatur atq; rationabilius, & hoc videtur innuere litera Exod. 21.c.cum dicit applicabitur ad Deos, id est, portabitur ad iudices: nam applicatio motum signat: & si iudices venire deberent ad ostium eius qui serui aurem perforabat, magis diceretur ipsi iudices applicari ad ostium: quia veniebant ad ostium talis viri, & quando dicitur Exod.21.c.quod applicabatur seruus ad ostium & postes: videbatur hoc intelligi de ostio ciuitatis, in quo sedebant iudices ex more antiquo, sed quia hic dicitur quod perforatio auris serui fieri debebat in ianua domus Domini serui illius, necesse est dicere, quod illud quod habetur Exod.21.c.quod intelligitur de ianua Domini serui illius, scilicet, applicabitur ad Deos, scilicet, quod iudices accederẽt ad ostiũ talis Domini, & ipse duceret seruũ suum coram eis qui staret intra domum, & sic applicabatur ad postes & ostium: quia iudices sedebant ibi ad videndum, & mandãdum fieri illam perforationem coram foribus domus illius viri: vel dicendum esset necessario quod erãt duæ perforationes, scilicet, quod poterant fieri dupliciter, aut in foribus vrbis coram iudicibus, aut coram ianua domus Domini præsentibus iudicibus: & hoc verius est, scilicet, quod sit tota vna perforatio, quę fiebat coram porta Domini serui illius. *Et seruiet tibi vsque in sempiternum.* Id est, vsq; ad Iubileum. *Ancillæ quoque similiter facies.* Secundum literæ contextum videtur esse sensus, quod sicut seruo exire noleti perforabatur auris, ita ancillæ nolenti exire: sed non refertur ad istam literam immediatam, sed ad superiorem, scilicet. *Quando dimiseris eum liberum nõ permittes eum abire vacuum.* Et hoc referebatur ad seruum, hic dicitur, quod similiter fiet in ancilla, quod non permittatur vacua. Et hoc tenet Rab. Sal. & Aben Ezra, & satis potest dari ratio euidens: quia mulieres hebrææ vendebantur, vt acciperentur in vxores à dominis suis: vel à filiis dominorum: & si hoc non faciebat Dominus, puella exibat libera, vt traderetur viro, ne cogeretur fornicari cum peruenisset ad tempus pubertatis, ideo semper exibat in anno remissionis, vel ante, si ante pubertatis signa in ea apparerent: ideo non poterat auris ei perforari. Generaliter enim dicendum est de serua hebræa, quod nunquam manebat cum Domino suo in seruitute vltra annos sex: nam aut ista veniebat ad pubertatem ante annum remissionis, aut accipiebat eam Dominus in vxorem sibi, vel filio suo, & tunc exibat seruitutem effecta vxor Domini sui. Si autẽ non accipiebat in vxorem nec dabat filio, aut defloraverat eam ipse vel filius eius, aut non: si quisquam eorum defloraſſet, & in vxorem nõ reciperet, dabat ei virum sufficientem, & vestes, & pretium pudicitiæ: quia eam illuserat, si autem non defloraverant eã, ne puella induceretur ad fornicãdum redibat in domum paternam: nec poterat eam retinere Dominus maiori tẽpore, scilicet, vsque annum septimum remissionis, quia iam cessabat finis ad quem puella vendita fuerat, si autem annus pubertatis puellæ non esset ante annum remissionis, saltem in anno remissionis liberabatur: habebat enim plura remedia liberationis suæ puella, quam vir aliquis, quia sexus ille infirmior est, & maius periculũ in puella quam in viro accidere potest, & hoc modo nunquam puellæ perforari poterat auris, cum perforatio fieret in eo qui vltra septimum annũ in seruitute manebat. Si autem dicas quod ista litera intelligitur de ancilla conuersa de gentilitate, quia illæ non gaudebant eodem priuilegio quo hebrææ suæ. Respondetur quod non potest stare, quia supra dicitur, cum tibi venditus fuerit frater tuus hebræus, aut hebræa: ergo non intelligitur de gentili, aut de gentilitate conuersa. Item dato quod vellemus intelligere de serua conuersa de gentilitate, non erat verum, quod in ipsa perforaretur aur s: nam perforatio fiebat in illo qui liberabatur in septimo anno, & quia nolebat liberari perforabatur auris, vt maneret seruus vsq; ad Iubileum, sed ancilla de gentilitate conuersa non liberabatur in septimo anno, vt patet hic & Exod.21.c.nec in Iubileo, vt patet Leuit.25.ca.cum dicitur serui, & ancillæ sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, aut de aduenis qui peregrinantur inter vos, & de filiis eorum qui nati sunt in terra vestra: hos habebitis in seruos atq; iure hæreditario transmittetis ad posteros, atque possidebitis in æternũ: non ergo debebat quouis modo perforari auris ancillæ, quia non liberabatur aliquo tempore secundum legem nisi Dominus suus eam gratis liberasset: non potest ergo intelligi quod auris alicuius ancillę perforari poterat, siue illa esset hebræa, siue de gentilitate conuersa. *Non auertes ab eis oculos tuos.* Scilicet, nolendo eis aliquid dare cum eos liberos ire permiseris vel. *Nõ auertes oculos tuos ab eis.* Id est, non respicias eos oculis toruis quasi grauis sit tibi eorum libertas, sed benigne respice eos. *Quoniam iuxta mercedem mercenarij sex annis seruierunt tibi.* Id est, tantũ seruierunt tibi quãtum mercenarius seruiret, immo forte magis: ideo non permittes eos vacuos, & hoc magis primę expositioni conuenit, vel si velimus quod cõueniat secundæ expositioni dicemus, quod nõ debet Dominus oculos suos vertere à seruis, quando dimiserit eos liberos demonstrans eis, quod libertas eorũ sit illi grauis: nam nõ debet esse grauis, quia ex eorum libertate nihil perdebat cum seruierint ei iuxta mercedem mercenarij, id est, tantum sicut vnus mercenarius seruire poterat pro æquali pretio, & dicit iuxta mercedem mercenarij, quia quilibet qui emebat seruum sciebat, quod in anno remissionis eum dimittere debebat: ideo cum emebat eum considerabat quantum distabat tempus anni remissionis, & sic dabat pretium pro seruo: si enim multum distaret annus ille, dabatur magnum pretium: sin autem minus, & tantum erat hoc pretium secundum arbitrationem siue æstimationem ementis seruum, sicut poterat ille seruus mereri toto illo tẽpore si mercenarius fuisset, sicut ergo non debet esse nobis graue quando expleto labore suo mercedem reportat mercenarius: ita neq; graue esse debet cum taliter seruus liberabatur, quia satis meruerat pretium, quod pro eo datum fuerat. *De primogenitis quæ nascuntur.* Hic ponitur tertium, scilicet primogenitorum solutio, & hoc reddit ad id quod supra dicebat 12.cap. de modo colendi Deum. Et non obseruat totaliter ordinem in his Moyses, sed est sicut prædicator: qui aliqua frequenter repetit, vt magis illud audientibus imprimatur, vel vt magis corrigantur: ideo ea ad quæ populus multũ pronus erat, frequenter illis fugienda esse nominabat, vt cultura idolorum, vt custodia sabbati, sic aliqui Iudæi ex auaritia volebant detinere primogenita in gregibus & armentis,

C

D

E

F

Primogenitorum solutio.

vt inde

A vt inde aliquam vtilitatem haberent, ſcilicet, lanam, vt tondendo primogenita in ouibus: aut adiutorium in cultura, vt arando in primogenito bouis, & poſt aliqua tempora dabãt. Sed Deus mandat, quod dentur quolibet anno, vt non habeat Dominus inde vtilitatem, ſed totum primogenitũ Domino tribuat: nec ex hoc ducatur ad faciendum aliquas fraudes in decimis, & aliis iuribus Sacerdotum, & Leuitarum. *In armentis & ouibus tuis.* Armenta ſunt animalium maiorũ congregationes, ſcilicet, boum, & camelorum, & ſimilium, vt bubalorum: oues accipiuntur hic pro gregibus vniuerſaliter: quia greges dicuntur congregationes minorum animalium: vt arietum, ouium, & caprarum, & porcorum, ſic dicitur Matth. 9. & Marc. 5. quod grex porcorum præcipitauit ſe in mare, & variat hic litera noſtra iſtud nomen armentum aliquando accipiens pro animalibus paruis, aliquando pro magnis: pro magnis quidem, vt patet ſupra 14. cap. cum dicitur primogenita de armentis, de ouibus tuis. Et ſunt ibi neceſſaria armenta pro bobus, quę ſunt de magnis animalibus, & in eodem capitulo accipitur etiam pro paruis animalibus cum dicitur, ſiue ex armentis, ſiue ex bobus: ibi non poteſt accipi armentum, niſi pro paruis animalibus, qualia ſunt oues, & capræ: hic autem accipitur proprie armenta pro magnis animalibus. *Quicquid eſt ſexus maſculini.* Sola primogenita maſculina Deus volebat: fœmellas autem primogenitas eſſe contingeret, non offerebant Domino, ſed comedebant

B Domini ſui, de hoc plenius diximus Exod. 34. cap. *Non operaberis in primogenito bouis.* Si enim arare vel currum vehere vellet in primogenito bouis, oportebat tenere eum per duos vel tres annos: hoc autem ſacerdotibus damnum erat, & Dominis offerentibus occaſio mali, vt ſic cupidus lucri fieret magis debito. *Et non tondebis primogenita ouium.* Sed cum lana ſua feres ea ad ſacerdotem, vt totum ſibi habeat ſacerdos. *In conſpectu Domini Dei tui comedes ea tu & domus tua.* Hoc videtur referri ad offerentem. Et tunc dicendum eſſet, quod iſta non erant vera primogenita, quæ dabantur ſacerdotibus, ſed alia ſecunda, quæ ſeparabant ſibi de gregibus, vel armentis, vt ipſi comederent ea in loco ſancto, vt diximus ſupra 12. ca. ſed licet hoc verum ſit, non tamen applicatur ad propoſitum, quia ad comedendum in loco ſancto non oportebat ſeparare omnia ſecundo genita, quæ primogenita largo modo vocantur, ſed ſufficerent duo vel tria, vel ſaltem pauca, ſed in litera dicitur, quod ſeparari debebat quicquid eſt ſexus maſculini primogenitum. Item quia Deus non curaret dare legem de primogenitis, quæ comederent offerentes, ſcilicet, quod non tonderent, & non ararent in eis: forte aliquis diceret, quod referatur hoc ad primogenita, quæ dabantur ſacerdotibus, vt conueniant omnia iſta. Et ſi dicatur quod primogenita, quæ dabantur ſacerdotibus non comedebantur ab offerentibus, ſicut iſta de quibus dicitur in textu, poſſet reſponderi, quod primogenita dabantur in hoſtias pacificas ſacerdotibus, & tunc aliquid offerebatur Deo, aliquid ſacerdoti, & aliquid offerenti de quo comedebat offerens cum tota domo ſua, ſicut omnes carnes pacificarum victimarum præter adipem, armum dextrum, & pectuſculum pertinent ad offerentem, vt habetur Leuit. 7. cap. Sed hoc non poteſt ſtare, quia Numer. 18. cap. dicitur, quod de omnibus primogenitis gregis, & armentorum ſolum adeps incendebatur Domino: carnes autem comedebat vnus ſacerdotum, ſicut pectuſculum conſecratum, & armus dexter in aliis pacificis dabantur ſacerdoti, ita hic dabantur omnes carnes: nihil ergo comedebat de primogenitis offerens ea. Dicendum ergo, quod hic fit mutatio perſonæ, quia Moyſes quando loquebatur dicebat coram toto populo: ideo ſub eadem ſecunda perſona aliquando loquebatur ad quoſdam de populo, aliquando ad alios: ideo quando dicitur. Quia quicquid eſt primogenitum ſanctificabis Domino, loquebatur cum popularibus: quando autem dicit comedetis eam in conſpectu Domini tu, & domus tua, conuertebatur ad loquendum ſacerdotibus, & hoc bene conuenit, quia ſacerdotes habebant domos ſuas, & familias in loco in quo erat Sanctuarium, non erat autem ſic de Leuitis quantum ad decimas, quia Leuitæ non habebant domos ſuas in loco Sanctuarij, ſed diſperſi erant per ciuitates multas.

(·.·)

An omnes Sacerdotes habitarent in loco Sanctuarij ſemper.

QVÆSTIO VI.

ET ſi dicas, quod non habitabant omnes ſacerdotes in loco Sanctuarij, quia Zacharias pater B. Ioannis ſacerdos erat, vt patet Luc. ca. 1. ſed non morabatur in Hieruſalem, vt patet eodem cap. ſed in quadam montana in ciuitate Iudæ: Hieruſalem autem non erat de tribu Iuda, ſed de tribu Beniamin. Reſpondetur quod omnes qui recepturi, & comeſturi erant carnes primogenitorum in Hieruſalem, erant tempore quo offerebantur. Et non repugnat hoc ſuperiori, quando mutationem perſonæ improbauimus, quia mutatio perſonæ nunquam ſine neceſſitate fieri debet, qualis non erat ſupra: hic autem neceſſitas eſt, ſi reſpiciantur ſupra poſitæ rationes. *Si autem habuerit maculam.* De quibus magis Leuit. 22. Lex vetabat immolari animalia immunda, & maculata: immunda autem dicuntur illa, quæ ſecundum ſpeciem immolari non licebat, qualitercunque ſe haberent ſiue illa comeſtibilia eſſent, ſiue non, ſicut aſinus, capreа, porcus, ceruus. Maculata autem illa erant, quæ ſecundum ſpeciem ad ſacrificium licita erant, ex aliquo tamen accidenti illicita erant, vtpote ſi aliquod animal luſcum eſſet, aut confractos pedes haberet, aut aures, vel caudam amputatas, vel in aliquo membro maculatum, ſcilicet, mutilatũ eſſet, ita quod quandam enormitatem talis macula indicaret: nec accipitur hic macula pro varietate coloris in vellere, vt quidam imperiti dixerũt: nihil enim magis referebat vnius coloris eſſe, quam multorum ipſam victimam. Sed in hoc differentia erat, quia aut quis offerre volebat holocauſtũ, aut ſoluere vota, & tunc non licebat dare animal aliquo modo maculatum, ſic enim dicitur Leuit. 22. cap. omnis macula non erit in eo: ſi cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, ſi impetiginem, vel ſcabiem, non offeretis eum Domino, nec adolebitis ex eo ſuper altare. Et quantum ad iſtas maculas ſupradictas non ſolum vetabatur holocauſtum, vel votum, ſed quodcunque genus ſacrificij: ſic enim dicitur in eodem. cap. homo qui obtulerit victimam pacificorũ Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens, tam de bobus, quam de ouibus immaculatum offeret: omnis macula non erit in eo. Si autem maculæ erant minores, ſicut abſciſſio aurium, & caudæ, erat diſtinguendum, quia aut offerebantur voluntarie, aut dabantur ex voto, vtpote, quia quis vouerat vnum bouem, aut capram dare, & poſtea dabat bouem, aut capram caudis, & auribus amputatis. Et circa iſta erat regula, quod accipiebantur cum voluntarie offerrentur, non tamen recipiebantur ad ſoluendum votum, cum dicitur eodem cap. bouem & ouem aure, & cauda amputatis offerre potes voluntarie: votum autem ex his ſolui non poteſt: erant etiam aliæ maculæ, quæ magnæ reputabantur in animalibus, vt abſciſſio teſticulorum, vel confractio, aut attonſio: ideo quodcunque animal tale eſſet, non erat quouis modo immolandum, ſic dicitur in eodem cap. omne animal, quod confractis, vel tonſis, vel ſectis ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino, & in terra veſtra hæc omnino non facietis. *Non immolabis Domino.* Ne diuinus cultus veniret in contemptum, quia licet ſecundum veritatem nihil magis profit animal turpe immolatum, quam turpe, vel detruncatum, vel nullum, quia bonorum noſtrorum non indiget, vt Pſalm. 15. tamen pulchra, & meliora danda ſunt propter noſtram exiſtimationem, vt per hanc exiſtimationem, quam videmus in miniſteriis diuinis, ad miniſteria humana, homines ſimplices recogitent Dei excellentiam, & exhibeant ei honorem quantum exhibere ſufficiunt: ideo ſacerdotes qui non curabant dare in ſacrificiis de meliori pane, & melioribus animalibus pro ſacrificiis, & libamentis valde arguuntur à Domino, vt patet Malach. 1. cap. ad vos ô ſacerdotes qui deſpicitis nomen meum, offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis menſa Domini deſpecta eſt: ſi offeratis cæcum, & claudum ad immolandum, nonne malum eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, quaſi dicat, non placebit ei, nec ſuſcipiet faciem tuam, hic comparat ſe Deus ducibus, vel regibus innuens, quod id quod ducibus ad manducandum apponi non licet, nec Deo. Ex quo infertur, quod eccleſias

D *Reſp.*

Quid immũdum, quidue maculatum animal ſit.

E

F

Oblatio de melioribus fieri debet.

A

An deceat pulchras, & deauratas habere ecclesias.

clesias valde pulchras esse licet tam in ædificiis parietum, quam in apparatibus ministrorum, vt ibi seruiat Domino aurum, & argentum: vt hæc terrena pulchritudo ad admirationem, & desiderium illius cœlestis pulchritudinis aspicientes conuertat: legimus enim illud antiquum tabernaculum in deserto factum multa auri, & argenti pondera habuisse, deinde illud admirandæ pulchritudinis templum, quod cõstruxit Salomon, mons aureus videbatur, quia nihil erat in eo, quod non laminis aureis tegeretur, vt patet 3.Reg.6. cap. sed in hoc nimis cauendum, ne dum ecclesiæ magnis vasorum, & ædificiorum, & thesaurorum cooperiis dilatantur, pauperes Christi fame moriantur confecti, quia pro eorum necessitatibus vendi possunt, & erogari: vt habetur in Decretis 12.quæst.2.cap.aurum habet ecclesia. *Sed intra portas vrbis tuæ comedes illud.* Hoc refertur ad offerentes primogenita, quia si maculata essent, offerre non debebant, sed comederent in vrbibus suis, sed de ista macula videndum est, quia aut est à natiuitate, aut non. Si à natiuitate dicũt aliqui, quod nec offertur, nec redimitur, quia nunquam fuit Domino obligatum, sed hoc satis dubium est: forte dici posset, quod vendi deberet, & pretium eius dari sacerdotibus, sicut alias eis daretur, si maculatum non esset, vt patet Num.18.cap. Si autem macula non insit à natiuitate, aut curari potest, aut non: si curari potest curabitur, & detur post Domino: si autem curari non posset, vendi debebat, & pretium eius daretur sacerdoti: secundum formam traditam Leuit.vltim. cap. *Tam mundus, quam immundus simul vescentur eis.* Id est, ad comedendum de illo primogenito maculato non requiritur aliqua munditia in comedente: sicut requirebatur in aliis sacrificiis, vt patet Leuit. 22. cap. *Quasi caprea, & ceruo.* Id est, sicut non requiritur aliqua solennitas in comedendo ceruum, & capream, nec oblatio, nec munditia: ita in comedendo primogenita maculata. *Hoc solum obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas.* Quia illud animal, quod secundum speciem immolatitium erat, non immolatur, sed cuilibet licet illud comedere: sic posset aliquis dubitare, vtrum sanguinem illius comedere liceret, & respondetur quod non.

B

Caput XVI.

De pascha siue phase.

OBSERVA mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte, &c.

Connexio capituli.

C

OBserua. Supra posita fuerunt quædam præcepta ordinantia ad latriam de septennio in septennium, hic adiunguntur alia, quæ ordinant in quolibet anno respectu trium temporum, scilicet, pro festo azymorum: Et Pentecoste: Et tabernaculorum. Et de istis dicta sunt multa Exod.23. & 34. & Numer.28. & 29. Et Leuit.23.cap. Et tanguntur duo principaliter. Primum præcepta ordinantia in Deum. Secundo ponuntur quædam ordinantia in proximum ibi. *Iudices & magistros.* Prima diuiditur in tres partes secundum tria festa. Primum de festo azymorum. Secundo de festo hebdomadarum ibi. *Septem hebdomadas numerabis.* Tertio de festo tabernaculorum ibi. *Solennitatem quoque. Obserua mensem nouarum frugum.* Id est, mensem in quo fruges aliquo modo incipiunt maturari, quia mensis Martius qui est primus mensis apud Hebræos habet istud festum: in quo in terra promissionis, quæ satis calida, & temperata est, incipiunt spicæ ad maturitatem flauescere, vnde in illo mense colligebantur spicæ, quæ magis maturitati erant propinquæ, & offerebantur, deinde torrebantur, & excutiebantur grana, & contundebantur in modum farris, vsque ad farinam, & de illa cremabatur in festo azymorum, vt patet Leuit.23.cap. & ca.2. & istud vocabatur sacrificium de primitiis frugum. *Et verni primi temporis.* Quia iste mensis est in principio veris, quia in mense isto intrat Sol in arietem, & fit æquinoctium in vniuersa terra, & tunc incipit ver. *Et primi temporis.* Quia iste mensis est principium temporis cum sit principium anni, vt patet Exod. 12. capit. iste mensis erit nobis principium mensium primus in mensibus anni.

Diuisio eiusdẽ.

Præcepta in Deum ordinãtia. Phase festum quo mense eueniat.

D

Martius mensis vocatur primum tempus dupliciter, & quomodo September sit apud Hebræos primus.

Qvæstio I.

ISte mensis Martius potest vocari primum tempus dupliciter. Vno modo quantum ad qualitatem temporis, quia tunc videtur annus, vel incipere, & omnia terræ nascentia primordia suę natiuitatis habent. Et ob hoc quidam eum primum mensem seculi autumant, sicut diximus Genes.1.& 7.cap. Et licet iste mensis non vocaretur primus mensis, vocaretur tamen mensis primi temporis, quia in illo mense est qualitas temporis, secundum quam omnia nasci incipiunt. Potest alio modo vocari primum tempus, ita quod non sit primum tempus, quia in eo ver nouum est, sed quia ipse mensis temporum principium est, scilicet, quia ab ipso totius anni computatio incipit: sicut dicitur Exod.12.ca. iste mensis principium mensium erit: hoc autem, vt in eodem cap. dictum fuit non est intelligendum simpliciter, ita quod computatio temporum totaliter inciperet ab illo mense, sed solum accipitur quantum ad computationem festorum secundum vulgarem computationem: non vocatur iste mẽsis primus apud Hebræos, sed magis September, sicut declaratum fuit Exod.12.ca.& istum modum loquendi sequitur scriptura de solennitate tabernaculorum, quæ fit in mense Septembris, vt satis patet ibidem in litera, & dicitur ipsa esse in exitu anni, cum ergo exitus, id est, finis, & principium idem sint, & annus finiat in Septembri apud festum tabernaculorum: ergo tunc incipit: etiam vocatur September principium anni, quia dicitur quod festum tabernaculorũ dicitur esse in principio anni, vt patet Exod.34. cap. cum dicitur solennitatem quando redeunte anni tempore cuncta tonduntur: & loquitur de festiuitate tabernaculorum: cõstat tamen quod annus nũquam redire dicitur, nisi quando finito vno incipit alius, sed hoc est in Septembri, ergo in Septẽbri incipit annus: hic tamen accepit principium temporis siue anni computare à Martio, quia hic computare intendit festiuitates principales anni: constat autem quod secũdum festiuatates Martius primus est: ergo eum primum mensem, siue mẽsem primi temporis nominauit. *Vt facias phase Domino Deo tuo.* Id est, vt celebres pascha Deo tuo. *Quoniam in mense isto eduxit te de Ægypto.* Die quinta decima mensis huius, vt habetur Exod.12.c. *Nocte.* Per noctem surrexit Pharao, & serui eius, & clamauerunt ad Iudæos, vt exirent de Ægypto: ipsi autem ante diluculum recesserunt: ideo dicũtur nocte recessisse, vt patet Exod.12.c. Recessus Hebræorũ per diem fuit: nam in tota nocte nõ ausi sunt Iudæi egredi de domibus suis, quia mandauerat Deus ne quisquam per totam illam noctem egrederetur ostiũ domus suę, quia exterminator perlustrabat vicos, qui decideret eos: etiam quia non possent ipsi Iudæi per noctem congregari simul, vt omnes vnum iter caperent: nec valet si dicas, quod erat tunc columna ignis, quæ illuminaret eos per noctem: nam nunquam eis defuit columna nubis per diem, & columna ignis per noctem, vt patet Exod. 13. cap. nam licet ista columna à principio itineris sui illuminauerit eos, tamen non poterant ipsi de diuersis locis congregari ad illam colũnam ignis de diuersis locis, quia nescirent quid erat: etiam quia non viderentur à multis locis: etiam quod per diẽ exierint patet Num.33.c. scilicet, quod profecti sunt filij Israel 15. die mensis in manu excelsa videntibus Ægyptiis, & sepelientibus mortuos suos: si aũt per noctem recessissent, non viderent eos Ægyptij de Ægypto exeũtes, quod nõ decebat, quia sic putarent eos fugientes, & citius insequerentur eos. *Immolabis phase.* Aliquando signat phase agnum qui immolabatur, vt patet Exod.12. & Ioan.18. non intrauerunt prætorium ne contaminarentur, sed manducarent pascha. Alio modo accipitur pro aliis pertinentibus ad solennitatem paschalem, siue sacrificiis, siue aliis cæremoniis. Et sic accipitur hic. *Immolabis phase de bobus & ouibus.* Id est, in solẽnitate paschali offeres boues, & oues. Erant enim pro illa festiuitate multa sacrificia instituta, quæ fiebant de expensis publicis, de quibus Num. 28. ca. & quilibet ex deuotione insuper offerebat pro se, quod volebat. Et ista omnia erant de bobus, & ouibus, etiam de capris, quæ hic non ponũtur. Aliqui voluerunt, quod

Notãdum de recessu Iudæorũ per diẽ ab Ægypto.

E

F

Phase quot modis sumitur.

accipia-

accipiatur hic phase pro ipso agno immolato, ita quod quando non posset haberi agnus, quod fieret de bobus, siue de ouibus, sed hoc falsum est, quia agnus immolari debebat, & si non haberetur agnus immolabatur hœdus, vt patet Exo. 12. nunquam autem aries, vel bos, quia deficeret à perfecta significatione. *In loco quem elegerit Dominus tuus*, id est in loco vbi erat sanctuarium: non enim poterat hoc fieri in aliquo alio loco, quia ista immolatio phase habebat speciem sacrificij, immo vocatur sacrificium Domini, vt habetur Num. 9. c. Et si hoc posset fieri in qualibet ciuitate, daretur occasio, q̃ aliquis obseruare posset aliquas cæremonias dæmonum in illa oblatione, quod non poterat fieri, cum omnes in eodem loco coram sacerdotibus immolabant: immo ipsi sacerdotes immolabant, quæ populus offerebat. Item vt de sanguine huius oblationis funderetur ante altare. *Vt sit nomen eius in eo.* Recte hoc adiunctum est: nam si accipiatur large Deum elegisse aliquem locum, etiam dicemus eum elegisse totam terram promissionis, quia istam specialiter parauit populo suo hebraico, vt patet Ex. 23. c. cum dicitur, ecce ego mittam angelum qui præcedat te, & custodiat in via: & introducat ad locum quem paraui, sed dicitur elegisse aliquem locum, vt sit nomen eius in eo, id est vt in loco illo specialiter colatur, & specialiter nominetur saltem in sacrificiis, & in aliis ministeriis, quæ fiebant in tabernaculo, & atrio, quæ erant in vna ciuitate terræ promissionis: in aliis autem nihil horum, sed solum erant synagogę, in quibus conueniebant homines ad orandum, & audiendum doctrinam legis, sic patet, quia tempore Christi erat sanctuarium in Hierusalem, tamen in aliis locis synagogæ erant, in quibus prædicabatur verbum Dei, vt patet Luc. 4. c. cum dicitur, quod intrauit Iesus in synagogam, vt prædicaret sabbatis, & hoc erat in Capharnaum: hic autem non dicebatur esse nomen Dei, quia specialiter non erat, sicut in loco sanctuarij. Sed quæres cum deberet fieri celebratio phase, & aliæ solennitates in sanctuario, & istud erat in loco, vbi staret tabernaculum, & arca, & sacerdotes cum arca, & tabernaculum simul essent, satis notum erat sacrificia debere fieri, vbi ista essent: si tamen essent semota, sicut fuerunt per 80. annos, vel modicum plus sci. à tempore quo capta fuit arca à Philisthin in bello, donec Salomon adduxit arcam, & tabernaculum, separata erant: fuit sanctuarium in duobus locis, sc. primo in ciuitate Nobe, secundo in ciuitate Gabaon, de quo plenissime dictum est. Exo. 20. & aliqualiter supra 12. cap. *Non comedes in eo panem fermentatum*, id est, in solennitate ista non debebat comedi panis fermentatus: non est sensus, quòd in loco in quo erat sanctuarium, non liceret comedi panem fermentatum, quia illi qui morabantur in loco illo, comedebant panem fermentatum, sicut in aliis locis, & ipsi sacerdotes qui in eodem loco ad ministrandum manebant, non comedebant semper panem fermentatum: nec etiam ipsi qui de aliis locis venirent ad locum sanctuarij, tenebantur semper comedere panes azymos, quia tũc nullus morari vellet in tali loco, quia vita talis esset in afflictione, si semper comedere debebat panem azymum, quia comestio panis illius erat afflictiua, sic patet infra cum dicitur septem diebus comedes afflictionis panem, sed loquitur hic scriptura ad eos qui ascendebant in locum sanctuarij per festum azymorum, quia tunc non debebant comedere panem fermentatum in loco illo, cum septem dies essent ad comedẽdum azyma, & in fine recedebant: si tamen aliquis maneret in loco sanctuarij vltra tempus illius festiuitatis, non obligabatur comedere azyma: ideo in aliis duabus festiuitatibus, scilicet, pentecoste, & festo tabernaculorum licet ascenderent in locum sanctuarij, & facerent oblationes, & victimas Domino, non comedebat azyma, quia solum fuit tempus paschæ azymorum ad commestionem panis non fermentati, cum in solo hoc tempore reperiatur significatio azymorum, scilicet, quòd eo tempore egressi sunt de Ægypto. *Septem diebus comedes.* Nunc Iudæi comedunt panem azymorum octo diebus ad euitandum dubium, quia in 14. die mensis debent incipere, & continuare per septem dies, & quia isti dies computantur à lunatione propinquiori æquinoctio vernali, ipsi dubitabant de coniunctione lunæ vtrum esset in die in qua mensem incipiebant, vel pertineret ad sequentem diem: ideo octo dies accipiunt, vt ibi illos septem includant. *Afflictionis panem.* Quia magnus labor est in comedendo illum panem, & in digerendo: est enim gustui insipidus, & stomacho ponderosissimus, quia miscetur cum aqua frigidissima farina ad conficiendos illos panes sine sale, & sine fermento: ista enim subtiliant, & digerunt: quare panes illi cæteris panibus ponderosiores sunt, & magis repugnant sanitati. *Quoniam in pauore egressus es de Aegypto.* In Hebræo habetur. *Quia in festinatione egressus es.* Dictio enim hebraica hic posita signat festinationem, & pauorem siue compulsionem. Et ad eandem sententiam reducuntur, quia Ægyptij incutiebant pauorem Israelitis compellendo eos recedere: ideo Israelitæ cum festinatione exibant. *Vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto.* Cibus iste reducebat eos in memoriam exitus de Ægypto, quia in illo exitu talem panem comederunt. Et tunc applicatur litera secundum nostram positionem. *Quoniam in pauore egressus es de Aegypto*, id est quia pauorem magnum incusserunt tibi Aegyptij, quando existi de Ægypto, & ab hoc liberauit te Dominus, vt memineris diei afflictionis, & pauoris illius. & per hoc gratias Deo reddas: vult vt comedas panem afflictionis, qui reducat te in memoriam illius afflictionis, & pauoris Ægypti, hoc recte dictum est, sed non multum applicatur, quia eodem modo si propter solam memoriam afflictionis mandabat Dominus comedi panem azymum, mandaret etiam comedi lactucas agrestes, vel aliquid simile in quo esset afflictio, sed est sensus. *Quoniam in pauore egressus es de Aegypto*, id est, tu volueras in Ægypto panes fermentare, quia tamen Ægyptij instabant vehementer, vt recederes, & tibi timorem incusserunt, propter timorem eorum non potuisti fermentare panem, sed mansit azymus propter illum timorem: ideo ad reducendum in memoriam pauorem Ægypti oportebat panem azymum septem diebus comedere. Et quando dicitur. *Quia in festinatione egressus es.* Refertur ad panem quem tunc fecerunt, quia compellentibus Ægyptiis exire farinam nondum fermentatam, sed consparsam tulerunt ligantes in pallijs suis, sic ergo nunc non fermentatum panem comedunt, qui velociter fieri potest. *Non manebit de carnibus, quod immolatum est*, vesperi vsque mane, id est carnes agni immolati in 14. die mensis ad vesperam non manebunt ad alium diem, sed quicquid remaneret igne comburebatur, vt habetur Exod. 12. c. Exod. 23. c. cum de hac festiuitate agitur, dicitur alio modo, scilicet, non immolabis super fermentato sanguinem victimæ meæ: nec remanebit adeps solennitatis meæ vsque mane: in quo solum dicitur de adipe offerendo, nam agnus paschalis sacrificium Domini erat, vt patet Num. 9. c. & sicut in aliis sacrificiis quibuscunq; sanguine tingebatur per quatuor cornua altaris, ita in sacrificio agni effundebatur sanguis ad basim altaris, & per cornua eius, de alijs autem sacrificijs licet essent holocausta, licet victimæ pacificæ, licet pro peccato, hoc commune erat de holocaustis, patet Leu. 1. de pacificis, patet Le. 3. de his quæ pro peccato, patet Leu. 4. & 5. & sicut in omnibus sacrificiis adeps erat pertinens ad Dominum iure perpetuo, vt patet Leuit. 3. c. & nullus sub pœna mortis de illo comedere audebat, vt patet Leu. 7. c. ita & in agno paschali adeps offerebatur Domino: de hoc autem dicebatur in auctoritate allegata, quod adeps non deberet manere vsque mane, quia in 14. die mensis primi ad vesperam agnus immolabatur, & eodem die ponebatur adeps in incensum coram Domino: nec erat fas, vt remaneret pro sequenti die, sci. pro 15. mensis eiusdem, vt in eadem adoleretur coram Domino, Exod. 34. c. vbi de eadem solennitate agitur, dicitur neq; remanebit mane de victima solennitatis phase, & hoc refertur ad carnes, scil. quod nihil maneret pro sequenti die de carnibus illis agni immolati, vt comederetur sequenti die, & istum sensum facit hic litera: ratio autem mystica, quia remanere nihil debebat de isto agno fuit tacta Exo. 12. c. causa autem literalis in omnibus celebrationibus phase factis post exitum de Ægypto, fuit ad recordandum illam celebrationem phase factam in exitu de Ægypto, sicut dicitur hic de comestione azymorum septem diebus, vt memineris egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ: causa autem propter quam in Ægypto factum est, vt non maneret aliquid de carnibus illis vsque mane, fuit ad signandum volocitatem exitus, scilicet, vt intelligerent Iudæi, quòd sequenti die non erant comesturi in Ægypto, sed cum festinatione iter arrepturi erant instantibus nimiumq; vrgentibus Ægyptiis: si autẽ aliquid de carnibus illius

A agni maneret pro sequenti die putarent se in Ægypto comesturos. *Non poteris immolare.* Supra data fuit causa. *Sed in loco quem elegerit Dominus.* Non erat necesse, quòd fieret comestio agni intra templum, sed in tota ciuitate fieri poterat in singulis domibus considerato numero personarum. *Immolabis phase vespere ad Solis occasum.* In Exodo habetur ad vesperam, & vocatur vespera, siue Solis occasus non solum tempus quo Sol cadit sub horizonte, sed tempus à quo Sol incipit declinare à puncto circuli meridiani: ideo post merid em 14. dici, vsque ad noctem quacunq; hora poterat immolare agnum, licet illud apud Hebræos teneatur, quòd postquam Sol inciperet declinare poterat fieri celebratio agni paschalis tamen non fiebat vsque ad Solis occasum: vel paulo ante Solis occasum: vespera autē quæ erat post meridiem accipiebatur, prout in illo tempore debebant Iudæi incipere se parare ad immolationem phase, erat autem apparatus, vt scrutarentur totam domum vtrum aliquis panis fermentatus in ea esset saltem modicus, & excludebatur ab ea, & post hoc poterat fieri immolatio, sic enim dicitur Exo. 23. & 34. non immolabis super fermentato sanguinem victimæ meæ, id est, dum manserit in domo panis fermentatus non poterat immolari agnus. *Quando egressus es de Aegypto.* Non quod illa hora, vel tunc egressi fuerint de Ægypto, sed quia tunc se incœperunt parare ad itinerandum: ideo ab eo tempore computatur exitus. Varie accipit hic litera exitum de Ægypto: aliquando accipitur proprie pro ipso tempore quo recesserunt, & isto modo accipitur Exod. 12. cap. vbi dicitur, quod in 15. die mensis primi egressi sunt de Ægypto, idem patet Num. 33. c. Alio modo accipitur pro tempore quo eis recedere mandatū est, sic dicitur, quòd Hebræi exierunt de Ægyto nocte, vt patet supra, scilicet, quia in isto mense eduxit te Dominus Deus de Ægypto nocte, sc. media nocte, quia media nocte surrexit Pharao, & serui eius, & compulerunt Hebræos, vt recederent festinanter, vt patet Ex. 12. c. aliquando accipitur recessus pro tempore quo incœperunt se ad eundum parare, & sic accipitur hic cum dicitur ad occasum Solis quando egressus es de Ægypto, id est, quando incœpisti te parare ad exeundum de Ægypto, vel dicitur quando egressus es de Ægypto referendo ad tempus non tamen stricte pro hora temporis, scilicet, quando egressus es de Ægypto, id est quod immolare debebant agnum tempore quo exierunt de Ægypto, sc. ad dimidium mensis primi non tamen, quòd immolarent ad Solis occasum, & sic ly quando non refertur ad occasum Solis, sed ad tempus egressionis simpliciter. *Et coques, & comedes.* Si dicatur contra, quia Exo. 12. c. dicitur, quod non comedent ex eo quicquam crudum aut coctum aqua, sed assum igni. Respondetur quod coqui apud Hebræos secundum naturam dictionis hic positæ extenditur ad decoctionem, quæ fit per aquam, vel quæ per calorem ignis fit: ideo quando dicebatur in Exodo, quòd non comederetur agnus coctus nō dictum fuit coctum solummodo, sed cum à dictione scilicet coctum aqua, quia illa dictio non signabat decoctionem in aqua, sed generaliter quamlibet decoctionem, & sic verum est, quod decoquetur, sc. quod humiditas non naturalis, & cruda per calorem ignis consumitur vsquequo nihil maneat. *Maneque consurgens vades in tabernacula tua.*

B

C

De quibus tabernaculis hic litera intelligitur.

QVÆSTIO II.

ALIQVI volunt, quod intelligatur hoc de quibusdam tabernaculis, quæ fiebant extra ciuitatem de ramis arborum, siue alio modo de panno quemadmodum fit in castris, vel aliis locis ad quæ gentes multæ conueniunt. Et 14. die post meridiem stabant omnes in Hierusalem, cum 15. die, quæ erat prima dies solennitatis vacantes orationibus, & sacrificiis, & doctrinæ legis: deinde sequenti die reuertebantur ad tabernacula, quæ parauerant extra ciuitatem, sed hoc nihil est, quia hoc sine mandato facere poterant quacunque die etiam solennissima: poterant enim ambulare per mille passus, quod vocatur iter sabbati quantum distat mons oliueti à Hierusalem, vt habetur Actuum 1. c. ideo dicendum, quòd quia prima dies erat valde honorabilis non poterant in ea itinerare, sed die sequenti in qua operari licebat, vt habetur Leu. 23. c. dabatur licentia volentibus, quod recedere possent, sed pauci recedebant, quia adhuc magnus dies solennitatis, scil. septimus restabat. *Sex diebus comedes azyma.* Supra dicitur, quod septem diebus comedi debebat: ex quo aliqui Iudæi dicunt, quod sex dies sunt sub necessitate, septimus autem non, sed falsum est, quia Exod. 12. c. pœna mortis imponitur comedenti fermentatum per illos septem dies: hic autem solum ponuntur sex dies, vt vult Nicolaus, ita quod nō fiat hic mentio de septima die eo q̄ celeberrima erat, sed includantur alij sex priores dies, sed non videtur in hoc maior ratio quare de ipsa septima, quam de aliis dicatur: ideo videtur dicendum, quod intelligantur isti sex dies post primam diem paschę, & ratio videtur esse, quia supra de 1. die quomodo immolari debebat agnus, & comedi azyma, & quòd sequēti die poterant recedere in tabernacula sua. Nunc autem dubitaret aliquis vtrum postquam celebrassent pascha, & recessissent de loco sanctuarij tenerentur comedere azyma. Ideo respondetur eis. *Sex diebus azyma comedetis*, id est, sex diebus post primum diem cum ad terram suam recedebant. Et magis videtur, quod iste primus dies taceatur, quam septimus, quia de primo die manifestum est, quod azyma comedere deberent, quia iste primus dies est 15. dies mensis primi, & in isto 15. facta sunt primo azyma in Sochot, vt patet Exo. 12. c. *In die septimo, quia collecta est domini Dei tui non facies opus.* Potest intelligi collecta, id est, recollectio ad sanctuarium ad celebrandū festiuitatem, quia in primo die conuenerant omnes ad templum ad offerendum, & audiendum verbum Dei: deinde in sequentibus quinq; diebus dispergebantur ad opera, rursus in septimo die, quia celeberrimus erat conueniebant omnes ad templum, & cessabant ab opere seruili. Potest alio modo accipi collecta pro collectione pecuniarum à populo ad sumptus sacrificiorum, vel sustentationem pauperum, quia sequenti die totus populus recessurus erat, ideo illo die pecuniæ colligebantur. Alia collecta pecuniarum fiebat in solennitate tabernaculorum die 8. vt habetur Leui. 23. c. & Nume. 29. c. Nicolaus dicit, quod non concordat hoc, scilicet, quod in die illa fieret collecta, quia secunda die populus recedebat, vt supra patuit. Respondetur quod satis consonat, quia in illa septima die quasi totus populus stabat in Hierusalem, quia licet haberent licentiam recedendi in secundo die: tamen pauci recedebant, vt expectarent septimum diem magnę solennitatis die quo Ioan. 7. c. dicitur quod Iesus incœpit clamare die nouissimo magno die festiuitatis, & deinde subditur de turba magna, quæ audiebat eum. *Septem hebdomadas numerabis.* Hic ponitur secūdum de festo hebdomadarum. *Septem hebdomadas numerabis tibi.* Quæ faciunt dies 49. pentecostes vero dicit 50. dies: tot enim sunt computando diem primum azymorum, vel diem pentecostę. *Ab illa die qua falcem in segetem miseris*, id est à prima die azymorum in qua secabantur aliquæ spicæ, quæ videbantur magis maturitati appropinquare, & excussis granis post adustionem & facta inde farina fiebat oblatio domino. Et ante istum diem nullus mittebat falcem in segetem, quia nondum erat matura, sed etiam si esset matura, nullus debebtt falcem mittere. *Celebrabis diem festum hebdomadarum*, id est, diem festum qui est post septē hebdomadas, & in festo isto solum obseruabatur vnus dies. *Oblationem spontaneam manus tuæ.* Refertur ad verbum superius celebrabis, id est, celebrabis etiam oblationem spontaneam, quia non solum custodies diem illum cessando ab opere seruili, sed etiam offerendo spontaneas victimas, vel potest hoc esse expositio superioris, & tunc est sensus. *Celebrabis diem festum hebdomadarum oblationem spontaneam*, id est, oblationem spontaneam, ita quod tota celebritas illius diei est in offerendo victimas pacificas. *Oblationem spontaneam.* Quia in illa festiuitate non adducebantur decimæ, vel primitiæ, sed in festiuitate tabernaculorum, quando cuncta erant collecta de agris, vt patet Exo. 34. & 23. sed nec hoc est simpliciter verum, quia loquendo de decimis, quę dabantur Leuitis, non est verum, quòd aliquo tempore apportarentur in locum sanctuarij, sed Leuitæ colligebant eas per ciuitates: loquendo autem de secundis non solum apportabantur in festo tabernaculorum, sed etiam in aliis duobus festis, quia de eis vescebantur quando ascendebant in locū sanctuarij, sed hic dicitur de oblationibus spontaneis, vt distinguntur contra votiuas, & cōprehendunt holocausta, & victimas pacificas, quia vtrumq; sine aliqua obligatione est non faciendo aliquam mentionē

D

E *Collecta tripliter capitur.*

F

de vo-

A de votiuis, quæ sine festiuitate debentur. *Manus tua.* Id est ista oblatio erit de rebus quas laborasti per manum tuam, vt de segetibus, vino, & pecoribus. *Quam offeres iuxta benedictionem Domini,* id est ista oblatio erit secundum quòd Deus multiplicauerit bona tua, quę multiplicatio vocatur benedictio Dei: diuites enim magis, quam pauperes offerre debent. *Et epulaberis coram Domino.* Non epulabantur omnes intra sanctuarium, sed in tota ciuitate, dicitur epulari coram Domino, quia propter honorem eius ad locum illum venerant. *Tu & filius tuus.* Quatuor personæ ponuntur hic quibus offerens alimenta ex necessitate dare tenetur, scilicet filius, & filia, seruus & ancilla. Et aliæ 4. quibus propter Deum dat necessaria, scilicet Leuita, aduena, pupillus, & vidua. *Et epulaberis.* Epulari est epulis vacare, & dicuntur epulæ delicati cibi siue solennes, quia tunc solenniter parabantur cibi, & in abundantia pro omnibus, qui erant cum ipso patrefamilias offerente victimas, & hic non solum permittebat Deus Iudæos vacare epulis, qui carnales, & imperfecti erant, sed etiam hortabatur, vt vacarent eis.

Epulari quid & vnde.

Quæ vtilitas erat, quòd Iudæi in festiuitatibus vacarent epulis, & alijs gaudijs.

QVÆSTIO III.

B NEc tamen intelligendum, quòd Deus vellet, vt ipsi vacarent epulis, ita quòd ipsa vacatio epularum esset secundum se bona, aut bona ex genere, sed erat bona ex occasione, quia cum Iudæi carnales essent, & gauderent cibis, & potibus, & Deus mandaret eis vacare cibis, & potibus in solennitatibus, quibus facerent sacrificia saltem propter solatium ciborum, quod tunc assumebant, repetebant sacrificia sæpius: in quo Deus valde laudabatur, nam eum Deum in hac oblatione, & sacrificio profitebantur, quia nullus sacrificium facit, nisi ei qui verus Deus est, aut qui Deus verus ab eo putatur: etiam quia in his sacrificiis laudes vocales multas Deo celebrabant, etiam quia per obedientiam nimis in his merebantur adhuc magis, quam in ipsis sacrificiis, quia obedire melius est, quam sacrificare, vt patet 1. Regum. 15. ca. erat autem obedientia, quia Deus mandabat, quòd offerrent victimas, & ipsi offerebant, ista etiam est causa quare mandabatur, vt filij & filiæ, serui, & ancillæ comederent, vt ipsi pariter Deum laudarent, & afficerentur ad talia sacra desiderantes ea fieri, cum in eis quandam delectationem ciborum reperirent: si autem Deus mandasset, quod temporibus quibus aliquis offerret aliquod sacrificium, abstineret à delectationibus cibi, & potus, saltem ieiunando illa die qua offerrent, pauci inclinarentur ad offerendum sacrificium, quia tamen aliqualiter delectabantur in epulis, quas sumebant illis temporibus, afficiebantur ad sacrificia. *Coram Domino Deo tuo.* C Posset dici, sicut supra dicebamus, quòd non comedebant omnes isti offerentes intra sanctuarium, sed in ciuitate in qua stabat sanctuarium, & comedendo in ea poterant dici immo dicebantur comedere coram domino Deo suo, quia in ciuitate illa habitabat Dominus Deus specialiter, & sic dicebatur de agno paschali, quia non comedebatur intra atrium tabernaculi, sed in ciuitate sanctuarij in qua immolabatur, licet in his non est valde magna similitudo, quia hostiæ pacificæ, quæ vocantur oblatio spontanea, erant proprie sacrificia: ideo in loco comedi debebant scilicet intra atrium tabernaculi, agnus autem paschalis vocatur sacrificium iuge, quia adeps eius, & sanguis incendebantur coram Domino, ita quòd sanguis aspergeretur circa basim altaris, & adeps incenderetur, non tamen fiebat de agno aliquod genus proprij sacrificij, quia non erat sacrificium holocaustum, nec pacifica victima, nec pro peccato, quia in omnibus his partes carnium incendebantur, & aliæ dabantur sacerdotibus, vt patet Leuit. primo, & 3. & 5. & 6. atque 7. ca. de agno autem nihil omnino, satis ergo conueniret agnum non comedi intra locum atrij, & tamen carnes victimarum pacificarum, quæ offerebantur in festo pentecoste, in atrio tabernaculi comedi debebant: si autem non comederentur, hoc solum erat, quia nō sufficiebat locus ad capiendū omnes offerentes, & sacrificantes victimas. *Tu & filius tuus.* De vxore nihil dicit, sed satis notum est, quia mulier eadem persona reputatur cum viro suo, & est quasi rector œconomiæ, sicut ipse vir, ipso expresso viro, quòd comedere debebat de oblationibus illis, satis innuebatur vxorem debere comedere, quia illa quæ offerebantur, tantum pertinebant ad vxorem, sicut ad virum, quia fructus bonorum suorum indiuisus est eis. D

De filiis autem, & aliis familiaribus dubium est, vtrum ad comedendum de sacrificiis admitti deberent. Et respondetur quòd sic cuius causa, vt supra expressum fuit, quia Deus volebat, vt in die, quo ipse specialiter colebatur, specialis lætitia fieret, & omnes multum gauderent, vt Dei celebritas maior esset, vel vt ipsi quoque filij incitarentur ad desiderandum talem cultum Di. *Et filius.* Nulla differentia erat in hoc quantum ad fœminas, & viros, nam de sacrificiis pacificis cū tractaretur, æqualiter poterat fœmina de illis comedere sicut & viri: si autem essent quædam alia genera sacrificiorum poterant viri comedere, & non fœminæ, sicut sacrificia quædam facta pro peccato, vt patet Leuit. 6. ca. vbi dicitur mares tantum de genere Aaron comedent illud. *Seruus & ancilla.* De seruo patet, quia serui, aut erant de genere hebræorum, & tunc sicut cæteri hebræi comedebant de sacrificiis, nec differebant in aliqua cæremoniali obseruatione, si autem isti serui essent de conuersis ad Iudaismum idem dicendū est, quia gentiles iam conuersi tenebantur ad omnia illa ad quæ tenebantur Iudęi de ipso genere Iacob, sicut nunc conuersi de Iudaismo, vel de Agarenis ad Christum tenerentur ad obseruantiam legis euangelicæ, sicut tenebantur illi qui in christianitate nati fuerunt: si autem illi serui sint empti de gentilitate, aut capti in bello, etiam poterant comedere de sacrificijs, quia conuertebantur mox ad ritum Iudaicum, & circuncidebantur, vt patet Exod. 12. capit. scilicet omnis seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet illud, cogebantur enim domini seruos suos circuncidere, quando aliquos emebant, de ancillis autem eadem lex est, quia licet non appareat in eis manifeste, sicut in seruis, qui conuertuntur ad Iudaismum, quia non poterat in ancilla fieri aliquod signum manifestum, per quod euidens esset ancillam ad Iudaismum cōuersam fore, sicut in seruo qui circuncidebatur: ancilla autem nihil tale susćipere poterat, quia tamen ita erat in potestate domini sicut seruus, quemadmodum seruus ex mandato domini circuncidebatur, etiam si nollet: ita ancilla ex mādato domini sui cogebatur susćipere cultum quemcunq; dominus imperasset: cogebatur ergo colere Deum hebræorum saltem exterius, & si reperiretur postea in aliquo errare à fide veri Dei, quem hebræi colunt, tanquam de hæresi rea pœnam patiebatur, sicut omnes alij hæretici, par ergo ius erat quantum ad hoc in seruis, & in ancillis: ergo vterq; de sacrificijs pacificis domini sui comedere debebant. *Et Leuites qui est intra portas tuas.* Loquitur ad totum Israel, qui habebat ciuitatem, & intra portas illarum ciuitatū erant sacerdotes, & hoc siue accipiantur ciuitatum portæ, pro illis in quibus habitant alij de aliis tribubus cum ipsis Leuitis, aut pro ciuitatibus in quibus soli Leuitæ habitabant quæ erant 48. vt patet Nu. 35. c. quia quocunq; modo est verum, cum istæ ciuitates sint ciuitates Israel, quia Israelitæ dabant istas ciuitates Leuitis, quasi in donū, vt in eis habitarent, & dabant eis de parte sortium suarū, sc. qui plures ciuitates habebat, plures dabat, qui vero pauciores dabat pauciores: sicut in ipsis sortib. populi qui plures erant maiores terminos terræ recipiebant, sc. cum pluribus ciuitatibus, & oppidis, cum cæteris locis habitabilibus, & habitatis. *Qui morantur nobiscum,* id est in terra vestra, & non intelligitur de illis qui morantur in domo cū eis, quia de talibus necessariam curam habere debent, vt habetur 1. Tim. 5. c. qui suorum maxime domesticorū curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior est. *Et recordaberis quia seruus fuisti in Aegypto, & custodies mandata mea,* id est si recordatus fueris, quia fuisti seruus in Ægypto intelliges, qūo ego liberauerim. Et scies ex hoc q̄ es obligatus facere ea quæ mando, & sic facies. *Solennitatem quoque tabernaculorum.* Hic ponitur tertium de festo tabernaculorum, q̄ fit à 15. die Septembris, vt habetur Leu. 23. c. *Quando colligeris de area & torculari fruges tuas.* In mense Septembri q̄n fiebat ista solennitas in terra promissionis, quæ temperata & temporanea est, oēs fruges & vuæ collectæ erant, sic patet Exo. 34. & solennitatē q̄n rede unte anni tēpore cuncta conducuntur. *Solennitatē tabernaculorū.* E F

A *De festo tabernaculorũ.*

Istud festum sic nuncupatnm est in memoriam tabernaculorum factorum de ramis arborum, in quibus Hebræi habitauerant per desertum, vt dicitur Leui. 23. cap. cum redditur causa huius solennitatis, scilic. quoniam in tabernaculis habitare feci eos, & oritur ista causa ex generali motiuo omnium festorum: receperant enim Hæbræi multa beneficia à Deo ab exitu de Ægypto vsquequo introducerentur in terram Chanaan: ad quorum memoriam, vt semper Deo se obnoxios crederent, festiuitates istæ, tanquam signa quædam rememoratiua instituta sunt, vocatur etiam festum istud scenophagia, id est, simultaneus, vel communis ad comedendũ locus à cenon quod est commune, & phagin quod est edere, quia in publico edunt, sc. quod illo tempore faciunt in vicis extra domos suas quædam vmbracula ramorum, & ibi comedunt, & bibunt quasi in illis habitarent, vel faciunt hoc locis patentibus cœlo, licet vndique parietibus adoperta sint, sicut in curialibus, vel interdum domos illa die detegunt, & sic se putant illud præceptum adimplere. *Et epulaberis in festiuitate tua.* In omnibus festiuitatibus epulis, & potibus vacandum dicit ex causis supra assignatis, præterquam in festiuitate propitiationis, siue expiationis, quę est in Septembri decimo die eiusdem mensis computando secundum lunationem, nam in hac die tota, nec cibo, nec potu vescuntur, neque balneas, vel delectationem aliquam capiunt: immo nec debitum vir ab vxore, aut vxor à viro petunt, quia denunciatur eis Leuitic. 16. & 23. c. quod anima, quæ in die illo non se afflixerit, peribit de populo suo, etiam in festiuitate azymorum nõ dicitur eis, quod epulari debeant, quia ista epulatio notat totalem iucunditatem in cibis, secundum quòd ipsi voluerint, vt dicebatur supra 12. & 14. ca. quæcunque desiderat anima tua: in diebus tamen azymorum non licebat hoc, quia panem azymorum comedere cogebantur, qui non delectationem, sed afflictionem quandam inducit, sic enim dicitur supra septem diebus asque fermento comedes afflictionis panem in festiuitate tua, vocatur ista festiuitas populi, nam licet omnia festa essent Dei, quia Deus in eis specialiter colebatur, quædam tamen festa etiam erant ipsius populi, quia sibiipsis lautiores epulas præparabant: sicut si facerent aliqua magna conuiuia, vocarentur illa conuiuia festiuitates populi, etiam si non fierent in diebus festiuitatum, nam vocatur sic dies propitiationis festiuitas tua, vel dies azymorum ex causa assignata: in his autem epulis vacandum erat, immo & quod ipsi magis inepte considerant, quia putant grauiter errare si in his diebus quandam in cibis, aut vestibus iucunditatem præferant transferentes id quod aliquam diu ad remedium indisciplinatorum, indomitorumque datum est, ad virtutis, & præcepti officium necessarium, quia dictum est eis sabbatizabitis, quia maiorem solennioremque in sabbatis cultum impendetis, nam sacrifica dupla, quam in profestis diebus fiebant, vt patet Numer. 28. cap. *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis.* Quia tantum durabat ista solennitas, & non fit hic mentio de die octauo in quo fiebat cœtus, & collecta, vt patet Leu. 23. c. *Benedicetque tibi Dominus in cunctis frugibus tuis.* Quia istę festiuitates magis cõsistebant in oblationibus, quã in aliis cæremoniis, ideo obseruantes eas plene benedicuntur, id est, multiplicantur in frugibus, & vino. *Et in omni opere manuum tuarum,* id est, in omni labore, & occupatione manuali: eadem namque causa est, quia sicut benedicebantur in frugibus, & armentis, atque pecoribus, quia de illis offerebant: ita qui aliquod alterum officium haberet, & non esset pastor, vel agricola, quia ex acquisitione illius officij poterat eruere ea, quæ immolabilia, & offerenda essent, multiplicaret Deus hunc offerentem non quidem in frugibus, quia agros non colebat, nec habebat, nec in armentis, & gregibus, quia nihil horum possidebat, sed in acquisitione officij sui, & sic generaliter in omni manuali operatione, vel labore. *Erisque in lætitia.* Hoc potest referri ad ea sola, quæ dicta sunt, scilic. quod benediceret te dominus in frugibus, & armentis, & aliis possessionibus, & ex hoc nimium iucundaberis: sed non est sic accipiendum, vt solum referatur ad multiplicationem in possessionibus, vel terræ fructibus, quia lætitia est quidam motus animi in exhilarationem proueniens ex simultate omnium bonorum, vel simpliciter bonorum, vel extimatorum, siquis enim vnum bonum habeat, non lætatur, nisi putet omnia bona habere, vt si quis diuitias multas possideat, & sanitate careat, huic iucunditas nulla est, & sic de cæteris, qui autem vel valde multa bona habet, vltra quæ sibi bona esse nulla putat, aut non esse necessaria, gaudet: vel si forte vnum adipiscatur in quo solo se cætera habere existimet: sic enim amatores secundum passionem solum delectabile, in quod passio inclinat, sufficiens bonum esse existimant, quia passio solum illud bonum pro tunc, tanquam bonum esse proponit, hic ergo dicendum est, quòd cum Deus promittit lætitiam istis Iudæis obseruantibus festiuitates tabernaculorum, & alias non solum eis bona, quæ sunt fructus terræ, promittit, sed totam felicitatem temporalem, quæ in aggregatione multorum bonorum consistit, scilicet, vt diuites sint, vt sanitate vigeant, vt prole abundent, vt hostibus dominentur, vt nulla eis vndecunque insurgat aduersitas: hic enim qualiscunque atque vmbratilis transitorij huius volucrisq; momenti subitanea felicitas agitur, quam certissime Israelito assequebantur, cum Deum suum totis viribus requirebant, sed quia eis raro hoc inerat, raro talia bona adipiscebantur, quæ lętitiæ nomine exprimuntur.

B

Tribus vicibus per annum. Id est in istis tribus solennitatibus suprapositis. *Apparebit omne masculinum in conspectu Dei tui.* Id est in loco sanctuarij, & intelligitur de masculis habentibus actum rationis, & non impeditis ineuitabiliter, vt in ægritudine, vel ex similibus causis: paruuli etiam non obligabantur ascendere, mulieres autem non obligabantur, vt maneret aliquis qui curaret de re familiari, sed ex deuotione multæ ascendebant, vt patet de beata virgine. Lucæ. 2. capit. quæ ascendit cum Ioseph ascendente Christo. *Non apparebis in cõspectu Domini vacuus,* id est, quando apparueris coram Domino in istis solennitatibus, non appareas vacuus, sed porta aliquid ad offerendum secundum benedictionē datam à Deo.

E

Iudices & magistros. Hic ponitur secundum principale, scilicet quædam ordinantia in proximum, & agit hic de iudicibus minoribus, qui ponebantur ad causas paruas in qualibet ciuitate iudices, &c. supra satis dictum fuit de cæremonialibus: nunc ergo de iudicialibus, quæ damnum vel vtilitatem proximi respiciunt agitur. Et quia in omni politia recta sunt duo status, scilicet excellens, & æqualis: ideo tractatur de eis, primò de excellentibus, scilicet de iudicibus, secundò de æqualibus à decimonono capit. vltra, & quia vt ait philosophus. 3. politic. forma in ciuitate est distributiuum iustitiæ, ita quod magis necessarium est iudicem in ciuitate esse, quam vinum, & panem: sine iudice enim impossibile est vnquam constitui ciuitatem: ideo primò agitur de iudicibus, & quia sunt multi gradus in iudicibus: ideo de aliis infra dicet: hic autem de minoribus dicit.

De qui busdã ordinãtibus ī proximũ, id est de iudicialibus.

C

Iudices. Id est dicentes ius, vel diffinientes litigia. *Et magistros.* Potest teneri intransitiue, id est iudices qui sunt magistri scientes instituta legis, vt publice de iure respondeant, & diffiniant, sed vbi nos habemus magistros, Hebræi habent quæstores, siue exactores, quia nomen illud duritiam sonat, & sunt illi qui sententias exequuntur publicam potestatem habentes, siue damnatos puniendo, vel nolentes comparere ad iudicium exhibendo, & eos custodiæ publicæ mancipando.

F

In omnibus portis tuis. Id est in omnibus ciuitatibus in portis ciuitatum.

Quod antiquitus iudices in portis ciuitatis iura dicebant, & quare. De Philosophis stoicis qui prædicabant in portis: quòd iudices antiquitus ferebantur in curribus per ciuitatem.

QVÆSTIO IV.

ERANT enim iudices in portis ciuitatis, quia sicut iudex est persona publica cuilibet iustum distribuens, ita congruebat ei locus publicissimus, scilic. porta ciuitatis ad quam accedebant omnes, siue diuites, siue pauperes, aduenæ, & indigenæ. Et istum modum acceperunt Philosophi stoici, quorum sollicitudo fuit omni homini virtutem prædicare, ideo in portis ciuitatum sedebant, vt omnibus transeuntibus prædicarent, vnde stoici nominati sunt, quidam autem eos à stoa Athenienſi porticu stoicos nominant, quod supradicto non dissonat. Olim iudices in curribꝰ ferebantur per totã

ciuita-

A ciuitatem, vt volentes aliquid petere exeuntes ianuas domorum suarum sine labore iudices inuenirent. Sed hoc non multum congruebat, quia ad iudicium necesse erat partes conuenire, quod sic fieri non poterat, ideo abolitum est, & ad quietis locum iudicia redacta sunt. Considerandum erat circa istam iudicum assignationem, quantum ad locum iudicandi ipsa pertinet litigantium aptitudo, vt talis locus esset ad quem possent commode conuenire: si enim iudicia fieri possent vno petente, scilicet, quòd ad vnius petitionem, siuè alterius litigantis responsione sententia formaretur: potuisset adhuc sustineri talis modus, sicut si iudex esset aliquis respondens ad quæsita popularium, & transiret per omnes vicos, vt quilibet exiret de domo sua, & quæreret quod vellet confestim responsum recepturus, sed non erat sic, quia oportebat partes conuenire, & communem disceptationem fieri, quia ergo litigantes non semper simul morarentur, licet iudex iret per domum alicuius, oportebat alium sequi iudicem per vicos, & sic ineptius fieret. Item quia, quod iudex ambularet in curru erat, quasi iret ad expediendum aliquid, quod leuiter expediri posset, forales tamen disceptationes iurgiorum maturitate peraguntar, ideo oportebat iudicem super currum existentem multum morari in medio vicorũ, quod aliquid erat valde indecens. Item quia honestius erat litigantes ad iudicem currere, quam iudicem ad litigantes ire, nam distributiuum iustitiæ, quod in ciuitate potissimum

B erat, magno honore dignissimum erat. Optimus autem modus iudicandi fuit sicuti nunc est, vt iudex in loco publico sedeat, & qui causas habent, ad audiendum determinationem veniant.

In omnibus portis tuis. Loquitur ad totum Israel, qui habebat ciuitates, & oppida, in quarum portis ponebantur isti iudices, nam potest intelligi, quod loquatur ad quemlibet de populo, quia tunc intelligeretur de portis domorum omniũ popularium, sed hoc falsum est, quia non ponebantur iudices ad portam cuiuslibet domus, quia nõ possent esse tot iudices: & dato quod esse possent, nihil magis stultum quam hoc existimari posset, loquitur autem ad totum Israel qui habiturus erat multas ciuitates, in quarum qualibet constituturus esset iudices: non enim erat aliquis locus in terra illa, in quo non ponerentur iudices, secundum tamen quod parua loca, vt viculi, & villę erant subordinata locis magnis, scilicet vrbibus, ita iudices villarum, & viculorum erant subordinati ad iudices, qui erant in loco Sanctuarij, qui Hebraice vocantur Canhedrin, siue domus iudicij, & inter hos iudices erat præcipuus iudex summus sacerdos, causæ autem quæ difficiles erant, deuoluebantur ab omnibus locis terræ Israelitarum ad domum iudicij, quæ erat in loco Sanctuarij, vel per appellationem illuc deuoluebantur, de istis iudicibus patet cap. sequen.

In omnibus portis tuis. Id est in omnibus portis ciuitatum, &
C oppidorum: nec tamen intelligendum ita stricte, quòd in qualibet porta vrbis esse debebant iudices, nam si aliqua vrbs habebat decem portas, vel viginti non oportebat, vt in qualibet ponerentur iudices: satis enim erat, quòd ponerentur in aliqua iudices. *Quas Dominus Deus tuus dedit tibi.* Quia adhuc nullam vrbem habebant, vel oppidum, cum manerent in deserto, nondum ingressi terram Chanaan, sed Deus eis certissime datutus erat, quia promiserat.

Tota terra Chanaan diuidenda erat per sortes, & quia erant duodecim tribus, erant dandæ duodecim sortes, vt patet Numeri 26. & 34. cap. & sic postea factum narratur in Iosue à capit. 15. vsque ad 19. inclusiue: vtrunque accipiendo: habebat autem quælibet tribus multas ciuitates, sicut computatur Numer. 32. de duabus tribubus, & dimidia, & in Iosue in cap. 15. & 16. & 17. & 18. atque 19. in qualibet autem harum ciuitatum, & oppidorum, siue villarum iudices constituendi erant. Et ex hoc etiam patet, quod supra dicebatur, scilicet, quod loquatur Deus ad totum Israel, quia totus Israel habebat in se tribus, nullus autem de populo habebat tribus. *Vt iudicent populo iudicio iusto.* Id est tales debebant isti iudices eligi, quòd iudicarent populo iusto iudicio.

(.·.)

Duo necessaria ad iustum iudicem, scilicet cognitio iustarum legum, & bonitas conscientiæ, & quare.

QVÆSTIO V.

AD hoc autem duo necessaria erant, primum quod essent viri sapientes in lege cognoscentes leges iudiciales, & insuper prudentes essent, vt scirent alias causas, quarũ determinatio scripta nõ reperiretur, applicare ad rectam rationem, nam si ignorantes essent existimantes se recte iudicare, iniquissime determinarent. Secundum requirebatur bonitas iudicis secundum virtutem moralem: nam dato, quod aliquis sciat quid agendum est, si non habeat habitum virtutis bene inclinantem, ducetur à passione ad oppositum: sic enim ait Arist. in 7. Ethic. circa finem, & in septimo, quòd malitia corrumpit rectum iudicium, & errare facit circa principia practica, & maxime hoc est, quando diligit munera, quia munera excæcant oculos, & faciunt deuiare à rectitudine, vt patet infra, ideo ista duo dixit Ietro esse in iudicibus inquirenda, quando dedit modum per quem statuerentur iudices in populo, vt patet Exod. 18. c. cum dicitur, prouideant de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, &c. idem & explicatius dicitur supra 1. ca. vbi de hac materia agitur, scili. date è vobis viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, & ponam eos principes vobis: tuliqne de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, præcepi illis dicens, audite illos, & quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia iudicium Domini est.

An ordinatio septuaginta iudicum, quam fecit Moyses manserit semper in Israel, & etiam ordinatio Centurionum, & Tribunorum.

QVÆSTIO VI.

CIRCA istos iudices tamen considerandum est, quia Exo. 18. c. fuit facta quædam iudicum ordinatio distributa per tribunos, id est millenarios, & centuriones, & quinquagenarios, & decuriones: alia autem fuit facta in septuaginta Senioribus qui haberent onus populi cum Moyse, & iudicarent, de quibus Num. 11. c. est ergo circa hoc dubium: vtrum aliqua de istis ordinationibus manserit, vel vtrum iudices isti qui ponebantur in ciuitatibus, & in illis essent de istis duabus coordinationibus, aut de aliqua earum: de his tamen duabus quomodo sit alteri compassibilis, aut si forte vna abrogaret aliam Num. 11. ca. dictum est. Et videtur, quod
F non manserit ordinatio illa septuaginta iudicum, quia si isti manerẽt, aut sic se haberent, quod in qualibet ciuitate & oppido, in quo hic mandantur esse iudices, ponerentur septuaginta, & hoc non est dicendum, quia nullus locus quantumcunq; magnus tot iudices exigebat, præcipuè cum quædam sunt ita parua loca, quòd vnus iudex sufficiens erat eis, sicut nunc etiam in satis locis magnis videmus vnum sufficere: aut dicemus in toto Israel solum esse septuaginta iudices, & illos diuidi per totam terram Israel, sed hoc etiam non stat, quia pluribus iudicibus indigebat tota terra illa: quia dato, quod in qualibet ciuitate solus vnus poneretur, nõ sufficeret pro medietate terræ illius: præcipue cũ in terra illa erat vnus locus, in quo multitudines erant, scilicet locus Sanctuarij: ergo non videtur, quod manerent ista coordinatio septuaginta iudicum Seniorum. Vtrum autem manserit alia coordinatio tribunorum scilicet, centurionum, quinquagenariorum, & decanorum etiam dubium est, & cuiquam videbitur satis rationabile esse hanc manere, nec sequuntur inconuenientia, quę sequebantur ad aliam positionem, etiam quia poterat in omnibus locis, quantumcunque parua essent, fieri istas diuisiones, vt supra ponerentur decani, & quinquagenarij, quoadusque sufficeret multitudo populi.

Respondendum ad hoc, quòd ista ordinatio decanorum, quinquagenariorum, &c. non mansit. Primò, quia ista coor-

dinatio

A dinatio indicum fuit ad exhauriendum aliquam multitudinem, scilic. vt totaliter diuidendo tota multitudo sit per iudices adæquata,& hoc optime conueniebat in deserto, quia erat totus populus simul & diuidebatur per decenas,&quinquagenas, centenas, atque millenas, & sic accipiebantur iudices: nunc autem non ita,sed quilibet locus, siue paruus,siue magnus,per se habebat iudices, & non poterat diuidi per centenarios, & millenarios, & sic de alijs, quia interdum essent sex,aut septem, aut nouem decani sub vno quinquagenario: eo quòd non essent centum viri in loco illo, vt possent fieri duo quinquagenarij, & vnus centurio, ergo non debebant sic iudices diuidi, sed quodam alio modo. Aliquis diceret, quod iste modus iudicum non conueniebat in terra promissionis, quia quando isti iudices instituti sunt,tantum minora iudicabant,quæ autem magna erant, ad Moysen deuoluebantur,vt patet Exod. 18.ca. nunc autem Moyses non erat futurus in terra Chanaan, ergo non erat permansurus ibi talis ordo.

Respondetur, quòd hoc nihil est, quia licet Moyses non erat semper mansurus, tamen sicut manente Moyse subordinabantur ad ipsum,& determinabat omnia dubia, siue directe,siue per appellationem ad eũ causis deuolutis,ita nunc erat consistorium iudicum in loco Sanctuarij, ad quod deuoluebantur omnes causæ difficiles qualiscunque conditionis essent, vt patet sequenti cap. & quòd illi determinabant, firmum manebat: nec debebant alij iudices requiri, quando potius quicunque recusaret stare sententiæ illorum iudicum, morte dignus erat, vt patet eodem cap. ideo non erat ista causa,sed ea quæ supra assignabatur.

Item non mansit ista coordinatio,quia tunc daretur multitudo iudicum inutilis valde: nam quia quilibet locus diuideretur per decanos,& quinquagenarios, & centuriones, & sic de cæteris,videbatur esse valde superfluum, scilicet, quòd in vno loco vbi essent centum homines, ponerentur iudices tredecim, scilicet decem decani qui erant inter centum homines, & duo quinquagenarij, & vnus centurio, satis enim videtur hoc ponere multitudinem sine necessitate, immo sine aliqua vtilitate, cum sufficeret in tali loco vnus iudex, aut duo.

Et si arguas ex eodem fundamento,quòd tũc eodem modo esset inconueniens, quòd fuisset facta talis iudicum distributio in deserto: constat tamen quòd facta fuit, vt patet Exodi 18.cap.cum dicitur, quibus auditis Moyses fecit omnia quæ suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel,cõstituit eos principes populi,tribunos,& centuriones,& quinquagenarios,& decanos, ergo hic in ciuitatibus fieri poterat talis coordinatio eodem modo. Ad hoc respondetur,quod non est similitudo de statu Israelitarum indeserto, & de statu eorum in terra Chanaan, quia in terra Chanaan non indigebant tot iudicibus, sicut in deserto, cuius fundamentum est, quia iudices dantur ad determinandum litigia: cũ ergo plura litigia sunt, plures iudices non necessarij sunt, sed in deserto necessario erant plura litigia,ergo plures iudices esse debebant. Antecedens patet, quia litigia oriuntur ex communicatione, quia qui in nullo communicant nunquã litigant, sed in deserto erat maior communicatio cum omnes simul essent, & locarent castra simul, & vnus occuparet locum,qui debebat alteri, & sic de cæteris causis iurgiorum, ergo ibi multi iudices esse debebant, & sic facta fuit talis iudicum distributio,scilicet,centurionum,tribunorum,quinquagenariorum, & decanorum, cum autem essent in terra Chanaan habituri erant in ciuitatibus,& oppidis, & acceptis singulis possessionibus non erat locus tantum obiurgandi, ideo non erat necessaria ibi talis iudicum distributio, sed in qualibet ciuitate, & oppido ponebantur certi iudices secundum necessitatem loci, & hi vel eligebantur à popularibus loci illius, ita vt esset principatus aristocraticus, aut ponebantur à senioribus qui erant iudices in Sanctuario, aut ponebantur à regibus sicut nunc fit, & ob hoc quasi nõ fuisset mansurus talis principatus, aut ordo iudicatiuus qualis antea extiterat. Nunc in tempore quo ingredi deberent in terram Chanaan, dedit regulam de ponendis iudicibus de alia coordinatione iudicum,scilicet septuaginta seniorum.

Determinatio auctoris.

Dicendum, quòd ambiguum est vtrum manserint post ingressum in terram Chanaan,sed non est aliquod inconueniens eos mansisse, ideo in hac parte satis assentiendum est Iudæis qui dicunt semper fuisse in Israel septuaginta Seniores qui regerent domum iudicij,& manebant ab aliis septuaginta Senioribus, quos elegerat Moyses per successiones, & hi erant maximi iudices ad quos subordinabãtur omnes iudices qui erant in aliis locis, & isti septuaginta iudices ducti sunt in Babylonem tempore captiuitatis, sicut innuitur 4. Regum 24.cap.

Et cum arguis, quòd non potuerit manere ista coordinatio iudicũ postea,quia aut essent septuaginta iudices in quolibet loco, quod erat inconueniens, aut soli septuaginta in tota terra Chanaan, quod rursus inconueniens erat.

Respondetur,quòd neutrum horum erat, sed isti decem iudices ponebantur in loca Sanctuarij, & erant maiores iudices totius Israel,ad quos omnes magnę causę deuoluebantur: in aliis autem locis ponebantur iudices quotquot necessarij essent,siue multi,siue pauci, ideo nullum inconueniens erat ad hãc positionem. *Nec in alteram partem declinent.* Via iuris dicitur via recta,qui autem à iure deuiat quomodocunq; deuiet,declinat ad vnam, vel alteram litigantium partem.

Non accipies personam,nec munera. Ista duo peruertunt recta iudicia,scilicet personarum accipere,ad quod reducuntur odium,& amor. Et recipere munera.De acceptione personarum dictum fuit supra primo cap. & 10. satis late. *Quia excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Id est faciunt, quòd declinent oculos ne rectum videant, sicut senes exardescentes in pulchritudinem Susannæ declinauerunt oculos suos, ne viderent cœlum, & ne recordarentur iudiciorũ iustorum Dan. 14. cap. *Et mutant verba iustorum.* Recte hic ponuntur ista duo distincta, quia ad sapientem cognoscere pertinet, quæ cognitio per oculos designatur, & hos claudit muneris acceptio, ad iustum pertinet recta distributio, & ista in iudice est in sententiando, sententiare autem in verbis est,& hæc mutat personarum,vel munerum acceptio. *Iuste, quod iustum est persequeris.* Nihil est iustum agere nisi iuste fiat,quia modus agit in moralibus ad speciem actus: affectus enim operi nomen imponit,potest enim aliquis iustum agere,& peccare mortaliter,quia non agit bona voluntate,& ad rectum finem, quia vt concludit Boetius per totum quartũ de consolatione nullus iniuste patitur, licet multi iniuste agant: nemo enim iniuste occiditur, multi tamen iniuste occidunt,cum ergo iustum,& iniustum respiciant operationẽ, &non conditionem aliquam operantis,illa ocicsio iusta erit: ergo ad bene viuere oportet respicere modum, quia hoc est omnis virtus. Et dirigitur hoc principaliter ad iudices, qui non solum iustam sententiam dare debent, sed etiam ex iusto animo, & secundum processum iuris. Et si obiiciatur id quod communiter dicunt iuristę, sc. quòd ille qui scit se iustam causam fouere, & inquietatur iniuste, potest se per calumnias defendere, vel contra aduersarium agere. Respondetur, quod ibi agere per calumnias est iuste agere, vel iniuste iustum persequi,quia sic recta ratio fieri dictat,ista circunstantia quæ est iuste licet determinet modum qui signatur per iustam vt, vel qualiter: tamen hic vniuersaliter accipitur pro omni modo qualitatis determinantis opus,siue pro omni circunstantia quæ opus limitat, siue sit finis, siue tempus, siue modus,& sic de cæteris,in quocunque autem horũ erretur circa opus,iuste non fit. *Vt viuas.* Id est,& viues sic faciendo,quia vt,nõ tenetur,vt signans finem,sed consequentiam, id est,quod ad tales operationes sequitur magna vita in agente talia, quia volebat Deus, quod licet per istas iustas operationes mererentur vitam æternam, expresse tamen promittebatur eis ista,sic erat per omnia alia mandata legis, quia faciendo ea merebantur facientes vitam, & alia bona temporalia,vt patet Leu.18.c.cum dicitur,custodite leges meas, atque iudicia mea, quæ faciens homo viuet in eis, & ista differentia ponitur inter legem nouam,& veterem,quia licet tam secundum statum legis veteris, quam secundum statum legis nouæ qui bene agit, meretur vitam æternam, & quietem in vita temporali, tamen in lege veteri expresse promittuntur bona temporalia,& subticentur æterna, & in lege noua promittuntur æterna, & temporalia subticentur: istam doctrinam assignat Apostolus ad Rom.10.c.dicens: Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est qui fecerit homo viuet in ea,in illa autem quæ ex fide dicit, quòd si confitearis

Modus agendi in moralibus agit ad speciẽ.

Sciens se iustã fouere litem & calumnias potest se defendere.

in or

in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris: ne tamen penitus aliquis credat, quod in veteri lege sola bona temporalia promittuntur, interdum exprimuntur æterna, & ne credatur, quod obseruatoribus legis nouæ sola bona æterna conferantur, etiam aliquando promittuntur, temporalia: sed raro in lege veteri æterna exprimuntur & temporalia in lege noua, quod autē in lege veteri alquando promittantur æterna bona patet Esa.vlt.c.vbi cum agitur de æternis gaudiis dicitur, serui mei comedent, & vos esurietis: serui mei bibent, & vos sitietis, & in libro Psalmorum interdum de hoc dicitur. Quòd in lege noua temporalia promittantur patet Matth.19.c. vbi dicitur, qui aliquid propter Christum reliquit, centuplum accipit in hoc mundo, & in futuro vitam æternam: ratio tamen diuersæ expressionis est, quia licet in lege veteri vtrunque bene agentes mereantur, exprimitur tamen id quod magis reducere poterat animos operantium, status autem ille fuit imperfectus, ideo homines mouebantur ad verum bonum per ista quæ non sunt vera bona, sed verorum simulachra bonorum: in lege noua, in qua bene agentes vtrunq; promerentur, æterna bona explicantur, quia perfectior status iste erat, & viris magis perfectis dari debebat, ideo per amorem verorum bonorum, in ipsas rectas operationes moueri debebant. *Et possideas terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Sicut propter iniquitates suas quadraginta annis ab ingressu terræ promissionis coerciti sunt, ita si in ea existentes præuaricarentur irritum facientes fœdus, quod cum domino pepigerant, excluderet eos de terra illa, vt patet in captiuatione decem tribuum, quæ vocabantur Israel, vt patet 4.Reg.17.cap. & in captiuitate duarum tribuum, sc. Beniamin, & Iuda in Babylone, & ex hoc oriebantur eis cæteræ aduersitates hostiles: cum vero pactum firmiter obseruarent, habitabant in terra sua, sine vllo terrore nemine persequente. *Non plantabis lucum.* Constitutis supra iudicibus hic ponitur officij eorum executio, & quia iudex dicitur, quasi ius dicens, vt in cap.forus, extra de verborum significatione, ideo oportet poni ius circa quod iudex se exerceat, & primo ponitur id quod ad latriam pertinet stabiliēdo latriam, & destruendo idololatriam. *Non plantabis lucum.* Gentiles plantabant apud altaria Deorum suorum arbores densas, vt ibi exercerent obscœnitatem, quæ requirebatur in sacris Dei Priapi. de quo supra 7.cap. diximus, vel vt sæpe dictum est, quia in arboribus illis fiebant imagines incisis corticibus, secundum certa tempora ad deriuandum cœlestem virtutem, vt in capitibus ferreis. *Et omnem arborem.* Non solum prohibetur lucus qui est densitas arborum, sed etiam vna sola arbor, quia vtrobique idololatriæ suspitio est.

Nec facies tibi atq; constitues statuam. Sci.ad adorandu, sed ad memoriam cōstituere licebat, sicut Iacob constituit statuam super sepulchrum, vt patet Gene.35.cap.vbi litera nostra dicit erexit titulum, litera Hebraica habet, constituit statuam, quia eadem dictio Hebraica ponitur hic, & ibi. Et hoc verum est in sepulchris, vel in aliis locis non suspectis, quorum certa esset significatio, non tamen in altaribus, quia scandalum est.

Nec constitues statuam quæ odit Dominus Deus tuus. Facere statuam est de nouo fabricare, constituere etiam est statuam iam factam in aliquo loco ad adorandum ponere, & vtrunque malum est.

Caput XVII.

Idolatra lapidantur

Non immolabis Domino Deo tuo bouem, & ouem, in quo est macula, aut quippiam vitij, quia abominatio est Domino Deo tuo. Cumque reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, &c.

Non immolabis. Supra posita fuit materia circa quam iudices laborare debent. Hic ponitur modus executionis secundum materiam datam. Et tanguntur tria. Primo executio in iudiciis omnium iudicum excellentium, siue minorum. Secundo ponitur institutio, & ordinatio iudicum Leuiticorum ibi. *Si difficile, & ambiguum.* Tertio appountur conditiones regum ibi. *Cum ingressus fueris. Non immolabis domino bouem, aut ouem in quo macula.*

Sacrificia quædam erant spontanea alia necessaria.

Qvæstio I.

De hoc magis Leuit.22.vbi distinguitur in textu, quod aut sunt sacrificia votiua, siue per necessitatem, vt pro peccato, & tunc non recipietur animal maculatum. Si autem spontanee dabatur, aut ad immolandum, aut ad hoc, quòd venderetur, & conuerteretur in alios vsus. Quantum ad primum nullo modo poterat, quia nō ponebatur de eo aliquid in altari, nec sanguis, sed vendebant sacerdotes, vel comedebant sine aliqua immolatione, quia hoc pertinebat ad ius eorum, sicut alia sacrificia, vt habetur Numer.18.cap. veritatem huius magis diximus supra 15.c. & ibi vide distinguendo maculas, quæ vetabant immolationem, vel quæ non. *Quia abominatio Domino Deo tuo est.* Id est Deus odit talem immolationem, quia in hoc videtur contemni, quia talia non darentur dominis temporalibus, quibus magis vult Deus honorari: de quo satis diximus præcedenti cap.15. *Cum reperti fuerint.* Hic ponitur principalis inquisitio, & executio, quoniam iudices habere debentur, scilicet, circa idololatriam remouendam, sicut nunc contra hæreticam prauitatem. *Apud te.* Id est in terra tua. *Intra vnam portarum tuarum.* Id est in aliqua ciuitate, vel loco qui sunt clausi muris, & habent portas. Et hoc solum conueniebat habitatoribus terræ illius, quia dicit intra portas, si tamen aliquis gentilis transiret per terram eorum, qui idola coleret, vel videret eum facientem aliquas cęremonias idolorum, non puniebatur per istam legem, sed solum habitantes in terra, siue Iudæi, siue conuersi. *Vir aut mulier.* Non est aliqua differentia facienda: quicunq; enim hoc se commaculauerit facto, mortis reus est, nec aliqua occasione sibi parcendum est, siue mulier, siue vir, siue nobilis, siue ignobilis. *Faciant malum.* Idololatria antonomasice malum dicitur, quia directius contra Deum est, de hoc magis supra 5.cap.diximus. *Et transgrediantur pactum illius.* Quia Israel pepigit fœdus cum Domino in monte Synai, quando Deus eis dedit legem, & ipsi dixerunt omnia quę mandabit Dominus faciemus, vt habetur Exo.19.& supra 5.c.inter quæ verba pacti continebatur non colere Deos alienos. *Solem, & Lunam, & omnem militiam cœli.* Id est omnes alias stellas, vel constellationes. Et posuit exemplum in operibus cœli, quia licet aliqui colerent elementa, aliqui res elementatas: communiter tamen magis colebantur corpora cęlestia, de his plura diximus supra 4.cap. *Vt vadant, & seruiant.* Non dicitur, quòd isti irent ad seruiendum diis alienis: ita quod egrederentur de terra Israelitarum, & irent ad habitandum inter alias gentes colentes idola, quia tunc non possent eos punire Israelitę, nec mādaretur hoc iudicibus eorum, quòd talibus pœnas infligerent: maxime, quia hic signatur, quòd deberet esse intra ipsam terram Israelitarum, quia mandatur, quòd fiat inquisitio, & si fuerit compertum scelus, educatur, qui peccauit, ad portam ciuitatis, quod necessario intelligitur de terra promissionis: etiam quia dicitur in principio, cum reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum, vir aut mulier, qui faciant malum, sed accipitur hic vadant, prout significat quendam motum saltem animorum, quia sicut ille qui ad aliquem locum vadit, mouetur: ita si quis Deum ante colebat, & postea conuersus simulachra colat, recedit à Deo vero ideo ire dicitur, vel accipitur large, prout est modus communis in sacra Scriptura veteris testamenti conformis modo vulgari Hebraico, quod quando aliquis aliquam rem incipit quam ante nō faciebat, dicitur surgere, vel ire, quasi moueatur de non agere ad agere exeundo de potentia ad actū. *Dijs alienis.* Id est diis gentilium qui licet dij non sint, & per consequens, nec dij proprij, nec alieni, tamen loquendo secundum intentionem gentium, quæ istos vt Deos colebant, isti dii alieni erāt, quia Iudæi nunquam tales Deos cognouerant per aliquam operationem miraculorum, vel per traditionem patrum suorum: gentiles autem cognoscebant istos vt Deos, quia licet non in aliqua supernaturali operatione, tamen ex antiquorum institutis, & paternis legibus, tanquam sacrum

Practica inquisitio & executio.

A hoc habebant: Iudæi autem nullo istorum modorum, ideo dicitur supra 13.cap.eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu & patres tui. *Vt seruiant eis.* Seruire est exhibere cultum in sacrificiis, vel in festorum obseruationibus, vel aliis honorificis apparatibus. *Et adorent eos.* Est adorare inclinare caput, vel cæteras corporis attollere, aut flectere partes, prout per hæc signum quoddam reuerentiæ importatur.

Solem & Lunam.

De dijs varijs gentilium, & quòd maximè corpora syderea coluerunt, & quare.

QVÆSTIO II.

GENTILIS fatuitas secundum desideria sua Deos sibi varios adinuenit, vt tot essent dij quot res vniuersę, immo plures dij quam res, quia frequenter eidem rei numero secundum diuersa tempora disparatos distribuunt Deos, & hi omnes sicuti aliquid numinis habere creduntur, ita colũtur, quia tamen communis conceptio animorum est Deum esse id, quod aut melius omnium entium est, aut quo melius excogitari nihil potest, quilibet secundum quod aliquid, vt optimum apprehendebat, ita illud, vt Deum constituebat. Quia tamen inter omnes res naturales quæ videntur, de quibus solum vulgaris rusticana simplicitas iudicat, nihil melius est, & apparet, quam ipsa cœlestia corpora si illa animata esse credamus, ideo in illis plerique gentilium qui inter cæteros errantes non tantum delirauerunt, deitatem summam arbitrati sunt. In his autem sunt duo, scili. corpora cœlorum qui sunt ipsi orbes, & ipsæ stellæ: corpora autẽ cœlestia non sunt multum visibilia propter substantiæ raritatem, quia lux eorum est modica, & non est in corpore determinato, ideo de his, sicut nec de rebus purè intellectualibus rusticana gentilitas non curauit: nullus enim vnquam inter gentiles reperietur, qui orbem Solis, & Lunæ Deum vocauerit, aut coluerit: pleriq; tamen Solem, & Lunam, & cætera astra Deos vocauerunt. Alia ratio est, quia vita est magna perfectio, ideo licet aliquas res inanimatas Deos esse posuerunt, qui tamen maturius sapiebant solis rebus viuentibus numina tribuebant, res autem viuentes habent in se sui motus principium, & nihil viuens est, quòd moueri non possit, nisi sit vltimus gradus animatorum, quibus solus tactus est pro cæteris cognitiuus potentiis. & loco veri motus sola constrictio & dilatatio, sicut sunt conchilia & ostreæ, & cætera animalia naturaliter petris affixa: dato ergo, quod orbes cœlestes viderentur sicut ipsa stellarum corpora videntur, quia tamen non potest percipi motus cœli, sicut percipitur motus stellarum propter moueri, in quo putabant gentiles non esse eos animatos, vel ita perfectos, sicut ipsas stellas, ideo non colebant orbes cœlicos, sed stellas.

B

C *Quare potius Sol & Luna colebãtur à gentilibus quã orbes.*

Sed adhuc in istis magna fiebat differentia, quia Sol & Luna magis quam cætera astra cognoscuntur, ideo magis colũtur, & potius, vt dij extimantur, & hoc est primo propter eorum notabilem magnitudinem, nam licet cætera astra maiora sint, quàm Luna quæ nobis visibilia sunt distinctè, tamen maior nobis Luna apparet quam aliquod de astris, immo maius quam multa simul astra sunt, ergo istæ duæ stellæ inter cęteras sunt quantitatis maioritate insignes. Secundo propter varietatem motus, quia aliquando ascendunt versus caput Cancri ad latitudinem Septentrionalem, interdum vero declinant versus caput Capricorni transeundo totam mediam latitudinem, & hoc in eis magis declarat suos motus, in stellis autem aliis sic non est, nam illæ stellæ quæ in octaua sphæra sunt, declinationes non habent: ideo non vocantur planetæ, siue erraticę, quia eundem circulum motus sui distribuũt in æternum, ideo minus percipitur istarum motus, aliæ autem quinque stellæ quæ planetæ vocantur, licet diclinationem Septentrionalem, & Meridianam habeant, sicut Sol, & Luna, quia tamen in figura, & quantitate ab astris fixis vix distinguntur, nisi à rarissimis, & sapientibus qui hoc diligenter inspiciant, ideo communiter motus declinationis earum non iudicatur ab omnibus: quantum ergo ad hoc etiam Sol, & Luna insigniores sunt, scilicet, in motu saltem quantum ad apparentiam. Tertium & principale in his est efficiendi virtus, quia maior valde virtus percipitur in inferioribus his ab his duobus luminaribus, quàm à cæteris astris: de Sole autem ita planum est, vt stilo non egeat, nam hic annos, & tempora, & dies distinguit, & efficit, & nos luce sua lætificat, & sanos reddit calore suo: terræ nascentia germinare facit, & postremo quicquid in terra oritur, & occidit, corrumpitur & generatur, in ipsius potestate est: sic ait Aristo. in 2. de Generatione & corruptione, quod propter accessum, & recessum Solis in circulo obliquo fiunt generationes, & corruptiones in terra: ideo Homerus vocauit solem patrem Deorum virorumque: etiam ex hoc inter gentilium Deos qui ex magnitudine, & excellentia sua electi, id est specialiter electi dicti sunt, nullus maior quam Phæbus, siue Apollo, aut Sol qui idem signant, præter Iouem qui pater omnipotens dicitur, fuit: causa autem huius literalis est, nec assumitur ex natura cælesti. De luna etiam idem patet, nam Luna specialiter noctes illuminat, etiam super omnia humida potestatem gerit, ipsa fluxus, & refluxus maris per quadraturas suas intensius, & remissius facit, ipsa totius agriculturæ quæ super humiditatem fundatur domina. Et ei antiqui gentiles qui in terræ cultura proficere desiderabant, libamina specialiter offerebant: idem enim Iudæi fecerunt, quia vt abundarent panibus, & vino, cæterisque quæ de agricultura colliguntur, Lunam quæ Diana dicitur, vel Phæbe, vel latonia virgo, aut plutonia coniux, vel proserpina, aut regina cœli, vt ipsi Iudæi nuncupabant, adorabant ei libamina offerẽtes, sic patet Hierem. 44.ca. cum respondentes omnes mulieres Hebræorum ipsi Hieremiæ cum nollent colere Deum dixerunt, sermonẽ quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te, sed faciemus omne verbum, quòd egreditur de ore vestro, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, & reges nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda, & plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus: ex eo autem quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus, tanta enim Lunæ circa opera agriculturæ, & omnia humida, & circa phantasiam humanam secundum quam lunatici dicuntur, id est furiosi habentes lucida interualla, tanta inquam Lunæ potestas, vt antiqua gentilitas aliquando eam dixerit mundum creauisse: sic enim ait Encenius in libro de Agricultura Caldaica, fiunt etiam multa signa temporum circa Lunam, vt patet in circulis albis, aut pallidis, siue cæruleis circa Lunam factis, quæ impressiones ab Arist. in libris Metheororum, halo nuncupantur, in quibus futuræ qualitates temporum, etiam vulgariter prenosticantur, multum ad opera magorum omniumq; maleficorum Luna valet. Et vocabatur apud gentiles maleficos Hecate: ideo Medea Iasonis vxor filia Oetæ regis Colchorum quæ famosissima maga erat, cum nocturnis horis coram Luna ad maleficia sua nudato corpore procumbebat, eam Hecatem proclamabat, de hoc satis patet per Senecam in tragædia septima, cuius titulus est Medea, & Ouidius Metamor. lib. 7. vnde & spiritum Lunæ super herbas despumare facere conabatur, & vt sibi videbatur explebat: sic enim ipsa dicit apud Ouidium libro 7. Metamor.

Teque Luna traho quamuis temerata labores.

Fiebat etiam specialis obseruantia candelabrorum, & luminum, atque olei ipsi Lunæ: multa quoque alia deitatem Lunæ apud fatuam gentilitatem constituebant, de quibus per singula explicare, nec locus exigit, nec ratio suggerit: maximum ergo honorem gentiles istis duobus tribuerunt. sc. Soli & Lunæ, ideo specialiter inter cætera sydera nuncupantur.

D *Solaris syderis operationes.*

Lunæ operationes.

E

F

Et omnem militiam cœli. Militiam accepit litera nostra, sed litera Hebraica æquiuoca est ad duo, scilicet ad significandũ militiam, & ad signandum opus, vel ornatum, & sic potest dici. *Et omne opus cœli.* Et tunc vocatur opus cœli ipsa multitudo astrorum, quæ sunt quasi pictura cœli, sicut dicimus in aliqua veste, vel panno, aut imaginibus fabricatis esse multum opus, id est multam varietatem minutam sculpturam, aut picturarum. Et litera nostra transtulit Gen. 2. cap. in principio, vbi dicitur, igitur perfecti sunt cœli, & omnis ornatus eorũ: Hebręi dicunt perfecti sunt cœli, & omnis exercitus, siue castra, aut militia eorum, in omnibus autem aliis locis, vt communiter litera nostra posuit militiam cœli.

Cœli opus qd sit.

Quare

Quare duodecim signa Zodiaci specialius colebãtur à gentilibus quàm cætera. Et de multis, & varijs constellationibus cælorum, & dijs gentilium.

QVÆSTIO III.

ET vocantur astra militia cœli, quia tanquam milites videntur discurrere per cœlum, & ista militia cœli, siue quælibet Stella, vel constellationes magnæ, id est multæ Stellæ simul sumptæ reddentes ex coniunctione sua deductis lineis inter eas quasdam figuras est, sic est constallatio arcturi, quę vulgariter vocatur plaustrum, quę est vrsa maior habens septem Stellas circa polum Septentrionalem : inter istas tamen stellas erat differentia, quia illæ stellæ quæ per se sunt, & cum aliis non faciunt aliquam constellationem, id est figurationem ex vnione Stellarum minus cognoscebantur agentibus : ideo cum in Zodiaco sint duodecim signa, quæ complent totum circulum cœli in rotundum, & reddunt duodecim figuras speciales, colebantur specialius à gentibus quam alia astra, ideo sequentes Hebræi consuetudines gentium specialius ista 12. signa, quàm cætera astra colebant. Et cum eorum peccata idololatriæ distribuuntur, specialiter distribuuntur ad orationes factas ad 12. signa cęli, vt patet 4. Re. 23. c. cum dicitur, & eos qui incendebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & 12. signis cœli, & omni militiæ cœli : prius enim nominauit hic 12. signa, quàm cæteram cœli militiam, quia sic specialius colebatur à gentilibus.

Duplici de causa 12 signa spiritualius colebantur à gentib. quã cætera.

Cuius causa duplex erat, vna quidem naturalis, & Astrologica, alia Poëtica, naturalis quidem est, quia cum communis conceptio gentium omnium semper fuit Deum esse maximum ens, & maximum bonum, & hoc maxime in cęlestibus corporibus constituebant, cum aliquod corpus inter cœlestia magis de virtute influxiua habere videbatur, illud potius Deus esse credebatur, cum magis haberet de bono, & quia inter cœlestes partes, scilicet inter astra, & astrorum constellationes nullę magis virtuosiores ad influendũ quam istę sunt, dictæ sunt magis esse dij, hoc patet, quia omnis planeta, secundum quòd sunt in diuersis cœli signis, habent diuersas virtutes influxiuas : aliter enim sub tauro Sol influit, aliter sub capricorno. Et sic dicit Aristot. in 2. de Generatione, & corruptione, quòd secundum accessum, & recessum Solis in circulo obliquo fiunt generationes, & corruptiones in terra : circulus obliquus vocatur Zodaicus, quia obliquatur ab æquinoctiali ad duas latitudines, scilicet Meridianam, & Septentrionalem : accessus, & recessus Solis in zodiaco sunt subintratio ad diuersa signa, quæ magis recedunt à nobis, vel ab ipsa linea æquinoctiali, & ex hoc accessu, & recessu contrahit Sol virtutem causandi generationes & corruptiones : & hoc siue, quia Sol per accessum, & recessum ad aliqua signa magis, vel minus dirigitur ascendendo ad perpendicularem super aliquam partem terræ, aut quia cum Sol est in aliquo signo cœlesti recipit diuersam virtutem influxiuam ab illo signo adiuuando, vel impediendo vim operatiuam Solis, & vterque modus verus est, primo modo, tamen per accidens signa zodiaci agunt ad corruptionem, & generationem rerum concausando solari influentiæ. Secundo modo per se agunt, & sicut Sol per accessum, & recessum sub diuersis signis zodiaci diuersas influendi sortitur qualitates : ita & cæteri planetæ qui eodem modo mouentur per totam zodiaci latitudinem : hæc autem causa eos etiam qui gentilium Philosophi erant aliqualiter permouebat, vt aliquatenus magis deitatem nullis partibus cęli esse putarent. Causa autem poetica est error humanus, quia gens illa rudis videns cœli pulchritudinem, vbi aliquas speciales figuras tenebat, specialiore modo ibi numen esse credebat, in signis autẽ zodiaci sunt duodecim figuræ, siue imagines rerũ, & intra ipsas sunt multæ aliæ minores quæ vocantur constellationes, vt constellatio hyadum, & pleiadum, & orionis, & coronæ, & sic de cæteris, & istæ duodecim imagines quæ sunt in zodiaco, sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces, nam vere est ibi figura tauri, & vere figura arietis, & sic de cæteris : ex his etiam figuris, quæ videbat antiqua gentilitas, occasionem habuit docendi Deos esse stellificatos, id est homines, vel alias quascunq; res esse traslatos ad astra. Aries autem qui primum signum est tempore æquinoctij vernalis à gentibus in cęlum translatus est, quia eum in cœlo viderunt, & hoc pro magno beneficio, quod Phryxo, & Hellæ sorori suæ fecit transducendo eos in tergo per mare, cum à patre suo, & nouerca exularent, cũque per angustum maris transirent, Helles Phryxi soror marinarum vndarũ verticibus territa in mare corruit, à qua Hellespontus prouincia in fine Europe, quæ est quartus sinus Europę contra Asiam, vt ait Solinus in Polistorum. cap. de Hellesponto, & mare Hellesponticum dictum est. Quod quidem quantum ad aliquid verum est, vt antiquissima rei gestæ commendat memoria, & de euentu rei terræ nomen datum : de his Ouidius 3. lib. Fastorum.

Aries quare fuit stellificatus.

Taurum autem, ideo stellificatum esse dixerunt, quia Iupiter in taurum versus est, vt Europam Agenoris regis filiam tergo insidentem raperet, & per longas maris terrarumque vias in Cretam vsque perduceret : de quo Ouidius Metam. libro 2. in fine, & idem Ouidi. in 4. Fastorum, quod quidem licet fabulosum in cortice videatur, rei tamen gestæ veritatem occulto portat in nucleo.

Taurus.

Gemini in cœlo, ideo in cęlum translati sunt, quia videntur duo viri, quasi duo fratres ex stellarum lineali correspondentia figurati : hos autem dicunt esse Castorem, & Pollucem Ledæ, & Iouis filios fratres Helenæ, quæ à Paride Priami filio rapta Troiani belli causam præbuit, hos autem Iupiter, tanquam prolem suam ad æthereas transtulit mansiones : de hoc Ouidius Metam. libro 8. & idem Ouidius Fastorum, libro quinto. Homerus tamen qui plurimarum poeticarum fictionum pater, & inductor extiterat, quasi ex inaduertentia elocutus eos mortuos atq; sepultos prodidit, & non in cœlum translatos, vt patet in Iliade, qnam de bello troiano edidit, cum introduceret Helenam è troianis muris Græcorum exercitum prospectantem, & inter cæteros Grecorum reges fratres suos Castorem & Pollucem videre cupientem : quos tamen videre non poterat, & subdit causam, at illos retinebat terra sepultos, de hoc Firmianus Lactantius, de natura Deorum libro 1.

Gemini.

Cancrum vero ad cœlestem regionem, ideo transtulerunt, quia eum ibi inscriptum fore viderunt, cuius causa magis sub quadam vere Metaphora, quam Poetica obliquatione est, nam sicut cancer non ante, sed retro gradatur ; ita Sol cum ad caput tauri peruenerit, quasi à capricorno versus nos ascendendo vltra non transit, sed retro conuertitur descendendo ad partem Meridianam, ex qua immediate ante ascenderat, & ob hoc in capite cancri paralellus tropicus ponitur, id est conuersa linea, quia Sol vltra non transit, sed vnde venerat retrograditur.

Cãcer.

Leonem autem ad cœlum antiquorum transtulit imperitia, quia ibi eum vidit, & dicunt hunc leonem esse quem Hercules in Nemea silua occidit, & pellem eius pro thorace susceptit, sicut ait Boetius, de consolatione libro quarto, metro vltimo, scilicet.

Leo.

Abstulit sæuo spolium leoni.

De hoc etiam Ouid. Meta. libr. 8. hunc autem leonem ad honorem Herculis in cœlum translatum ferunt, de quo Seneca in tragædia 10. cuius titulus Hercules.

Virgo etiam ad astra translata est, quia inter zodiaci signa apud Leonem, & Libram talis imago cernitur : quare autem illa constellatio virgo nominetur, quidam causam reddunt, scil. quia sicut virgo nihil gignit, ita cum Sol intrauerit illud signum ex nimio calore æstiuo, & terræ desiccatione prorsus nihil gignitur, antiqua autem gentilitas finxit istam virginem esse Erigonem Astrei regis filiam, qui cum quarta seculi ætate quæ ferrea dicitur homicidia, furta, cæteraq; scelerum genera abundare conspiceret, virtutes vero iniquorũ pedibus conculcari, petiuit à diis, vt ab impiis terris ad regionem astriferã transferretur : de hoc Ouidius Meta. li. 1. sic ait,

Virgo.

Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes,
Vltima cælestum terras astrea reliquit.

De hoc etiam Virg. in Buco. Ecloga 4. quæ incipit :

Sicelides musæ paulo maiora canamus, Cum dit,
Iam redit, & virgo, redeunt Saturuia regna.

Libra vero inter cœli signa est, cuius causa non tam poetica quàm naturalis est, scilicet, quia tempore quo Sol Libram intrauerit, dies noctibus æquilibrantur, id est æquales sunt,

Libra

quod contingit in æquinoctio autumnali in medio fere Septembris.

Scorpius. Scorpionem vero ad sydera cum eius imago ibi sit, consimilis tamen causa transtulit: nam sicut libra à dierum æquatione posita est: ita scorpius animal est, quod vultu blandiēs cauda acerrime pungit: sic enim cum Sol signum illud intrauerit, quòd ad medium Octobris est, serenitas euenire solet, ad finem vero eius aquarum, & ventorum importunitas cōsueuit exundare.

Sagittarius. Sagittarium autem ad cœlum ideo transtulerunt, quia cum sagittas, & arcus ibi reperiissent, Chirorem Thessalicum senem vnum de sagittariis Bacchi nutritorem, ob meritum alumni in sydera translatum ferunt: de hoc Ouidius Meta. lib. 2. de hoc Ouidius in Fastis sic ait.

Iam nox thessalicas vrgebat parua sagittas.

Capricornus. Capricornum autem ad zodiaci extremitatem posuerunt, vt capra cœlesti digna haberetur honore, quæ summum Deorum alumnum habuerat: cum enim Saturnus Iouis pater filium quem genuerat ad mortem persequeretur, Opis siue Rhea mater eius, ne pater eum occideret, in syluis occultauit: vbi caprino solo lacte educatus est, de hoc Seneca tragœdia prima, cuius titulus Hercules furens.

Aquarius. Aquarius autem in cœlo figura quædam est formæ virilis habens vrnam aqua plenam, vt Deorum manibus fundat: hunc ferunt esse Ganymedem Trois regis filium, quem Tantalus verissimo scelere rapuit. Et ad abutendum Ioui tradidit, quod cœca gentilitas desiderans palliare aquilarum vnguibus in cœlum raptum ferunt: & possedisse locum quem ante possederat Hebe, quæ Iouis manibus aquam infundere consueta erat, & pro turpi commisso inde fuerat expulsa. De hoc Theodolus in Satyra, & Gualterus Alexandreidis, libro primo: de hoc Ouid. in libro Fastorum sic ait.

Iam signis obliqua subsedit aquarius vrna.

De his etiam Ouid. libro primo Fastorum.

Pisces. Pisces autem vltimo loco inter zodiaci signa computantur, quorum figura est quasi duo pisces iuncti, cuius causam Ouid. libr. 2. Fastorum refert, quia cum in bello illo famosissimo gigantum contra Deos, Venus, & Cupido filius eius versus Ægyptum tremuli fugientes in piscium effigiem sub vndis latuerunt: Delphinem piscem etiam in cœlo ponunt, quia citharista magnus Arion cum in cithara flebiliter suam mortem deplanxisset, cogentibus eum nautis in profundum mergi, expleto cantu, Delphin quidam, qui forte dulcedine harmonica illectus fuerat, naui se iungens exilientem in vndas è naui Arionem dorso cæpit, & ad portum vsque pertulit: quod non poetica fictione, sed veritate historica contigisse plurimi asseuerant, cuius testis Augustin. est libro primo, de ciuit. Dei: de hoc Ouidius lib. 2. Fastorum.

Has ergo speciales rationes poeticas signa cœli, quare à gētilibus colantur, habent: in aliis astris, quæ extra 12. signa sunt, vel quæ non sunt ipsa 12. signa, non erat tantus cultus gentilium: planetas tamen quinque, sc. omnes præter Solē, & Lunam satis abundanti celebrant cultu, quia dij sui de potissimis sint, scilic. Saturnus, Mars, Iupiter, Mercurius, & Venus. Astrorum autem quæ in cœlo stellato erant præter signa 12. de quibus diximus quædam constellationes erant habentes certas figurationes ex coniunctione stellarum, & has cōstellationes gentilitas coluit, quia Deos illos esse putabant: sic enim duæ vrsæ circa polum arcticum, quarum vna vrsa maior, & alia vrsa minor dicitur, & arcturi Græco nomine nuncupantur, quarum illa quæ minor est polo arctico, magis vicina est, & vulgariter nominantur plaustrum, & Bucculla: plaustrum est vrsa maior: bucola est vrsa minor: has duas vrsas matrem, & filium esse dicūt, qui olim mortales fuerant, scilicet Calypso mater, & Arcas filius, cuius causam prosequitur late Ouidius Metam. libro secundo, & Seneca prima tragœdia carmine primo, quod incipit, soror tonantis: est etiam inter has duas vrsas constellatio alia in modum serpentis magni, & hunc dicunt serpentem phitonem, quem Phœbus in monte Parnaso sagittauit, à quo Apollo phitius dictus est, de quo Ouidius Metam. libro primo, iste in honorem triumphi Apollinis, & æternam memoriam inter astra situs est: de quo Seneca in septima tragædia, cuius nomen est Medea.

Alia etiam magna constellatio est in modum viri armati in ipso zodiaco, in signis tribus, scilicet Arietis, Tauri, & Geminorum, extenta quasi gladium in manu teneat: cuius causam stellificationis prosequitur Ouidius in 3. libro Fastorum de his duabus dicitur Amos quinto ca. reliquistis facientem arturin, & orionem.

De septē capillis. Et est alia constellatio quæ septem continet stellas, quas nos septem capillas nominamus, hæ autem septem sorores à poetis dicuntur fuisse filiæ Athlantis regis, & Pleiones reginæ, ideo ab vtroque nomine, licet contra formam grammaticorum sit, vt patet per Priscianum in maiori volumine libro secundo, nomen tamen patronomicum assumpserunt à patre quidem Athlante Athlantides nuncupantur, quod proprium patronomicum est, à matre vero Pleione pleiades vocitantur, & hoc est improprium nomen patronomicum, vtrunque autem nomen apud poetas vulgatum est: Ouidius namque in libris de Ponto eas pleiades nominat, dicens.

Quatuor autumnos pleias orta facit.

Et hoc nomen communiter habent in sacra Scriptura, vt patet in Iob, vt in cap. 38. scilicet, nunquam poteris coniungere micantes stellas pleiadis, aut girum Arcturi poteris dissipare, vocantur etiam Athlantides, & pleiades simul, vt nominat eas Virg. in Georg. dicens:

Ante tibi pleiades Athlantides abscondantur
Debita quam sulcis committas semina.

Hæ septem Stellæ sunt, quæ in signo tauri sunt inter genua tauri, vt ait Marcianus.

Dicit autem Albumasar, quod oriuntur in gradu sextodecimo tauri, & cum istæ septem sint, sex earum lucidæ valde sunt: vna autem quandoque apparet, quandoque occultatur, quia modicæ lucis, & interdum radiis suis visum mouet, interdum autem non: cuius causam poetæ fore asserunt, quia cum septem sorores essent filiæ regis Athlantis: sex earum dijs immortalibus iunctæ sunt, ideo ab eis acceperunt pro munere, quòd fulgerent: septima autem quia viro mortali iuncta est, quasi inter cæteras degener pudibundos vultus hominibus ostendere erubescit: de his Marcianus, & habetur de proprietatibus rerum, libro octauo capit. de pleiadibus, gentiles ergo qui Mercurium Deum magnum colebant Maiam genetricem eius, & Iouis concubinam, necesse est, vt inter pleiades venerentur: Maia mater Mercurij vna de septem pleiadibus est filia regis Athlantis, quæ cum cæteris sororibus stellificata est.

De cōstellatione. & dicitur gallina cū pullis quare culta fuit à gentilibus. Alia autem magna constellatio est, quæ constellatio Hiadum nuncupatur, & sunt septem aliæ stellæ modicum à pleiadibus distantes, quæ obscuriores quodammodo sunt, nec ita vt pleiades ab omnibus conspiciuntur, & vocatur ista cōstellatio vulgariter à quibusdam gallina cum pullis, & est in fronte tauri ista constellatio; vt ait Marcianus, dicit autem Albumasar hiades in sextodecimo gradu tauri, cum pleiadibus oriri, hæ autem hiades à gentilibus, ideo dictæ sunt, quia septem sorores fuisse dicuntur: quę cum fratrem suum mortuum inquirerent, à dijs ad astra raptæ sunt, & à sono planctus sui nomen perpetuum assumpsere, nam cum plangerent hiam hiam more gentis suæ conclamabant: sic enim ait, Ouidius tertio libro Fastorum.

Hiam & hiam mœstæ fleuere sorores.

Hæc autem fictio fuit, quia istud nomen Græcum hiades interpretatur attractiuæ, siue situlæ, quia à mari, & terra vapores multos attrahunt, & in ortu suo effundunt: nam mox vt ipsæ oriuntur totus aër turbatur, & pluuiæ effunduntur, qp est in principio Aprilis, in quo tempore 16. gradus tauri oritur, cum quo eas Albumasar oriri testatur, & ob hoc etiam eas flentes poetica finxit industria, quia flentes turbatos vultus habent, & lachrymas emittunt, sic tunc aere turbato nimborum pluritas terram irrigat.

De corona. Est autem, & alia constellatio magna constans ex multis stellis in gyrum positis, ita quòd perfectæ coronæ formam exprimunt, propter hoc, quia vna stella de eis deficit, & hæc corona iuxta signum scorpionis est, quod probat Ioannes de sacro bosco, in tractatu de Sphæra per ortum eliacum eius allegans versum illum Virgil. in Geor. scilicet.

Gnosiaque ardentis descendit stella coronæ.

Istam coronam dicunt Poetæ esse coronam Ariadnæ sororis Phædræ filiæ regis Minois Cretensis, quam cū infidelis Theseus dolo facto in quadam insula dimisisset, Bacchus eam accipiens

cipiens in vxorem coronam florum, quam capite tunc tenebat, in cœlum tulit, & ipso ascensu vnus de floribus decidit, quare vnam stellam deficere dicunt: de hoc Ouidius in libro Epistolarum in epistola Ariadnæ ad Theseum, quæ incipit:

Mitius inueni, quam te genus omne ferarum.

De constellatione Persei.

Aliæ quoque constellationes sunt etiam apud gentiles satis famosæ, vt constellatio Persei de qua Seneca in tragæd. 1. carmine primo.

De constellatione Herculis.

Alia etiam est constellatio Herculis, in quam Herculem translatum ferunt, vt ait Seneca in tragœdia decima: cuius titulus est Hercules Etheus in carmine vltimo. Alia etiam est constellatio Romuli quem ad astra translatum ferunt, vnde quia semper hasta vtebatur, ex qua Quirinus sabinorum lingua vocatur, hasta quoque eius ad cœlum translata est, & hæc est constellatio constans ex tribus stellis sic dispositis in longum, vt hastæ figuram exprimant, de hoc Ouid. Metam. 14. in fine, & vocatur hæc constellatio hastilia, siue astileios iuxta rusticorum morem. Alia valde magna constellatio est quę magis circulus cœlestis est, & iste vocatur galaxias, id est circulus lacteus, siue albus. Et vulgariter via sancti Iacobi nuncupatur: Poetæ hanc viam, qua cæteri dij ad domum magni Dei Iouis iter habent, esse ferunt, de hac Ouid. Metam. libro primo, sic ait:

De hasta Romuli.

De galaxia, seu via sancti Iacobi.

Est via sublimis cœlo manifesta sereno
Lactea nomen habet candore notabilis ipso,
Hac iter est superis ad summi tecta tonantis.

Aliæ sunt constellationes, de quibus, tum quia apud gentiles æque, vt istæ cognitæ non sunt: tum ne vlterius digredi cōpellamur, propositi nostri dicere non est, hucusque autem fuisse digressos, & si longum, inutile tamen non fuit: quia multum hæc sacram scripturam elucidant. In his autem firmius, & à fundamentis insistere, maioris altiorisque negocij erat, cum circa hæc altissima, & maior poeticæ considerationis speculatio est.

Hi ergo sunt dij gentium quos aliquando stulta gentilitas coluit: eosque in cœlo inuenit, aut quod verius est affectionibus suis in cœlo collocauit, cæteræ autem stellæ quæ in octauo cęlo ab omni constellatione absolutæ sunt, tanquam à gentilibus ignotæ, vt dij reputati non sunt, ideo licet omnes stellæ cœli dicantur militia cœli, illæ tamen verius cœli militia sunt quæ in constellationibus, vt assignatum est, sunt, quia has specialius antiqua rusticitas coluit, nisi totum cœlum animatum esse putans singula astra Deos dicat. *Et hoc tibi fuerit nunciatum.* Siue per famam, siue per rumorem, aut per denunciationem vnius hominis quomodocunque ad te perueniat. *Audiensque inquisieris diligenter.* Ne tantum factum sub silentio relinquatur, & ne ex inquisitione imperfecta ad aliquorum procedatur punitionem. *Et verum esse reperies.* Per testes, vt infra dicitur, aut per confessionem, vel euidentiam facti, aliosque iuridicos modos, ante nullus puniri debebat, etiam si de eo aliqualis suspitio haberetur. *Et abominatio facta est in Israel.* Id est scelus idololatriæ, quod apud Deum, velut aliquid horribile valde, & intolerandum est. *Educes virum ac mulierem.* Id est virum, vel mulierem quicunq; ille esset, quia quantū ad hoc nulla debebat esse acceptio personarum, vel excusatio propter dignitatem status, sicut in quibusdam aliis criminibus, in quibus non ita ponuntur nobiles, sicut ignobiles, & positi in dignitate, sicut non positi in dignitate. *Qui rem sceleratißimam perpetrauerunt.* Vocatur res sceleratissima idololatria, ex quo innuitur, quòd maximum peccatum est, quia alia vitia magna scelera dicuntur, hoc autem intantum excessit, vt iure sceleratissimum nominetur. *Ad portas ciuitatis tuæ.* Scilicet ad locum vbi iudices sententiare solent, vt veritate comperta contra reos iuridice sententia proferatur: vel educebantur extra ciuitatem, ne lapidarentur intra, & polluueretur ciuitas sanguine: omnes enim mortis reos Iudæi extra ciuitatem occidebant, vt patet de Christo qui ductus est in Caluariæ locum, vbi omnes mali decapitabantur, vt patet Ioan. 19. cap. & ad Heb. 9. c. Et sic habetur de beato Stephano, qui à Iudæis lapidatus est extra ciuitatem, vt patet Actum. 7. cap. *In ore duorum, aut trium testium peribit.* Id est duobus, aut tribus testibus contra eum deponentibus occidetur, id est, duobus, aut tribus testibus contra eum deponentibus occidetur, id est, nunquam pauciores recipientur.

Lyra. Ambro. hatto

Aliqui Hebræi voluerunt hic, quòd si aliquis confiteatur aliquod crimen contra se, quòd non occidetur, sed oportet semper esse testes, hoc autem contra rectam rationem, & præsumptionem violentam omnium hominum est: quia non præsumitur, quod aliquis contra se falsum dicat, vt occidatur, quia si hoc velit, per seipsum se occidere potest. De duobus vel tribus testibus, licet præsumptio est, quòd verum dicant, cum omnes concordant: tamen potest esse corruptio eorum, sicut sępe fit, ideo quando hic dicitur, quòd per testimonium duorum, aut trium aliquis morietur, non vetuit in hoc, quòd nō occideretur, sed confiteretur, sed vetuit, quod non per pauciores testes quàm duos, patet, quia subditur nemo occidetur vno contra se testimonium dicente.

Manus testium prima interficiet eum. Id est primo iniicient lapides in eum testes ad occidendum eum quam alij: ratio est, quia cum hic facta fuisset offensa Deo, vindicta erat totius populi, ideo magis punire debebat, qui magis de hac iniuria, vel offensa cognoscebat, cum autem testes malum illud prius quam reliquus populus cognouissent, prius quam alij punire debebant.

Vt auferas malum de medio tui. Ne inficiat reliquos, vel quia viuere non meretur. *Si difficile, & ambiguum.* Hic ponitur secundum de institutione, & ordinatione Iudicum Leuiticorum. Et statuitur hic auditorium summi sacerdotis ad quem causæ per appellationem, vel difficultatem deuoluebantur. Et dicit Ioscphus de iudicibus minoribus, quòd in singulis ciuitatibus ponebantur, & eligebantur secundum virtutem, & bonam famam, & sine auaritia, vt patet Exodi decimo octauo, & supra 1. c. & cuilibet istorum dabantur duo Leuitæ; quasi assessores, siue consiliatores, & ab istis deuoluebantur causæ ad summum sacerdotem, qui nunquam sine Propheta, & senioribus loci illius, quē elegerat Dominus, iudicabat.

Si difficile & ambiguum. Aliquæ quæstiones incidūt difficiles in quibus inferiores iudices diffinitionem ignorant, forte quia aliquando accidit aliquid de quo in iure cautum non habetur, quia actus humani infinitis modis variari possunt, & tunc determinatio pendet à sacerdote magno, qui Propbetam habebat respondentem, vel per doctrinam, & veritatem quæ erat in rationali, determinatio dubij scire poterat, vt à Deo procederet sententia. *Inter sanguinem & sanguinem.* Ista auctoritas tota exponitur in cap. per venerabilem extra qui filij sunt legitimi, vbi probat Romanus pontifex se habere potestatem in omni iudicio, licet non semper se intromittit, ne iuri præiudicet alieno. *Inter sanguinem & sanguinem.* Id est inter causas criminales ciuiles. *Lepram, & Lepram.* Id est inter causas criminales Elclesiasticas. *Causam, & causam.* Id est, inter causas non criminalis, siue Ecclesiasticas, siue ciuiles. Et ista applicatio est secundum intentionem Romani pontificis. Sed non congruit talis distinctio statui legis veteris, quia nunc sunt distinctæ iurisdictiones Ecclesiastica, & temporalis, tunc autem vtrunq; ad summum sacerdotem secundum habitum, & secundum executionem pertinebat, poterat summus sacerdos, & quilibet alius sacerdos, si constitueretur iudex, sententiam sanguinis proferre, & per se exequi aliquem occidendo, nec in hoc aliquam irregularitatem incurrebat, vt patet de Phinees qui sacerdos erat, & occidit Zambri cum Madianitide coeuntem Numeri 25. cap. immo quod magis est talis operatio valde meritoria erat. Et ex hoc laudatur, & confirmatur ei sacerdotium, vt habetur primo Mach. 2. cap. Sic etiam de Mathatia qui erat sacerdos magnus, tamen per seipsum trucidauit immolantem idolis, vt habetur primo Machab. 1. cap. Et filij sui Iudas, Ionathas, & Simon summi sacerdotes erant, sed ad bellum procedebant, & multos propriis manibus occiderunt, vt patet in duobus libris Machabæorum, causa non sanguinis, lepræ, & pecuniæ directe ad sacerdotem magnum pertinebant, ergo non debent in præsenti distingui, vt distinxit Romanus pontifex applicans ad intentionem suam, dicetur ergo. *Inter sanguinem, & sanguinem.* Id est quando inter inferiores iudices dubitatur, siue contentio est vtrum aliquis effundens sanguinem puniri debeat an non: quia scita veritate facti, aliqui dicunt homicidium illud iuridice excusari, alij non. *Causam, & causam.* Quando aliqui iudices dicunt actorem fouere iustam litem, alij dicunt, quòd reus. *Lepram, & non lepram.* Id est quia aliqui iudices dicunt aliquem esse leprosum, alij non, erat cautum in lege, quòd si aliquis leprosus esset, quod eiiceretur à castris, vt habetur Leuitic.

D opin. hebræorū.

Quomodo applicatur inter causam, & causā lepram & lepram.

Alia expositio melior.

A uit.13.& 14.c.& Num.5.tunc conueniebat iudices, vt contẽplarentur verum esset lepra,an non.*Et si in iudicio discordarent.* Referebatur cognitio ad summũ sacerdotem. *Et intra portas tuas.*Id est in ciuitatibus tuis.*Veniens ad sacerdotes Leuitici generis.* Qui morabantur in loco quem elegit Dominus. Et quia dicitur sacerdotes Leuitici generis, non est intelligendum. quod essent alij sacerdotes quam de Leuitis, quia quando in monte Synai datum fuit sacerdotium tribui Leuiticæ, dictũ fuit sæpius,quod si aliquis de alia tribu accedere vellet ad ministrandum,vel tangendum vasa,quòd moreretur, vt habetur Num.3.&8.& 17.& 18.c.sic etiam tempore Dauid,quando magis fuerunt distincta officia sacerdotum,& Leuitarum ponuntur 24. distinctiones sacerdotum per vices qui intrabant,vt ministrarent,& omnes erant de filijs Aaron, vt patet 1.Par. 24.c. sacerdotes autem idolorum in terra Israel non erant de tribu Leuitica, quia omnes Leuitæ venerunt in regnũ Iuda incipiente cultuidolorũ in Israel,vt patet 3.Reg.13. c.&2.Par.11.c.Aliquando tamen accipitur sacerdos large pro illo qui in statu,vel dominatu maior est, & sic filij Dauid dicebantur sacerdotes,vt patet 2. Reg.8. c. cum dicitur, & filij Dauid erant sacerdotes, & contra talem modum sacerdotis possunt distingui sacerdotes Leuitici generis,vel forte ista determinatio nihil agit hic,sicut interdum ponuntur determinationes aliæ,quasi ex superabundanti. *Qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.*Vel,quia in lege peritiores erant,siue quia summus sacerdos præsente Propheta iudicabat,vel quia rerũ abscondita Deo reuelante per laminas rationalis inquirebat,in quibus doctrina,& veritas continebatur, de quibus diximus Exod.28.cap. *Et facies quæcunque dixerunt qui præsunt loco quem elegerit Dominus.* In illo loco, & iudicio solum vnus præerat, scilicet summus sacerdos, sed vocantur hic pluraliter propter successiones temporum, quibus diuersi summi pontifices præsidebant.

B

An summus sacerdos poterat ferre sententiam se solo, vel requirebatur consensus omnium septuaginta iudicum qui erant de latere seu consilio,aut consistorio pontificis,& quòd in Christo iudicandi forma consueta iudicandi seruata sit.

QVÆSTIO IV.

VEL dicitur pluraliter facies quæcunque dixerint, id est omnes ipsi iudices de quorum consensu ferebatur quæcunque sententia: nam erant septuaginta iudices in loco Sanctuarij,qui erant de consistorio, quod vocabatur domus iudicij, & licet vnus inter eos proferret sententiam in causis,quæ ventilabantur coram eis, quia tamen nomine omnium proferebat sententiam, vel de consensu, & consilio omnium,dicebantur omnes iudices illi mandare.Et hoc apparet in iudicatione Christi, quando per ipsos Iudæos morti adiudicatus est etiam antequam mitteretur ad Pilatum,nam dicit Iosephus in libris antiquitatum, quod Iesus Nazarenus qui visus est esse Messias occisus fuit per domum iudicij, & tunc addatur ad hoc id,quod habetur Matth.26.cap.scilicet principes sacerdotum,& omne concilium querebant falsum testimonium contra Iesum, & post pauca auditis verbis Christi,quòd viderent filium hominis sedẽtem à dextris virtutis Dei, sequitur in litera, tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua,dicens blasphemauit,quid adhuc egemus testibus, ecce audistis blasphemiam quid vobis videtur? at illi responderunt dicentes reus est mortis.

C

Ecce enim in his patet, quomodo summus sacerdos sententiam ferebat de consensu omnium aliorum iudicum, qui erant de domo iudicij, quia dicitur in principio huius auctoritatis,quòd principes sacerdotum, & omne concilium quærebant testimonium contra Iesum, & sic omnes congregati erant ad condemnandum iudicialiter Iesum, & quia postea summus sacerdos dixit, quid adhuc egemus testibus innuens, quod non erat ipse solus iudicans Iesum. Et si forte aliquis dicat, quod ista non loquebatur summus sacerdos ad aliquos sacerdotes,qui cum eo iudicarent,sed ad omnem turbam astantem.

Non potest stare,quia immediate in verbis prædictis subiungitur, quod illi protulerunt sententiam dicentes reus est mortis, proferre tamen sententiam non pertinebat ad aliquos vulgares qui astabant,cum ipsi,vel plerique eorum ducerentur in testes,& in formam accusatorum, etiam quia nõ habebant auctoritatem iudiciariam,sequitur ergo, quod illi qui dixerunt reus est mortis, & ad quos summus sacerdos loquebatur omnia ista, erant iudices de domo iudicij, sicut dicebatur in prædicta auctoritate, scilicet, quod totum concilium conuenerat ad ipsos principes sacerdotum,vt iudicarent. Et ex hoc patet aliud, scilicet, quod ipsi iudices de domo concilij,vel iudicij qui assistebant summo sacerdoti iudicanti,non solum erant tanquam consiliarij dantes consilium summo sacerdoti quid iudicare deberet,& non habentes potestatem iudicandi,ita quod non solum requirebatur in formandis,&promulgandis sententiis eorum consilium,sed etiam illorum consensus.

D

Etiam patet,quia hic in litera dicitur, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem,ergo non solum consiliarij,sed iudicare poterant, iudicare autem dicit potestatem proferendi sententiam vel dandi auctoritatem ad proferendum. Sed adhuc argues, quod non posset intelligi de istis iudicibus pertinentibus ad domum iudicij, quia isti licet possent iudicare, tamen non erant principes sacerdotum, cum solus vnus esset princeps sacerdotum, nec erant principes loci illius in quo erat Sanctuarium, sed hic dicitur facies quæcunq; dixerint quicunque præsunt loco quem elegerit Dominus, ergo ad aliquem alium referri debet.

E

Respondetur, quod ad hoc poterat dici, sicut supra dicebamus, quod isti qui præerant loco quem Dominus elegisset, erant summi sacerdotes, & tamen arguitur, quod summus sacerdos vnicus erat. Respondetur, quod vnus erat semper, tamen multi erant per successiones, & sic loquitur hic tex. de summis sacerdotibus qui sibi succedent secundum diuersa tempora, sed hoc licet aliqualiter videatur quibusdam, nihil tamen est,vt patet considerando istam literam totam suspensiue, vt iacet: nam necesse est referri hoc quod est præesse non solum ad summum sacerdotem, sed etiam ad alios iudices pertinentes ad domum iudicij, quia dicitur supra. *Veniens ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore.* Iste sacerdos qui erat in illo tempore qui vocatur per excellentiam sacerdos non expresse nomine alio, erat sacerdos magnus, alij autem sacerdotes ad quos etiam venire dicebatur, erant iudices de domo consilij, scilicet de illis septuaginta senioribus,alias non dicetur venire ad eos ille,qui aliquam causam iudicandam habebat, dicitur autem simul venire ad sacerdotes Leuitici generis, & ad sacerdotem qui erat in illo tempore quia isti omnes simul iudicabant eum, & hoc patet immediate per literam sequentem,scilicet. *Quæres ab eis.* Id est à sacerdote illo magno, & aliis sacerdotibus Leuitici generis,qui erant de domo consilij: nam non conueniebant ad hoc omnes sacerdotes Leuitici generis, quia multi horum manebant extra locum Sanctuarij, etiam ipsi qui erant in loco Sanctuarij non omnes conueniebant ad audiendas causas, & sententiandum: sed septuaginta illi qui deputati erant in domo consilij,& sequitur immediate. *Qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.*Id est,quod licet alij iudices qui erant in portis tuis id est in ciuitatibus Israel,vacillarent ambiguum iudicium proferentes, isti tamen in nulla causa dubitabant propter modos supra assignatos. Ecce qualiter litera manifeste indicat, quod isti sacerdotes qui erant de domo consilij iudicabant, & nõ solum summi sacerdotes qui erant per successionem. Sed argues quomodo dicitur, quod aliqui alij sacerdotes præter sacerdotem magnum iudicarent? quia qui iudicant iudices sunt, sed litera solum ponit vnum iudicem,ergo solus ille iudicabat, patet quia dicitur, & ad iudicem qui fuerit illo tempore.

F

Respondetur, quòd tam sacerdotes minores, qui erant constituti,vt essent de domo cõsilij, quàm ipse sacerdos magnus iudices erant, & ob hoc mandatur habentibus causas, quod ad eos veniant,siue ad minores sacerdotes, siue ad magnũ,sed vocatur ipse sacerdos magnus specialiter iudex,quia licet alij haberẽt potestatem iudicatiuam dando auctoritatẽ sententię,nunquam tamen proferebant sententiam, sed ipse sacerdos magnus erat, qui proferebat sententias ab officio, ergo iudicandi iudex specialiter dictus est, & hoc innuit infra cũ dicitur, qui autẽ superbierit nolens obedire sacerdotis

Solus sacerdos magnus proferebat sententiã mortis, tametsi assidebãt 70. iudices.

impe-

A imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, morietur homo ille. Licet adhuc in hoc melius dicetur, & verius, quod iſte iudex de quo hic dicitur non eſt ſacerdos magnus, ſed erat aliquis iudex de ipſis ſacerdotibus minoribus poſitus ab ipſo ſacerdote magno loco eius, ſicut Epiſcopi ponunt vicarios ſuos qui iudicent omnes cauſas, quas Epiſcopi iudicare debent, ideo iſte iudex ſic poſitus gerebat totaliter vices ſacerdotis magni. Et ſicut ſacerdoti magno aſtabat totum conſilium, ſiue concilium (vt patuit in condemnatione Chriſti de qua ſupra diximus) & ipſe de conſenſu omnium ſententiam proferebat, ita iſti iudici vicario ſacerdotis magni aſſiſtebat totum concilium, & de conſenſu omnium dictabat ſententiam: quod autem iſte iudex ſit alius à ſacerdotes magno patet infra cum dicitur, qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille: per hoc enim quod ponitur ibi, & notatur, quod duo ſunt ſacerdos, & iudex qui decretum interponit, licet quantum ad hanc reſponſionem non multum refert, vtrum iſte iudex ſit ſacerdos magnus, aut aliquis alius vicarius eius, aut ſubordinatus ei, qui profert ſententiam, dum tamen iſte ſit vnus qui proferat ſententias. *Et facies quodcunq; dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus.* Iſtud neceſſario refertur ad ipſum ſummum ſacerdotem, & omnes alios ſacerdotes de domo iudicij, & patet, quia ſuſpenſiua litera eſt à ſuperiori, ſcilicet,

B quod iſti omnes iudicabant, & ſic quod iudicabant fieri debebat, & dicebantur præeſſe illi loco quem Deus elegerat, non tanquam Domini illius loci, qui hoc pertinebat ad regem, ſed tanquam iudices, & ſic ceſſant obiectiones duæ quę ſupra fiebant. Sed adhuc argues, quod non intelligatur de omnibus iſtis iudicibus, ſed de ſacerdotibus magnis ſibi ſuccedentibus, quia dicitur hic facies quodcunque dixerint qui præſunt loco, ſed manifeſtum eſt, quod alij iudices nihil dicebant, ſed ſolus ipſe ſacerdos magnus, vel ipſe iudex qui ſtabat loco eius, vt ſupra dictum eſt: ergo non intelligebatur de aliis iudicibus. Reſpondetur, quod iſti iudices qui erant de domo iudicij, licet non proferrent omnes ſententiam, ſed vnus ſolus, quia tamen omnes primo conſiliabantur, & determinabant quæ ſententia partibus proferenda eſſet, dicebantur dicere aliquid, ſicut dicebantur iudicare: idem enim modus erat iudicandi, & dicendi. *Et docuerint te iuxta legem eius.* Iſti non ſolum in cauſis determinabant, ſed etiam ad omnia dubia reſpondebant, determinatio autem in cauſis erat iudicium, reſponſio autem ad dubia erat doctrina, & vtrunque faciebant iſti per legem Domini, quia dum iſti poterant aliquid reperire in lege Dei per quod determinarent cauſas, vel dubia lucidarent, non inquirebant ab extra reſponſiones, cum autem non inueniebatur aliquid in lege cautum, reſpondebant vt ait Ioſephus per Prophetam, ſiue quo ſacerdos magnus nunquam ſententiabat, vel per doctrinam, &

C veritatem exiſtentem in rationali, aut per alios modos certiſſimos veritatis, vel dicitur. *Et docuerint te iuxta legem eius.* Id eſt, non contra legem eius: quia quando aliquis deficiente iudicio legis iudicat aliquo altero modo, ſi ille non eſt contra legem, dicitur eſſe iuxta legem, ſic enim dicebat Chriſtus Luc. 9. c. qui non eſt contra nos nobiſcum eſt, & hoc ſemper erat in illis iudicibus, quia cum omnes eſſent peritiſſimi in lege, & eſſent multi, non poterant venire aliqui caſus quantumcunque difficiles, de quibus ipſi neſcirent vtrum eſſent contra legem in eis taliter, vel taliter proferre ſententiam, & hoc modo ſemper docebant iuxta legem Dei. *Sequeris ſententiam eorum.* Quia inde non poteſt ad alium appellari, cum non maneret aliquis alius iudex cognoſcere potens de appellationis iuſtitia. *Et non declinabis ad dextram nec ſiniſtram.* Id eſt, totaliter obedies ſententiæ eorum ad nullam partem declinando. Quædam gloſſa Hebraica dicit, quod ſi dixerit iudex ille, quod manus dextra eſt ſiniſtra, vel ſimilia, quod etiam credendum eſt ſibi, & tenenda eorum ſententia. Sed valde deficiunt in hoc, quia nulli homini contra per ſe notam veritatem dicenti credendum eſt: maxime quia hoc includit contradictionem. Item ſequeretur quod ſi dicerent eſſe credendos Deos alienos, credendum eſſet eis, & ſic mandando contra aliqua legalia, ſed in litera ponitur contrarium, quia dicitur, quod iſti iudices duas conditiones habere debent. Prima, quod iudicent ſecundũ veritatem, quia dicitur, quod iudicabunt tibi iudicij veritatem. Secunda conditio, quod non iudicent contra legem, ideo dicitur. *Et docuerint te iuxta legem eius.* Ergo videtur, quod ſi iudicauerint contra veritatem, vel contra legem, quod non eſt eis aſſentiendum. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio.* Scilicet, ſummi ſacerdotis. *Ex decreto iudicis.* Id eſt, iudicis minoris. *Morietur homo ille.* Siue pro repugnantia contra ſummum ſacerdotem, vel aliquem minorem iudicem morte merebatur, ſed diuerſimode, quia quocunq; modo repugnaret mandato ſummi ſacerdotis, merebatur mortem, ſi autem repugnaret mãdato iudicũ inferiorũ, etiam merebatur morte, niſi appellationis remedio ſe tueretur, quia tunc non dicebatur contemnere, ſed in grauamen iudicis ſuperioris remedium poſtulare. *Qui autem ſuperbierit.* Omnes enim qui mandatis prælatorum nõ obediunt, ſuperbire dicũtur, eſt namq; ſuperbia deſiderium indebiti honoris, vel indebitæ excellentiæ, qui autem dominatur excellentior eſt quam qui ſubiicitur, cum ergo ſubditus vſurpat ſibi principatum dominatiuum ſuperbit, quia excellentia illa erat ei indebita in quantum erat ſubditus.

Duplex modus vſurpandi principatum. Ex quo duobus modis ſubditi dicuntur ſuperbire.

QVÆSTIO V.

E T quia eſt duplex modus vſurpandi dominatiuum principatum, duobus modis ſubditi dicuntur ſuperbire. Modorum autem vſurpandi principatum vnus eſt directus, & alius indirectus. Directus eſt quando id quod Dominus habet ſeruus vult habere, ſcilicet, quod ſicut Dominus imperat, ita ipſe qui ſeruus eſt imperet, & quanto iſte modus vſurpandi directior eſt, tanto maior ſuperbia eſt. Secundus modus eſt indirectus, ſcilicet, quando ſubditus non vult imperare, vt Dominus, ſed non vult ei obedire ſubtrahendo debitam obedientiam, & etiam iſto modo priuatur Dominus principatu: nam Dominus eſt ſeruus, & maioritas, vel nobilitas principatus, vel econtra eſt per maioritatem aut nobilitatem ſubditorum, vel econtra, vt ait Ariſt. 1. Polit. c. 3. ſi ergo omnes ſubditi ſic fecerint tollentes obedientiam, iam princeps non manebit princeps nullo ſubdito exiſtente, & tolletur principatus indirecte: iſte autem modus vſurpandi principatum, vel honorem quanto minus directe eſt, tanto minor ſuperbia eſt. Et iſto modo dicitur hic ſuperbire nolens obedire mandato iudicis, vel ſacerdotis magni, quia obedientiam debitam ſubtrahit. *Nolens obedire ſacerdotis imperio.* Id eſt, imperio ſummi ſacerdotis, qui vocatur hic ſacerdos ſine aliqua connotatione determinante, quia ipſe excellentiori modo ſacerdos eſt quam omnes alij, quia maiorem poteſtatem habebat. *Qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo.* Non ſolum miniſtrabat ſummus ſacerdos Domino Deo, ſed etiam ſacerdotes minores, vt patet Exod. 28. cap. vbi mandauit Deus veſtes fieri Aaron, & filiis eius, vt ſacerdotio fungerentur: etiam patet hoc ſpecialiter de miniſteriis ſpecialibus: nam ſacerdos de minoribus erat, qui vitulam ruffam immolabat, vt patet Num. 19. ca. quia ibi mandauit Deus, vt Eleazar filius Aaron hoc faceret, qui tunc erat ſacerdos minor patre ſuo Aaron ſuperſtite, & tenente ſummum ſacerdotium. Item ſacerdotes minores incendebant lucernas, & parabant eas in candelabro, vt patet Exod. 27. cap. Item ſacerdotes minores poterant immolare, & incendere ſacrificia in altari holocauſtorum, vt colligitur Leuit. 8. cap. cum dicitur armus quoq; dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis, qui obtulerit ſanguinem, & adipem filiorum Aarõ, & ipſe habebit armum dextrum in portione ſua. Item ſacerdotes minores adolebãt thimiama ſuper altare aureum thimiamatum, quod erat intra tabernaculum, vt patet de Zacharia patre Beati Ioannis, qui erat de ſacerdotibus minoribus in vice octaua, quæ erat ſors Abia, vt patet Luc. primo capit. ipſe tamen intrauit ſorte, vt incenderet thimiama coram Domino, vt patet in eodem, & ſi forte proteruire velis dicens, quod pater Beati Ioannis erat ſacerdos magnus, non poteſt ſtare, quia ſacerdotes magni morabantur in loco Sanctuarij, ſed Zacharias pater Beati Ioannis habitabat in montana Iudææ extra Ieruſalem, vt patet Luc. 1. cap. Item & fortius hoc patet, quia ſi ponere incenſum coram Domino

D

E

F

An omnes ſacerdotes miniſtrabãt Domino.

Iudices duas habere debent conditiones.

A in altari thimiamatum ad ſolum ſacerdotem ſummum pertineret, non mutaretur per vices, ſed ſemper pertineret ad eundem, ſed Lucæ 1.cap.dicitur, quod Zacharias intrauit ad adolendum incenſum ſecundum ordinem vicis ſuæ cum dicitur, factum eſt cum ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum ſecundum conſuetudinem ſacerdotij,&cæt.

Item ſi ad ſolum ſummum ſacerdotem pertineret adolere thimiama non veniret per ſortes, ſed idem ſemper daretur, dicitur tamen Lucæ primo capitulo,de Zacharia,quod ſorte exiit, vt incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini, ergo non pertinebat ad ſolum ſacerdotem magnum.

Et ſi arguas,quod Exod.30.cap.dicitur pertinere hoc miniſterium ad Aaron, cum dicitur, & adolebit ſuper eum incenſum Aaron ſuaue flagrans mane, quando componet lucernas,incendet illud.

Reſpondetur, quod licet dicatur ibi pertinere ad Aaron, non tamen tollitur quin pertineat ad filios eius, quia ea quæ pertinent ad minores pertinent ad maiores, & non econtrario, cum ergo pertineret hoc ad ſacerdotes minores filios Aaron, à fortiori pertineret ad ipſum Aaron, & hoc patet ex eadem auctoritate Exod.30. ca. quæ inducebatur in contrarium: nam ibi etiam dicitur, quod Aaron deberet parare lucernas mane,tamen Exod.27.cap.dicitur,quod incenſio lucernarum etiam pertinebat ad filios Aaron: ergo eodem modo incenſio thimiamatis poterat pertinere, cum alibi
B hoc reperiatur. Item pertinebat ad ſacerdotes minores inuoluere omnia vaſa Sanctuarij operimentis ſuis,etiam ipſam arcam, vt patet Numer. 4. cap. non ergo ſolum miniſtrabat ſacerdos magnus coram Domino,ſed etiam ipſi minores,dicitur tamen ſacerdos magnus miniſtrare coram Domino ſine aliqua determinatione,quia ad eum pertinet excellentior modus miniſtrandi, & ſicut dicitur ſacerdos ſine determinatione,ita dicitur miniſtrare ſine determinatione, quia miniſterium ſuum,& ſacerdotium ſuum erant æqualia,vtrunque magnum. Etiam dicebatur miniſtrare coram Domino,quia faciebant miniſterium quoddam ſpeciale coram Domino, quod aliorum ſacerdotum nemo facere poterat, & hoc erat facere expiationem pro omnibus peccatis Iſrael, & pro omnibus immunditiis totius Sanctuarij, quod faciebat cum ſemel in anno in die expiationis, quæ eſt decima dies, menſis Septembris,intrabat in ſancta Sanctorum,& aſpergebat ſanguinem contra propitiatorium, vbi Deus dicebatur eſſe, & dicebatur proprie iſta eſſe miniſtratio coram Domino, quia licet ea quæ fierent ante oſtium tabernaculi coram altari holocauſtorum dicerentur fieri coram Domino, vt patet Exodi 29. cap. & in multis aliis locis, quia tamen ſpecialius erat Deus intra ſancta Sanctorum inter Cherubin quaſi in altari holocauſtorum, vt ſatis declarauimus Exod.25.ca. ideo proprius miniſtratio aſperſionis ſanguinis, quæ fiebat coram propitiatorio, dicebatur miniſtratio coram Domino,quam
C miniſtrationes factæ in altari thimiamatum,vel in altari holocauſtorum,aut in menſa propoſitionis,aut in candelabro, quæ miniſtrationes ad minores ſacerdotes pertinebant. *Et decreto iudicis.*

Quis iudex erat iſte,an ſcilicet, ſubordinatus ſacerdoti magno, vel vicarius eius.

QVÆSTIO VI.

ISTE iudex alius erat quam ipſe ſacerdos magnus, quod notat iſta copulatiua (&) ſiue autem iſte iudex eſſet vicarius ipſius ſacerdotis magni, ſiue ſubordinatus ei, ſemper tenebat iſta lex, ſcilicet, quod nolentes obedire occiderentur. Eſt tamen differentia, quia ſi ponatur iſte iudex eſſe vicarius ſacerdotis magni,tunc non erat aliquod dubium,quia tantæ poteſtatis erat vicarius, ſicut ipſe ſacerdos magnus, cum vicarij ſunt delegati ad vniuerſitatem cauſarum,quia Epiſcopi eis omnia negocia committunt, licet iura non conſueuerint communiter nominare ipſos vicarios delegatos ad aliquam cauſam,vel cauſarum vniuerſitatem:& non poterat ſacerdos magnus plura mandare quam ille iudex, nec poterat appellari ab illo iudice ad ſacerdotem magnum, cum idem conſiſtorium ſit vicarij, & eius cuius eſt vicarius, ſicut dicitur de vicariis Epiſcoporum, & ſic recuſans obedire vicario ſacerdotis magni repugnabat ſacerdoti magno.Et tenendo iſtum ſenſum dicendum, quod ponitur hic nolle obedire ſacerdotis imperio, & decreto iudicis, non quantum ad idem tempus, ſed quantum ad diuerſa, ſcilicet,quod aliquando ſacerdos magnus ſedebat in conſiſtorio illorũ ſeptuaginta ſeniorum,qui faciebant domũ iudicij,& tunc ipſe proferebat ſententias,& ceſſabat officium vicarij ſui,qui erat iudex,de quo hic dicitur,& tũc ſi aliquis veniens coram ſummo ſacerdote nollet ſtare ſentẽtiæ eius,mori debebat.Interdum vero ſummo ſacerdote occupato,vel non veniente ad iudicum conſiſtorium,vicarius ſuus loco eius proferebat ſententiã ex conſenſu aliorum iudicum,id eſt,ſeniorum de domo cõcilij,ſiue iudicij, & tũc ſi aliquis non obediret decreto eius, quod erat ex determinatione omnium ſeniorum, ſicut mandatũ ſummi ſacerdotis, mori debebat,cum non eſſet aliquis iudex ſuperior. Si autẽ ponatur iſte iudex ſubordinatus ipſi ſummo ſacerdoti, ſcilicet, quod inter ipſos ſeniores ſeptuaginta de domo conſilij eſſet aliquis iudex ad quem venirent cauſæ, & ille decideret eas, & tamen, quod poſſet ab ipſo ad ſummum ſacerdotem appellari, & tunc non eſt ſenſus, quod quicunq; non obediret decreto iſtius iudicis, quia ſic non poſſet ab eo appellari, ſed quod ſi aliquis contemneret ſententiam eius non tuens ſe remedio appellationis, dicendo ſe non curare de eius ſententia, non dicendo ſe grauatũ,deberet tunc mori, vel dicendum, quod iſta litera debet intelligi non, vt copulatiua propoſitio, ſed vt de copulato prædicato, ſcilicet, E
quod nõ ſit ſenſus qui non obedierit ſummo ſacerdoti moriatur, & qui non obedierit iudicis decreto moriatur, ſed vtrunq; ſimul, ſcilicet, quicunq; non obedierit decreto iudicis,& mandato ſacerdotis magni,moriatur:& fiebat ſic,ſcilicet, vt ventilaretur cauſa coram illo ſacerdote qui erat iudex minor, deinde appellaretur à mandato eius, quod erat non obedire decreto iudicis: deinde deuolueretur cauſa coram ſummo ſacerdote, & ille qui condemnatus fuerat à iudice condemnaretur rurſus à ſacerdote magno confirmante ſententiam iudicis, & declarante fuiſſe male appellatum: & demum ab hoc ſummo ſacerdote ille condemnatus appellaret nolens obedire eius mandato, vel non appellando diceret ſe nolle ſtare ſententiæ ſummi ſacerdotis,debebat mori,& non erat hic locus recuſationis iudicis, quia hic erant iudices ſeptuaginta,& ipſi prius ventilabant cauſam, antequam formaretur ſententia, & poſtea de conſenſu eorum, vel maioris partis ferebatur ſententia,ideo dato, quod aliquis de iſtis eſſet ſuſpectus alicui de litigantibus, etiam ſi eſſet ipſe ſacerdos magnus qui ferebat ſententias, non poterat recuſare illud iudicium,nec erat rationale debere recuſari,quia non ille ſolus formabat ſententias, ſed de conſenſu omnium, ideo licet ille ex aliqua cauſa peruertere vellet ius in damnum alicuius, nunquam tamen veriſimile erat,quod ſeptuaginta viri ſimul in hoc concordarent, vt ſententiam proferrent iniquam. Si autem quæras quid magis tenendum eſt,ſcilicet,an F
ille iudex qui hic ponitur, eſſet vt ſubordinatus ſacerdoti magno, vel tanquam vicarius eius. Reſpondetur, quod melius dicitur iſtum iudicem eſſe vicarium ſacerdotis magni: nam alias illa litera. *Et decreto iudicis.* Non videtur ſatis bene exponi, quia cum ibi dicatur, quod non obediens decreto iudicis deberet mori, ſi ibi ponatur iudex pro aliquo ſubordinato ipſo ſummo ſacerdoti, non videtur litera iſta aliquid agere:quia quodcunque de iſto iudice dicitur,neceſſario dicẽdum eſt de omnibus iudicibus, qui erant in ciuitatibus Iſrael in portis, & tunc ſuperfluum eſſet magis de iſto dicere quam de omnibus aliis,patet antecedens: quocunque modo de duobus ſuperioribus exponendo. Nam ſi dicas, quod ille qui nolebat obedire ſententiæ illius iudicis, nullius appellationis remedio ſe tuens, ſed ſimpliciter dicẽs nolle ſtare ſententiæ illius iudicis, debebat mori, ita erat de omnibus aliis iudicibus, qui erant in vrbibus Iſrael. Nam ſi aliquis diceret ſe nolle ſtare illorum mandatis nulla interpoſita appellatione, mori debebat,quia in hoc cõtemnebat eorum poteſtatẽ, & non ſolum per hoc contemnebat ipſos iudices, ſed etiam illos qui dederant eis poteſtatem, ſcilicet,totum Iſrael qui elegerat, vel ipſos iudices de domo iudicij. Si autem diceres ſecundo modo,ſcilicet,quod quando aliquis comparens coram illo iudice condemnabatur ab illo,& appellabat ad ſummum ſacerdotem, & poſtea ventilans cauſam coram ſummo

A mo ſacerdote condemnabatur rurſus ab eo,& obedire nolebat, ſiue appellando, ſiue ſuperbiendo, quod deberet mori, ita dicetur, quod ſi aliquis vẽtilans cauſam coram iudicibus ciuitatis ſuæ reperiret ibi difficile,& ambiguum iudicium,& condemnaretur, & immediate cauſa deuolueretur ad ſummum ſacerdotem non comparendo coram alio iudice inferiore,& qui condẽnatus eſſet in ciuitate ſua rurſus condemnaretur à ſummo ſacerdote, & obedire nollet, etiã mori debebat, nihil ergo magis iudex iſte de quo hic dicitur haberet quã iudices alij, qui eſſent in ciuitatibus, & oppidis, vel quibuſcunq; municipiis, ſi ponatur eſſe ſubordinatus alteri iudici, ſcilicet, ſacerdoti magno: ponendo autem eum eſſe vicariũ ſacerdotis magni non militabunt iſta argumenta,quia erit aliquid ſpeciale in eo contra omnes alios iudices municipales,quia ab aliis poterat appellari, & ſic licet non ſtaretur mandato eorum, non erat pœna mortis: à vicario tamen ſacerdotis magni non poterat appellari ad ipſum ſacerdotem magnum, cum idem eſſet cõſiſtorium vicarij ſacerdotis magni, & ipſius ſacerdotis magni: & ſic ponit litera pro æqualibus, & eſt tunc propoſitio iſta copulatiua ſic intelligenda, quicunq; non obedierit mandato ſacerdotis ſummi morietur. *Et auferes malum de Iſrael.* Id eſt, occaſionem mali, quia ſi aliquis homo talis viuere permitteretur, omnibus aliis daretur exemplum ſimilia audendi, & hoc ſignificat litera ſequẽs cum dicit, cunctus populus audiens timeat, & nullus deinceps intumeſcat ſuperbia: vel dicitur, auferes malum de Iſrael,id eſt,quod talis homo dato,quod aliis occaſionem non præberet ad malum, quia tamen in ſe malus erat, cum tale ſcelus commiſiſſet, indignus erat vita. *Cunctus populus audiens timebit.* Pœna enim infligitur male agentibus propter duo, ſcilicet, vt ipſi pereant, & vt alij ſimilia non faciant, & magis fit ad aliorum correptionem quam ad huiuſmodi deſtructionem, patet quia iudex, & lex in diſtributione pœnarum, intendunt vtilitatem publicam, ſed maior vtilitas communitatis eſt, quod alij pœna iſtius à ſimilibus arceantur, quam vt iſti occidantur. Boetius tamen de conſolat.libr.4.Proſa 4. ponit alium modum punitionis reorum, ſiue finem,ſcilicet, vt feliciores, vel ſaltem non ita mali ſint, cum malum culpæ fuerit ordinatum per bonum pœnæ cum dicit,feliciores, inquit, eſſe improbos ſupplicia luentes quam ſi eos nulla iuſtitiæ pœna coerceat: nec nunc molior, quod cuiuis veniat in mentem corrigi vltione prauos mores, & ad rectum ſupplicij terrorem deduci, cæteris quoque exemplum eſſe culpanda fugiendi,ſed alio quodam modo infeliciores eſſe arbitror improbos impunitos, tam & ſi nulla ratio correptionis, & nullus reſpectus habeatur exempli, & declarat poſtea ipſe iſtum modum, ſcilicet,quod culpa diminuatur per pœnam, & reducatur ad rectitudinem. *Cum ingreſſus fueris.* Hic ponitur tertium, ſcilicet, conditiones regum, & ponuntur duo, ſcilicet, conſtitutio: deinde conſtituti ordinatio ibi. *Cumque fuerit.Et dixeris conſtituam ſuper me regem, ſicut habent aliæ nationes.* Et hoc patet, quod conſtitutio regis erat ex importuna petitione populi. *Conſtitues eum.*

B *Pœna male agentibus propter duo infligitur*

C *Conditiones regum.*

An iſtud de conſtitutione regum ſit mandatum obligans,vel permiſſio. Et quis principatus cenſeatur melior.

QVÆSTIO VII.

NON eſt hoc mandatum, ita quod Iudæi tenerentur conſtituere regem, ſed eſt permiſſio, & permiſſio eſt duplex,quædam de minori bono reſpectu maioris,ſicut matrimonium eſt ſecundum permiſſionem, vt habetur prima ad Corinth.7.cap. vnuſquiſq; vir ſuam vxorem habeat propter fornicationem,& vnaquæque mulier ſuum virum,ſubdit,hoc ſecundum indulgentiam dico non ſecundum imperium, quia volo vos omnes eſſe, ſicut ego ſum, conſtitutio autem regis non permittitur iſto modo, quia tunc non eſſet peccatum,ſicut nec matrimonium,vt patet 1.Corinth.7.qui virginem matrimonio iungit bene facit, ſed qui non iungit melius facit, ſed conſtituere regem Iudæis magnum peccatum fuit,vt patet 2.Reg.12.cap.quia Deus dixit,quod petendo regem, eum abiecerant ne regnaret ſuper eos, vt patet 1. Reg.8.cap. Et tamen, quia ſciebat Deus populum iſtum petiturum regem, poſuit conditiones regis regulans eos in reges mali eſſent, ne totale malum accideret: magna enim regulatio neceſſaria eſt in rege cum caput ſit, & ſi ægrotat cætera neceſſe eſt perire, vt patet de Roboam qui induxit Iſrael ad colenda idola, vt patet 3. Reg. 12. & 13. cap. Ideo rex poni non debet niſi virtuoſiſſimus ſit, quia periculoſiſſimum eſt omnia vni committere,vt ponit Philoſophus ſecundo Politicorum circa finem. D

Sed argues contra hoc, quia non videtur eſſe peccatum conſtituere regem ſuper ſe:nam in omni communicatione plurium hominum oportet eſſe aliquam politiam, id eſt, ordinationem ſecundum quam vnus ſe habeat ad alios, quod ergo aliquis populus eligat aliquam politiam optimam non eſt culpabile,immo valde eſt laudabile,ſed inter politias nulla melior eſt quam Monarchica regalis, vt probat Ariſt.in 8. Ethic. & in 3. Polit. quia tres ſunt bonæ, ſcilicet, Monarchia regalis, & Ariſtocratica, & Timocratica,aliæ tres ſunt malæ, ſcilicet, Tyrannica, & Oligarchica, & Democratica. De tribus autem bonis melior ponitur eſſe Monarchia regalis, etiam patet hoc, quia principatus ſunt meliores in quantum ſunt minus ſeditioſi, ſed nullus principatus eſt minus ſeditioſus quam Monarchicus regalis, quia vnus non poteſt diſcordare à ſeipſo, plures autem etiam ſi virtuoſi ſint diſcordant interdum:quia quot capita,tot ſenſus.

Itẽ ille eſt melior principatus qui magis aſſimilatur principatui naturæ, cum principatus naturæ ſit imperuertibilis, quia nunquam errat,vt ait Ariſt.in 12. Metaph. entia nolunt male diſponi, id eſt, res naturales nolunt male ordinari, ſed in natura eſt principatus Monarchicus,vt patet in fine eiuſd. 12.Metaph.in vltima propoſitione,vbi concludit Ariſtot.dicens mala eſt pluralitas, bonus eſt ergo princeps vnus, ergo principatus regalis, qui Monarchicus eſt, ſicut principatus naturæ, optimus eſt, & illi qui elegerint talem principatum non peccabunt. E

Reſpondebit forte aliquis, quod licet iſte principatus ſit in ſe optimus, eſt tamen nimis periculoſus, quia difficile eſt committere omnia vni viro,vt ait Ariſt.in fine 3.Politic.nam voluntas humana malus canon eſt, vt patet in 9. Ethic. maxime, quia iſti reges non aſſumũtur per virtutis electionem, ſed per ſucceſſionem, & ſic contingit interdum regnare peſſimum virum, & totas deſtruere politias. Et ob hoc Ariſtot. concludit in 3.Politic.quod in ciuitatibus non deberent eſſe principatus regales Monarchici, ſed principatus Democratici, licet Democratia mala politia eſt ſecundum ſe, cum in ea inopes, & indocti, & quicunque homines dominentur, qui tamen naturaliter diſpoſiti ad ſeruiendum erant:non eſt tamen politia ſeditioſa, quia tota poteſtas manet apud populum,& omnes æquales dominantur,ſiue per æqualia tempora, ſiue ſecundum principatus ſortiales,qui ergo accipere vellet principatum regale, videbatur ſe committere diſcrimini accipiendo id,quod periculoſum eſt,ergo peccaret populus iſte in accipiendo principatum regnatiuum. F

Reſpondetur ad hoc, quod ſi accipere principatum regalem eſſet accipere principatum periculoſum, & accipiendo Ariſtocraticum,vel Democraticum,aut quemlibet aliũ eſſet accipere principatum perfecte bonum, & nullo modo periculoſum,peccatum eſſet accipere principatum regalem,quia erat committere ſe periculo. Accipiendo tamen quemcunq; principatum eſt accipere aliquid periculoſum, vel ſeditioſum, aut habens aliquas imperfectiones, ideo quod accipiat iſtum, vel illum non videtur eſſe peccatum.

Item ſi habere principatum regnatiuum eſſet peccatum, quandocunque aliquæ politiæ vellent recedere à principatu regnatiuo,eſſent gratæ Deo:nam gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente magis quam ſuper nonaginta nouem iuſtis,qui non indigent pœnitentia,vt patet Luc.15. cap. quanto magis gaudium erit ſuper omnibus habitantibus in aliqua ciuitate,quando ſimul cõuertantur? ſed Deus non acceptat eos qui recedũt à principatu regnatiuo: ergo habere talem politiam, aut principatum non eſt peccatum, patet antecedens, quia quando Samuel prædicauit coram Iſraele denunciando eis peccata ſua,vt patet 1.Reg.12.c. ipſi Iſraelitæ voluerunt dimittere regem, & tamen Samuel Propheta Domini ex parte Dei mandauit eis, ne dimitterẽt regem ſuum, & patet, quod hoc dixerit ex voluntate Dei, quia ad conteſtationem eorum quæ dicebat, fecit miracula,

A

vt patet ibidem in litera, ſcilicet, emittere tonitrua, & pluuias magnas immediate, vt petiuit, & tamen ibi mandauit, vt manerent cum rege ſuo, ſi tamen malum fuiſſet habere regem, Deus non mandaſſet, vt duraret maxime ipſis volentibus retrocedere.

Item argumentum illud quod fiebat, ſcilicet, quod principatus Monarchicus ſit periculoſus, ideo quod accipere illum ſit quodammodo peccatum, non militabat aliquo modo contra hoc, nam Iudæi etiam antequam eſſent ſub principatu regali eo modo, quo poſtea habuerunt, ſemper fuerunt ſub principatu Monarchico, à die qua exierunt de Ægypto: nam exeuntibus eis de Ægypto rexit eos Moyſes vſq; ad quadraginta annos quamdiu manſerunt in deſerto, & iſte aliquo modo vocatur rex, vt patet 33. cap. cum dicitur, & erit apud rectiſſimum rex, & vocatur rectiſſimus Iſrael, ſicut infra declarabitur.

Et non valet ſi arguas, quod non ſolum regebat Moyſes, ſed etiam ſeptuaginta Seniores, vt patet Numeri vndecimo capitulo, & etiam tribuni, & centuriones, & quinquagenarij, atque Decani regebant populum, vt patet Exodi decimo octauo capitul. ſic enim inſtituit populum Ietro ſocer Moyſi. Nam iſta non tollunt principatum Monarchicum, quia Monarchicus princeps eſt, quando vnus eſt qui omnia regit. Si autem poſtea non potens per ſe dirigere immediate omnia, habeat alios coadiutores, quos ipſe ponat, & illi regant ſecundum mandata ſuſcepta ab eo, non tollitur Monarchia: nam agens principale eſt ipſe qui imperat, alij autem ſunt veluti quidam inſtrumentaliter agentes, ſiue magis miniſtri, quod ſatis patet de tribunis, & centurionibus, & quinquagenariis, atque Decanis: quia iſti ſolas paruas cauſas miniſtrabant iudicantes in eis, quando tamen aliquid magnum occurrebat, referebant ad Moyſen, vt patet ſupra primo capitulo, & Exodi decimo octauo capitul. de ſeptuaginta ſenioribus, idem patet, quia iſti ſolum eligebantur, tanquam quidam coadiutores Moyſi in his, in quibus non poſſet Moyſes ne tantum vexaretur, vt patet Numeri vndecimo capitulo, tenuit ergo Moyſes in Iſrael principatum Monarchicum, & poſt hunc tenuit eundem principatum Monarchicum, Ioſue, qui ſolus imperabat in Iſrael, vt patet per totum Ioſue, & multoties in iſto libro, vt ſupra quarto capitulo, & infra trigeſimo primo, & Numeri vigeſimo ſeptimo, & poſt hunc iudices qui in Iſrael fuerunt, tenuerunt conſequenter principatum Monarchicum ſecundum tempora ſua, de quibus in libro Iudicum, ſic etiam patet primo Regum duodecimo capitulo, cum dicitur, & miſit Dominus Hieroboal, & Badan, & Barach, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum, non ergo peccabant aliquo modo Iudæi petendo principatum Monarchicum, quia ſemper illum tenuerant, ſed peccabant volentes principatum regalem, nam licet omnes Monarchæ qui mali non ſunt, reges vocari poſſint largo modo: tamen reges, ſicut nos accipimus ſtrictius, eſt aliquid eſſe quam Monarchas, quia Monarcha eſt quicunque vnus princeps, ſiue malus, ſiue bonus: nam & tyrannus Monarcha eſt, rex autem ſecundum Philoſophum in 8. Ethicorum, eſt qui in omnibus ſufficiens eſt bonum ſuum non appetens, ſed quod ſubditorum: Tyrannus autem econtrario. Sacra ſcriptura non accipit ſic regem, ſed pro eo qui accipit iura regalia, ſiue bonus, ſiue malus ſit, quod iſto modo magis eſt eſſe regem, quam eſſe Monarcham, quia multi Monarchæ nulla fere iura à ſubditis recipiunt, & iſto modo Moyſes licet fuerit Monarcha Iſrael, non tamen fuit proprie rex eius, quia nulla iura accipiebat, & ipſe Samuel erat Monarcha Iſrael, vt patet primo Regum duodecimo capitulo, vbi ipſe ponitur vltimus inter iudices miſſos ad regendum Iſrael, & tamen in principio eiuſdem cap. ponitur, quod Samuel nihil vnquam recepit ab aliquo de Iſrael, cum dicitur: ecce præſto ſum loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, an aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquid, ſi de manu cuiuſquam minus accepi, & contemnam illud hodie reſtituamque vobis, & tamen ponebatur primo Regum octauo capitulo, quod non erat ſic de regibus, quod multa iura accipere debebant, non ergo iſti reges, ſed ſolum Monarchæ. Cum autem Iudæi regem petierunt, non petierunt regem ſimpliciter, id eſt, aliquem Dominum, vel rectorem, quia hoc iam erat, ſed petebant dari ſibi regem ſub illis conditionibus, ſicut apud alias gentes erat, & hoc patet primo Regum octauo, cum dicitur: conſtitue nobis regem qui iudicet nos, ſicut vniuerſæ habent nationes, id eſt, taliter qualiter aliæ gentes habent, taliter nos volumus habere, ſed aliæ gentes ſub iſta conditione habebant, ergo ſic petebant Hebræi habere, quod autem peccauerint Iudæi petendo regem patet primo Regum duodecimo capitulo, cum dicitur, & videbitis, quod grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, vt petieritis vobis regem.

D

Reſolutio totius quæſt.

Dicendum ergo, quod habere politiam regnatiuam nullo modo eſt peccatum, cum ſit quædam bona politia, Iudæis tamen peccatum erat petere poteſtatem regnatiuam, quia ſciebant ſe agere contra voluntatem Dei, & in hoc abiiciebant à ſe Deum qui eis ante regnabat, vt patet 1. Regum 12. cap. & fiebat hoc modo, quia antequam ipſi peterent regem gubernabantur per ſacerdotes, vt patet de Samuele qui tunc regebat, & de Heli ſacerdote qui ante hunc rexerat, & filij Samuelis tunc patre iam ſeneſcente regebant, vt patet primo Regum octauo, & duodecimo ca. nunc autem petebant ſuper ſe regnare viros ſeculares, quales erant reges quos poſtea habuerunt, & ſicut Deus magis colitur à ſacerdotibus quam ab aliis quantum eſt ex natura officij, ita ipſi Iudæi ſi eſſent ſubditi eſſent minus colentes Deum, quia ſubiiciebantur talibus hominibus, quam ſi ſubiicerentur ſacerdotibus: nam habendo reges ſatis ipſis erat hominibus occupari in ſeruitio regum non curando de ſeruitio Dei, & hoc ſeruitium Dei vix complebatur: volendo ergo accipere reges aliquo modo volebant non ſubditos eſſe Deo, & quantum ad hoc fuit peccatum, cæteris autem gentibus, nec peccatum erat regem petere, nec regem habere.

Princeps Monarchicus quis dicatur.

Deus magis colitur à ſacrdotibus quã ab aliis.

B

E

Conſtitues eum quem Dominus elegerit. Deus enim nolebat eos regem habere, ſed quia ipſi importune petebant, conceſſit eis, non tamen quem ipſi vellent, ſed quem Dominus dediſſet, ideo primus rex, ſcilicet, Saul per Deum electus eſt, vt patet 1. Regum 9. cap. in aliis regibus ſequentibus erat regula, quod primogenitus ſuccederet, niſi Deus alium elegiſſet, vt patet in Dauid, quia mortuo Saul Iſboſeth filius eius maior de manentibus regnare debuiſſet, ſed quia Deus elegit Dauid vngendo eum in regem, vt patet 1. Regum 16. cap. ideo ipſe regnauit.

De medio fratrum tuorum. Ita, quod nullus de alienigenis regnare poſſet, ne induceret eos ad idololatriam, ideo ii aliquis de extraneis demonſtraret ſe eſſe electum à Deo, vt regnaret ſuper eos, etiam ſi Propheta diceret, non eſſet credendum ei, ſicut Prophetæ qui dicit Deos alienos eſſe colendos, vt patet ſupra 13. cap. nec etiam poterant facere regem aliquem gentilem conuerſum ad Iudaiſmum, vel aliquos de poſteritate ſua, quia non vocabantur iſti fratres Iudæorum, ſed aduenæ, vel peregrini, vt patet Leuit. 25. cap.

C

Rex quid ſecundũ Philoſophũ, & ſecundũ ſacras literas Magis eſt eſſe regem, quam eſſe Monarcham.

Cumque fuerit conſtitutus. Hic ponitur ſecundum de inſtituti vita, & ordinatione.

F

De inſtituti regis vita, & ordinatione.

Non multiplicabit ſibi equos. Ne confidat in bellis in multitudine, & fortitudine equorum, quia fallax equus ad ſalutem, & in abundantia virtutis ſuæ non ſaluabitur. Pſalm. 23. Et ne erigatur in ſuperbiam, & velit premere populum ſeruitute, ſicut fecit Salomon, qui impoſuit grauia onera tributorum, vt patet 3. Reg. 12. ca. & hoc, quia gloriabatur in multitudine fortitudinis ſuæ, & equorum, vt habetur 2. Paralip. 9. cap. & 3. Reg. 10. habuit enim quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum, & equitum duodecim millia.

Nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſubleuatus. In Hebræo habetur. *Nec reaucet populum in Ægyptum ad multiplicandum equos.* Et eſt ſenſus, quod non mitteret rex aliquos de terra ſua in Ægyptum ad emendum equos, quia in hoc videbatur negligi beneficium Dei educentis eos de Ægypto, ſi iterum illuc irent, & propter hoc mandauit Deus, vt nunquam per viam qua nunc veniebant, redirent, ſecundum literam noſtram eſt ſenſus, quod non faciat rex ire populum in Ægyptum ad pugnandum, quaſi acquiſiturus terram illam confidens in multitudine equorum, vel quod rex ſubleuatus in ſuperbiam non cogeret tantum in ſeruitutem populos, quod cogeret eos fugere in Ægyptum, & in hoc peccauit valde Salomon, quia mittebat negociatores in Ægyptum, vt inde adducerent equos, vt patet 3. Reg. cap. 10.

Si au-

A Si autem arguatur de Vria Propheta qui fugit in Ægyptum, vel de Hieremia qui descendit in Ægyptum.

Respondetur, quod isti coacti fecerunt. Vrias timebat regem Iuda, & fugit, & post rex Iuda fecit eum adduci de Ægypto, & occidit eum, vt habetur Hierem. ca. 26. Hieremias autem licet prophetasset, quod omnes qui descenderent in Ægyptum ibi perirent, vt habetur Hierem. 42. cap. tamen ipse descendit cum eis, vt doceret eos ne declinarent ad culturam idolorum, & ibidem lapidauerunt eum, quem Ægyptij honorifice sepelierunt, quia quædam mirabilia eo viuente ibi facta fuerant. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere.* Gentiles erant alteræ gentes à Iudæis, ideo de illis neminem in regem constituere debebant, quantumcunque eis bonus videtur: nam nullus homo qualiacunque ageret, bonus esse poterat, qui Deum verum non coleret conuersus ad vanitatem simulacrhrorum, in quorum cultu suprema malitia cõsistebat, sic enim vocatur præcedenti cap. res scelestissima ipse cultus idolorum, tanquam nihil aliud peius esse posset, & satis patet, quia vt ait Arist. in 8. Ethic. optimo id quod pessimum est opponitur, scilicet, pessimus habitus optimo habitui, & pessimus actus optimo actui, cultus autem Dei veri optimus actus est, ideo cultus idolorum pessimus actus est, nullus ergo gentilis bonus esse poterat, qui in optimo actu deficiebat non ergo erat aliquid propter quod Iudæis videri posset aliquis gentilis in regem eorum eligendus, maxime

B quia in electione talis regis maximum periculum consistebat, scilicet, quod per plenitudinem potestatis cogeret omnes Iudæos ad colenda simulachra, & deserendas patrias leges, & cæremonias sanctas, & hæc erat maxima peruersitas, peccabant ergo Iudæi quandocunq; hominem alterius gentis in regem accipiebant, siue ex mera voluntate sua, siue propter aliquas conditiones pacis.

An tempore Machabæorum Romani imponerent Iudæis regem Romanum. Et quid etiam tempore Christi.

QVÆSTIO VIII.

ET si arguas de Machabæis qui viri iusti erant, & tamen obediebant Romanis, vt patet multotiens in primo Machabæorum.

Respondetur, quod Machabæi non obediebant Romanis sed erant amici eorum ad compugnationes, & sic erat quædam æqualitas, sicut requiritur in amicis, vt patet in octauo Ethicorum, & hoc apparet, quia ipsi Romani in literis suis Iudæos amicos vocabant, vt patet 1. Machab. cap. 8. vbi Iudas cum eis constituit amicitiam, & capitul. 13. vbi eam frater eius Ionathas renouauit, & 15. cap. vbi super eandem rescriptum est.

C Sed adhuc dato, quod subiecti essent Machabæi Romanis, tamen non ponebant super se aliquem regem Romanum. Tempore autem Christi hoc fuit in Iudæis, quia tunc præsidebat Herodes rex tetrarcha Galilææ, & hoc peccatum fuisset si ipsi constituissent eum, sed non constituerunt, sed potius Romani violenter imposuerunt eis illum regem, & alios duos tetrarchas, scilicet, Philippum fratrem Herodis, qui erat tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lisanias erat tetracha Abilinæ. Posuerunt eis etiam vnum præsidem Iudææ, scilicet, Pontium Pilatum, ita quod totam Iudæorum terram diuiserunt Roman. 4. principibus, vt patet Luc. 3. cap. in principio. Sicut autem Iudæi non poterant accipere reges de gentibus, quæ nullo modo attinebant ad genus eorum, scilicet, de Chananæis, & Ægyptiis, Babyloniis, cæterisque similibus, ita non poterant accipere de gentibus, quæ aliquo modo attinebant ad genus suum, scilicet, de Ismaelitis, & Idumæis, & filiis Cethuræ, & Ammonitis, atque Moabitis, siue Amalechitis, quia omnes istæ gentes pertinebant ad stirpem Abrahæ, erant tamen idololatræ, ideo eos in reges accipere non poterant, quia semper idem inconueniens, scilicet, quod talis rex induceret eos, aut potius cogeret ad idololatriam, vt patet de Ieroboam qui quamuis non esset gentilis, quia tamen rex erat, & malus, induxit populum ad colendum idola ponens duos vitulos, vnum in Dan, & alium in Bethel, vt patet 3. Reg. 12. cap.

Qui non sit frater tuus. Hic ponitur, quia putaret aliquis de Iudæis, quod licet non deberent eligere reges de gentilibus, poterant tamen eligere eos de conuersione de gentilitate. Et videtur esse ratio huius, quia ratio propter quam vetabatur eligi rex de gentilibus, cessat hic, scilicet, timor de reducendo Iudeos ad idololatriam, cum iste iam ad Iudaismum conuersus sit.

Respondet litera, quod non poterant etiam de conuersis de gentilitate reges facere, sed de fratribus suis Hebræis, & ratio triplex videtur esse.

Prima quia licet conuersus de gentilitate Deum colat, non tamen, ita vt non communiter sunt firmati in fide & cultu Dei illi qui nouiter conuersi sunt, sicut illi qui sunt ab antiquissimis temporibus, vtpote quia patres eius tales nati sunt, & sic adhuc aliquale periculum esset, ne iste afficeretur ad prioris cultus errorem, non ergo debebat assumi in regem, & sic dicit Apostolus ad Timoth. 1. cap. 3. quod oportet Episcopum non neophitum esse, id est, non nouiter conuersum ad fidem, & hoc, vel quia in fide firmatus non est, vel quia adhuc circa ea, quæ fidei sunt, indoctus est.

Secunda ratio est, quia si aliquis de conuersis ad Iudaismum posset eligi in regem, cum quilibet homo naturaliter afficiatur ad agnatos, & iste haberet aliquos cognatos, vel parentes in gentilitate manentes, faceret eos secum communicare principatu præponens eos Iudæis, quod ad magnum improprium redundabat Iudæorum.

Tertia ratio est, quia habere principatum regalem magnus honor erat: Deus ergo volebat istum honorem dare populo suo Israeli, quem à principio elegerat, & non gentilibus qui aduenæ erant, & proseliti respectu illius populi: etiam quia si eligeretur aliquis de conuersis ad Iudaismum in regem, cum isti conuersi aliqualiter odiosi essent Iudeis, quia non participant totaliter eisdem legibus, & quodammodo grauabantur magis conuersi quam ipsi Iudæi, vt patet Leuit. 25. cap. vbi dicitur de anno remissionis, & Iubileo, & magis declarauimus supra 15. ca. premeret multum iste rex Iudæos, vt ergo non premeret, non fiebat rex: patet hoc in aliis priuatis personis, nam cum aliquis Iudæus vendebatur alicui conuerso de gentilitate, magis premebat eum, quam si esset in potestate alicuius Iudæi, vt patet Leuit. 25. cap. cum dicitur, non affliget eum violenter in conspectu tuo, & ad hoc mandabat, quod si quis emere vellet, vel potius redimere eum Hebreum quem aliquis conuersus ad Iudaismum emisset, poterat eum redimere, ne affligeretur in manu illius alienigenæ, & hoc satis notatur cum dicitur hic. *Qui non est frater tuus.* Nam soli Hebræi qui erant de genere Iacob inter se vocabantur fratres, alij autem conuersi nunquam vocabantur fratres nec Hebræi, sed aduenæ, aut peregrini, siue proseliti, vt probauimus supra 15. cap.

D *Præsertim cum Dominus præceperit vobis nequaquam amplius per eandem viam reuertamini.* Vbi autem Dominus præceperit ne redirent in Ægyptum per eandem viam non habetur, sed satis manifestum est, ex aliquando mandatum fuerit, cum hic dicatur mandatũ fuisse, nolebat Deus Iudæos aliquo modo reuerti in Ægyptũ, quia cum eis maximum beneficium egisset liberando eos de illa durissima seruitute per signa, atque portenta, & extentum brachium, volebat vt illud beneficium eis semper præ oculis esset, patet supra 16. cap. cum dicitur, vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omni tempore, & non solum volebat, vt reminiscerentur se fuisse liberatos de Ægypto, sed etiam, quod existimarent seruitutem Ægyptiam fuisse maximum malum, & quandocunque recordarentur Ægypti apprehenderent illam tanquam aliquid horribile, & valde malum, vt sic magis diuinum beneficium laudabile esset, & hoc patet in representatione quæ fiebat per comestionem panis azymorum, qui erat panis afflictionis, vt sic se afflictos ibi fuisse recolerent sic dicitur præcedenti cap. septem diebus absque fermento comedes afflictionis panem, quia in pauore egressus es de Ægypto: si enim Hebræi reuerterentur in Ægyptum, vel aliqui eorum, & ibi non affligerentur, sed aliqua prospera euenirent eis, non apprehenderent Ægyptum tanquam aliquid malum, & trisabile, sed tanquam aliquid delectabile satis, & sic recordatio illa non moueret eos ad congratulandum inter se, & referẽdum gratias Deo, tanquam liberatio illa non fuerit aliquod magnum bonum, cum Ægyptus non esset aliquid malum,

E

F

qui

A qui autem Ægyptum nũquam intrasset, cum isti libri Moysi frequenter repetant illam liberationem tanquam aliquid magnum, & Ægyptum tanquam aliquid durum, sic concipiebant, & mouebantur ad regratiandum suo liberatori, nõ ergo debebant Iudęi descendere in Ægyptum, nec aliquis de eis, quia in hoc innuebatur cultus Dei, & ista est ratio fundamentalis, licet aliquæ aliæ sint apparentes. Ex hoc patet aliquid, quod est satis notabile, quod interdum multorum cognitio quæ in se mala non erat, est nobis mala, quia interdum ea quæ antequam cognoscerentur magni pendebantur, postquam cognita sunt nulli penduntur, & quæ in reuerentia magna ante habebantur, iam contemni incipiant, quod tamen circa diuina non conuenit quæ in magna reuerentia haberi debent, ideo sæpissime quibusdam circa misteria Dei melius est ignorantes esse quam scientes, cum ipsa eos ignorantia humiles reddat, scientia autem inflet, vt patet prima ad Corinth. 8. cap.

Nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non est intelligendum, quod hic Deus mandauerit, ne redirent Iudæi per viam per quam venerant, scilicet, per deserta Arabica, & viam maris rubri, & quod concederet redire in Ægyptum per aliquam aliam viam, scilicet, per viam terrę Philistin quę erat via vicinior, vt patet Exod. 13. cap. sed mandauit, quod nõ redirent in Ægyptum, siue per eandem viam, siue per alteram, & vocat eandem viam, id est, viam Ægypti per quamcunque partem illa sit, & patet, quia non erat aliqua causa quare si Deus concederet eos posse reuerti in Ægyptum negaret reuerti per illam viam, immo magis videbatur esset meritorium redire per illam viam, quam per aliam, quia in illa via multa bona susceperat Israel à Deo miraculose, scilicet, directionem in columna ignis, & nubis, & manna de cęlo, & aquam de petra bis, & legem in Synai, & dulcoratione amarę aquæ in Marath, & similia, de quibus in processu Exodi, & libri Numerorum, redeundo autem per istam viam fieret commemoratio beneficiorum diuinorum, ex quibus Deo laus insurgebat, eundo autem per alteram viam non sequeretur hoc: non ergo prohiberet Deus id quod virtuosum est, sicut est valde deuotum visitare loca sanctorum.

B

Item non oportebat hoc vitare, quia cum iter illud per quod venerunt Hebræi de Ægypto sit valde circulatum atq; distortum, ita vt nunc ascenderent ad orientem, & nunc declinarent ad aquilonem, nunc ad occidentem deflectebant, vt patet supra 2. cap. & Exod. 13. cap. via autem illa quæ erat per terram Philisthin erat valde breuis, vt patet Exod. 13. ergo quicunq; in Ægyptum ire vellet, non est verisimile, quod iret per viam Arabiæ deserti ad mare rubrum per quam venerant, sed per terram Philisthinorum.

Item nullus ire vellet per illam terram, quia illa inuia est cum habitata non sit, nec scirent ambulare sine via per deserta illa, & ob hoc Deus dabat Hebræis nubem columnarem præcedentem quæ derigeret: cum ipsi iter nullum conspicere possent, nec aliquæ aliæ gentes per illam terram ambulabant, sic dicitur Iudic. 3. cap. quod Deus ostendit viam Israelitis in deserto, per quam non ambulauerat homo, nullus ergo tunc de Iudæis per illam ire sciret viam, cum non haberet columnam ignis, & nubis præcedentem.

C

Item nullus de Iudæis aliquo modo ire posset per illam viam, quia non erat habitata ab hominibus, ita quod ambulantes per eam aliqua solatia ab hominibus susciperе possent, nec accipere aliquam necessitatem, scilicet, cibos, aut potus: nullo modo ergo per illam viam transire possent, & ob hoc Deus dedit Iudęis in deserto manna cęlestem cibum, quia humanitus nullum cibum habere poterant, nunc autem nullus putaret sibi esse dandum manna, quia nec videbatur esse locus, aut necessitas faciendi tale miraculum, ergo per talem viam non iret.

Item ad transitum in Ægyptum per deserta Arabica sequendo istam viam, necesse erat transire mare rubrum, vt patet per transitum Iudæorum, quia ipsi coacti sunt transire mare rubrum transeuntes per illam viam, & dixit Pharao, vt patet Exod. 14. coarctati sunt in terra, & concluſit eos desertum, postea vero diuiso mare potestate Dei transierunt, nullus tamen postea auderet talia aggredi, ergo nec iret per illam viam.

Item quia illa via erat carens aquis & plena serpentibus, vt patet supra 8. cap. cum dicitur: & ductor fuit tuus in solitudine magna, atq; terribili, in qua erat serpens flatus adurens, & scorpio, atque dipsas: & nullo omnino aquæ, qui eduxit riuos de petra, &c. nullus autem auderet tali se opponere discrimini: ergo nec istam vnam quispiam tenere vellet. Etiam manifestatur magis quod hic non intendat vetare regressum per hanc viam, sed totaliter regressum in Ægyptum: quia istud ponitur ad probandum superius dictum, scilicet, cumque fuerit constitutus non multiplicabit sibi equos: nec reducet populum in Ægyptum: ergo istud dictum non debet probare quod non esset redeundum per talem aut talem viam, sed quod non esset redeundum in Ægyptum, cum supra de via nihil dictum fuerit: quod autem hic probetur superius dictum patet ex modo inchoationis literæ, scilicet. *Præsertim.* Cum Dominus præceperit vobis, &cæt. Ista dictio præsertim semper est ad probandum, & refertur ad superiora: concludendum ergo est quod hic mandat Deus ne Iudæi omnes, vel aliqui de Iudæis reuertantur in Ægyptum, siue per viam per quam venerunt, siue per aliam quamcunque ex rationibus supra assignatis.

D

Non habebit vxores plurimas quæ illiciant animum eius. Vocantur vxores plurimæ non duæ vel tres, vel in aliquo numero paruo, sed in valde magno: nam sancti patres plures vxores habuerunt, vt Iacob habuit quatuor simul, scilicet, Liam, Rachelem, Balam, & Zelpham, vt patet Genes. 29. & 30. cap. Et Dauid sex vxores habuit, & decem concubinas: de vxoribus patet per multa loca, de concubinis habetur 2. Regum 15. cap. Salomon autem multum peccauit in pluralitate vxorum, quia habuit vxores quasi reginas septingentas, & concubinas trecentas, vt patet 3. Regum 11. capitul. habuit etiam adolescentulas, quarum non erat numerus, vt patet Canticorum sexto capitulo. Licet in hoc sit diuersitas quædam in litera libri Regum, & Canticorum: quia in libro Regum ponuntur septingentæ reginæ & trecentæ concubinæ: & in litera Canticorum ponuntur reginæ sexaginta de quo magis dicetur 3. Reg. 11. cap. ibi vide.

Iacob quot habuit vxores.

E

Quæ illiciant animum eius. Multitudo vxorum tam effrenata non est ad officium generandi, sed ad varias carnis illecebras: & quia multæ sunt ad quas accessum vir habere non poterit, ipsæ variis laborant incitamentis ad prouocationem carnalis illecebræ: & in hoc Salomon valde defecit, quia variis actibus, & incitamentis ad ętatis suę annum vndecimum genuit: vt ait Eusebius in chronicis, & Lucas Tuden. vel *Quæ illiciant.* Scilicet, ad idololatriam, quando fuerint alienigenæ & sic peruerterunt cor eius, vt in senectute idola coleret, & templa diis multis ædificauerit: de quibus tertio Regum vndecimo cap.

Nec auri & argenti immensa pondera. Ne cupiditate habendi spoliet subditos populos, vel ne de diuitiis glorietur. In hoc errauit Salomon quia populum multis tributis premebat, vt diuitias congregaret, vt patet 3. Regum 12. cap. & insuper reges terræ dabant ei aurum & argentum: & ipse mittebat negociatores in Ophir, & in Tharsis, & inde adducebant aurum & argentum supra modum, vt habetur 3. Regum 9. & 10. cap. & 2. Paralip. 8. & 9. capitul. *Nec auri & argenti immensa pondera.*

F

An liceat regibus thesaurizare, & immensa auri pondera habere. Et an liceat hominibus priuatis thesaurizare.

QVÆSTIO IX.

REGIBVS aurum habere licet ad nobilitatem regalem ostentandam in vasorum preciositate, quia regibus licitum est solennius ministrari in vasis preciosis auri, & argenti, ornatis lapidibus preciosis magis quam aliis hominibus. Nam ipse splendor vestium regalium, & totus regius apparatus, si virtuose dispensetur, melius est vt fulgeat in magna excellentia, quam vt sic reges rusticano more, & plano viuant, vt cæteri homines: valde enim conuenit ad statum politicum, nam cum rex sit princeps totius politiæ, si in magna reputatione teneatur, obseruabũtur eius mandata: si vero contemnatur, spernuntur quoq; mandata eius, quod pessimum est: quia sic tota disciplina politica eneruatur: quod

tamen

A tamen rex sit in magna reuerentia si virtuosus est, qui rerum merita sunt secundum seipsa, sed ex appositis iudicant, visis talibus apparatibus illud aliquod magnum atque reuerendũ estimabunt, & hoc vult Boetius de consola. lib. 4. prosa 5. cũ de omnibus partibus secularis fortunę dixerit, subdit quod istę aliquo modo prosunt virtuoso scilicet sic enim clarius testatiꝰsque sapientię tractatur officium cum in contingentes populos regentium quodammodo beatitudo transfunditur. Secunda ratio est necessitas expensarum quotidianarum, & potissime cum bella ingruant: quia oportet multa expendere, ad quod reges thesauros de redditibus suis facere debẽt: ne cum necessitas subitanea ingruerit, cogatur hęc omnia à suo populo exigere: quia sic forte nimis populi premerentur: magis ergo vituperabile est in rege quod non faciat thesauros, quam quod faciat thesauros. In cęteris homi nibus priuatis facere thesauros nõ habet speciem boni, quia videtur esse quodammodo ex auaritię fomite, reges autem non sunt personę priuatę sed publicę intendentes bonum politiarum, & non bonum suum: vt ait Arist. 8. Ethic. sicut ergo quod aliqua communitas habeat thesauros de redditibus publicis ad necessitates suas est rectissimus ordo politicꝰ: & illa politia quę nõ de bonis propriis ipsius communitatis sed omnia necessaria de bonis ciuium exigit, est male ordinata, vt ait Aristo. in 2. Politio. in fine cap. de Politia Lacedęmoniorum: ita rex qui facit thesauros de redditibus suis

B ad necessitates suas vel totius regni, quales sunt necessitates bellicę, ne postea cogatur omnia exigere ab ipsis de regno, iustissime atque prudentissime agit. Hic autem prohibentur regibus pondera immensa auri & argenti: quę vel iniuste exigũtur, vel quę ad curiositatem possidentur: quocunque modo thesauros cõgregare iniuste prohibitum est: quia qui diuitias taliter congregant non capient in eis fructũ, nec lętabuntur in eis, vt patet Hierem. 17. c. fecit diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens, diuitię etiam quę ad curiositatem congregantur, & ad fruendum eis, dato quod iniuste non extorqueantur, tamen vetitę sunt: quia stultitia magna sunt, & distorta assignatio felicitatis: & isto modo vituperat eas Salomon Ecclesiastes secundo cap. vbi ponit vanitatem studiorum humanorum assignans, quod non reperiatur in eis aliquid viri boni. Et dicit coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias regum, atque prouinciarum: & postea concludit, cumque me vertissem ad vniuersa quę fecerant manus meæ, & ad labores quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionẽ animi, & nihil permanere sub sole.

Diuitiæ ergo auri, & argenti in magna copia vetantur hic regibus propter duo. Primo propter malum, quod est in acquirendo. Secundo propter malum, quod fit ipsis acquisitis: primum est quia si rex intendat toto animo replere animam suam thesauris, nullam quantumcunque improbam atque violentam extorsionem iniustam putabit: & sic miseros subditos omnibus bonis spoliabit, in quo & ipse malum agit, & subditi durissima patiuntur: sic enim ait Apost. 1. ad Timotheum 6. c. qui diuites fieri volunt incidunt in laqueos diaboli. Secundum est propter malum quod faciunt habentes magna auri & argenti pondera: quia sic nimis in superbiam efferuntur, & ponunt in pecuniis spem suam: & ibi est Dominus Deus eorum: quoniam auaritia idolorum seruitus est, vt ait Apost. ad Ephe. 5. c. Forte autẽ dicere possemus de rege sicut dicit Philosophus in 2. Poli. c. 3. quod ciuitas non debet esse valde diues vel valde pauper: non quidem diues propter duas causas. Prima quia confidens in magnitudine diuitiarũ suarum multa iniuste contra alios populos aggrederetur volens eos premere, & sic alij in eam insurgentes penitus exterminarent. Secunda causa est: quia si multum diues sit, alij populi iniicient oculos suos in eam, & conspirabunt contra eã, vt de ĕius opibus ditentur, quod non facerent si ipsa diues non esset. Diuitiæ ergo inquietam quodammodo reddunt ciuitatem, vel quia ipsa non quiescit, aut quia alij eam quiescere non permittunt. Quod quidem magis habet locum in ciuitatibus aristocraticis, aut oligarchicis, quam in ciuitatibus monarchicis. Etiam non debet esse valde pauper ciuitas, quia præ inopia nõ posset sustinere aliquos hostiles insultus: debet ergo aliqualiter abundare taliter, vt nec ipsa præ excessiua multitudine diuitiarum in alias insurgat: nec rursus præ magna inopia insurgenti cuilibet genti succumbat. De rege autem eodem modo dici potest: non ergo debet rex facere sibi immensa pondera auri & argenti.

Ciuitas non debet esse valde diues vel pauper nec rex.

Postquam sederit in solio regni sui. Posita fuerunt ea quæ rex vitare debet: hic adiunguntur quæ prosequi debet. *Describet sibi Deuteronomium legis huius.* Id est istam secundam legem siue repetitam legem, quia in ea collecta tenentur, quæcunque vitare & facere oportet. Dicitur hic quod rex accipere debet Deuteronomium legis huius, & non dicitur quod debet habere, vel accipere legem hanc: quia intentio eius est, quod rex debeat istum librum translatum apud se habere, & in eo studere, vt sciat quæ eum oporteat euitare, & non vocauit istum librum legem sed Deuteronomium legis: quia lex accipitur pro illis præceptis quæ Deus dedit Israel in monte Synai. Iste autem liber non est illa lex, vel non continet solum illam legem: quia vocatur alia lex, vt patet inf. 29. capit. cum dicitur: hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus vt feriret cum filiis Israel in terra Moab præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Oreb: & hoc sonat dictio ista Græca Deuteronomium, id est secunda lex, vel noua lex: & dictio Hebraica idem signat, scilicet misue thorath, id est secunda lex. Vocatur autem à quibusdam repetitio legis, & satis recte: quia maior huius voluminis continentia est in repetitione eorum quæ in aliis libris dicta sunt: quia ergo hic plene continetur tota legis Dei in statu illo veteris populi intentio, hanc decebat regem habere, & studere in ea.

Deute. quid sit

Accipiet exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit. Quia isti veros libros & correctos haberent: non autem ab illis qui corrumpunt minuentes vel addentes in textu: quia isti maledicti sunt à Domino, vt patet supra 4. cap.

E

Leget illud omnibus diebus vitæ suæ. Non quod continue, siue quotidie legere teneatur: sed toties legat, quod memoretur eorum, quæ scripta sunt in libro hoc. *Vt discat timere me.* Omnia ista consequuntur ad continuam lectionem in lege, scilicet timor Domini: ex timore autem venit obseruatio legis, ex obseruatione autem repressio passionum ne in iactantiam & superbiam eleuemur, sed defectus nostros cognoscamus: quia infirmitate circundati sumus, sicut cæteri fratres nostri. Ex hoc autem Deus bonorum soboles cõseruat: quia nunquam visus est iustus derelictus, nec semen eius quærens panem: ideo meritis iustorum confirmantur filij in sede & hæreditate eorum: sicut merito Dauid posteri eius regnauerunt: licet mererentur regnum perdere, vt patet 3. Regum 11. capit.

Vt discat timere Dominum Deum suum. Potest hic accipi timor pro vtroque timore, scilicet pro seruili & reuerentiali: vterque namque ex lectione sacræ scripturæ causatur: nam cum aliquis legat tot genera afflictionum, quot Deus se inflicturum esse pronunciat, vt patet infra 28. cap. & Deum esse potentem, & veracem credit, satis magnam occasionem habet ad talia expauendum, vt sic saltem ad bonum conuertatur: vel potest stare pro timore reuerentiali: quia iste causatur ex lectione sacræ scripturæ vt in plurimum, nam nihil aliud est timor reuerentialis & sanctus, quam quod aliquis caueat cum magna attentione, ne offendat aliquem, quem valde reuerendum & honorabilem putat: cum autem res in sacra scriptura diligentius studemus, reperimus magnam Dei potentiam, & sapientiam in admirabili operatione, & immẽsam bonitatem eius in quotidiana beneficiorum elargitione: & sic iudicamus eam tanquam aliquid maxime honorandum atque reuerentia digniſſimum: ex quo dignum putamus ne tantum bonum offendamus: & hoc est reuereri & timere: & licet hic litera de vtroque exponi possit, magis tamen de reuerentiali qui causatur ex assidua lectione scripturarum.

F

Timor sanctus quid sit

Et custodite verba. Custoditio præceptorum eius prouenit ex timore, & hoc ex vtroque timore, nam qui timet seruiliter ne incurrat punitionem, obseruat legislationem: qui autem filialiter vel reuerentialiter timet, idem agit: nam cum timor reuerentialis sit per quem diligenter cauemus, ne aliquem offendamus, quia reuerendus est, & nos Deum offendemus si præceptis eius obuiamus, ex timore reuerentiali custodiemus ea.

A

Omnia verba & cæremonias. Cæremoniæ sunt quidam ritus secundum quos populus Iudaicus se habebat ad Deum directe siue mediate siue immediate. Immediate quidem vt in sacrificiis, & oblationibus,& festiuitatibus, & ieiuniis. Mediate vt in quibusdam purificationibus quæ erant, vt homo esset mundus ad accedendum ad tabernaculum, vt offerret, & sacrificaret: & vt cum cætero populo sanctificato communicaret, de quibus munditiis patet Leuit.11. & 12.& 13. & 14. atque 15.& Num.5.atque 19.cap.Omnia hæc tam in popularibus quam in rege obseruanda erant: ideo cæremonias rex scire debebat.

Litera expositio.

Et verba. Hoc potest stare dupliciter. Vno modo generaliter pro omnibus verbis Dei in libris Dei positis: aut specialiter, si primo modo tunc etiam cæremoniæ de quibus hic exprimit, comprehenduntur sub verbis Dei: quia Deus ista locutus est ad Moysen & quædam ad populum: & tunc satis erat dicere, vt discat custodire verba eius: sed expressit specialiter de cæremoniis ad magis intelligendum.Si accipiatur secundo modo,vt ista quę importantur per verba distinguãtur contra cæremonias: tunc poterunt stare dupliciter,scilicet pro his quæ credi oportet : aut pro his quæ fieri oportet: pro his quidem quæ credi oportet: quia quædam sunt in lege quæ non pertinent ad agendum sed ad credendũ,vt quod Deus creauerit mundum,& primum hominem:& quod expulerit eum de paradiso,& sic de cæteris: & vocantur ista testificationes Dei, aut testimonia eius in sacra scriptura: quia Deus ista fieri non mandat cum nec agibilia nec factibilia sint,sed testificatur nobis quod ipse ista fecerit, aut quod sic se habuerint recipere: ergo ista credendo non minus pertinet ad populum Dei,quam operari sequendo præcepta eius: immo magis & prius pertinent,cum fides sit fundamentum: quia sine fide impossibile est placere Deo, vt patet ad Hebr. 11.cap. & qui non credit iam iudicatus est Ioan.3.cap.hæc ergo reges custodire debent id est tenere in corde suo tanquã certissimas veritates & irrefragabiles. Secundo modo possunt accipi verba pro aliquibus quæ fieri oportet:& ista sunt præcepta moralia , & iudicialia: nam omnia præcepta ad actiones sunt: hic autem positum fuerat vnum genus præceptorum scilicet cæremonialia : ideo restabant alia duo, scilicet iudicialia & moralia,& ista rex custodire debet. Licet ergo ista litera secũdum quemlibet trium modorum dictorum exponi possit, magis tamen intendit litera istum tertiũ modum. Primo quia dicitur hic quod discat rex custodire verba Dei: custodire obseruationem dicit, siue in faciendo aliquid , siue cauendo ab eo: non ergo proprie pertinet ad credibilia: nec si accipiatur generaliter verbum, quia idem argumentum manet: præceptis autem moralibus & iudicialibus rectissime conuenit: quia in eis obseruatio est. Secundo quia quæ in lege præcepta sunt: & refertur ad verba & ad cæremonias: sed præcipere solum pertinet ad actionem , & non ad fidem:ergo de præceptis moralibus intelligitur.Tertio quia licet in aliis libris vtpote in Genesi ponantur aliqua credibilia, quia agitur de mundi creatione, & de aliis antiquissimis temporum historiis: hic tamen non ponũtur credibilia sed agibilia, vt patet discurrendo per totum istum librum: hic tamen non intelligitur de his quæ continentur in Genesi vel in aliis libris : sed de his quæ in hoc libro continentur : quia dicitur, describit sibi Deuteronomium legis huius in volumine, quia id in quo magis errare poterat rex, erant præcepta iudicialia si non iudicaret secundum illa: & hoc erat quod magis ad eum pertinebat inquantum rex erat: ergo de præceptis iudicialibus hic dicendum erat: & sic dicendum est quod intelliguntur per hoc quod dicitur. *Et verba eius quæ in lege præcepta sunt.* Id est quod cæremoniæ & verba scilicet præcepta iudicialia & moralia continentur in lege:& potest accipi hic lex pro lege illa quę data est in monte Oreb,& continetur in aliis tribus libris , scilicet Exodo, Leuitico,& Numeris: & hic recitata sunt : vel accipitur melius in lege,id est in ista lege quæ continetur in hoc volumine,nam hæc vocatur alia lex siue aliud fœdus præter illud quod pepigit Dominus cum filiis Israel in Oreb,vt patet inf. 29.c.

B

Ne eleuetur in superbiam. Rex enim inter homines aliquid maximum & excellentissimum est: si ergo rex consideraret solum statum suum,scilicet, quod omnibus aliis maior erat,& alij subditi ei: putaret se nihil debere aliis , ita quod nullum iustum esset inter eum & alios : sicut nec est inter hominem & possessionem suam:vt patet in 5.Ethic.sed quicquid faceret licitum fore putaret : vult ergo Deus quod rex non efferatur ex magnitudine honoris sui, sed consideret quod ille honor non est ei datus propter seipsum, sed propter alios,vt eos regat & vt deseruiat.

C

Ad quid prodest regi & principibus lectio sacræ scripturæ.

QVÆSTIO X.

QVOD autem aliquis nõ eleuetur in superbiam per magnitudinem status magis habetur per lectionem sacræ scripturæ quam per aliquod alterum. Et hoc dupliciter. Vno modo quia considerat homo in ea magnitudinem Dei ex operibus eius quæ in ea scripta sunt: nam ab ea magnitudine cognoscitur magnitudo creatoris, vt patet Sapient. 13. cap. quibus intellectis redit homo in seipsum cognoscens suam paruitatem: & hoc facit nos reuereri Deum cum reuerẽtia sit ex cognitione magnitudinis alterius resilire in propriam paruitatem: & non solum proficit ista cognitio ad humiliandum nos coram Deo,quem tanquam maximum bonum apprehendimus: sed etiam ad non eleuandum os super proximos quos ibi nobis æquales esse perpendimus. Secundo proficit ad hoc lectio sacræ scripturæ : quia ibi quædam præcepta sunt, in quibus mandatur iuste esse iudicandum & non esse superbiendum. Vterque modus haberi potest in hoc Deuteronomio:sed magis secundus quam primus,quia primus habetur per historicas narrationes , quæ hic rarissime sunt nisi in principio & fine huius voluminis: in aliis autem libris magis habetur primus modus qui magis historici sunt. Secundus vero in hoc vberius quam in cæteris , cum totus iste liber præceptorum positus sit. *Super fratres suos.* In hoc enim declarat quod rex non debet superbire super alios homines, quia sunt fratres sui: frater autem æqualitatis nomen est : debet ergo alios æquales sibi rex existimare in natura, se autem solum voluntate Dei ad regendum positum in honore illos excedere , in perfectione autem non: ideo non debet ingrauare super eos iugum suum , tanquam essent animalia bruta: nec etiam vocauit alios homines seruos regis, ne putet vtendum eis sicut seruis: quia secundum veritatem serui non sunt sed vasilli : & licet sacra scriptura vocauerit hic regem fratrem aliorum hominum, Aristo. tamen in 8.Ethic.vocat eum patrem:& illud est proprium nomen: cum enim Aristo.assimilat principatus politicos principatibus & communicationibus œconomicis dicit quod principatus patris ad filium est principatus regalis, & principatus regalis proptie dictus est principatus paternus : & probat ex auctoritate Homeri qui Iouem patrem vocat, eo quod rex iustissimus foret. Diuersitas est in hoc: quia sacra scriptura considerauit naturam regis,scilicet,quia homo est secundum quod aliorum hominum frater est : philosophus considerauit dignitatem principatus secundum quam pater est.

D

E

F

Nec declinet in dexteram partem vel in sinistram. Id est rex sequatur in iudicando verba voluminis huius & non declinet ad dextram nec ad sinistram: modus loquendi est, id est nec ad vnam partem nec ad alteram:quia quocunque modo declinetur malum est:sicut enim circa virtutem ad quodcunq; extremum declinetur vitiosum est,ita circa legem ad quamcunque partem eatur deuiando ab intentione legis malum est:quia lex nulla directiua est actuum virtutis iustitiæ.*Vt lõgo tempore regnet ipse.*Hic dicit vt consecutionem & non finẽ, vt sæpissime dictũ est nam licet operationem rex mereatur magno tempore manere in solio regni sui, & augeri honorẽ atq; laudem eius:tamen non debet ipse propter hoc ista agere vt augeatur honor eius vel laus: sed vt placeat Deo,& quia ista secundum se iusta sunt: est ergo sensus. *Vt longo tempore regnet ipse.*Id est & sic faciendo longo tempore regnabit ipse, & in magna prosperitate. *Et filij eius super Israel.* Non solum merebatur rex bene regens vt ipse multo tẽpore,& prospere regnaret: sed etiam quod filij sui multo tempore regnarent: sicut patuit de tota progenie Dauid quæ propter eum mansit,& alias delenda foret,vt patet 3.Reg.c.11.& 15.& in multis

aliis

aliis locis, & dicitur hic quod cum pater est bonus rex ipse magno tempore regnabit & filius eius: non est intelligendū quod de vno filio dicatur, sed de tota successione nepotum & pronepotum: quia Deus peccata patrum punit in filios vsque in quatuor generationes: & bona patrum præmiat in filiis vsq; in generationes mille, vel duo millia: sicut patet Exo. 34. Num. 14. & sup. 5. atque 7. c. Ponitur tamen filius pro tota successione descendentium.

CAPVT XVIII.

Nu. 18 c 12. q 1. c. clericus 23. q. fi. ante c. conuenior.

NON habebunt sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, & partem & hæreditatem cum reliquo populo Israel: quia sacrificia Domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum, &c.

NON *habebunt.* Supra egit de statu iudicum sacerdotū: in ista parte agit de sustentatione eorum. Et tanguntur tria principaliter. Primo ponitur status & sustentatio sacerdotum. Secundo doctrina populorum, ibi. *Cum ingressus fueris.* Tertio conditio prophetarum, ibi. *Prophetam de gente tua.* Et diuiditur prima in duas partes. Primo dicit de sacerdotibus in generali. Secundo ponit casum specialem, ibi. *Si exierit. Non habebunt sacerdotes & leuitæ.*

Quid significat hic Leuita, & quare oportuit dare Leuitas ad Dei cultum. Et quod apud omnes gentes aliqui sacerdotes deligebantur qui coram diuini cultus præcipue haberent.

QVÆSTIO I.

SIGNIFICAT hic Leuita officium, & non genus vel cognationem: quia secundum cognationem sacerdotes Leuitæ sunt: quia filij Leui. *Partem cum reliquo populo.* Quia non data fuit eis sors sicut aliis tribubus: sed datæ fuerunt eis ciuitates aliquæ de singulis tribubus: ita quod omnes ciuitates essent quadragintaocto, vt habetur Nume. 35. cap. Deus volebat Leuiticam tribum separare ad ministerium suum: nam licet totus Israel & omnes diuinis obsequiis vacare debent: quia tamen propter necessitatem sustentandæ vitæ non possunt homines sic vacare diuino cultui, inter omnes gentes semper fuit hoc statutum, vt ponerent aliquos sacerdotes, qui curam diuini cultus præcipue haberent: patet enim ab antiquissimis temporibus obseruatum etiam antequā Deus regem dedisset Hebræis: vt patet Gen. 47. cap. vbi dicitur de Putiphare quod erat sacerdos Eliopoleos: & dicitur quod cū terræ omnium Ægyptiorum venditæ fuissent regi in tēpore famis, & postea obligasset eas ad quintam partem fructuum annuatim persoluendam, dicitur quod terra sacerdotum libera ab hac conditione mansit: quia eis frumentum de horreis publicis præstabatur: etiam dicitur de Ietro quod erat sacerdos Madian: vt patet Exo. 2. c. sic enim Deus instituit inter Iudæos quod totus populus coleret eum quodā cultu generali scilicet in obseruatione quorundā festorum, vt in sabbatis de quibus Exo. 20. & 31. & 35. c. & in festo azymorum, & festo hebdomadarum, atque tabernaculorum: expiationis, vt patet Leuit. 23. & in oblationibus & sacrificiis factis in his solēnitatibus, atque in quibusdam aliis cæremonialibus obseruationibus. Istæ tamen obseruationes ita paruæ erant, q̄ non impediebant populum ab operibus suis circa vitæ procurationem. Oportuit ergo dari aliquos alios ministros ad hoc determinatos, qui solum curarent de ministerio Dei: & hoc propter tria principaliter. Primo vt maior cultus Deo daretur: nam cultus ille, qui Deo impendebatur à toto populo vocante laboribus suis, paucus erat, & debebat communitas illa maiorem Deo cultum impendere in actiones gratiarum pro quotidianis: ideo quia tota communitas vacare non poterat loco totius communitatis, ponebātur aliqui qui hoc facerent, & sic inter gentiles erat quod tota communitas pro se ponebat sacerdotes, & pro se dabat redditus in

Oportet dari ministros ad curam diuini cultus.

sacrificiorum expensas, & sacerdotum sustentationem, & sic dicit Arist. in 8. Ethi. quod communicatio in sacrificiis & festiuitatibus deorum est quædam pars communicationis politicæ scilicet quod hoc ad politiam pertinet, sicut magis patet in 7. Polit. vbi ponit Arist. quod debent de communi statui sumptus sacrificiorū, quia magna pars status politici est in honore deorum. Secundo fiebat hoc vt ipse populus magis instrueretur: nam populus vacabat laboribus suis, siue apud gentiles, siue apud Iudæos, & modicum sciebant de cultu deorum: vel qualiter dirigi oporteret secundum vitam: & si omnes sic vacarent, esset totus populus ignorans: debebāt ergo sacerdotes esse qui soli huic ministerio occuparētur: vt perfecte cognoscere possent quid circa cultū Dei fieri oporteret, & qualiter vita dirigēda esset: & isti docere possent populum ignorantem. Tertio oportebat fieri specialem ministrorum electionem, vt isti soli huic officio adaptarētur, nec vacarent aliis officiis prophanis: & hoc quia indignum est, q̄ qui res diuinas administrabat, prophanis postea ministrationibus misceretur. Etiam quia per administrationem actionum prophanarum maculam aliquam incurrerent ministri & sic non debebant occupari in illis: ergo debuerunt aliqui ministri specialiter ad hoc assignati esse, vt nullis aliis occupationibus miscerentur: ita etiam determinatio ministrorum, ad hoc etiam specialiter semper fuit in Israel & in aliis gentibus, sed in aliis gentibus vt communiter ipsi qui primogeniti erant, sacerdotio fungebātur: licet aliquando quicunque ad sacerdotium admiscerentur, vt patet de Hebræis qui colebant idola, & obseruabant in hoc ritus gentilium: nā sacerdotes adducebant vel quoscunque volentes fieri recipiebant: de primo patet Iud. 8. cap. de Micha habente idolū in monte Ephraim & conduxit sacerdotem Bethleemitem, vt ministraret coram illo idolo: de secundo patet 3. Regum ca. 13. cum dicitur: quicunque volebat implebat manum suā, & fiebat sacerdos excelsorum: apud Hebræos autem fideles fuerat cōsuetudo, vt primogenitus quilibet sacerdotio fungeretur: & veniebat sacerdotalis dignitas cum iuribus primogenituræ. Durauit autem hoc semper donec Deus repulit omnes primogenitos Israel, quia totus Israel crimine idololatriæ maculatus fuerat: & elegit totam tribum Leuiticam, vt seruiret ei loco primogenitorum totius Israelis: vt patet Numer. 3. cap. vbi mandauit Deus computari omnes primogenitos filiorum Israel, & pro eis accepti sunt ad seruiendum Deo omnes Leuitæ: & quia plures fuerunt primogeniti in duodecim tribubus Israel quam in tota tribu Leuitica essent: datum fuit precium pro illis primogenitis, scilicet, pro quolibet quinque sicli. Istis autem omnibus Leuitis sic in ministerium Dei segregatis prouidit Deus sustentationem, scilicet, vt reciperent iura pertinentia ad Deum, scilicet decimas, & primitias, & partes sacrificiorum: & omnia alia iura quæ latius explicantur Numer. 18. capitu. & ratio erat quod à populo reciperent sustentationem: quia à populo positi erant ad seruiendum: nam persona publica debet viuere de sumptibus publicis: sacerdotes autem & omnes alij Leuitæ assignati ad ministerium Dei erant personæ publicæ cum loco totius communitatis positi essent: nam tota communitas, scilicet quilibet de communitate tenebatur Deo maiorem cultum exhibere, & quia non poterant impediti occupationibus circa procurationem necessariorum ad vitam, ponebant loco sui illam tribum totam, quæ ministraret: etiam quia ipsa communitas ponebat omnes istos: sic enim apud gentiles dabatur sacerdotibus victus, & omnia ad vitam necessaria de publicis expensis, vt patet inter Ægyptios, qui sacerdotibus suis de horreis publicis frumenta ministrabant, & terræ eis à communitatibus assignatæ fuerant: ideo cum alij de Ægypto tempore famis vendere terras suas coacti sunt, & demum ex gratia eas censuales receperunt: sacerdotes tamen ab his conditionibus liberi mānserunt, vt patet Genes. 47. capit. sic etiam ponit Arist. in 8. Ethicor. fieri inter antiquos gentiles sacrificia ad deos & dari primitias: istæ autem primitiæ ad vsum proueniebant: nam dici nullo modo posset quod istæ primitiæ ad sacrificia erant: quia fruges & fructus arborum non sunt aliquid sacrificabile, antecedens patet in 8. Ethicor. cum dicitur: sacrificia facientes & circa has congregationes honoresque tribuentes diis: & sibi ipsis requiem acquirentes cum dele-

Quid dicat Arist. de sacerdotibus antiquorum.

A

ctatione: antiqua enim sacrificiaia & congregationes videntur fieri post fructuum collectiones: vtputa primitiæ: maxime enim in his vacabant temporibus : Leuitæ ergo qui ista iura à populo recipiebant, non habebant hæreditatem cum populo, sed Deus erat sors eorum, vt patet hic & Numer. 18. Et si arguas quod Leuitę susciperent hęreditatem cum aliis, quia recipiebant quadragintaocto ciuitates, vt patet Nume. 35. cap. Respondetur quod non suscipiebant Leuitæ hęreditatem cum reliquo populo, quia hæreditas cuiuslibet tribus dicebatur esse sors sua: est autem sors quædam magna terræ pars in prouincia Chanaan continens ciuitates, villas, & oppida, atque vicos, & agros: & aliam terram ad plantandum vel aliquid alterum faciendum : Leuitæ autem non habebāt hoc: nam quilibet de aliis tribubus habebat duo, scilicet loca ad habitandum, & totam terram in circuitu ad colēdum: Leuitæ autem loca ad habitandum suscipiebant, ad colendum autem nihil, vt patet Numer. 35. cap. Item quia hæreditas erat in habendo ius sortiendi cum aliis tribubus : tribus autem Leuitica non habebat ius sortiendi cum aliis tribubus: sed si aliquas ciuitates habebat, illas suscipiebat quasi in eleemosynam à cæteris tribubus fratrum suorum: quælibet autem aliarum tribuum habebat ius sortiendi: ideo hæreditatem illæ habebant.

Obiectio.

Responsio.

B

Quare Leuitica tribus non acceperit hæreditatem cum alijs.

QVÆSTIO II.

QVARE autem tribus Leuitica quæ nec computatur in tribus, non acceperit hæreditatem cum aliis, causa duplex est. Prima quia Deus dabat eis sufficienter ad victum omnia necessaria in decimis, & primitiis, cæterisque iuribus: non ergo indigebant aliqua alia hæreditate & ista causa redditur in litera cum dicitur: & nihil aliud accipiant de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum: etiam quia cum isti reciperent à populo multa iura propter esse sacerdotes, si rursus cum aliis tribubus diuiderent terram, magnam facerent eis iniustitiam diminuendo eorum possessionem, cum æqualiter reciperent, & rursus ab eis tanta iura sacerdotalia haberēt: nam hoc modo Leuitę in immensum ditarentur.

Secunda ratio fuit propter ministerium quod exercebāt: nam tam sacerdotes quam Leuitę habebant ministrationem in his quæ pertinebant ad sanctuarium : si autem cum aliis tribubus sortem recepissent, haberent ciuitates & terras ad colendum, & acciperentur in agricultura sicut aliæ tribus, & non possent continuo Deo ministrare, aut saltem multo tempore, quod tamen requirebatur tam in sacerdotibus quam Leuitis: solum ergo datæ fuerunt eis ciuitates in quibus morarentur: & in circuitu mille passus territorij ad pascendum greges suos, & struendas piscinas, aut natatoria, vel lacus ad multas necessitates, agrorum autem colendorum locus eis nullus tradebatur de hoc Numer. 35. Si autem quæras quare istæ ciuitates quadragintaocto quę Leuitis datæ sunt, non fuerunt simul in vna parte terræ ita quod omnes Leuitæ morarentur sic vniti in Israel, & non essent dispersi. Respondetur quod istæ ciuitates quadragintaocto datæ fuerunt eis in quibuslibet tribubus, ita quod quælibet tribus daret aliquas ciuitates: qui plures ciuitates haberet, multas daret: qui vero paucas haberet, tribueret pauciores. Et ratio huius multiplex est. Prima vt non viderentur ipsi Leuitæ habere sortem per se sicut cæteræ tribus habebant: quod tamen satis videretur si per se habitarent. Secunda erat vt Leuitæ docerent alias tribus: nam aliæ tribus cum vacarent laboribus corporalibus, non poterant vacare studio legis: Leuitæ autem quia non occupabantur agricultura, vel aliis similibus operibus, poterant vacare quantum vellent studio sacræ scripturæ: & vacabant, & hi tenebant synagogas per alias ciuitates conuicinas aliarum tribuum: quod tamen conuenienter fieri non posset, si Leuitæ aliquam partem terræ Chanaan per se acciperent.

C

Tertia ratio est propter decimas recipiendas, quia per singulas ciuitates euntes recipiebant decimas ab omnibus de aliis tribubus: si tamen segregati manerent, labor eis esset tantum discurrere ad recipiendum decimas. Quarta ratio propter ciuitates refugij: quia ciuitates refugij erant de vtribus quæ dabantur Leuitis, vt patet Num. 35. & istæ debebant esse æquidistantes à medio regni illius, vel quasi æquidistantes, vt in quacunque parte terræ illius qui esset, haberet aliquam ciuitatem de illis propinquam: quod tamen non contingeret, si omnes illæ essent simul in eadem parte terrę promissionis: Quinta etiam videbatur esse propter sanctuariū, scilicet quia sanctuarium mutabatur per diuersas partes terræ promissionis, vt declaratum fuit Exodi 12. cap. Si autem omnes Leuitæ in eadem parte terræ promissionis habitarēt simul: licet aliquando omnes propinqui essent loco sanctuarij, alio tamen tempore omnes multum distarent. Hæ autem rationes aliqualiter sunt apparentes: radicalis tamen est hæc quæ sequitur, scilicet quod ideo dedit eis Deus ciuitates inter alias tribus, vt modicum damnum esset aliis populis aliarum tribuum: nam dando ciuitates Leuitis in terra aliarum tribuum, solum adimebantur illa loca habitationis aliis tribubus: non tamen adimebatur terra in circuitu illarum ciuitatum: quia ciuitates datæ Leuitis solum habebant in circuitu mille passus, vt patet Num. 35. reliqua autem terra manebat pro illa tribu in cuius terra erant tales ciuitates: si autem essent Leuitæ simul, & haberent 48. ciuitates simul, sicut habebant eas diuisim, magnam terram occuparent: & manerēt inter istas ciuitates magna spacia ad colendum, & hæc subtraherentur possessioni aliarum tribuum: nam existentibus ciuitatibus Leuitarum dispersis per alias tribus non maneret aliquod spacium circa ciuitates Leuitarum, & si simul essent non possent aliæ tribus ire ad colēdum terram iacentem inter ciuitates Leuitarum, quia multum distarent à locis earum: etiam quia talia spacia multa inter ciuitates Leuitarum multum nocerent ciuitatibus ipsorum Leuitarum, & aliarum tribuum: quia multiplicarentur ibi bestiæ propter non coli terrā, nec pertransiri ab hominibus. *Non habebūt sacerdotes & Leuitæ.* Sacerdotes erant ipsi qui erant de genere Aaron, scilicet descendētes ab eo per omnes filios suos: quia omnes filij sui sacerdotes fuerunt, vt patet Exod. 28. & 29. & colligitur Leui. 6. & 8. atque 9. & 10. c. Et isti ministrabant in ministeriis atrij, & tabernaculi, vt superiori cap. declaratum est. Leuitæ sunt illi qui erant de stirpe Leui sed non de Aarō, scilicet familia Chaatitarum, & Gersonitarum, atque Meraritarum, vt patet Num. 3. c. & isti seruiebant in deportandis oneribus secundum distinctionem ministeriorum quæ habetur Num. 3. & 4. c. nec possunt accipi hic Leuitæ prout designant tribum: quia distinguuntur contra sacerdotes: sacerdotes tamen de stirpe Leui sunt.

D

E

Sacerdotes erāt de genere Aarō: Leuitæ de tribu Leui.

F

Et omnes qui de eadem tribu sunt. Istud ponitur quasi ex superabundanti: quia tota tribus Leui sufficienter distinguebatur in sacerdotalem dignitatem & Leuiticam : sed vt clarius esset, posuit hanc determinationem vniuersalem ad sciendum quod nullus fuerit in tribu Leui, qui hac lege non comprehendatur. *Partem.* Scilicet sortem quia diuidebatur terra in duodecim partes siue sortes: & postea ponebantur sortes ad distribuendum cuilibet tribui partem vnam : & de his nullam accipiebat tribus Leui : nam tunc tredecim sortes ponerentur : quia hoc modo computaretur Leuitica familia pro vna tribu connumeranda contra alias tribus.

Et hæreditatem cum reliquo Israel. Hæreditas dicitur quia ille cuius hæreditas est, habet ius in illud: & sic omnes duodecim tribus habebant hæreditatem: quia habebant ius sortiendi terram illam promissam inter se.

Quia sacrificia Domini. Hic subiungitur causa : quasi dicat quod alię tribus non habebant aliquid de quo se sustentarēt nisi culturam terræ: ideo sortiri debebāt terram inter se: Leuitæ autem habebant iura sacerdotalia ex quibus se poterāt sustentare, & non indigerent alia sorte: sacrificia Dei comedunt sacerdotes, & non Leuitæ: ad Leuitas enim solum pertinebant decimæ totius Israel: has enim ipsi soli suscipiebāt, & nihil de eis dabatur sacerdotibus, præter hoc quod illam decimam susceptam ipsi Leuitæ iterum decimabant, dantes decimam eius sacerdoti magno vt patet Num. 18. c. sacerdotibus autem alia iura cedebant quæ in duobus computātur, scilicet in sacrificium & oblationem: pertinebat enim ad sacerdotes omne sacrificium filiorum Israel: & quia quædam

erant

A

erant holocausta, quædam pro peccato,& quædam pacifica: ita diuerso modo pertinebat de eis aliquid ad sacerdotem: nam de holocaustorum carnibus nihil ad sacerdotem pertinebat,sed totum cremabatur, vt patet Leuit.1.ca. inde enim holocaustum dictum est: pellis autem eius solum pertinebat ad sacerdotem , qui immolabat, & offerebat illud, vt patet Leuit. 7. cap. Si autem esset sacrificium pro peccato, aut de sanguine eius inferebatur in tabernaculum,aut nō: si autem inferebatur de sanguine eius in sanctuarium, nullus comedebat de carnibus eius , sed totum comburebatur igni cum pelle, cornibus, & fimo, vt patet Leuit. 6. quando autem in hostia pro peccato inferri debebat sanguis in tabernaculum, vel quando non, patet Leuit.4.& 5.cap.Si autem non inferebatur sanguis intra tabernaculum, cedebat tota in ius sacerdotum,vt comederent eam præter caudam , & duos renunculos, & pinguedinem quæ operit vitalia , vt patet Leuitici septimo cap.si autem esset hostia pacifica , solum cedebat in ius sacerdotis armus dexter,& pectusculum,vt patet Leuitici octauo cap.habebant etiam sacerdotes omnes oblationes factas de clibano vel sartagine , præter aliquid modicum quod Deo incendebatur,vt patet Leuit.2.& 6.cap.habebant etiam primitias frugum,& fructuum ad cibum suum, habebant etiam omnes separationes quæ vocantur primitiæ , id est partes meliores vel magis electæ , siue medulla tritici, & vini,& olei: etiam omnia quæ ex voto dabantur Deo, cedebant in ius sacerdotum nisi essent animalia quæ vouebantur

B

ad immolandum, in quibus tenebatur regula supra assignata: etiam habebant in ius suum omnia quæ dabantur in redemptione pro primogenitis hominum, scilicet pro quolibet quinque sicli,vt patet Nume.3.cap.habebant etiam omnia primogenita pecorum immolabilium,ita quod funderet sanguinem eius per cornua altaris: & quod carnibus ipsi vescerentur:de his omnibusNum.18.cap.vbi catalogus iurium sacerdotalium & Leuiticorum:de his autem aliqua iura tanguntur infra.

Quia sacrificia, donum, & oblationes eius comedent. Per sacrificia intelliguntur omnes victimæ de quibus aliquod ius habebant sacerdotes,vt patet Num.18.ca. & infra, per oblationes autem intelliguntur omnes primitiæ,& vota,& donaria quæ non sunt de re immolaticia: & hæc pertinent ad sacerdotes: intelliguntur etiam decimæ,quia in modum oblationis dantur, & istæ pertinent ad Leuitas, vt patet Numeri 18. capit.

Nihil aliud accipient de possessione fratrum suorū. Id est de possessione aliarum tribuum.

Dominus enim ipse est hæreditas eorum. Id est ea quæ dantur eis pro Domino, sunt eis loco possessionis , scilicet sacrificia & oblationes.

Sicut locutus est eis. Ista verba frequenter eis dicta fuerunt, vt patet Num.18.& 35. & multoties alibi.

Hoc est iudicium sacerdotum à populo. Id est istud est ius siue redditus quem sacerdotes recipiunt à populo.

C

Duo sunt iura sacerdotum.

Et ab his qui offerunt victimas. Sunt duo iura, quędā iura sunt quę dantur communiter ab omnibus de populo,vt decimę, & primitiæ: & ista quilibet tenebatur dare:sunt alia specialia iura quæ voluntarie dantur, vt pars victimarum: quia nullus cogitur offerre.

Hoc est iudicium sacerdotum. Id est hoc est quod ordinarie,& de iure debent recipere sacerdotes ab aliis:

A populo. Hæc erant duo iura, quoddam quod erat de necessitate & erat commune omnibus, scilicet reddere primitias vini, & olei, & aliarum rerum terræ nascentium, & partem lanarum ex tonsione pecorum: quilibet enim qui in toto Israel aliquid possidebat ex quo ista iure solui possent,dabat omnia ista: ideo dicitur à populo , id est ab omnibus Iudæis qui importantur nomine populi: quia populus omnes includit.

Alia erant iura debita sacerdotibus,quæ non erant necessaria,vt dare sacerdoti armum,& ventriculum: nam licet ista ex præsuppositione necessaria erant, scilicet si aliquis vellet offerre sacrificia, cogebatur dare ista sacerdotibus : non tamen cogebatur aliquis offerre nisi essent victimæ pro peccato, in quibus conscito de delicto cogebatur aliquis impendere animal immolandum pro delicto suo iuxta qualitatem delicti: & quia hoc erat in præiudicium ipsius quodammodo eo, quod peccauerat: licet alias in remissionem delicti essent: de quo Leuit.4.& 5.& 22.cap.ideo non dicebantur dari ista iura à populo, quasi ab omnibus de populo traderentur, sed ab his qui offerunt victimas, id est si aliquis vellet offerre victimas,cogebatur dare ista sacrificia: alias vero non. *Dabūt sacerdoti.* Scilicet sacerdoti qui offerebat adipem adolendo illum coram Domino: & qui sanguinem fundebat per cornua altaris,& ad basem eius: non tamen dabantur ei omnia ista iura, sed dabantur omnia hæc Aaron , & filiis eius,id est sacerdoti magno cum aliis minoribus: armus tamen dexter hostiæ immolatæ specialiter dabatur ipsi sacerdoti offerenti sanguinem,& adipem, de his dicitur Leuit. 8. cap. pectusculum autem erit Aaron & filiorum eius: armus quoque dexter de pacificorum hostiis tendet in primitias sacerdotis qui obtulerit sanguinem & adipem filiorum Aaron: & ipse habebit armum dextrum in portione sua: vocatur tamen hic sacerdos singulariter non tanquam sit vnus aliquis sacerdos cui omnia ista dari debebant,sed ponitur sacerdos pro toto sacerdotali ordine: quia omnibus conueniebant ista. *Siue bouem siue ouem immolauerit.*

An sit intelligendum generaliter de omni sacrificio,quod sacerdotibus dabantur armus & ventriculus.

QVÆSTIO III.

NON est intelligendum generaliter quod de omni sacrificio darentur eis armus,& ventriculus: quia de holocaustis nihil sacerdotes habebant nisi pellem, vt patet Leuitici 6.cap.quia carnes cum intestinis lotis, caput,& pedes, & vniuersa cremabantur, vt patet Leuit. 1. cap. In sacrificiis pro peccato si inferebatur de sanguine eorum intra sancta sanctorum, nihil de carnibus comedebatur: sed carnes cum pelle cornibus, & fimo comburebantur extra castra,vt patet Leuit. 6. & 10. cap. si autem non inferebatur sanguis intra sancta sanctorum, totam comedebāt sacerdotes præter caudam & adipes cum renunculis, quæ immolabantur Domino,vt patet Leuit. 6.cap. de hostia autem pacifica dabantur Deo renes adipes, & renunculi , sacerdotes pectusculum & armum recipiebant: offerentes autem cæteras carnes comedebant: ideo de sola victima pacifica intelligitur ista litera. *Armum ac ventriculum.* In Hebræo ponuntur tria, scilicet. *Armus ventriculus, & genæ.* Hic autem duo solum de pectusculo non fit hic mentio, sed sæpe dictum est quod pertinebat ad ius sacerdotum,vt patet Leuit.7.& Numer.18. de genis nusquam fit mentio in Hebræo nec in litera nostra nisi hic in litera Hebræa. Et volunt Hebræi quod dantur ista tria propter Phinees sacerdotem, datur armus siue brachium , quia in fortitudine brachij sui percussit Zambricum Madianitidem.

Quare nūquā fit mentio de genis.

Datur ventriculus, quia percussit eos in loco ventrium, vbi nos dicimus per genitalia.

Dantur genæ quia has mouet sacerdos in orando pro offerente.

Sed non multum patent istæ adaptiones : quia in monte Synai per quadraginta annos fere antequam Phinees percuteret coeuntes,iura sacerdotalia ordinata sunt:licet non fuerunt ibi expressa omnia quæ hic exprimuntur. Nicolaus dicit quod armus pectusculum dantur , quia in eis erant quędam ossa quibus ad maleficia idololatrię vtebantur: sed eadem ratione armos &pectuscula in aliis animalibus non immolatis comedere non deberent , sed dare sacerdotibus. Item hoc nihil proderat: quia solis ossibus & non carnibus ad illa maleficia isti indigebant:quę satis copiose habere possent etiam si de carnibus non gustarent : ideo dicendum quod ista magis sunt ad voluntatem , non enim facta sunt omnia ad significationem sed principalia. De istis ergo partibus quę dabantur sacerdotibus forte dicendum est : quia istę meliores erant quam alię quę manebant præter eas quę immolabantur, nam in holocaustis omnia incendebantur: in pacificis autem vbi dabantur ista, offerebatur Domino tota aruina quę operiebat vitalia, & duo renunculi, & renes duo, id est lumbi: quia istę sunt carnes grossę & meliores ad adolendum: de cęteris autem manentibus nullę carnes me-

D

E

F

liores videbantur quàm armus, & pectuſculum, & dabantur ſacerdotibus. Sed adhuc litera noſtra non concordat literæ Hebrææ: quia in litera Hebræa ponuntur tria: & in litera noſtra ponuntur duo: etiam quia ipſa duo quę ponuntur in litera noſtra, non ſunt ea quæ ponuntur in litera Hebræa. Reſpondetur quod eadem ſunt ea quæ ponuntur hic, & in litera Hebraica: nec eſt putandum quod genæ darentur ſacerdotibus, ſed ſolum armus dexter & pectuſculum: quia iſta duo ſolum ponuntur in aliis locis, vbi ponuntur iura ſacerdotalia in ſacrificiis, vt patet Leuit. 8. & Num. 18. cap. vbi videtur fieri præciſio ex modo loquendi: quia iſta ſola ſint quę dari debeant ſacerdotibus de ſacrificiis pacificis. Licet autem in litera Hebraica ponantur genæ: non eſt intelligendū quod genæ darentur, quia accipiuntur hic genæ ſecundum metaphoram pro quibuſdam partibus adhærentibus armo & pectuſculo, & vocantur genæ: quia ſicut genæ in vultu hominis mouentur, ita illæ partes mouentur circa armum & pectuſculum: quia ſuut partes delicatæ & tenues modicū carnoſitatis habentes quaſi peliis: & hoc notauit litera noſtra cum dicit, ventriculus, quia armus, & pectuſculum continuantur quibuſdam partibus ſatis delicatis circa ventrem, quæ vocantur ventriculi, & eſt ſenſus.

Armum & ventriculum. Id eſt armum cum ſuo ventriculo qui eſt quædam pars delicata adhærens armo: eodem modo intelligitur de pectuſculo cum ventriculo ſuo: licet non expreſſit cum hoc notiſſimum eſſet: quia iſta duo iura pertinerent ſemper ad ſacerdotem qui offerebat & ad alios. *Primitias vini.* Hic ponuntur tria quæ dabantur à toto populo, primitiæ de neceſſitate erant: ſed quantitas non erat determinata ſecundum legem, vt nunc inter Chriſtianos non eſt, ſed dicunt ꝙ aliqui dabant quadrageſimam: aliqui quinquageſimam: aliqui ſexageſimam partem ſecundum quod erant magis vel minus deuoti: vt declarat Hieronymus ſuper Ezech. & habetur extra de decimis, cap. primo, de quibus diximus ſupra 12. cap. & ibi vide. *Frumenti vini, & olei.* Solum ponuntur hic tria de quibus dabantur primitiæ: ſed non ſolum dabantur de iſtis ſed etiam de quinque aliis: vt ſupra diximus ſupra 8. cap. *Et lanarum partem ex ouium tonſione.* Daretur iſta lana in decima: quia ex ea decimam dare tenebantur, cum computentur inter fructus quolibet anno naſcentes etiam daretur primitia de lana.

Tria quæ à toto populo dabantur ſacerdotibus.

Ipſum enim elegit. Id eſt ſacerdotum congregationem: hic reddit rationem eorum quæ dicta ſunt, ſcilicet quare iſta iura dari debebant ſacerdotibus: & reſpondetur quod quia Deus elegit ſacerdotes ad miniſtrandum ſibi, debent eis dari iſta: quaſi dicat, cum Deus poneret ſacerdotes vt miniſtrarent ei, debebat eis dare ſuſtentationem: quia non poterant vacare aliis miniſtrationibus acquiſitiuis: nam qui altario ſeruit de altari viuere debet: vt ait Apoſtolus prima ad Corinth. 9. cap. & patet extra de præbendis cap. cum ſecundum Apoſtolum, & iſta ſacrificia quæ dabantur, pertinebāt ad Deum: volebat ergo Deus quod hæc darentur eis, & ne forte dicatur quod Deus non mandabat iſta, ſubiunctum eſt, quod ipſe eſt qui elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, id eſt quia ipſe elegit eum debebat ei prouidere de victu ſufficienti. Cauſa autem quare ſeparati fuerunt ſpecialiter aliqui miniſtri in cultū Dei, & quare elegerit tribum Leuiticam ſupra dictum eſt & infra tangetur. *Elegit autem ſacerdotem Deus de cunctis tribubus.* Id eſt ſacerdotalem ordinem totum: & patet quia ſi vnus ſacerdos eſſet, illi darentur iſta iura: & poſt mortem eius nulli darentur: etiam quia dicitur de cunctis vrbibus tuis: ſi autem vnus ſacerdos ille eſſet, qui hic ſignatur, non diceretur electus de cunctis vrbibus ſed de tribu Leui de inter cæteros ſacerdotes ſiue Leuitas: ſed dicitur quod fuit electus de cunctis tribubus: ergo referendum eſt ad tribum Leuiticam totam: vel ſaltem ad familiam Aaron, quæ quaſi erat tota tribus Leui cum eſſet magna pars eius & dignior: & iſta electio facta fuit cum ſingulæ tribus poſuerunt virgas ſuas, & virga Aaron frondiuit, vt patet Numer. 17. cap. & illa erat electio vnius tribus inter multas tribus, & non vnius viri in vna tribu. Si autem obiicias quia dicitur hic ipſe & filij eius, nam ſi eſſet totus ordo ſacerdotalis non diceretur filij eius: quia ipſi filij ſacerdotum ſunt pars ſacerdotum cum ipſi ſint ſacerdotes: & ſic dicetur tolli inconueniens, ſcilicet, quod non deberentur vni ſacerdoti omnia iura, quia licet nō deberentur omnia vni ſacerdoti, tamen debebantur ei & filiis ſuis qui erat totus ordo ſacerdotalis.

Reſpōdetur quod ſacerdos qui hic accipitur licet pro tota congregatione ſacerdotum ſtet, quia omnibus ſacerdotibus ſimul debebantur iſta iura: tamē ſacerdos iſte vnus erat: non tamen erat vnus determinate, ita quod poſſet aſſignari aliquis ſacerdos de quo iſta dicātur. Forte dices quod iſte ſacerdos fuit Aaron qui fuit primus ſacerdos cæteris dignior, & ab eo incęperunt iſta iura pro eo & omnibus filiis eius vſque in ſempiternum: etiam quia dicitur in litera quod ipſe eſt quem elegit Dominus de cunctis tribubus tuis: hoc autem de Aaron verum eſt, quia loco eius poſita fuit virga coram Domino, & Dominus fecit virgam eius frondere: elegitque eum cum poſteritate ſua. Sed hoc non poteſt ſtare: quia iſta dicebat Moyſes anno quadrageſimo ab exitu de Ægypto in menſe vndecimo, vt patet ſupra primo cap. Aaron iam mortuus erat, nam in anno quadrageſimo menſe quinto eiuſdem menſis mortuus eſt, vt patet Nume. 33. cap. Si autem dicas quod hoc referatur ad Eleazarum filium Aaron qui tunc erat ſacerdos, nam eodem anno mortuus fuerat Aaron, & coram eo factus fuit ſacerdos Eleazarus, vt patet Num. 20. cap. & intrauit in terram promiſſionis. Sed adhuc dicet aliquis quod hæc reſponſio non ſtat: quia iſta iura erāt danda in terra Chanaan cum pacifice poſſiderent eam, vt patet ſupra 12. cap. Moyſes autem neſciebat vtrum tantum tempus victurus eſſet Eleazarus: ergo dicere non poterat quod darentur ei iura iſta & poſtea filiis ſuis.

Reſpondetur quod falſum præſupponitur: nam Moyſes ſciebat quod Eleazarus ingreſſurus eſſet in terram Chanaan, & ſatis magno tempore victurus: vt colligitur ex verbis Dei quæ ad Moyſen dicta ſunt. Num. 27. cap. ſcilicet pro hoc ſi quid agendum erit Eleazar ſacerdos conſulet Dominum: & loquitur de Ioſue pro quo orare debebat Eleazar, vel conſulere dominum, quando aliqua bella agenda eſſent, vel aliqua alia dubia eſſent: ex quo innuitur quod cum ipſo ingreſſurus erat in terram Chanaan, & conſulturus dominum pro eo in omnibus neceſſariis: eriam dato quod non appareret ex loco illo, ſatis ex hoc loco apparet, nam iſta verba non loquebatur Moyſes à ſeipſo, ſed à Deo inſpirante & erudiente: ideo cum in eis ſignaretur Eleazarus victurus poſt multos adhuc annos, dato quod Moyſes hoc aliunde non nouiſſet, ſatis ex hoc intelligebatur: ſed ex alia radice non poteſt ſtare iſta aſſignatio, ſcilicet, quod iſte ſacerdos ſit Eleazarus: nam non eſt ipſe quem Dominus elegit de aliis tribubus, ſed Aron eſt, qui electus fuit, vt patet Numeri 17. capit.

Et ſi dicas quod cum Deus elegit Aaron, elegit etiam Eleazarum qui erat filius Aaron.

Reſpondetur quod hoc modo non ſolum Eleazarus electus à Deo dicetur: ſed etiam omnes de ſtirpe Aaron eadem ratione. Et ſic dicendum eſt, quod ſacerdos qui hic accipitur, eſt ſacerdos magnus, & quocunque tempore, nam illi & & filiis ſuis dabantur iſta iura omnia: & illi ſacerdoti dicebātur dari, quia principalius dabantur illi & pro maiori parte: & patet etiam quia dicitur hic, vt miniſtret ipſe & filij eius: miniſtratio namque principaliter ei attribuitur.

De cunctis tribubus tuis. Noluit Deus aliquam de aliis tribubus miniſtrare: quia in adoratione vituli omnes præter Leuiticam contaminatæ fuerant.

Vt ſtet & miniſtret ipſe & filij eius in ſempiternum. Ipſe vnum ſacerdotem ſignat: ſed iſta non referuntur ad vnum ſed ad omnes ſacerdotes, quia de hoc omnes æqualiter recipiebant.

Et ſi dicas quod poteſt intelligi ly ipſe pro ſacerdote magno.

Reſpondetur quod non poteſt ſtare: quia iſta iura non ſolum debebantur ſummo ſacerdoti, ſed etiam aliis, decimatio autem de decimis debebatur ſummo ſacerdoti, vt patet Numer. 18. capit. Reſpondetur tamen quod iſte demonſtrat ſummum ſacerdotem: non tamen quod ei debeantur omnia iſta iura, ſed ipſi cum filiis ſuis: ſicut miniſtrat cum filiis ſuis.

Si exierit Leuites. Hic ponitur ſecundum de ſuſtentatione ſacerdotum in ſpeciali. *Si exierit Leuites.* Manebant Leuitæ

De ſacerdotum ſu

diſperſi

A *Tentatione in speciali.*

dispersi per ciuitates habitationis suæ: & raro venire debebant ad locum Sanctuarij: quia iam non ferebant onera sicut in solitudine quadraginta annis consueuerant: aliqui autem ex deuotione venire volebant ad seruiendum specialiter in Sanctuario, & istis dabatur pars de oblationibus, & aliis quæ pertinebant ad sacerdotes: & sic fuit de Samuele, quem mater sua vouit vt seruiret semper in tabernaculo coram Domino, cum tamen esset de Leuitis.

De officio Leuitarum quale erat.

QVÆSTIO IV.

SCIENDVM quod Leuiræ habebant in officium datum sibi à Moyse vt portarent ipsum tabernaculum, & omnia quæ erant in eo iuxta diuisiones factas Numer.3. & 4.cap. & quia ista ministratio erat virorum robustorum, assumebantur ad seruitium, annorum viginti quinq;, vt patet Numeri octauo capitulo, & cum essent annorum quinquaginta, cessabant à ministerio: cum autem Deus dedit quietem tabernaculo, ita quod manere deberet in vno loco, nec ad mouendum illud requirebatur ministerium Leuitarum, elegit Dauid Leuitas ad ministerium domus Domini minoris ætatis, scilicet, in anno vigesimo, & ista causa ponitur primo Paralip. vigesimo tertio capitul. cum dixit Dauid, requiem dedit Deus populo suo, & habitationem Hierusalem vsque in æternum: nec erit officij Leuitarum vltra vt portent tabernaculum, & omnia vasa eius ad ministrandum: iuxta præcepta Dauid quoq; nouissima supputabitur numerus filiorum Leui à 20. annis, & supra: erant autem multa officia necessaria in tabernaculo Domini posito eo in templo Salomonis: nam necessaria erat aquarum comportatio, & lignorum ad sacrificia, & alias necessitates Sanctuarij: sed ista officia non pertinebant ad Leuitas: nam Amorrhæi qui erant de Gabaon, & aliis ciuitatibus propinquis, qui venerunt in fraude ad Iosue & castra Israel, portantes vestimenta attrita, & calceamenta, & vtres refectos, vt obtinerēt pacem ab Israel: cognito autem quod essent de terra Chanaan propter iuramētum quod Israelitę præstiterant, non occiderunt eos, sed subiecerunt ad perpetuam seruitutem tabernaculi siue sanctuarij, vt cædant ligna, & comportent aquas: Leuitæ ergo erant ad alia ministeria, scilicet, vt essent ianitores domus Domini, & vt essent cantores, & præessent aliis ministrationibus, quæ erāt dispositiuæ ad sacrificium, sicut erat in choritis qui præerant his, quæ frigebantur in sartagine: etiam erant custodes thesaurorum, & quorundam aliorum officiorum, de quibus 1.Paralip.23.& 25.& 26.isti autem Leuitę non seruiebant omnes simul: ita quod omni tempore starent omnes ad seruiendum, quia tunc necessarium erat morari omnes in loco Sanctuarij, & non oportebat eis dari ciuitates 48. vt patet Num.35. ca. etiam non poterant hoc esse, quia non caperentur omnes in loco Sanctuarij: ideo dicendum, quod seruiebant per vices suas, vt patet 1.Paralip.23.& 25. atque 26.ca. & aliis temporibus manebant in oppidis, & ciuitatibus suis: cū autem ministrandi sors secundum tempora aduenisset, veniebat quilibet in locum Sāctuarij, & manebat ibi toto tempore ministrationis, deinde redibat in ciuitatē suam isti autem Leuitæ, de quibus nunc dicitur hic, erant qui volebant præter tempus sortis suæ manere in loco Sanctuarij seruiendo, vt si aliquis vellet ministrare tota vita, sicut Samuel, & isti recipiebant necessaria ad cibum in Sanctuario, sicut alij Leuitæ, qui erant seruientes iuxta ordinem sortis suæ. *Si exierit Leuites.* Deuotione motus. *De vna vrbium suarum.* Quæ erant dispersæ in terra omnium tribuum: quia tribus cui plures ciuitates contigerant, dabant Leuitis plures ciuitates, vt patet Numer.35.cap. *Desiderans locum quem elegit Dominus.* Id est, locum in quo est Sanctuarium, vt ibi specialiori modo ministret coram Domino: si autem veniret ad aliquam negociationem, nihil ei daretur de sacrificiis, vel iuribus sacerdotū. *Sicut omnes fratres eius Leuites, qui stabunt eo tempore coram Domino.* Præuidebat hic Moyses, quod Leuitæ in terra promissionis distinguendi essent secundum vices & tempora ministrationum: quia non erat necesse eos omnes simul ministrare, sed ita distinguebantur, vt aliqui semper manerent in ministerio tabernaculi: illi autem qui ex deuotione accēdebant, manebant ibi continuo aliis recedentibus. *Partem ciborum eandem accipiet quam cæteri.* Leuitæ qui ministrabant præter ius decimarum quod habebant, adhuc accipiebant alias partes de his, quæ pertinebant ad iura sanctuarij: decimæ autē siue tempore quo seruiebant, siue quo non seruiebant dabantur, vt sustentarentur inde ipsi & familiæ suæ in ciuitatibus suis. *Excepto eo quòd in vrbe sua ex paterna successione debetur.* Quia habebant domos, pecora, & iumenta, & aliqua supellectilia quæ debebantur ex successione hæreditaria, & illa non perdebant, licet non maneret in ciuitate sua. *Excepto eo quod in vrbe sua ei ex successione paterna debetur.* Hoc etiam potest referri ad decimas quæ debebantur Leuitis, & dicuntur deberi ex successione, id est, hæreditarie: quia ex eo quod aliquis erat filius Leuitæ debebat habere decimarum partem, & sic videbatur ei esse ex successione paterna.

Et si dicas contra, quia dicitur excepto eo quod debetur ei in vrbe sua: quia aliquid dicitur deberi in vrbe quod proprie expectabat ad vrbem, sicut si essent aliquæ possessiones in vrbe. Respondetur quod satis stat hoc cum decimis, scilicet quod decimæ debebantur in vrbe, id est, non debebantur Leuitæ solum quando ministrabat, vt patet de alijs partibus ciborum, quæ eis dabantur cum starent in loco sanctuarij, nam vbicunque starent ista dabantur, siue ministrent, siue non, siue in Sanctuario, siue in vrbe sua, vel vbicunq; alibi.

B

Quando ingressus fueris. Hic ponitur secundum principale, scilicet doctrina populorum, semper repetit præceptum de vitāda idololatria, siue directe, siue indirecte fiat, quia in hoc maximum periculum erat, & magna occasio propter cōsuetudinem quam in Ægypto cum idolatris habuerant, & propter ritus gentium quas expulsuri erant: ideo frequenti admonitione, & præmij, & pœnæ propositione oportebat hæc mentibus infigi, & explicantur hic multi modi, qui licet directè non sint cultus idolorum, tamen ad idem genus reducuntur. *Caue ne imitari velis abominationes.* Vocantur omnia ista abominationes: quia cū ista pertineant ad idololatriam. multum repugnant Deo. *Qui lustret filium suum ducens per ignem.* Lustrare idem est, quod purgare. Et aliqui gentiles credebant omnia purgari per ignem: ideo homines in ætate parua factis quibusdam cæremonijs inter ignes transire faciebant: & istum ritum obseruant Tartari vsque ad præsentem diem, quia nullum extraneum hominem ad principem suum accedere sinunt, nisi eum prius inter ignes transire fecerint, quasi ibi purgetur, & in hoc attribuitur igni aliqua vis diuina quod ad idololatriam pertinet.

E *Populorum doctrina.* *Quid sit lustrare. Mos Tartarorum.*

C

Aliquis dicere posset, quod intelligeretur hoc de quadam immolatione quæ fiebat dæmonibus, de qua dicitur Leuitic. 20. quod homo qui dederit de semine suo idolo Moloch morietur, scilic. quod erat quoddam magnum idolum æneum & inane, in cauatura autem interiori ponebatur magnus ignis, ita quod totum illud idolū exscandesceret, & tunc pueri paruuli ponebantur in manibus illius, & cremabantur: & ne parentes puerorum audirent eiulatus morientium, concinebant in omnibus musicis instrumentis multum sonantibus, & faciebant magnas voces, atque fragores, quo expleto, mortuo puero, dicebant eum translatum ad deos. Hoc autem fatua illa gentilitas extimabat à nequissimis illis sacerdotibus crudeliter defraudata.

F

Sed hoc non potest hic consonare: quia pueri qui sic offerebantur idolo Moloch moriebantur, isti autem qui lustrabantur per ignem non moriebantur, sed fiebat ignis, & inter duos ignes transibant pueri, & fiebant quædam cæremoniæ, quæ pertinent ad artem quandam prohibitam, quæ vocatur pyromantia, & signatur hoc cum dicitur, nō inueniatur in te qui lustret filium suum, id est, purget, quod autem lustratur, id est, purgatur non consumitur: etiam quia dicitur ducens per ignem, ducere enim transire est, & sic illi pueri aut puellæ transibant inter ignes incombusti. *Aut qui ariolos scisciterur.* Ariolus & aruspex idem sunt, scilicet, qui aspiciendo in aris aliqua futura prædicere conantur. Immolabant enim aliquod animal ad honorem alicuius idoli, & in visceribus maxime in præcordiis secundum quædam signa data in arte respiciebant, & iudicabant: maxime ista inter gentes consuetudo antiquitus inoleuit: de hoc Lucanus lib. 1. in fine, & Seneca in tragęd. 4. quæ dicitur Oedipus. *Et obseruet somnia.* Licet aliquando somnia vera signent secundum quasdam

A

cauſas, ex quibus originem trahunt: ſed quia vt communiter ſunt ſcd ex quadã diſpoſitione varia phantaſiæ, vel ex dæmonum illuſione: ideo credere eis ſuperſtitioſum eſt: quando autem liceat per ſomnia iudicare ſuper Gen. 40. cap. dictum fuit. *Atque auguria.* Id eſt inquiſitiones alicuius futuri in auiũ volatu & garritu: extenditur tamen augurium ad multa alia communi nomine. *Nec ſit maleficus.* Qui dæmones conuocet ad nocendum alicui, vt qui ad amorem per aliqua facta & dicta dæmones inuocando aliquas perſonas ſollicitant, vt quaſi violenter ament quouſque ad inſaniam conuertantur de quibus diximus Exod. 22. cap. vel alio modo odium, vel amorem, ſeu damnum alicui perſonæ procurant. *Nec incantator.* Qui humanos ſenſus ludificat, vt videantur quæ non ſunt, & alio modo vocatur apparitor à faciendo apparere. *Nec Phitones conſulat.* Phiton vno modo ſignat dęmonem familiarem quomodocunque teneatur: in quo aliqua quę nobis mirabilia videntur fiunt: ſicut dicitur de phitoniſſa ad quam iuit Saul, quæ fecit mortuos apparere, vt patet primo Reg. 28. cap.

Phiton quid ſit, & phitonici.

B

Alio modo Phiton eſt dæmon qui intra aliquem hominẽ loquitur, quo mouẽte aliqua futura hominibus prædicit: inquantum illi dæmones cognoſcere poſſunt habentes illum dicuntur phitonici, ſiue phitoniſſæ, ſic dicitur Actuum 16. cap. quod quædam puella habebat phitonem, & clamãs poſt Paulum & Barnabam dicebat, quia ſerui Dei ſunt, & Paulus dixit, exi ab ea in nomine Ieſu: & vocantur phitones ab Apolline, qui phitius à phitone ſerpente quem occidit dictus eſt, & in laudem illius victoriæ habentes ſic nominãtur, quia ipſe Apollo ſiue phæbus, qui inter Gentilium deos plurima reſponſa dabat, in puellarum virginum ſubintrans viſcera eas loqui futura faciebat, vt ait Lucanus in 3. lib. *Nec diuinos quærat.* Diuini ſunt qui Dei reuelatione futura ſe pręſcire dicunt: cum tamen ex alia cauſa ſiue naturali, ſiue dæmonum hæc parua dicant. *Et quærat à mortuis veritatem.* Inuocando dæmonem, vt ſubintret corpus mortui, & ad aliqua reſpondeat: vel in oſſibus mortuorum aliqua ſuperſtitioſa agendo. *Propter eiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu ſuo.* Leuit. 18. cap. dicitur quod propter turpiſſima vitia carnis euomuit eos terra: ſed dicendum eſt, quod vtrunque genus peccati habuerunt, & omni malo pleni erant, nec eſt hoc contra ea quæ dicta fuerunt ſupra 6. cap. ſcilicet quod Deus in ſola gente Iſraelitarum zelabat idololatriam, quia licet Deus nunquam aliquos Gentiles propter ſolam idololatriam deſtruxerit, tamen ſi propter aliud vitium delebat, etiam ipſi ſimul idololatriam puniebat. *Perfectus eris.* Id eſt perfecte Deo ſeruiens vel adhærens. *Et abſque macula.* Id eſt ſine macula ſupradictorum, ita quod in nullo eorum maculeris: dictio Hebraica hic poſita poteſt ſignificare ſimplicitatem, & tunc dicitur. *Simplex eris cum domino Deo tuo.* Id eſt non curabis ſcire futura, vel aliqua ſecreta quę homines conantur ſcire per iſtas ſuperſtitioſas artes. *Tu aliter à domino Deo tuo inſtitutus es.* Id eſt Deus docuit te, quod non ſic faceres, ne audires augures, & diuinos. *Vel aliter inſtitutus es.* Id eſt non indiges quod inſtituaris, vel informeris de veritatibus occultis per incantatores & diuinos, quia Deus inſtituit te, id eſt docuit te aliter reuelando tibi futura, quæ tibi conueniunt per prophetas, vel ſacerdotũ inquiſitiones, vt habetur Numer. 23. cap. non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael, temporibus ſuis dicetur Iacob & Iſraeli quid facturus ſit dominus, & patet iſta expoſitio, quia immediate ponuntur conditiones prophetæ reuelantis.

C

Conditio prophetarum bonũ, & quare promiſſi ꝓpheta.

Prophetam de gente tua. Hic ponitur tertium ſcilicet conditio prephetarũ, & primo ponit de bono, deinde de malo ibi. *Propheta qui arrogantia. Prophetam de gente tua, & fratribus tuis.* Demonſtrat hic, quod non indigebant auguriis nec maleficiis aliarum gentium, quia Deus ſuſcitaret prophetam eis reuelantem futura, & de gente eorum, quia ſi de alia gente eſſet, non crederetur ei: quia ſuſpectus eſſet, quod eos ad idololatriam reducere vellet, & quod non à Deo, ſed à dæmonibus reuelationes haberet. *Sicut me.* Iſta ſunt verba Moyſi ſignificantis quod prophetæ quos dominus ſuſcitaret, eſſent veri ſicut Moyſes, & denotat ly ſicut ſimilitudinem, ſed non æqualitatẽ, quia nullus propheta ſurrexit vltra in Iſrael, qui noſſet Deum facie ad faciem in cunctis ſignis atque portentis, ſicut Moyſes, vt patet infra cap. vltimo. *Vt petiſti à domino in Oreb quando concio congregata eſt atque dixiſti.* Ibi petierunt à domino, quod loqueretur eis Moyſes, & non dominus ne morerentur. *Vltra non audiam vocem Domini, & ignem hunc maximum non videbo ne moriar.* Veritates ſupernaturaliter cognitæ non reuelabantur Iudæis per artes ſuperſtitioſas, ſed per ipſum Deum, & Deus à principio per ſeipſum ſine aliquo homine locutus fuit populo illi denuncians legem, & ſic veritates occultæ reuelari debebant, erat enim modus ille manifeſtior, & non oportebat inquirere veritatem prephetiæ ex futuro euentu, ad ſciendum vtrũ propheta à Deo dixerit, quia ibi per ſigna diuinæ potentiæ clare conſtaret Deum dicere hoc: ſed Iſrael territus petiit, quod non loqueretur eis Deus: ſed Moyſes, & non ſolum petierunt pro tunc, ſed etiam pro futuris temporibus: quia credebant ꝙ quotieſcunque Deus appareret, ſemper audirentur voces terribiles, & ignis magnus: ideo dixerunt. *Non videbo vltra ignem maximum, nec audiam vocem Domini ne moriamur.* Id eſt domine rogamus te ne vnquam audiamus iſtam vocem, nec videamus ignẽ, ne moriamur. Et ex hoc petebant, quod non ſolum tunc loqueretur eis Moyſes in perſona Dei, ſed quod quandocunque Deꝰ eis locuturas eſſet in futuris temporibus, per alium loqueretur, & ſic prophetas pro omni tempore petiuerunt, qui ſunt interpretes, ſeu relatores verbi Dei, & hic concedit eis Deus prophetas. *Bene omnia ſunt locuti.* Id eſt bene dixerunt petendo prophetas, in quo fauet petitioni eorum. *Prophetam ſuſcitabo eis.* Quia iſta litera eſt reſponſiua ſuperiora dicta, ſcilicet tu autem à domino tuo aliter inſtitutus es, id eſt non debes inquirere veritatem à mortuis, vel per augures, aut incantatores, aut maleficos vel quoſcunque ſimiles, quia iſti ideo ſic inquirebant, quia non habebãt aliam meliorem doctrinam, ſiue meliorem inſtitutionem: tu autem quia aliter inſtitutus es à Deo tuo, id eſt aliter edoctus, ſcilicet quia docet te de veritatibus neceſſariis per prophetas, & hęc eſt cauſa quare ſubiungit. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit.* Neceſſe eſt enim quod intelligatur hoc de propheta quolibet, poſtea à Deo mittendo, qui inſtitueret populum in veritatibus, quas quærerent, & non cogerentur declinare ad ariolos, & cæteros incantatores: & dicitur. *Prophetam de gente tua.* Id eſt ſuſcitabit dominus vnum prophetam, & poſt eum alium prophetam, & ſic multos alios ſucceſſiue. *De gente tua.*

D

E

Nota aliam continuationem et intellectũ huius litera obſcura.

An de Gentilibus ſuſcitauerit Deus aliquos prophetas, vel omnes fuerunt de Iudæis. Et de Sybillis.

QVÆSTIO. V.

SVSCITAVIT Deus prophetas aliquos de aliis gẽtibus, ſicut fuit Balaam: de quo Num. 22. & 23. & 24. c. qui propheta fuit, & ariolus: vt ibidem patet. Suſcitauit etiam Sybillas quæ fuerunt fœminæ multa futura prophetantes, & iſtæ fuerunt decem inter quas prima fuit ſybilla Erithrea, quæ tempore Thola iudicis Iſrael fuit, ſcilicet anno à creatione mundi 3890. quãdo fuit bellum Troianũ: hæc prophetauit Troiam bello perituram, & Homerum geæcorũ vatem, qui poſtea per multa tempora fuit, mendacia locuturum, vt ait Firmianus Lactantius de natura deorum lib. 1. cap. 6. Huius enim multa dicta eccleſia canonizauit, & recitat, ſcilicet verſus illos quos ipſa in græco ſcripſit, & quædam poſtea in exametros latinos conuertit, ſcilicet

F

Iudicij ſignum tellus ſudore madeſcet:
Et rex aduenict per ſecula cuncta futurus:

Et cęteri qui canuntur in matutinis natiuitatis, de his multa ponit Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 23. Fuerunt aliæ nouẽ Sybillę, ſcilicet Sybilla Delphica; alia Libyca, alia Samia, alia Cumea, alia Phrygia ſiue Troiana, alia Babylonica, alia Tiburtina: alia Cymeria. Omnium iſtarum libri in Capitolio Romano tempore Gentilitatis etiam magno tempore poſt Chriſtum in Capitolio habebantur, , & volentibus monſtrabantur: ſoli autem libri Sybillę Cumanę occultabantur, quos ſolum licebat videre quindecim viris: de his Marcus Varro in libris Sacrorum, & Lactantius de natura deorum libro primo capit. 6. & Iſidorus Etymologiarum lib. 8. cap. de Sybillis. De libris iſtarum Sybillarum mirabilia

A dicta de Christo habentur in libris 7. Lactantij de natura deorum,& interdum in libris Augustini de ciuitate Dei: de his tamen prophetis Iudæi non curabant, quia non erant de gente sua. *Et de fratribus tuis.* Istud non refertur ad populum Israel simul, quia totus populus non habebat aliquos fratres, nisi dicantur fratres Israel omnes qui erant de stirpe Esau, scilicet Idumæi, scilicet, quod sicut Iacob, & Esau fratres erant,ita quod omnes de stirpe Iacob essent frates omnibus de stirpe Esau, & isto modo accipitur supra 2.cap.cum dicitur transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitabant in Syer, & infra 28. capit. dicitur non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est , sed non potest accipi hic isto modo, quia non dicebat Deus, quod suscitaret prophetas de Idumæis, quia illis non erat credendū, cum essent idololatræ, & semper essent suspecti de declinatione ad idololatriam : etiam non potest stare, quia in litera dicitur prophetam de gente tua, scilicet de Israelitis , ergo locutio ista ad quemlibet de Israel, licet loquatur eis simul quasi dirigatur ed totam communitatem vox, & tunc bene dicitur quod Deus suscitabit de gente tua id est de Israelitis, & isti erant vna gens, de qua erat quilibet qui erat de genere Iacob. *Et de fratribus tuis.* Id est de ipsis Israelitis, nam omnes Hebręi inter se fratres vocabantur,vt patet Leui.25.& supra 15.cap. cum dicitur cum venditus fuerit tibi frater tuus Hebræus aut Hebræa: loquendi ergo ad quemlibet Hebræum

B erat verum, quod quando aliquis surgeret propheta de Hebræis, quod Deus suscitabat prophetam. *De fratribus eius.* Id est de fratribus illius Hebræi ad quem dirigitur ista locutio: loquendo autem ad totum Israel, sicut interdum fit in isto libro, non staret hoc. *Suscitabit Dominus Deus tuus.* Verba sunt Moysi instituentis totum Israel monstrando,quod non oportet eos inquirere veritatem à mortuis , vel aliis modis supradictis, quia prophetam habent. *Ipsum audies.* Id est quicunque ille propheta fuerit audies illum, dum tamen à Deo missus sit, quod declaratur per signa quæ infra ponuntur, scilicet vtrum à Deo sit vel non. *Vt petisti à Domine Deo tuo in Oreb.* Id est ipse loquebatur ibi tibi per se , & tamen territus fuisti audiens vocem eius, & petisti ne vnquam tibi loqueretur,sed quod loqueretur Moyses, & ipse audiret primo à Deo,& deinde recitaret coram populo,vt patet Exodi 20.& supra 5.& hoc erat esse prophetam,sicut ergo ipsi tunc petierunt prophetam ad referendum eis verba Dei,& non solum erant eis necessaria verba Dei tunc, sed etiam de futuris generationibus: ideo non solum erat eis necessarius tunc propheta, sed etiam post: & ideo dicit Moyses. *Suscitabit.* Id est post me multos alios suscitabit Deus, qui eodem modo tibi verba Dei enuncient. *Quando concio congregata est.* Id est in die quo totus Israel congregatus fuit ad audiendum præcepta Dei in voce tubæ, vt patet Exodi 19. cap. quia incipiente sonitu tubæ eduxit Moyses omnem Israel de castris, & eduxit

C illos ad radices montis: concio dicitur populus siue totum concilium congregatum, & à concione dicitur concilium, & à concione dicitur principatus concionatiuus de quo Arist. 3. Polit. cap. 1. quod oportet participare omnem ciuem saltem principatum concionatiuum, id est quod habeat vocem in concione, siue concilio quantum ad facta communitatis: etiam ex hoc vocantur concionatores qui loquuntur ad totum populum, scilicet ad totam concionem, & sic Salomon vocatur Concionator in libro Ecclesiastes : quia Ecclesiastes in Græco idem est, quod Concionator siue loquens ad concionem latine , & hoc signat litera Hebraica, quæ dicit hic. *In die populi.* Id est in die quando totus populus congregatus fuit, & licet isti non petiuissent, quod loqueretur eis Moyses, & non Deus: tamen Deus non loqueretur amplius,quia Deus solum volebat eis loqui per se decē præcepta, cuius ratio late habetur Exodi 20. cap. *Et ait dominus mihi bene omnia sunt locuti.* Istud dictum habetur supra cap. 5. cum dicitur : tu magis accede & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos , & nos audientes faciemus ea, quod cum audisset dominus ait ad me: audiui vocem verborū populi huius quę locuti sunt,& bene omnia sunt locuti: quis det talem mentem habere eos,vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea? Potest autem hoc intelligi dupliciter vno modo , quod Deus dixerit, quod bene sunt locuti isti Hebræi,quia dixerunt quod facerent omnia quæ mandaret Deus, & hoc declarat cum dicit: quis det talem mentem habere eos,vt timeant me, & custodiant mandata mea? D

Alio modo quod referatur hoc ad illud, quod hic dixerūt Hebræi, scilicet quod non loqueretur eis Deus, sed Moyses: & sic dicit Deus, quod bene sunt locuti, id est rem rationalem petunt: ideo exaudiuit Deus petitionem eorum, & secundum istum sensum concordat litera ista superiori, scilicet. *Ipsum audies, vt petisti à Domine Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est atque dixisti, vltra non audiam vocem Domini Dei mei , & ignem hunc maximum amplius non videbo ne moriar.* Et tunc sequitur litera,scilicet.*Et ait dominus mihi bene omnia sunt locuti.* Id est bene petiuerunt: ideo sic faciam,& sic apparet in litera immediate sequenti, scilicet. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum.* Si autem referatur ad sensum priorem, scilicet quod Deus diceret istos bene locutos, quia dixerunt quod omnia mandata Dei custodirent: non est aliquo modo ad propositum literæ huius de dando eis prophetam , & tunc dicet aliquis quod non accipitur istud dictum secundū eandem sententiam supr.5.cap. & hic respondetur,quod ita accipitur: quia ista litera vbicunq; ponatur,siue hic,siue ibi, duos istos sensus simul importat, & patet, quia dicitur. *Bene omnia sunt locuti.* Quasi dicat, quod non solum locuti fuerūt Iudæi vnum,sed multa,& omnia illa recte dixerunt,fuerunt autem ista duo.

Primum erat,quod nō loqueretur eis Deus, sed Moyses, siue aliquis propheta loco Dei.Secundum fuit,quod omnia quæ diceret ille propheta à Deo custodirent, & vtrunq; erat bene dictum: ideo dicitur, quod bene omnia sunt locuti. *Prophetam suscitabo.* E

Vtrum tota ista litera à principio vsque in finem diuersimode in partibus suis exponenda sit, scilicet in vna parte de Christo, & in alia de prophetis alijs, vel intelligatur secundum sensum literalem simul de Christo, & quolibet alio propheta bono.

Qvæstio VI.

Satis notum est , quod litera intelligitur de quolibet propheta, quem Deus suscitaret post Moysen. Sed quia Doctores nostri exponunt de Christo , vt satisfiat vtrique, diuidunt istam literam, scilicet ab illo loco, prophetam de gente tua,vsque ad istum locum exponunt de quolibet propheta, qui venturus esset & eruditurus Israelitas : & ab isto loco vsque ad illum locum , propheta autem qui arrogantia, exponunt de Christo. Sed non conuenit hoc vllo modo.

Primo quia ista verba on differunt aliquo modo, quia vnum est repetitio alterius,&est vnum probatio alterius,quia F Moyses loquens ad populum dixit ista prima , scilicet prophetam de gente tua,& de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus, ipsum audies: sicut petisti à domino Deo tuo in Oreb: ecce qualiter iste propheta , de quo est Moyses locutus, hic est propheta quē petiit Israel, siue vnus, siue multi : & tunc inducitur Deus consentiens istorum petitioni cum subditur. *Et ait dominus ad me bene omnia sunt locuti.* Id est recte fecerunt petere aliquem qui loqueretur eis loco mei, & sequitur: prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, ergo ad superiorem prophetam refertur,& sic necessario est idem propheta. Item quia infra dicitur propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo , quæ ego non mandaui illi &c. in quo loquitur de malis prophetis: siue qui se prophetas fingunt, cum tamen non sint, ergo in superioribus scilicet hic videtur, quod dabat regulam de veris prophetis : alias si litera ista intelligeretur de vno solo,& postea poneretur regula de omnibus malis, esset quoddam deliramentum,cum istæ regulæ poni deberent quasi de contrariis. Necessario ergo dicendum totam istam literam debere claudi sub vna sententia, & ad quē refertur vna pars, refertur alia. Dicendum enim quod tota ista litera intelligitur de quolibet propheta quem Deus mitterer ad erudendum Israel, & ponuntur duæ regulæ scilicet vna regula de bono propheta,& alia de malo propheta. Dicendum etiam

necessa-

Cōcio. Concionator. cōciliū quid.

Duplex litera expositio.

Doct. expositio & opinio.

A

necessario quod ista litera intelligitur tota de Christo à principio vsque ad locum illum. Propheta autem qui arrogantia, ita quod non diuidatur litera. Et hoc quia ipse Christus testatus est hanc auctoritatem de se intelligi, vt patet Ioan. 5. c. cum dicitur: si enim Moysi crederetis forsitan crederetis & mihi: de me enim ille scipsit: si enim illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Etiam patet hoc Luc. 24. cap. cum enim Christus in specie peregrini duobus discipulis euntibus in Castellum Emaus declararet, quod oportuisset Christum pati omnia ista, & prædicare, & facere omnia alia, & hæc prophetarum testimoniis comprobaret dicitur, & incipiens à Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis, quæ de ipso erant in omnibus scripturis: in his autem duabus scripturis dicitur, quod Moyses aliquid prophetauit de Christo, sed si requirantur omnes quinque libri sui, non reperietur aliquid quod applicari possit ad Christū nisi hoc. Et si forte aliquis proteruiat dicens, quod alia loca sunt in quibus Moyses locutus est de Christo scilicet in omnibus sacrificiis, & cæremoniis aliis, quę signabant Christum futurū, cum essent vmbra futurorum bonorū, & manifestatur hoc Ioan. 19. ca. vbi beatus Ioannes interpretatur ea quæ Moyses dixit de sacrificio agni paschalis esse de Christo intelligenda: nam cum dixerit, quod ad Iesum cum venissent non fregerunt ei crura, subiungit: facta sunt hæc vt impleretur scriptura os non comminuetis ex eo: & tamē hoc dixerat Moyses, vt patet Exodi 12. cap.

In omnibus 5. libris Moysi nō reperitur aliqua prophetia in sensu literali de Christo, nisi hac.

B

Respondetur quod Moyses & aliæ scripturæ loquuntur de Christo dupliciter aut clare scilicet in sensu literali & principali, aut in metaphoris quibusdam, quæ ad alium modum & sensum videntur trahi principaliter saltem in cortice literæ. Si autem accipiatur iste secundus modus: dicēdum quod Moyses in multis locis loquitur de Christo, quia quasi omnia quæ de sacrificiis & similibus cæremonialibus dicuntur, ad Christum trahuntur, aut trahi possunt. Accipiendo primo modo non est aliquis locus in toto pentatheuco Moysi qui loquatur de Christo, nisi iste, ita quod sint verba Moysi. Dico autem propter locum illum qui habetur Gen. 49. cap. scilicet donec veniat qui mittēdus est, scilicet Messias vbi declaratum est, cum ista verba non sint Moysi: sed Iacob annūciantis filiis suis futura.

Quod autem de ista auctoritate Moysi intellexerunt euāgelistæ duo: patet quia in sermone B. Petri quem fecit ad Israelitas, vt patet Actu 3. cap. cum probare vellet per Moysen Christum Iesum fuisse promissum in lege, allegauit istam auctoritatem dicens, Moyses quidem dixit: quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam meipsum, audietis iuxta omnia quæcunque fuerit locutus vobis. Et si quæras, quomodo ergo importat ista litera hos duos sensus? Dicet forte aliquis quod vnus est metaphoricus.

C

Doct. respon. quod intelligatur ista litera de quocūque bono propheta & de Christo etiā

Respondetur quod non potest stare, quia in metaphoris non est arguere: tamen beatus Petrus arguebat in hac litera contra Hebræos, & Christus eodem modo. Dicendum ergo quod sensus literalis est vterque: nam vna litera bene potest importare duos sensus, cum vnus subordinatur alteri per modum quem declarauimus Exodi 12. capit. Est autem sensus huius literæ, quod Deus mitteret prophetas bonos, qui erudirent Israel, & loquerentur ei verba, quæ à Deo audirent, & quia nullus ita excellenter facturus erat hoc, sicut Christus, voluit principaliter hoc de Christo intelligere, & ad istum sensum protulit Moyses super quem Christus fundabatur in arguendo. *Prophetam suscitabo eis.* Iudæi doctores volunt quod iste propheta fuit Iosue: quia post Moysen nullus propheta immediatior fuit quam Iosue cui sæpe Deus locutus est, vt patet Iosue primo & 5. 6. 7. 8. & quasi in omnibus cap. Doctores nostri, vt communiter dicunt esse Christum qui per excellentiam fuit propheta, & ad quem omnes prophetæ dirigebantur. Quod non negatur, sed intentio literæ non videtur. Ad hoc ergo videtur dicēdum aliquibus quod non intelligatur litera ista de aliquo vno propheta, siue Iosue, siue quolibet alio, vel etiam Christo: sed intelligitur de quolibet propheta quem Deus post Moysen suscitaret: quia conditiones istius prophetæ in quolibet reperiuntur. Et patet hoc: quia si intelligeretur de vno propheta quicunque esset ille, non satisfaceret intentioni petitionis Israel: quia ipsi petierunt ne vltra viderent ignem, & audirent vocem domini: si autem Deus vnum prophetam eis promitteret, de quo ista intelligerentur, oporteret ante illum vel post illum Deum loqui eis in igne, & voce terribili. Et si dicas, quia nō sequitur: quia Deus promittebat vnum specialiter, & tamen daturus erat plures, quos non promittebat, & sic nunquam loqueretur eis in igne.

D

Sed non stat hoc: quia dato quod solum vnus promittebatur, dato quod plures & semper futuri essent: tamen non potest litera concordari: quia dicit hic Moyses quod dando istum prophetam satisfaciebat petitioni eorū scilicet quod non viderent vltra ignem maximum: nec audirent vocē domini: quia ille propheta si vnus esset, non daret semper. Item non concordat superiori intentioni literæ: quia Deus dixit se daturum prophetam, vt reuelaret eis secreta quæ audiret: sed non sufficeret, quia mortuo illo, vel nondum nato quęrerent augures & diuinos: cum non haberent alium respondentem. Ea quæ supra dicuntur vera sunt: sed ista auctoritas principaliter intelligitur de Christo, vt inducitur Actuum 3. cap. *Et ponam verba mea in ore eius.* Ita vt ipse propheta esset instrumentum, Deus autem loqueretur, & ideo cogebantur aliquando prophetæ loqui nolentes, vt patet de Balaam Nu. 23. cap. quod non contingeret si ipse propheta semper moueret instrumenta ad loquendum: quia tunc esset principale agens, & non cogeretur, & tamen ex hoc non tollitur quin prophetæ intelligant quæ dicunt, quia non sunt sicut arrepticij qui sunt pure instrumenta, & hoc putauit Montanus hæreticus, quem reprehendit beatus Hieron. vt habetur in prologo super Abacuc. *Qui autem verba eius quæ loquitur in nomine meo.* Dicendo, hæc dicit dominus: alia autem quæ non loquebatur in nomine domini, id est vt propheta, non tenebantur audire. *Audire noluerit.* Contemnendo vel repugnando sicut faciebant prophetæ mali, qui repugnabant prophetis domini, & percutiebant eos, vt Sedechias, qui fecit cornua ferrea percussit in maxilla Micheam prophetam domini: vt patet 3. Regum 22. capit. Et Hieremias sæpe percussus est, & alij prophetæ, vt patet in multis locis. *Ego vltor existam.* Scilicet talem virum temporaliter vel ęternaliter puniendo.

E

Applicando autem istam literam ad Christum, de quo principaliter loquitur sic expones. *Prophetam suscitabo eis.* Scil. Christum Iesum. qui fuit propheta & plusquam propheta, & hoc intelligendum est quantum ad eos inter quos Christus conuersabatur, nam sicut prophetæ diuina reuelatione cognoscebant veritates alijs hominibus incognitas, & reuelabant eas hominibus: ita Christus multas veritates reuelabat, & abundantius quam alij prophetæ, & quia quando aliquis dicebat aliquid à Deo accepisse, & postea confirmabat illud miraculorum operatione, credebatur esse propheta, sicut hic patet, ita cum Christus multa doceret, & multa signa faceret, quæ alij nunquam fecerunt, sicut ipse Christus dixit Ioan. 15. cap. si non fecissem eis opera quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem viderunt & oderunt, & ipsi Iudæi sæpe assistentes signis quæ faciebat Iesus ad confirmationem doctrinæ suæ, dicebant quia nunquam tale factum est in Israel: propter hæc ergo sæpe vocabant eum prophetam, vt patet Matth. 16. & alibi sæpe dicebant Iudæi de Christo, propheta magnus surrexit in nobis, & ipse Christus se prophetam vocauit, vt patet Mat. 13. cap. cum de se locutus, quod non honoraretur inter cognatos suos ait, non est propheta sine honore, nisi in patria sua: licet Christus faceret omnia quæ faciebant prophetæ, & diceret omnia quæ dicebant prophetæ: proprie tamen propheta non erat, quia propheta est, qui suscipit aliquas reuelationes à Deo, quando actualiter eleuatur intellectus eius supernaturaliter ad contemplandum aliquas veritates supernaturaliter cognoscibiles: Christus autem non sic eleuabatur, nec ab alio suscipiebat reuelationem: cum ipse Deus verus sit, qui omnia reuelat: etiam quia lumen propheticum est ænigmaticum aliqualiter, & imperfectum: quia prophetæ pauca cognoscebant, & multoties videbant aliqua, & quærebantur ab eis, & nesciebant: sicut patet de Heliseo 4. Regum 4. cap. quando venit ad eum mulier cuius filius mortuus erat, & dixit ad famulum suum Giezi dimitte illam: quia anima eius in amaritudine est, & dominus celauit à me, nec indicauit mihi, &

F

Christus nō erat p̄prie propheta.

A

sic in aliis locis: Christus autem omnia cognoscebat, quia vere Deus erat, & cognoscebat voluntates hominum quas propbetæ non cognoscebant, vt patet Ioan primo cap. cum dicitur ipse sciebat quid erat in homine, & dicunt de eo Euangelistæ, quod Iesus sciebat omnia quæ ventura erant super eum: non ergo proprie propheta Christus, licet eis qui eum Deum esse nesciebant, propheta esse videbatur: si tamen cognosceretur, non vocaretur propheta: sicut nullus Iudæorum Deum prophetam vocaret: loquitur tamen scriptura quantum ad hominum apparentiam propter similitudinem aliquorum actuum. *Suscitabo eis.* Propria locutio est valde ista, nam quandocunque aliquis homo naturaliter aliquid facere non poterat, & ad illud faciendum eleuabatur supernaturaliter dicebatur suscitari, quia à se non mouebatur, sed ab alio: omnia namque quæ Deus nobis facit intellectum nostrum, aut voluntatem erigendo, suscitationes quædam sunt: & sic quando Deus ponebat in corde alicui viro, vt pugnaret pro gente Iudæorum quæ affligebatur ab hostibus, dicebatur eum suscitare: sic patet Iudic. 3. capi. cum dicitur suscitauit eis Deus Saluatorem nomine Aioth: & iterum suscitauit eis Saluatorem nomine Othoniel: prophetæ autem proprie suscitabantur, quia eleuabatur intellectus eorum per lumen diuinum ad cognoscendas quasdam veritates, quas naturali vigore cognoscere non valebant. Christus autem abundantius suscitatus dicitur: quia in prophetis aliis sola illa eleuatio intellectus ad contemplandas veritates illas erat supernaturalis, cætera autem naturalia erant: quia nihil magis quam alij homines habebant: Christus autem non quidem accipiendo pro supposito diuino quod æternum & increatum est, sed accipiendo pro illo homine assumpto, est suscitatus magis à Deo quam alij homines, quia supernaturaliter formatus est nullo virili semine agente, supernaturaliter ad verbum assumptus est natura hoc non potente, immo nec intelligere valente: quicquid autem in eo factum est, supernaturaliter operatum est, de medio Israelitarum Deus alios prophetas suscitabat, sed nullum magis quam istum suscitauit: quia in nullo tanta supernaturaliter operatus est. *De medio fratrum suorum.* Id est non fuit Christus de Gentilibus, sed de fratribus ipsorum Iudeorum: cum enim esset de progenie Iudæorum, dicebatur esse frater cuiuslibet Iudæi, vel de fratribus cuiuslibet Iudæi: fuit enim de tribu Iuda, vt patet Matt. primo c. & Luc. 3. ca. *Similem tui.* Hoc refertur ad Moysen, scil cet quod Christus futurus erat, sicut Moyses, & hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo quãtum ad naturam, scilicet quod sicut Moyses erat homo, ita Christus esset verus homo: hoc tamen non multum videtur intelligere litera, quia satis innuebatur Christum esse hominem cum dicebatur, prophetã suscitabo de medio fratrũ tuorum: nam qui ex hominibus nascebatur, necessarium erat, vt homo esset.

Duplex litera expositio.

B

C

Alio modo intelligitur, quod sicut Moyses erat maximus inter prophetas, cui Deus clarius & pluries apparebat, vt patet infra 34. & Num. 12. c. ita Christus abundantius cognosceret quam omnes alij prophetæ. *Et ponam verba mea in ore eius.* Deus dicitur ponere verba in ore Christi: quia ipse Christus est verbum patris, & nihil ei magis conuenit quam patrem gignentem, & seipsum manifestare: sic facit verbum nostrũ, quod nos loquentes & seipsum manifestat, & sic dicit Christus Ioan. 5. c. quod nihil loquitur, nisi quæ vidit & audiuit apud patrem, licet autem in ore aliorum prophetarum verba Dei posita fuerint, in nullo tamen ita proprie posita sunt, sicut in hoc cum ipse sit verbum patris. *Loquetur ꝯ, ad eos omnia quæ præcepero illi.* Nam nihil loqui omittebat per timorem aut iniustum amorem, sicut homines imperfecti faciunt: etiam dicebatur loqui omnia quæ præcipiebat Deus, quia nihil de corde suo confingebat, vt patet Ioan. 5. c. *Qui autem verba eius quæ loquitur in nomine meo.* Dicitur loqui Christus in nomine Dei, vel aliquis propheta, quãdo dicit hæc mãdat fieri Deus: aut ista dicit euentura, vel hæc testatur fuisse. *Audire noluerit.* Id est noluerit obedire exequendo mandata eius, aut assentiendo eis quæ credi mandabat. *Ego vltor existam.* Quia Deus punit æternaliter cum mortaliter peccẽt repugnãdo Christo. *Propheta qui arrogantia.* Hic agitur de malo propheta. *Voluerit loqui nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret.* Vt si Deus aliquid vni prophetæ reuelet. Et alius primo ab illo tacite audiens aliis illa dicat tanquam sibi à Deo dicta. Et hoc propter arrogãtiam scilicet vt glorietur Deum sibi fuisse locutum, vel forte vt sub isto colore aliquid lucretur. Si autem aliquis aliqua falsa confingat, & aliis tanquam Deus mandauerit, hęc dicit, siue ad iactantiam, siue ad lucrum, non dicitur loqui in nomine domini. *Aut ex nomine alienorum Deorum.* Id est quod dicat aliqua, quæ non sunt reuelata à me, sed ab alienis deis id est à dęmonibus. Non est intelligendum, quod aliquis propheta loquatur in nomine deorum alienorum dicendo hęc dicit Astaroth vel Phegor, quia tunc non audirẽt eum Iudæi, sed mox lapidarent eum: nec de prophetia huius aliquod dubium esse poterat. Dicitur autẽ aliquis propheta locutus ex nomine alienorum deorum, cum aliqua loquitur per responsum dæmonum, vtpote quia est augur, & aliquid aspexit in garritibus auium, & dixit scitote, quia tale quid euenturum est, aut si ariolus, & respexit in visceribus animalium occisorum, & hæc prænunciet euentura tanquam ei Deus dixisset, etiam si non dicat se loqui à Deo dicens, hæc dicit dominus, incurrit pœnam huius legis: proprius tamen intelligitur hoc cum sciretur de aliquo quod erat ariolus, vel magus, aut habens phitonem, & ab illo inquireret veritates aliquarum rerum, & postea diceret: hæc dicit dominus, & tamen dixisset sibi phitonicus spiritus dato quod illud euenisset, mori debebat iste propheta: si autem quispiam in tãram prorumpens insaniam diceret: hæc dicit vobis Deus Astaroth, vel Belphegor, aut quisquam alius loquebatur clarissime in nomine alienorum deorum, & de hoc non est dubium quod confestim mori debebat. *Quod si tacita cogitatione.* Hic respondet Deus dubio, quod insurgere poterat de cognitione prophetæ, an ex Deo sit. *Hoc habebis signum.* Scilicet quod si ea quę prædixerit propheta non euenerint, non locutus fuit Deus illa, quia Deus mentiri non potest, quæ ergo prædixit euenient. Sed in hoc considerandum erat, vtrum propheta conditionaliter an absolute locutus fuisset, & an assignasset tempus an non, & secundum hoc poterat de eo iudicari. *Sed per tumorem animi sui confinxit.* Id est superbia, vel appetitu honoris, vt alij eum extollant.

Conditiones malorũ prophetarum.

D

An propheta falsus loquatur nomine deorũ alienorum.

E

In quo cognoscitur propheta falsus à vero, & aliquæ regulæ circa hoc.

QVÆSTIO. VII.

ET notandum, quod non conuertitur ista regula scilicet quod quandocunque non euenit quod prædictum est, quod propheta non est à Deo: sed non valet euenit quod dictum est, ergo est propheta à Deo, quia aliquando dæmonũ prophetę signa vera prædicunt. Etiam quia à fortuna aliquis verum dicere potest, quia sicut contingit, quod id quod aliquis de futuro prænunciat sit falsum, ita contingit esse verũ: non concludetur ergo ex his quæ accidũt veritas prophetiæ: dantur autem duæ regulæ ad cognoscendum aliquem esse falsum.

F

Prima quod non dicat aliquid contra cultum Dei, vt si dicat quod Deus mandat coli deos alienos, & non solũ si mandet hoc, sed etiam si dicat vel mandet aliquid contra legem: quia constat legem esse veritatem inuiolabilem, quia à Deo dictam: Deus autem sibi ipsi non contradicit. Sed contra hoc arguitur: quia aliqui prophetæ contra legem dixerunt & fecerunt, vt patet de Dauid qui sacrificauit in area Ornam Iebusæi, vt patet 2. Regum vlt. cap. cum tamen prohibitum esset in lege sacrificia facere extra atrium tabernaculi, vt patet Leui. 17. & supra 12. cap. Et Helias bonus propheta dicebatur, & tamen induxit populum, vt sacrificiũ fieret in monte Carmelo, vt patet 3. Reg. 18. ca. Ad hoc respondetur, quod aut propheta dicit aliquid quod cõtradicit alicui quod affirmantur esse in lege, aut mandat, vel persuadet fieri aliquid contrarium ei quod in lege mandatur, si primo modo propheta est singulariter malus, quia ea quæ affirmantur esse in lege immobiliter sic sunt: ideo cõtrarium semper falsum est: vt si aliquis propheta diceret, quod Deus non creauit mundum, vel non eduxit Israelem de Ægypto, quorum oppositа afferuntur in sacra scriptura, & quantumcunque paruũ esset quod ille propheta negaret: vel si negatum est in scriptura, & illud affirmaret malus esset, vt si diceret, quod Salomon

non

A non fuit filius Dauid, & omnes tales hæretici vel infideles vocantur diuersimode. Si autem aliquid mandaret, vel persuaderet fieri quod in scriptura vetatur, aut illud est malum simpliciter, aut malum solum, quia prohibitum: si autem est malum simpliciter, tunc propheta ille malus iudicatur, vt si mandet accipere vxores alienas, vel colere idola quæ in lege prohibentur, & de se mala sunt: de hoc sup. 13. ca. quia nullo casu sibi credendum est etiam si signa faciat.

Et si dicas de illo propheta qui inspiratus à Deo mãdauit alteri, quod percuteret ipsum gladio, vt patet 3. Reg. 20. ca. & non fuit iudicatus malus propheta: tamen percutere alium gladio simpliciter malum est, quia est contra præceptum decalogi. Respondetur, quod licet occidere & percutere de se malum sit, tamen in aliquo casu iustificari potest, vt si sit aliqua causa iusta occidendi, vel vulnerandi, sic autem erat hic, quia iste propheta mandabat alteri, quod percuteret eũ: ideo percutiendo sine praua intentione, nec peccatur cõtra Deũ, nec percusso aliqua paratur iniuria, immo ille qui percutere prophetam istum noluit peccauit, quod patet, quia propter hoc à Leone occisus est, vt patet eodem capit. non est autem sic de adulterio, vel adoratione idolorum, quia in nullo casu iustificari possunt, nec valet si arguatur de Osee: quia dictum est sibi accipere vxorem fornicariam, & fac filios fornicationis, quia in hoc non mandatur Osee, quod fornicetur, sed quod accipiat in vxorem mulierem quæ fornicaria erat, &habebat filios natos in fornicatione, & illos fecit suos filios Osee adoptando eos. Et iste intellectus conuenit literæ & figuræ: literæ quidem, quia dixit Deus accipe vxorem: si ergo vxor sua efficiebatur, non poterat ex ea fornicationis filios facere, sed legitimos.

B Item quia Deus volebat per hoc signare, quod Iudæi non erant filij sui, qui seruiebant idolis: sed ipse adoptauit eos abstrahendo à cultu idolorum: patet iste sensus per illa quæ sequuntur in illo primo c. de hoc magis diximus super prologum primum Gen. scilicet super epistolam ad Paulinum, in cap. 7. eiusdem prologi. Si autem illud quod mandat, vel persuadet est malum, quia prohibitum, tunc distinguendum, quia aut propheta ille qui mandat vel facit, est approbatus per alia præcedentia, & veritates, ita quod non præsumi possit de eo, quod hoc ad malum finem, tunc iudicabitur de eo, quod est bonus, & quod hoc ex Dei dispẽsatione facit ad maiorem laudem Dei: sic est de Dauid, de quo arguebatur, quia ipse approbatus erat à Deo testimonio Samuelis, vt patet 1. Regum 16. cap. & in multis aliis operibns glorioſis. Sic etiam de Helia præsumebatur, quia omnes eum in sanctum prophetam habebant, quia eum solum vocabant eo tempore prophetam domini, & quia sciebant, quia precibus eius tribus annis & dimidio non pluit, vt patet 3. Reg. 17. cap. & Iacob. 5. cap.

C Item quia videbat totus populus, quod ipse disceptabat contra prophetas Baal, vt dimitterent idololatriam: nõ erat ergo verisimile, quod ipse ibi ad cultum idolorum immolasset ad confutandam prauitatem idololatrarum, quæ aliter congrue confutari posse non videbatur: si autem illi qui ista faciunt vel dicunt, sed tales qui nondum per aliqua facta approbati sunt, si talia dicant vel faciant eis credendum nõ est, sed magis repugnandum, vt patet de nouem tribubus & dimidia, quæ pugnare voluerunt contra duas & dimidiam, quia ædificauerat altare extra locum quem Deus elegerat, & per hoc præsumebatur contra eas, quod idololatrare vellẽt, vt patet Iosue 22. capit. Etsi arguatur, quia Gedeon ædificauit altare domino sub quercu, & obtulit sacrificium ibi, vt patet Iudic. 6. cap. Et non fuit ei imputatum ad malum, cum tamen Gedeon nondum esset approbatus nec famosus in Israel.

Respondetur quod factum Gedeonis fuit approbatum post per mirabilem liberationem de manu Madianitarum, vt patet Iudic. 7. cap. ideo altare illud quod fabricauit mansit in magna reuerentia per multa tempora post, vt patet Iudic. 6. cap. si vero non secutum fuisset illud miraculum, non fuisset approbatũ factum Gedeonis. Secunda regula est, quod quando propheta prædixerit signum futurum, & non euenerit, non fuit Deo prophetia, quia Deus fallere nescit, nec quod vult potest non euenire. Sed contra hoc arguitur: quia multa Deus per prophetas dixit, quæ non euenerunt, vt patet de morte Ezechiæ quam prædixit Esaias, sed non euenit, vt patet 3. Reg. 20. cap. & Esaiæ 38. sic etiam Ionas prædixit destructionem Niniuitarum, vt patet Ionæ 3. sed non facta fuit, & Hierem. 18. cap. habetur subito loquar de gente, vt ædificem & plantem: deinde subditur, quod etiam subito cõuertetur ad furorem suum, vt destruat & euellat, ergo variabuntur dicta prophetarum, & tamen non vocantur isti prophetæ mali.

D Aliqui volentes defendere regulam dicunt, quod semper prophetia boni prophetæ completur, & ad obiecta dicunt, quod istæ prophetiæ completæ fuerunt, & si non literaliter, tamen spiritualiter, ita quod Niniue destructa fuit, & Ezechias mortuus fuit peccato. Sed hoc non potest stare, quia si prophetiæ omnes complerentur, non diceretur Deus mutare sententiam: sed hoc falsum est, vt patet Hierem. 18. cap. quod totaliter Deus mutare sententiam dicitur. Et si prophetia dicta de Ezechia completa fuisset, non dixisset Deus: quia audiui orationem & lachrymam tuam: ecce sanaui te, & addidi 15. annos vitæ tuæ.

Et si dicatur, quod ista prophetia non fuit completa literaliter, sed spiritualiter: ista autem argumenta fiunt de sensu literali. Respondetur quod non potest stare, quia si completa fuisset in sensu spirituali, oportet quod in illo intellexisset propheta proferens, alias si intelligeret in alio in quo non compleretur, mentiretur propheta: sed propheta non intẽdebat sensum spiritualem, quia timens tristaretur de nõ impletione, sed Ionas respiciens ciuitatem Niniue non subuerti dolebat dicens, melius est mihi mori quam viuere, quia non videbat impletum quod dixerat, vt patet Ionę 4. cap. ergo nõ intelligebat in sensu spiritnali. Item quia si liceret dicere compleri prophetiam aliquam in sensu spirituali, tolleretur omnis certitudo prophetiæ, & non posset distingui inter verum prophetam, & falsum quod est contra dictum textus. Et patet consequentia, quia nulla prophetia tam erronee dici posset quæ aliquem sensum spiritualem non reciperet, quia Hebræi dant sensum spiritualem dictis Talmud, quibus nulla falsiora & irrationabiliora esse possunt. Dicendum ergo quod ea quæ dicunt prophetæ, vel quæ Deus dicit non complentur, quia Deus ita res dicit, vt cognoscit. Aliquando Deus dicit aliqua quæ secundum sui alti consilij determinationem nouit futura, & ista quia à causa immutabili emanant, sic erunt, nec vllo modo mutabuntur, & istæ vocãtur prophetiæ prædestinationis. Alio modo Deus dicit aliqua euentura esse per prophetas, secundum quod cognoscit ea depẽdere ex suis causis particularibus, licet aliter sit in intellectu diuino: nec in hoc est aliqua fictio vel falsitas, licet non dicat secundum quod est in intellectu suo determinatum, dicit tamen secũdum quod est in suo intellectu cognitum à causa particulari dependere, licet ipse prænoscat futuram causæ mutationem: ideo non sequitur idem ordo efficiendi, & vocatur ista prophetia comminationis, quia nõ sic fiet, sed sic futurum Deus comminatur: & de hac dicitur cõmuniter noueris mutare vitam, nouerit mutare sententiam. Et modi communes loquendi obscurant multum istam materiam, quia videntur aliquo modo ponere aliquam mutabilitatem in Deo, licet hoc non intendant: quia nullo modo sentẽtia Dei, vel id quod Deus dicit mutabile est, sicut enim si aliquis iudex diceret alicui accusato, secundum tua crimina, quæ hic proponuntur, tu mereris suspendi, in hoc nihil sentẽtiat: & ideo si ille non suspendatur, nõ mutatur aliquid de verbo iudicis. Si tamen iudex dicat, ego sentẽtio te suspẽdi, ista est vere sententia, vt si hæc non compleatur, mutatur aliquid de verbo iudicis dicto: sic est in Deo si Deus dicat alicui, secundum tua peccata præsentia mortem mereris tẽporalem, siue subuersionem, propter hoc tamen nõ dicit, quod subuertetur, vel quod moriatur: si tamen Deus diceret ego iudico te moriturũ in breui, ista sententia est. Sic enim est de his, quæ Deus dicit nobis vel cõminatur, quia qñ Deus aliquid secũdũ suam determinationem futurũ esse cognoscit, & illud prædicit, sentẽtia est Dei: quãdo aũt Deus aliquid secundũ cõnexionẽ particulariũ, prædicit esse futurũ, non sententiat illud futurũ: sed dicit, quod sic futurum esse prẽsens causarum connexio requirit. Et ad istum sensum reducũtur oẽs istæ propositiones cum dicitur: morieris, & nõ viues, est sensus tua infirmitas nũc requirit, qp moriaris, & nõ viuas, &

E

Quare quãdoque ea quæ Propheta, vel Deus dicit non cõplentur

F

Quæ varificantur multa

cum

A *propoſitiones de futuro.*

cum dicitur 40. dies & Niniue ſubuertetur: eſt ſenſus præſentia peccata Niniuitarũ requirunt, ꝙ vſq; 40. dies ſubuertatur ciuitas: ſi autẽ Niniue non ſubuerſa fuit, vel Ezechias non fuit mortuus, nihil magis mutatũ eſt in verbo domini quàm ſi nunquã dixiſſet. Et ſic prophetia Eſaiæ & Ionæ non fuit falſa, quia verba prophetarũ ſequuntur eum intellectũ quem Deus intẽdit, quia Deus per ꝓphetas loqui dicitur, vt patet iſto cap. Et ſicut veritas vel falſitas alicuius propoſitionis debet iudicari ad intentionem proferentis, ſic verba prophetarũ, cum à Deo ſint, ſecundũ Dei intentionẽ veritas eorum iudicanda eſt? Et licet propheta intelligat quid ſignificant ea quæ ei reuelantur, & ſciat quod Deus ea reuelat: tamen neſcit ſemper vtrum ſecundũ prædeſtinationem dicantur, an ſecundum connexionẽ cauſarum particularium, vt patet Iohelis 2. cap. quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat dominus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Et ideo contingit, quòd aliquando propheta intelligeret prophetiam, quę erat ſecundũ prædeſtinationem, eſſe ſecundũ connexionem cauſarum particularium, & aliquando econtrario: patet primũ de Moyſe, quia Deus protulerat contra eum ſententiã, quòd non intraret vltra Iordanem, & hoc fuit ſecundum Dei prædeſtinationẽ, vt patuit in effectu, ſed Moyſes putauit contrarium, ideo precatus eſt dominũ, vt dimitteret eum tranſire, & dominus ad eum, non loquaris mihi vltra de hac re: non enim tranſibis Iordanem iſtum, vt patet ſupra 3. cap. Secundum patet de Iona qui putauit Niniuem eſſe ſubuertendam, ſtabat extra ciuitatem reſpiciens: & quando vidit eam non ſubuerti, doluit, ſed licet iſta probent ea quæ Deus ſententiat, ſemper compleri, & prophetas ſemper vera loqui:

Nota.

B

Tamen adhuc manet argumentum, ſcil. quòd non poteſt diſtingui propheta verus à falſo, quia nõ conſtat eis quibus prophetia dicitur, quomodo dicatur: ideo ſi non eueniat, neſcient diſtinguere vtrum eſt verus propheta an falſus. Aliqui dicunt, vt Nicolaus, quòd in hoc diſtinguitur bonus à malo, quia boni prophetæ licet à principio ignorarent, vtrũ ſecundũ certitudinem diuinæ prædeſtinationis, an ſecundũ mutabilitatem cauſarum particulariũ dictum ſit: tamen poſt eis reuelatur, & ipſi reuelant ea eis, quibus ante contraria dixerant, & ſic videtur quod ipſi vere prophetæ fuerint. Sed non videtur ſemper, quia licet Eſaias reuelauerit immediate Ezechiæ, quòd Deus ſanaret eum, ſed non contingit ſic in omnibus: de Iona nõ videtur ſic, ſed ipſe licet timeret, quòd Deus miſereretur, tamen per reuelationem neſciebat vtrum ſubuertenda eſſet an non: ideo ipſe exiuit extra ciuitatẽ conſiderans vtrũ caderet, & dato quòd Deus ſibi reuelaſſet ante finem illorum 40. dierum, quòd nõ eſſet ſubuertenda, tamẽ ipſe non reuelauit Niniuitis: ideo dubitarent de ipſo vtrum bonus propheta fuierit.

C

Ad aliqualem ergo maiorem euidentiam oportet diſtinguere de propheta ſecundum regulas quas poſuimus ſupra, quia quædam materiæ ſunt circa quas nunquam datur, niſi prophetia ſecundũ diuinam prædeſtinationẽ, & nullis quando non euenerit, ſicut propheta dixit, perſpicuum eſt ipſum eſſe falſum prophetam. Si autem ſit circa materiam, in qua poteſt dari ſecundũ prædeſtinationem, & ſecundum cauſarũ connexionem, tunc non poteſt eſſe certa cognitio: ſed poſſunt eſſe multę veriſimiles præſumptiones. Primo ſi ille propheta alias conſueuerat verum dicere, & iſta magna præſumptio eſt: quia illi, qui apud omnes approbatus eſt, omnia creduntur, & multa permittitur agere etiã ſi ſint contra legem poſitiuam, vt diximus de Dauid & Helia. Item alia præſumptio, quia illi ad quos prophetia dirigitur, reſpiciant diſpoſitionem, in qua erant tempore quo data fuit prophetia, & diſpoſitionem in qua poſtea fuerint, & ſiue prophetia fuerit promittens bonum, ſiue prænuncians malum, poterunt iudicare vtrum ex mutatione meritorum vel demeritorũ ſuorum potuerit mutari promiſſio vel comprobatio, præcipue cum omnes homines credant, qui licet Deus eis mala prænunciet, ſi conuertantur, mala non euenient, & ſic dixerunt Niniuitæ quis ſcit ſi cõuertatur, & ignoſcat dominus, & propter hoc pœnitentiam egerunt: ideo poſt 40. dies manente inconcuſſa ciuitate poſſent credere Niniuitæ, quòd Deus exaudiuiſſet humiliationem eorum, & tenuiſſent quòd Ionas verus propheta fuiſſet, & ex his poteſt argui in alijs prophetis.

D

Capitvlvm XIX.

Cvm diſperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus eſt terram, & poſſederis eam: habitaueriſque in vrbibus eius & in ædibus, tres ciuitates ſeparabis tibi in medio terræ.

Sup. 12. Exo. 21 nu. 35. Ioſ 20. 35. q. 1. ca. illa & cap. fin.

Cvm. Supra tactum fuit de ſtatu & regimine maiorum, hic cõſequenter igitur de ordinatione minorum, quia in rectiſſimis politijs nihil inordinatũ manere debet. Et tanguntur duo principaliter. Primo ponitur quoddam præceptum pertinens ad ſtatum omnium ſimul ſumptorum. Deinde ſecundo ponit ea, quæ pertinent ad directiones ſingulorum ibi. *Non aſſumes & transferes.* Prima diuiditur in tres partes. Primo de conſtitutione trium ciuitatum primarum. Secundo de lege homicidarum ibi. *Hæc erit lex.* Tertio de ſuperadditione trium aliarum ibi. *Cum autem dilatauerit. Cum diſperdiderit Deus tuus gentes.* Scilicet quæ erant vltra Iordanẽ, ad quas immediate tranſiturus erat Iſrael. *Tres ciuitates ſeparabis tibi in medio terræ.*

De conſtitutione trium ciuitatum primarum, quæ dicuntur ciuitates refugij.

E

Qvæstio I.

Istæ ſunt ciuitates refugij. Et debebant eſſe vniuerſæ nouem, quarum tres erant citra Iordanem in terra Seon & Og, ſcil. Boſor, & Golam, ſiue Gaulon, & Ramoth Galaad, vltra Iordanem eſſe debebant ſex, ſed quia Ioſue non erat occupaturus vniuerſam terram promiſſionis, vt patet ſupra 7. cap. & Exod. 23. ſolum mandauit ei Moyſes, quòd deſignaret tres ciuitates, & fuerunt, ſcil. Cedos, Sichen, & Ebron, vt patet Ioſ. 20. cap. & de iſtis tribus dicitur hic: aliæ tres adduntur infra quando Deus dilataſſet terminos eorũ, & hoc completum fuit in Salomone, qui ſubiecit vniuerſam terram quam priores non ſubiecerant, vt patet 2. Paralip. 8. cap. & 3. Reg. 4. cap. & iſtæ ciuitates poſitæ fuerunt in terra promiſſionis, & æqualiter diſtarent, vt eſſent q. in triangulo æquilatero, vt non eſſet aliqua ciuitas quæ ab aliqua parte terræ promiſſionis valde multum diſtaret. *Separabis tibi in medio terræ tres ciuitates.* Licet in tota terra promiſſionis quæ capienda manebat ſex ciuitates erant ſeparandæ, quia tamen Moyſes ſciebat, quòd non immediate tota terra ventura erat in manus Iſraelitarum, quia dictum fuerat Exod. 23. cap. nõ ejiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ: paulatim expellam de conſpectu tuo, donec augearis & poſſideas terram: idem patet 6. & 7. c. ideo mandauit ex iuſſione Dei tres ciuitates, tũc ſolum conſtitui in refugium: cum autem dilatata fuit terra habitationis eorum, ſeparare debebant alias tres ciuitates, ſicut dicitur infra. *In medio terræ.* Non eſt intẽlligendũ, quòd iſtæ tres ciuitates eſſent in medio terræ, ſcilicet quòd acciperentur tres ciuitates, quæ eſſent inter ſe vicinæ in medio terræ, quam caperent in poſſeſſionem: quia tunc nihil magis videretur proficere, quòd eſſent tres ciuitates quàm quòd eſſent duæ, maxime quia litera infra repugnat huic expoſitioni: ſed eſt ſenſus, quòd iſtæ tres ciuitates erant ſic diſpoſitæ, quòd caperent totam terram poſſeſſionis eorum in medio, ſcilicet quòd diſtinguatur tota terra quam in poſſeſſionem accepturi erant immediate poſt Iordanem in figuram triangularem æquilateram, & tres anguli huius trianguli æquilateri eſſent tres ciuitates exiſtentes in tribus extremitatibus terræ illius, & æquidiſtantes eſſent ciuitates iſtæ inter ſe: ſic enim declarat litera ſequens, vt quidam volunt: ſed dic melius, vt infra. *Sternes diligenter viam.* Via ſterni dicitur, id eſt applanari ne eſſet via aſpera & prærupta, ſed ſatis plana, & ſic quædam viæ magnæ & planæ vulgariter ſtratæ nuncupantur, & hoc eſt intelligendum ſecundum conditionem: nam aliquæ terræ ſunt, quæ montuoſæ ſunt, in quibus non poterat planari totaliter via, ſed meliori modo quo poſſet fieri erat faciendum, vt ipſi qui confugerent ad ciuitates

F

A refugij, cito venire possent in ciuitates refugij, ne hostis suus eum in via attingeret atq; occideret: dicitur etiam via sterni, scilicet quòd ponerentur in via aliqua signa directiua, quæ viam indicent nullo homine indicante: vt qui fugeret nõ perdat viam, & incurreret in manus persecutorum, cum viarum ambagibus deliraret. *Et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides.* Scilicet prouinciam quam acquisituri essent, quia illa in tres alias ciuitates distribuenda erat, vt patet infra: istæ autem tres ciuitates primæ sic accipiebantur, quia tota illa terra diuisa fuit in tres partes æquales, & in qualibet illarum partium ponebatur vna ciuitas, scilicet, ꝙ fierent quasi tres circuli, vel tres quadrati, quorum vnus nõ continet alium, & intra istos circulos includetur tota terra Chanaan, quæ caperetur tempore Iosue, & factis istis circulis inquireretur in quolibet eorum centrum, & ciuitas, quæ esset in centro illius circuli, vel propinquior centro esset ciuitas refugij, & isto modo consonat tota littera, quod non erat secundum priorem expositionem: nam in litera dicitur, quòd istæ ciuitates essent in medio terræ, & tamen secundũ priorem expositionem non esset in medio terræ, sed magis in tribus extremitatibus terræ magis distãtibus à medio terræ, & tamen secundum istam expositionem non esset in meterræ, sed magis distantibus à medio terræ, & tamen secundum istam expositionem erant ciuitates istę locatæ in in medio terræ, non quod omnes tres erant coniunctæ in medio totius terræ Chanaan, sed quod quælibet erat in medio illius terræ in qua ponebatur, tanquam ciuitas refugij secundum assignationem circulorum trium supradictorum. Item non consonabat illa expositio, quia dicitur. *In tres partes æqualiter totam terram tuæ prouinciæ diuides.* Tamen secundum illam expositionem non fiebat aliqua diuisio, sed manebat tota terra integra, & ponebantur ciuitates in tribus extremitatibus maxime distantibus: secundum istam expositionem conuenit, quia diuidebatur terra in tres partes æquales secundum tres circulos, vel tria quadrata continentia totam illam terram. Item non conueniebat illa expositio, quia dicitur infra. *Vt habeat è vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit euadere.* Erat enim intentio Dei distribuentis istas ciuitates, quòd vbicunque aliquis esset in tota terra Chanaan haberet prope ciuitatem aliquam in quam refugere posset, si homicidium casuale accidisset: ponendo tamen modo illo valde inconuenienter locatæ erant: nam nullis essent ciuitates istæ propinquæ, nisi illis qui essent in extremitatibus prouinciæ, & tunc adhuc melius esset quomodocunque ponere eas simul, vel alias in medio prouinciæ: tamen ponendo secundũ istum modum nunc dictum, essent propinquę sibi ciuitates, cum nulla staret in extremitate prouinciæ, sed circa mediũ terræ, in alia autem positione minor distantia vnius ciuitatis ab altera erat maior, quam latitudo, vel longitudo totius

B

C prouinciæ, cum ponerentur æque distantes in situ trigono: iste ergo modus est quem littera intendit: alius autem multum extraneus est, & repugnans, & quando dicitur hic quod terra diuidenda erat in tres partes æquales, non est intelligendum, quòd acciperentur partes æquales secundum numerum ciuitatum, villarum, atque oppidorum, scilicet vt si in vna parte illarum essent triginta ciuitates, quòd in alia essent totidem, siue maioris, aut minoris spacij esset, quia tunc non haberet ille qui faceret homicidium semper, locum refugij propinquum, nam in terra illa, quæ multum esset populata, ciuitas refugij esset multum propinqua cuilibet loco illius terræ: in terra autem quæ non esset tantum populata, distaret valde ciuitas refugij, sed diuidebantur istæ tres partes terræ æqualiter, scil. quantum spacium terræ contentum, ita quod tantum spacium in longitudine, & latitudine esset in vna terra, sicut in alia, licet non essent totidem ciuitates, & oppida, quia idem periculum erat si ciuitas, refugij procul staret si terra esset populata, sicut si non esset populata, quia vtroque modo hostis persequeretur occidentem casualiter, & propter longitudinem viæ caperet eum, atque occideret etiam si sit terra solitudinis.

De lege homicidarum

Hæc erit lex homicidæ fugientis. Hic ponitur secundum, scilicet, lex homicidarum, de istis dictum fuit Num. 35. & supra 4. Et dicitur Iosue 20. cap.

Cuius vita reseruãda est. .i. omnes sequẽtes cõditiones debet habere homicida vt in ciuitate refugij vita eius conseruetur.

Qui percusserit proximum suum nesciens. Id est sine intentione percutiendi, quia ille qui incidebat ligna de cuius manubrio ferrum effugit, voluntatem occidendi non habuit: & sic si aliquis iaciebat lapidem, vel telum in locum, per quem nullus transire consueuerat, & accidit quod transiret aliquis, & mortuus est, non fuit voluntarium homicidium.

D

Nullum contra eum habuisse odium comprobatur. Quia si eius inimicus esset, non præsumeretur eum occidisse à casu, sed per excogitatã malitiam, etiam si à casu fuerit, hoc autem erat quod si aliquis erat inimicus eius, qui mortuus est, ab aliquot ante diebus, ita quod cognosci possent istæ inimicitiæ, & probari, tunc non poterat conseruari iste qui percutiebat proximũ suum dato, quòd ignorans fecisset, & in hoc adimebatur ei multa immunitas propter suspitionẽ causatim ex inimicitijs præcedentibus. Non tamen intelligendum est, ꝙ immediate ferebatur sententia contraistũ: nam nõ fertur sententia ex qualibet præsumptione, sed ex violenta hic autẽ nõ erat violenta, si ergo iste fugeret in ciuitatem refugij, & hostis suus occideret eum in eadem ciuitate, non tenebatur ad pœnam ad quam tenebantur alij effractores immunitatis illius ciuitatis, nec quando accipi debebat ille inde qui taliter occidisset, obseruabatur solennitas, quæ obseruabatur in alijs qui occiderant, & ante non erant hostes: de qua solennitate habetur Num. 35. c. & infra in litera. *Sed abijsse simpliciter.* Id est sine aliqua cautela, vel fraude ad occidendum, vel percutiendum. *Securis fugerit manum.* Hic possunt esse duo casus, vnus cum aliquis scindit ligna, & percutiens in duro loco, vel quocunque aliter, desiliat tota securis de manibus eius. Alius casus est in scissione lignorum effugiat ferrum securis, de manubrio manente manubrio in manibus scissoris lignorum. Et licet in vtroque casu posset homicidium fortuitum sequi, tamen secundum magis præsumitur esse inuoluntarium, scilicet, manente manubrio, & disiliente ferro: primus aliqualiter suspectus est, quia potuit aliquis dimittere securim de manibus elabi, vt alium percutiat, sed tamen cõsiderato quod ille qui percussit nõ erat inimicus percussi, præsumitur à casu factum fuisse de secundo casu ex littera ibi. *Ferrum ꝙ lapsum de manubrio.* Et hoc est verum si legatur litera disiunctiue, & non copulatim: si autem legatur littera copulatim, vt videtur sonare, est sensus quod alicui scindenti ligna euasit tota securis de manu, scil. ferrum cum ligno. Et deinde ex illisione in euasione effugit ferrum de manubrio, & percussit aliquem, & occidit: iste casus est medius inter primum & secundum positos supra: est enim minoris culpæ siue præsumptionis, quam primus duorum, quia ferrum quod effugit in euadendo totam securim de manu poterat ad maiorem distantiam peruenire, quam tota securis simul peruenire: est autem maioris culpæ siue præsumptionis quam secundus, quia in secundo nulla est præsumptio, in hoc autem præsumi potest, quòd tota securis voluntarie dimissa est, deinde ferrum de manubrio casualiter effugit. Aliter communiter loquentes ponunt hic vnum casum, scilicet lapsum ferri de manubrio, sed non patitur litera. *Percusserit & occiderit.* Aliqui putant quod dicitur percusserit, quia si solum lapsa securis siue manubrium percuteret proximum, & non occideret, non tenebatur mori pro illa percussione, & si proximus eius qui percussus fuerat percuteret percussorem occidendo eum, erat reus mortis: hoc autem verum est, sed nihil speciale est, nam dato quod aliquis percussisset alterum à proposito, & non moreretur, non debebat mori, etiam si hostis eius esset, sed dabat impensas in medicos, & restituebat opera eius, vt patet Exodi vigesimo primo cap. cum ergo aliquis percuteret, & non occideret, non erat opus, vt iret in ciuitatem refugij, sed dicitur magis hoc, quia si aliquis percuteretur, & non moreretur ipse poterat reddere testimonium vtrum alius eum percussisset à casu, vel voluntate, & hoc videtur, quia hic ponuntur aliqua, quæ accumulant præsumptionẽ, scilicet, si erat hostis eius ab aliquibus diebus ante: si autem superuiueret percussus ipse posset enarrare veritatem.

E

Duplex littera exposi-tio.

F

An ista litera intelligatur de percussione secreta, vel publica.

QVÆSTIO II.

SED circa hoc quæres vtrum intelligatur ista littera de percussione, quòd fieret percussio ista in sylua præsentibus testibus, vel nullo præsente. Forte dices, quòd hoc intelligebatur præsentibus testibus, quia hic dicitur, quòd euaderet securis manum scindentis, vel laberetur manubrium: si autem nullus huius rei testis adesset mortuo percusso, & fugiente percussore in ciuitates refugij, nesciretur vtrum securis lapsa esset, aut manubrium, & dato quod aliquis alterum à proposito occidisset, diceret quod euaserat ferrum, aut securis, & sic esset modus facilis ad occidēdum aliquem, quem vellemus occultando contra eum inimicitias. *Doct. respon.* Dicendum tamen melius, quòd ista percussio fieri debebat nullis præsentibus testibus: nam iura non vtuntur leuibus probationibus cum reperiunt fortia fulcimenta: nullum autem minus firmum genus probandi est, quam per præsumptiones, sed hic vtitur scriptura præsumptionibus cum dicit, quòd *Ab heri, & nudiustertius percussor contra percussorem nullum odium habuisse probatur.* Ergo oportet, quod hic non essent testes, nam existentibus testibus ex his cognosci poterat vtrum illa percussio fuisset à proposito, vel ex accidenti, nam si testes haberentur, certissime iudicaretur de facto isto, iudicando, tamen per istas præsumptiones erat aliquid incertum valde, quia aliquis forte qui ab aliquibus diebus ante nullas amicitias habuisse videretur, forte haberet eas occultas, & à proposito occideret, vel dato quòd non interceſſissent inimicitiæ poterat aliquid nouum emergere, propter quod fieret homicidium à proposito, & tamen omnes isti gaudebant immunitate ciuitatum refugij, & ille qui ante habuerat inimicitias, & de quo constabat, quòd habuisset eas, poterat percutere alterum à casu, & tamen non gaudebat immunitate ciuitatum refugij, videtur ergo quòd ista probatio debilis ex præsumptione accipiebatur in defectum plenæ probationis, quæ erat per testes. Item quia dicitur hic, quòd iste percussus abierit cum percussore in syluam, ex quo innuitur, quòd ambo ibant, & nullus alius si respiciatur modus litteræ: non ergo aderant testes per quos hoc probari posset. Ad argumentum in contrarium cum dicitur quod ille, qui percussit à proposito, forte diceret percussisse à casu. Respondetur, quòd hoc verum est, nam si ille qui ante hostis non fuerit eius, qui percussus & mortuus est, vel si erat hostis non poterat probari, & diceret percussisse à casu credebatur ei, & gaudebat immunitate ciuitatis refugij, & ad hoc veniebat præsumptio, quia de illo qui hostis erat præsumitur, quòd vellet occidere: de eo autem qui non erat hostis, non præsumitur, quòd vellet occidere, dato quod occidere vellet, & occidisset, nec est inconueniens, quòd ex probatione per præsumptiones sequatur aliquid inconueniens, quia est probatio imperfecta, & procedit, vt in plurimum non tamen necessario, alia positio aliqualiter tolerari posset, & responderi ad ista argumenta, sed ista secunda positio veritate constat. *Hic ad vnam supra dictarum vrbium.* Confugiet, id est, poterit confugere: nam loquendo de facto etiam illi qui à proposito occidebant, & fuerant hostes ab aliquo tempore ante, confugiebant ad ciuitates illas: tamen conscito, quòd ab heri & nudistertius aliquas inimicitias habuissent cum eo qui mortuus est, non gaudebant immunitate ciuitatis refugij ad quam confugiebant, & si forte hostis huius, scilicet, proximus occisi occideret hunc in ciuitate refugij, non erat effractor immunitatem illius ciuitatis. *Et viuet.* Id est ibi defendetur ne aliquis posset eum inquietare: nam si aliquis qui occidisset sic alium in incisione lignorum, qui non probaretur fuisse ante hostis eius, & confugeret ad ciuitatem refugij, dato quod eum occidisset à proposito, si proximus occisi in ciuitate refugij occideret occisorem, erat mortis reus: sicut si quis occidisset cum hominem qui nihil mali egisset: quomodo autem iste viueret Numeri trigesimo quinto capi. dicitur, scilicet, quòd manebat in ciuitate illa vsque ad mortem summi sacerdotis. *Ne forte proximus eius cuius effusus est sanguis.* Dicit hic de proximo, id est de consanguineo, vt filio, vel patre, aut fratre, & sic de cæteris gradibus consanguinitatit, & hoc quia isti ex communitate sanguinis magis se diligunt, vt dicit Aristot. 8. Ethicor. vel quia secundum ius isti debent magis prosequi iniuriam suorum, tanquam iniuriam suam, quia sunt coniunctę personæ. *Dolore stimulatus persequatur.* Quia naturaliter affligimur de occisione cognatorum. *Et apprehendat eum si longior fuerit via.* Ex quo infertur conclusio posita infra, scilicet, quòd debent ciuitates refugij in certa distantiæ æqualitate locari ne aliqua terra sit, quæ multum distet à qualibet illarum ciuitatum. *Et percutiat animam eius.* Id est destruat vitam eius: anima enim multotiens pro vita sumitur, vt illud, qui amat animam suam perdet eam, Io. 12. cap. id est amant vitam suam conseruare in hoc seculo, perdent eam in futuro, & sic dicit Paulus Actu. cap. vigesimo, non facio animam meam pretiosiorem, quam me, id est non valet vita mea magis, quam ego totus. *Qui non est reus mortis.* Et hoc inconueniens erat: ideo vitari debebat constituendo ciuitates in æquali distantia.

Quia nullum odium contra eum qui occisus est prius habuisse monstratur. Istud ponitur pro ratione vel causa superioris dicti, scilicet, & percutiant animam eius qui non est reus mortis, quòd autem non sit reus mortis subiungit, quia nullum odium contra eum qui occisus est, habuisse probatur.

Obiectio. Sed dices quod ista non est legitima probatio, nam dato quo aliquis non habuisset odium contra alium, ex multis autem diebus subito poterat emergere aliqua causa, vel litigium, propter quod vnus alterum occideret iniuste, & esset reus mortis.

Item quia dato quod non constet, quòd ille qui alterum occidit, habuerit inimicitias cum occiso, non poterat habere eas, & occidere eum à proposito, & esset reus mortis.

Respon. Respondetur quod ista peobatio non est necessaria, sed secundum datam materiam, nam totus processus probationum est hic per præsumptiones vt patet supra, scilicet, si ille qui occidit alterum erat inimicus eius: habita ergo ista probatione pro constanti secundum conditionem materiæ sequitur, quòd si aliquis occiderit occisorem qui non habuerat inimicitias contra eum quem occidit, impie agit, & quod occidit aliquem qui non est reus mortis: vel dicitur iste non esse reus mortis, non quidem quod non occiderit alterum à proposito, sed quia occidit eum cuius non probatur inimicus: lex excusat eum, & dicit non esse reum mortis: si autem aliquid probatur propter quod videatur reus mortis iste, qui sic occiderat, secus est: tamen à principio quando non constat eum habere inimicitias cum altero, habet enim eum lex tanquam non reum mortis, licet secundum veritatem mortis reus sit. *Idcirco præcipio tibi.* Infert conclusionem intentam quam supra posuit, vt præceptum: hic autem assignata ratione eius infert eam, vt conclusionem, & dicit quod nisi essent ciuitates positæ ad refugium in satis propinqua distantia, posset hostis eius qui alterum à casu occiderat, comprehendere eum in itinere, & occidere: ideo debent esse ciuitates in certa distantia situs.

Ciuitates æqualis inter se spacij facias. Id est, quòd istæ ciuitates tres refugij, quæ in terra vltra Iordanem constitui debebant, essent inter se equidistantes, quod patet ex modo superioris assignationis, nam diuidendo totam terram vltra Iordanem, quam Iosue caperet in tres partes circulos æquales continentes illas tres partes terræ si in centro cuiuslibet poneretur ciuitas illa refugij, necesse erat omnes illas ciuitates æquidistare, vt patet si describantur tres circuli æquales, & contingat quilibet alios duos, necesse est centrum illorum circulorum equidistare, quia distant quelibet duo centra per integrum diametrum circuli, & non debent poni istæ ciuitates in extremitatibus terræ illius: sicut in tribus angulis trianguli æquilateri, quia hoc supra improbatum fuit.

De triū aliarū ciuitatum additione *Cum autem dilatauerit.* Hic ponitur tertium, scilicet, de additione trium ciuitatum aliarum. *Cum dilatauerit dominus Deus tuus terminos tuos.* Dilatari termini dicuntur quando terra aliqua extenditur vltra terminos assignatos

A

An possit dici, quòd terra Chanaan nunquam fuerit dilatata pro Iudæorum possessione.

QVÆSTIO III.

ET tunc dices, quod videtur, quòd terra Chanaan nunquam fuerit dilatata, quæ dari debuit Iudæis: nam Deus promisit Iudæis septem gentes, vt patet Exod. 3. & 6. cap. in plerisq; alijs locis: termini autem istarum terrarum ponuntur Exod. 23. & Num. 34. & Deut. 11. c. isti tamen nunquam fuerunt dilatati, immo nec vnquam possederunt tantã terram Iudæi habitantes eam: quoniam multæ gentes istarum fuerunt factæ tributarię tempore Salomonis, & non fuerunt expulsæ de terris suis, nec deletæ, vt patet 2. Paralip. 8. cap. Respondetur quod termini terræ promissæ Israelitis accipiuntur dupliciter. Vno modo simpliciter pro terminis totalis terræ promissæ, & isti nunquam dilatati sunt, immo nec repleuerunt eos Hebræi habitãdo in terra illa, & hi sunt termini qui describuntur Exod. 23. & Num. 34. & Deutero. 11. Alij sunt termini terræ promissionis qui non fuerunt termini simpliciter, sed termini ad tempus dati, nam Deus dixerat eis, quòd non traderet eis omnes gentes illas simul, ne maneret terra sine habitatore, & redigeretur in solitudinem, &

B

bestiæ multiplicarentur contra eos, vt patet Exodi 23. & supra 7. c. tunc ergo determinauit certam partem terræ quam daret eis tempore Iosue, & illa concludebatur certis terminis: intra terminos autem terræ huius erant illę tres ciuitates refugij, postea autem erant isti termini dilatandi, quia terra hostium paulisper in manus eorum tradi debebat incipientibus eis multiplicari, scil. paulatim atque per partes: isti autem termini qui dilatandi erant nõ assignantur in sacra scriptura, sed alij qui erant termini totales, qui nunquam præteriri debebant. *Sicut iurauit patribus tuis.* Quæret aliquis vbi fuit hoc iuratum? nam nõ videtur aliquis locus in quo Deus iurauerit Hebræis, quòd dilataret terminos eorum. Respondetur quod Deus non iurauit dilatare terminos Israelitarũ, sed iurauit aliquid æquiualens, scil. quòd daret eis terram septem gentium, vt patet sępe in Exodo, & quod clauderentur illis terminis qui continentur Exo. 23. & Num. 34. & quia in tempore Iosue non erat daturus totam istam terram Deus, sed solam quandam partem eius, oportet ergo postea quod daret eis illam quæ supererat non possessa, vt complerentur termini totales assignati in scriptura, & hoc modo necessarium erat, quòd dilatarent terminos qui stabant tempore Iosue, & sic licet non promitteret Deus dilatare terminos illius partis, quam primo dabat, at potest dici quod Deus hoc iurauerit in terminis: nam Exod. 23. c. & supra 7. dicitur non poteris omnes delere anno vno, sed paulatim atque per partes, & sic continue termini augendi erant, sicut paulatim gentes erant delendæ: istud autem sub iurando promissum est, vt patet perlegendo litteram Exod. 23. & supra 7. *Et dederit tibi cunctam terram.* quasi dicat, quòd in tempore Iosue pars eius data est, & pars danda mansit, cuius causæ assignatæ sunt Exod. 23. & supra 12. *Quam pollicitus est.* Promissio ista primo reperitur Gen. 15. cap. deinde sæpissime in Exodo, & libro Numerorũ, atq; in hoc libro, vbi & ponunt termini istius terræ promissæ, vt sciretur quantũ promissum esset. *Sicut iurauit patribus tuis.* id est, quòd sint tantum dilatati quantum iurauit patribus tuis, scilicet, quòd illarum septem gentium terras totaliter possideret, sicut sæpe supra iurauit Deus, scilicet, Genes. 15. & Exod. 23. cap. & hoc fuit vsque ad tempus Salomonis: qui tenuit omnem terram à flumine terræ Philisthin, vsque ad terminum Ægypti, vt habetur 3. Regum 4. cap. ideo vsque ad illud tempus non tenebantur constituere istas tres ciuitates. *Si tamen custodieris mandata eius.* Quasi dicat non sis certus: quòd dabit tibi terram istam, quam iurauit in omni casu, quia solum dabit si custodieris mandata eius: immo si non custodieris expellet te de terra, quam possederis, & ista est causa quare Deus, tam paucas terras dedit Iudæis toto tempore Iosue, nam licet nõ expediebat dari Iudæis totam terram promissam tempore Iosue, ne redigeretur terra in solitudinem, & crescerent bestiæ contra habitatores, vt patet Exod. 23. capit. & vt maneret aliqua gens cum qua filij Israelitarum, qui non nouerant

C

bella Chananæorum, haberent consuetudinem præliandi, vt patet Iudic. 3. cap. sed etiam peccata sua demeruerunt, vt essent eis illæ gentes repugnantes, & manerent ad inquietandum eos, vt patet Iudic. 2. cap. cum dicitur, iratusque est furor domini in Israel & ait, quia irritum fecit gens ista pactũ meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit: ego non delebo gentes quas dimisit Iosue, vt in ipsis experiar Israelem vtrum custodiant mandata domini an non: sicut custodierunt patres eorum: dimisit ergo dominus omnes has nationes, & cito subuertere noluit, nec tradidit in manibus Iosue. *Et supradictarum ciuitatum duplicabis numerum.* Id est, quòd primo deberent tres ciuitates assignari in terra promissionis ad refugiũ: deinde duplicari debebant, ita quòd essent sex: vltra Iordanem hæ sunt præter illas tres ciuitates, quæ iam separatæ erant citra Iordanem, de quibus supra 4. cap. & Iosue 20. *Ne sis reus sanguinis.* Quasi dicat si propter negligentiam totius multitudinis non constituerentur prædictæ ciuitates, vel nõ in loco debito, & occasione huius aliquis occideret occisorem non reum sanguinis, quia fugere propter distantiam nõ potuit, multitudo hanc culpam haberet, vt notaretur rea sanguinis. *Si quis autem odio habens proximum.* Hic ponitur lex homicidæ cuius vita reseruanda non est. *Insidiatus fuerit vitæ eius.* Ita quod probentur insidiæ, quia no sufficit, quòd aliquis fuerit inimicus alterius: licet enim faciat magnam præsumptionem, tamen non facit plenam probationem, in omnibus his requiruntur testes qui viderint, alias non poterit probari homicidium esse voluntarium, vel casuale quocunque modo fiat, vt quidam volunt: melius tamen dic vt supra diximus, scilicet, quòd non requiruntur testes, sed ex præsumptionibus prioribus iudicatur secundũ supra dicta. *Mittent seniores ciuitatis illius, & arripient eum.* Ita quod aduersarius, scilicet, cognatus occisi petet à iudicibus ciuitatis, quòd dent sibi sanguinem, qui sanguinem fudit voluntarie, & tunc aut est notorium, quòd ille voluntarie effudit sanguinem, & tunc tradent eum in manibus aduersarij qui iugulabit eum, si autem non sit notorium, senes ciuitatis mittent eum secure ad ciuitatem in qua factum est homicidium, vt ibi ventiletur causa sanguinis, & si inuenitur reus immediate occiditur: si autem innocens, reducitur per sententiam ad ciuitatem ad quam confugerat vsque ad mortem summi sacerdotis, vt patet Num. 35. cap. Si autem cognatus occisi occisorem in ciuitate refugij occideret antequam peteret à senibus ciuitatis, siue etiam aliter fuisset tanquam fractor immunitatis illius ciuitatis reus mortis erat, supra secundum quorundam positionem dicebatur, quòd iste non erat fractor immunitatum ciuitatis illius, sed hoc quod hic dicitur rationabilius est. *Et morietur nec misereberis eius.* Hic loquitur ad totum populum qui non deberet procurare, quòd occisor viueret, nec misereri eius: non loquitur autẽ de cognato occisi, quia ille si vellet misereri poterat, & in hoc valde merebatur, vt patet de Dauid qui remisit mortem filij sui Amon 3. Reg. 14. c. iudex siue populus remittere nõ debent, nisi remittat aduersarius, quia iuste distribuere debent, siue pœnam, siue honorem. *Vt bene sit tibi.* quia multum meretur iudex, siue tota communitas in puniendo malefactores. *Non assumes & transferes terminos.* Hic ponit secundum principale, scilicet, præcepta de directione singulorum. Et continuantur præcepta de directione irascibilis, concupiscibilis, & rationalis, quæ sunt tria solum regulabilia. Et ponitur hic incidentaliter de mutatione terminorum, quia ista mutatio fit absente domino agri vel vineæ. Et quia homicidæ casuales manebant multo tempore extra terram suam, scilicet, vsque ad mortem summi sacerdotis, vt habetur Num. 35. cap. Et sic eo tempore poterat alius quilibet mutare terminos possessionum illius: ideo dicto de refugio homicidarum dicitur de mutatione terminorum. *Non assumes.* scilicet, lapidem qui positus est ad distinctionem agrorum. *Et transferes.* Ponendo intra possessionem proximi tui, vt assumas tibi aliquam partem possessionis eius. Rabbi Sal. qui aliquando facit pondus in verbis quando non multum oportet: dicit quod ponuntur hic duo verba, scilicet, assumere, & transferre, quia sunt hic duorum præceptorum transgressiones, scil. furti commissio, quia dicitur non assumes terminos, & terminorũ mutatio, quia dicitur nõ transferes, & vult quòd

D

Lex homicida cuius vita reseruanda non est.

E

Præcepta de directione singulorũ.

F

Litera expositio.

hoc

A hoc solum sit in terra promissionis, in alijs autem terris solum committatur contra præceptum de non furando, & nõ contra aliquod aliud, quia nihil aliud est sumere terminos, quã transferre. Si enim accipiatur assumere terminos solum sine translatione non est aliquod peccatũ: ergo nec contra aliquod præceptũ, & quando dicit, quòd hoc solũ est in terra promissionis falsum videtur, quia si contra duo ibi præcepta ageretur, etiã in qualibet alia terra contra ista duo necesse est agi, quia semper termini assumentur, & transferentur: alias nõ potest fieri translatio terminorũ: ideo quando dicitur in terra, quã intrabitis possidendã, non dicitur quasi in alia terra aliter fiat, sed quia in nulla alia terra ipsi victuri erant, nisi in terra promissionis. *Quos fixerũt priores in possessione tua.* Illi terminos in possessionibus fixerunt qui possessiones primo coluerunt, vel eas ab alijs emerunt, & terminos ad voluntatẽ suam posuerunt nõ præiudicãdo alijs, & signant isti termini distinctionem proprietatis agrorũ, in tempore autẽ cum fuit communitas rerũ, siue cum tot possessores nõ erant, qui omnia occuparent, manebant agrorum terræ sine limitibus assignatæ, vt ait Ouid. Metamorph. libro primo.

Communemque prius ceu lumina solis & aura.
Cautus humum longo signauit limite messor.

Non stabit testis vnus contra aliquem. Quia dicebatur supra de
B homicida: hic agitur de modo probandi homicidium, scil. quòd nõ probetur per vnum testem, sed per duos ad minus. *Non stabit testis vnus.* Valde rationabile hoc fuit, nam iura diuina & humana in hac parte respiciunt bonum statum politicum: bonus status politicus est, quod inquiratur veritas, ne aliquis qui damnum passus est, vel iniuriam, maneat cum damno vel iniuria.

Quare Deus & iura humana noluerunt in probatione tantum esse vnum testem, nec esse valde multos. Et quare singulatim accipiuntur eorum dicta.

QVÆSTIO IIII.

EST etiam status bonus politicus, vt ista veritatis inquisitio sic fiat, nec contra aliquem innocentem iniuste iudicetur: in hoc autem erat quædam moderatio danda, nam nec oportuit valde multos testes peti, nec valde paucos, scilicet, vnum. Primo quia iura humana valde fugiunt, quòd aliquis damnetur propter malam testium probationem, & ob hoc non decuit esse vnum testem solum in aliqua causa quantumcunque illa parua sit. Et hoc propter multas rationes. Primo quia vnus faciliter posset errare, quia non recordaretur si factum à multis diebus transijsset: multi autem bene recordabuntur. Etiam quia licet factum sit recens, tamen forte vnus non respexit conditionem facti: multi autem melius respiciunt.
C

Item quia quantum ad nos nõ constat testimonium vnius sicut testimonium plurimorum, nam cum vnus in vna causa deponit nescitur, nec potest haberi firmum, quòd ille falsum aut verum dicat: cum autem plures super eandem rem deponunt, satis notificatur, quòd res sic se habuerit, nam vnus non potest diuinare, quòd alius dicit, aut vult: cum ergo vnus testis deponit circa aliquam rem, & postea alius testis non audiens depositionem illius, idem deponit, cum non possit idem deponere tanquam ab alio audiuerit, necessario conijcimus, quòd isti concordant in eodẽ dicto, quia veritas rei sic se habuit. Et inter alias causas quare testium dicta singillatim accipiuntur, ista est vna, scil. quòd sic nos qui rem non vidimus arguere possimus sic, vel sic rem fuisse: si enim testes sua dicta publice proponerent, ita quòd vnus coram alio diceret, non constaret nobis vtrum falsum aut verũ dicerent: quia posset vnus sequi dictum alterius: si autẽ singillatim deponant cum vnus non audiat dictum alterius, non poterit illud sequi, nisi rei veritas sic se habeat, & si false deponant comprehendetur in eis varietas, & iste est optimus modus ad conuincendum testimonium aliquorum esse nullum, quia sunt in dictis suis singulares, vel sunt contrarij, & sic necessariũ erit aliquem eorum falsum testificari. Et hunc modum habuit Daniel ad conuincendum seniores accusantes Susannam de adulterio, & testificantes contra eam, nam singillatim vnusquisque deposuit, & vnus dixit sub cino arbore eos fuisse fornicatos, alius vero sub pruno factum esse testatus est, vt patet Daniel. 13. capit. ex quo falsum dixisse conuicti sunt: si tamen vnus audiuisset depositionem alterius concordasset cum eo, & sic non potuissent conuinci de falsitate. D

Item quando vnus testis reciperetur in causa, faciliter corrumpi poterat per subornationem: cum autem multi sunt, licet vnus subornetur, non tamen poterunt omnes alij, ita faciliter subornari: in nulla ergo causa quantumcunque sit parui momenti dictum vnius recipiendum est, & quando multi accipiuntur in testes, si in testimonijs suis singulares sunt, non accipiuntur dicta eorum: ac si esset vnus testis, & isti testes dum plures fuerint, firmius testimonium perhibent. Non tamen oportuit poni de necessitate valde multos testes, vtpote quod non esset probatio sufficiens, nisi adessent sex, vel septem testes aut plures. Nam sicut per dictum vnius solius testis si faceret in aliqua causa plenam probationem, daretur via ad veritatem interimendam: ita si non fieret probatio sufficiens, nisi per septem, aut octo testes, auferretur via ad veritatem inueniendam, nam cum septem, aut octo testes de eadem re difficulter habeantur, rarissime res aliquæ probari possent, & sic veritas suo raro prodesset auctori, cum eam vix aliquando probare posset: dederunt ergo iura tam diuina, quam humana in hoc moderationem, vt nec vnius solius dictum reciperetur, nec valde multi coexigerentur, sed sufficerent duo testes. In aliquibus autem causis, vel contractibus iura humana voluerunt plures testes esse, sicut in testamentis & codicillis, & alijs similibus: de quibus alia causa specialis est, & sic patet quod dicitur, quòd non stabit testis vnus contra aliquem hominem quicquid peccati, aut facinoris fuerit. *Quicquid illud peccati & facinoris fuerit.* Siue sit peccatum paruum siue magnum, siue sit causa ciuilis, siue criminalis quantumcunque modica: & vocatur peccatum, quod contra proximum committimus: facinus autem quod circa Deum principaliter, sicut idololatria, & similia. *Sed in ore duorum vel trium.* Qui non sint in suis dictis singulares, quia tunc non probat, nisi vt vnus testis. E

Stabit omne verbum. Id est quodlibet verbum iudicabitur verum vel falsum, si duo testes, aut plures affirmauerint vel negauerint: in ore autem vnius nullum verbum est, quia propter affirmationem vel negationem vnius non creditur esse verum vel falsum aliquod verbum. *Si steterit testis mendax.* Hic ponitur pœna falsi testis.

Accusans eum præuaricationis. Id est, testificans contra eum false de præuaricatione, de qua steterat accusatus, qui testis non accusat.

Stabunt ambo quorum causa est ante dominum. Id est, testis contra quem accusatur de falsitate, & ille contra quem testimonium tulit, & hoc si ille contra quem false testificatũ est, velit accusare testem coram Domino, id est, coram tabernaculo in quo dominus specialiter habitare dicebatur, vt quilibet timeat proponere, vel defendere falsum. F

In conspectu sacerdotum & Iudicum. Scilicet aliorum Iudicum popularium, quia ad talem accusationem multi conueniebant ad inquirendam veritatem, vel dicitur.

In conspectu sacerdotum, & Iudicum qui fuerint in diebus illis. Id est, in conspectu sacerdotum, qui non sunt iudices, & in conspectu sacerdotum, qui sunt iudices, quia omnes conueniebant ad audiendam talem causam, quæ magna erat: erant enim quidam sacerdotes qui erant iudices, & vocantur in Euangelio sæpe seniores, scilicet, septuaginta seniores qui erant iudices de domo iudicij: & manebant in loco sanctuarij apud quos totus iudicaturæ principatus erat: de quibus satis dictum est supra decimo septimo capit. alij erant sacerdotes ministrantes per tempora sua qui non erant dẽ istis iudicibus septuaginta & quando talis causa tractabatur, quia intra templum siue coram tabernaculo domini tractabatur, omnes sacerdotes, tam iudices, quam non iudices ad hoc conuenire debebant.

Cumque diligentissime perscrutantes. Ista causa cum magna diligentia tractari debebat, cum sit altissima causa, scilicet, pure criminalis: nam si compertum foret false deposuisse

A

testem, infligebatur ei eadem pœna, quæ ei contra quem deponebat pro imposito crimine irroganda erat: mors autem hominis aliquid maximum est, vel si forte reperiatur, quòd testis vere depositus, mors infligēda est, vel alia pœna ei contra quem deponit: ideo vtrobique causa sanguinis est: vnde cum magna attentione fieri debet inquisitio veritatis. *Inuenerint falsum testē dixisse.* Iste accusatiuus falsum in masculina terminatione ponitur, & non in neutra, quia est adiectiuum determinans testem, & patet quia postea sequitur accusatiuus huius infinitiui dixisse à parte post scilicet mendacium. *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitauerat.* quia testis falsus intendebat per dictū suum alium lædere, siue corporaliter, siue in pecunia, sed principaliter intelligitur in causa criminali in qua est corporalis punitio, quod patet per talionem, quæ sequitur, scil. oculum pro oculo. *Sicut fratri suo facere recogitauerat.* Falsus testis ex mala intentione falsum deponit, sed aliquis dicet, quòd interdum testis non deponit de opinione, scil. quòd putat se sic habere, vel aliter: nam sic deponens non faceret plenam probationem: deponunt autem testes de certa scientia dantes causam sui dicti, scil. quòd viderunt tale, vel tale fieri, aut audierunt aliquas personas talia, vel talia colloquentes, quòd autem sic aliquis deponat id quod non est, non contingit sine aliqua malitia, sicut ergo cogitauit lædere alterum, siue in bonis possessis, siue in persona,

B

fiet ei sicut facere cogitauit. *Et auferes malum de medio tui.* Iste qui falsè contra aliquem deposuit malum quoddam est, quia alijs exemplum ad malum est, vt impune testificarētur mendacium contra proximum suum: etiam est malus in se, quia ex iniquitate sua demeretur vitam: debet ergo iste auferri de superficie terræ, quia alijs nocet, & terrā inutiliter occupat. *Vt audientes cæteri timorem habeant.* Id est quando visa & audita fuerit punitio talis alicuius viri falsum testificantis, alij terrebantur, magnitudine pœnę, & arcebantur ab hoc scelere: ista est intentio principalis cuiuslibet boni legislatoris in illatione pœnarum: magis enim intendit correctionem eorum qui nondum mali sunt, sed mali esse possunt, aut esse proponunt, quam punitio eorum qui cruciantur: multæ aliæ causæ sunt quare peccantes puniri debent, vt declarat Boetius de consolat. lib. 4. prosa. 4. de quibus magis diximus supra 17. cap. *Non misereberis eius.* Scilicet ad dimittendū impunitum eum, sed bene deberet compati dolori illius: quia caro nostra est. Et hoc dicitur iudici, quia accusans eum bene potest remittere iniuriam suam ex misericordia, ita quod non puniatur.

Sed animam pro anima. Id est, si propter crimen quod testis contra aliquem proponebat mors infligenda erat, ita quod accusatus perderet animā, id est vitam, testis dabit animam, id est vitam suam. *Oculum pro oculo.* Id est, si merebatur perdere oculum, testis perdet oculum, & sic de omnibus alijs.

C

Rab. Sal. dicit quod non perdebat oculum, vel pedem, sed dabat aliquam pecuniam in compensationem, vt diximus Leuit. 24. cap. de hoc etiam Exodi 21. cap. Sed ad hoc distinguendum, quia aut accusans falsum testem vult eum accusare ad infligendam pœnam ciuilem, aut ad soluendam aliquam pecuniam, qui actiones criminales ciuiliter intentari possunt: si autem intentet actionem criminaliter, condemnabitur testis falsus ad pœnam corporalem, quam pati tenebatur accusatus, si vere crimen comprobatum fuisset, & tamen data sententia poterit remittere pœnam illam, qui accusatus ante extiterat, si autem actio fuerit proposita ad condemnationem in pecuniam, non poterit post accusans eum facere corporaliter puniri, & tunc dabitur pecunia secundum magnitudinem criminis, & pœnæ, quæ infligi debebat, & licet corpus liberam æstimationem non recipiat, tamen poterit ipse qui passus est iniuriam petere aliquid: nec tamen tenetur dare condemnatus quicquid alius petierit in quocunq; crimine, sed solum quando ex crimine falsè dicto merebatur accusatus capite puniri, patet Exod. 21. capiu. de illo admonitus noluit includere bouem cornupetam, & occidit virum vel mulierem, quia tunc debet occidi dominus: si tamen pretium ei fuerit propositum, reddet quantum fuerit postulatus: ergo in alijs nocumentis vbi non est infligenda mors, non dabitur quantum petitum fuerit: quia non debent alia nocumenta morti adequari.

D

CAPITVLVM XX.

SI exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem quam tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia dominus Deus *tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti & cætera.*

Si exieris. Positis supra quibusdam præceptis circa actus iudiciales: hic ponuntur quædam regulæ ad dirigendum motus irascibiles: ira enim ad expeditionem vindictæ est, quæ maxime est in occidendo. Et primo agitur de occisione publica. Secundo de occisione priuata cap. sequenti. Et tanguntur duo principaliter. Primo de quibusdam antecedentibus ad bellum. Secundo de alijs comitantibus ipsum ibi. *Si quando accesseris.* Et prima diuiditur in tres partes. *Connexio capituli.*

In primo ponitur timoris remotio, & pugnatorum confortatio. Secundo quarundam personarum ad discedendum de castris admonitio ibi. *Duces quoque.* Tertio bellatorum dispositio ibi. *Diuisio eiusdē.*

Cumque siluerint.
Si exieris ad bellum contra hostes tuos.

Timoris remotio, & pugnatorum confortatio, in bellis ineundis facienda est; & quædam personæ à castris pellendæ.

E

QVÆSTIO I.

LOQVITVR de bellis quæ facturi erant postquam adepti fuissent magnam partem terræ promissionis: patet quia admonentur facientes domum, vel plantantes vineam non ire ad bellum, sed ista non contingebat eis facere donec in pace tenerent aliquam partem terræ promissionis. *Et videris equitatum & currus.* In istis enim erat virtus bellica, & vocantur hic currus quadrigæ falcatæ habentes quatuor equos: ideo quadrigæ vocantur, vt patet 3. Regum. cap. 10. de his diximus supra 11. cap. *Non timebis eos.* quia non est pugna in multis, & paucis, sed sicut fuerit voluntas in cœlo ita fiet, vt habetur primo Machab. 3. cap. sic dixit Ionathas primo Regum cap. 14. scilicet non est domino difficile saluare in multitedine, vel in paucis. *Quia dominus Deus tuus tecum est.* Si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? ad Rom. 9. capit. *Qui eduxit te de terra Ægypti.* Dat eis signum ad non timendū, quia sicut Deus eduxit eos de Ægypto in manu forti, & brachio excelso, diuidens mare, & pugnans pro eis contra

F

Ægyptios: ita hic pugnabit pro eis etiam ipsis tacentibus, vt patet Exod. 14. cap.

Appropinquante autem iam bello. Id est, quando steteritis apud vrbem quam obsidere debetis, vel in campo vbi congressuri estis. *Stabat sacerdos ante faciem, & sic loquetur ad populum.* Id est coram toto populo.

Hodie pugnam committitis. Id est, commissuri estis, quia quando ista dicuntur nondum pugnatur. *Nolite metuere.* Id est, non affligatis vos in cordibus vestris, quia dictio Hebraica hic posita signat conterere.

Nolite cedere. Id est, recedere fugiendo eos. *Quia dominus Deus vester in medio vestri.* Speciali modo in habitando per vestram conseruationem, vel dicitur de arca quæ aliquando ducebatur in castra bellica, vt patet 1. Reg. cap. 4. sed raro adducebatur, vt patet ibi, qui Philisthæi admirati sunt de insolita exultatione Iudæorum in castris, & cognouerunt, quòd hoc erat, quia illa die arca Dei venit in castra, & non heri, & nudiustertius. Item quia multoties legūtur Iudæi deuicti, sed nunquam legitur, quòd arca domini rapta fuerit ab hostibus, tunc ergo non ibat in castra. *Duces quoque.* Hic ponitur secundum, scil. quarundam personarum de castris expulsio. *Per singulas turmas.* Turma continet congregationem triginta virorum, licet aliquando accipitur turma pro maiori coördinatione, & quilibet dux in turma sua clamabat ista quæ sequuntur, vel forte, & melius maiores duces

belli transibant per omnes turmas clamantes ista, vt viderent quot fugerent vel manerent, & non fiebat ista discessio à castris in ciuitatibus Iudæorum, vel in itinere ante locum belli, quia ibi magis solent homines timere: ideo magis sciri posset qui essent timidi, vt alij electi manerent, quia melius est paucos, & bonos habere tyrones, quam indoctam multitudinem, vt ait Vegetius de re militari libro primo. *Quis est homo qui ædificauit domum nouam.* Quatuor genera personarũ excluduntur à bello, ne ipsi fugientes totum conturbent exercitum. *Et non dedicauit eam.* Id est solennizauit, vel strenauit eam, quia facta domo antequam dominus ibi morari inciperet, inuitabat amicos suos ad nouam domum, & faciebant gaudium magnum, & tunc morari incipiebat, & ista vocatur dedicatio domus, sicut solennitas, quæ fit in consecratione ecclesiarũ dedicatio vocatur, & transfertur hoc ad quamlibet rem nouam dũ ea vti incipimus. *Ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam.* Nolebat enim Deus, quòd iste moreretur cum isto desiderio, vel quia existens in bello, & cogitans ista laxaretur animo, & remisse pugnaret: vel melius ne si forte maneret in bello timeret, quòd moreretur, & alius dedicaret domum: ideo à bello fugeret, aliosque ad fugiendũ inclinaret.

Quis est homo qui plantauit vineam. Hoc est secundum genus personarum, quia simili desiderio tenentur qui vineam plantauerunt, & nondum comederunt de fructibus. *Necdum eam fecit esse communem.* quando plantabatur vinea, vel aliqua arbor fructus trium annorum immundi erant: quarto anno omnes fructus offerebantur domino, quinto anno dominus arborum fructus recipiebat: & tunc conuocans amicos colligebant fructus, & comedebant omnes cum lætitia, vt patet Leu. 19. c. & in hoc dicebatur vinea facta communis, in Hebræo habetur. *Et non cantauit eam.* quia in collectione fructuũ quando fiebat cõmunis vinea, cantabant amici cum lætitia magna. *De qua vesci liceat omnibus,* Id est nondũ deduxit vineã ad talem statum, quòd omnes de ea comedere possent vuas, quia quilibet ingrediens vineam proximi poterat comedere de vuis ad saturitatem, vt infra 23. ca. *Vadat & reuertatur.* Iste & alij duo sequentes recedebant à castris propter causas supra assignatas, vel quia posset mori in bello ille homo, & sic videretur infortunatus secundũ vulgarem opinionem, quã ponit philosophus 2. Phy. quòd infortuniũ est prope magnũ bonum existere, & illo priuari. Item quia alij homines videntes infortuniũ istorum multũ retraherentur ab intentione pugnandi. *Et alius fungatur officio eius,* Id est, faciat vineam cõmunem, sicut iste facturus erat. *Quis est homo qui desponsit vxorem.* Hic ponitur tertium genus, scil. quæ contraxerunt per verba de præsenti, sed nondũ consummauit carnaliter matrimoniũ. *Qui desponsit vxorem.* Id est, desponsauit sibi vxorẽ, per consensum dando ei fidem de cæteris, quæ sequuntur ad matrimonium. *Et non accepit eam.* scilicet ad cohabitationem post consummationẽ per copulam, quia ante istam cõsummationẽ manet puella in domo patris sub prima potestate, deinde transit ad viri potestatẽ per mutuam cohabitationẽ cum eam accipit vir. *Ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* Animalis homo qui solum ea quæ carnis sunt sapit, circa primos sponsarũ amplexus ardentissimo tenetur amore, vt ea cæteris quæ in vita sunt gaudijs anteponat, & in hoc Deus eis complacet, quia adhuc populus rudis à maximis, & licitis delectationibus arcendus non erat. *His dictis addent reliqua, & loquetur ad populum.* Hic ponit quartum genus, & posita sunt tria superiora per se, quia illi tres modi liciti videntur, & sine verecundia recedentis, sed iste quartus cũ dedecore recedentiũ erat, quia fatebãtur se esse ad bellũ propter timorẽ ineptos, & ex cõsequenti fatebãtur se imperfectissimas partes politiæ, quia in politia non solũ oportet recte viuere, sed etiã rectam tranquillitatẽ aduersus hostiles insultus custodire. *Formidolosus, & corde pauido.* Id est homines multũ timentes, formido enim excessiuũ timorẽ denominat, quia qui parũ timidi sunt nõ expellũtur à castris, quia difficile est mediũ circa timores, & audacias habere, quia materia cuiuslibet virtutis propter continuitatẽ diuisibilis valde est, & simpliciciter medium adipisci rarũ, difficile, & valde laudabile est: ideo modicũ à medio declinare ad timiditatẽ, vel ad audaciam vituperabile nõ est, sed qui multũ excedit, vel deficit nõ latet: ideo vituperabilis, vt habetur in fine 2. Ethic. formidolosi autem multũ deficiunt à fortitudine: ideo à castris expelluntur. *Ne pauere faciat corda fratrum suorum.* scil. ne ipso fugiente, *Cumq; siluerint.* Hic ponitur tertium, scil. bellatorum dispositio. *Cumq; siluerint duces exercitus, & finẽ loquendi fecerint,* id est, dicta fuerint omnia supradicta per omnes turmas castrorũ, & illi qui discedere debent à reliqua multitudine separati fuerint. *Vnusquisque suos cuneos.* dicitur cuneus acies nimis glomerata in densum, vt facile rumpi nõ possit, & ad subintrandũ aduersas acies promptissima sit, & dicitur cuneus quasi coeuneus de coeo, is, id est coniungis. *Ad pugnandum præparabit.* quia recedentibus de singulis turmis eis qui supra nominati sunt, manebant ordinatæ acies: ideo oportebat denuo ordinari, & multi de istis in bello separabantur recedẽtes ex prædictis causis. Vnde quando Gedeon pugnaturus erat cõtra Madianitas clamauit, si quis est corde pauido recedat de castris, & de 30. millibus pugnatorũ recesserunt 20. millia ex hac causa, vt patet Iud. 7. c. *Si quando acceſſeris.* Hic ponitur secundũ principale de comitantibus bellum. Et ponuntur duo. Primo qualiter se habeant ad homines. Secundo qualiter se habere debeant ad arbores. *Ad expugnandũ ciuitatem.* idem intelligitur cum velint pugnare aduersus aliquos in campo, vt volunt aliqui, sed non est eadem ratio, quia istæ pugnæ cõmittebantur à Iudæis propter aliquas iniurias, vel damna recepta. Et si cõtra ciuitatẽ eis esset pugna accipiendo ea quæ intra ciuitatẽ erant, & ipsam ciuitatem permittendo recedere habitatores in pace, aliqualem satisfactionẽ habebant, scil. si gentẽ in campo ad pugnandũ conuenientẽ oblata pace, & susceptа abire permitterẽt, nullam vtilitatem inde consequerentur. *Offeres ei pactum pacis.*

Bellatorum dispositio.

De comitantibus bellum.

Offerre pacem, & offerre pactum pacis differunt, & quomodo.

QVÆSTIO II.

ALIVD est offerre pacem, aliud offerre pactum pacis, offerre pacẽ est dicere si volunt in pace manere, quòd maneant, pactum pacis offerre est dicere si vultis in pace abire relinquentes ciuitatẽ, & ea quæ intra sunt, vel manere tributarij, & ista cõditio solũ offerebatur ciuitatibus, quæ erant extra terrã promissionis. Eis autẽ quæ intra terrã illam erant, non licebat hoc offerre, sed omnes transfodere gladio, nec licebat offerre pactum gentibus contra quas specialiter Deus bellum gerendum esse mandabat, vt cõtra Amalechitas, vt habetur Exod. 17. cap. ideo non licebat aliquem eorum vitæ reseruare sub aliqua conditione: ideo peccauit Saul qui reliquit viuum Agag regem Amalechitarum, & perdidit successionẽ in filijs in iure regnandi, vt habetur 1. Reg. 15. cap. Et cum intrauerunt Iudæi in terram Chanaan, non potuerunt facere pactum aliquid pacis cum habitatoribus terræ illius, vt quouismodo eos viuos permitterent, sed occidebant in ore gladij, & quia aliquos eorum fecerunt sibi tributarios, & receperunt ad alias conditiones pacis, vt patet Iudic. 16. & 17. cap. inciderunt in furorem domini, vt patet magis Iud. 2. c. cum dicitur, ascendit angelus domini de Galgala ad locum flentium dicens: eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum, non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocem meam: quare hoc feciſtis? quamobrẽ nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorũ sint vobis in ruinam, & ob hoc cum Gabaonitæ in dolo venissent ad Iosue, & principes Israel componere volentes cum eis fœdus, & dixissent se esse de terra longinqua, verborum suorum fulcimenta vtres veteres, & calceos diruptos, & pannos attritos mõstrantes: cum autem facto fœdere post paucos dies cognitum est, scilicet, die tertio, quòd essent de habitatoribus terræ Chanaan populus voluit non obstante pacto interposito delere eos, & tamen non consensit Iosue, & principes multitudinis, & murmurauit contra eos populus: principes tamen nihil mali intulerunt eis putantes se teneri iuramento facto in positione fœderis cum ipsis Gabaonitis: de his Iosue. 9. ca. si tamen cognouissent Iudæi, quòd Gabaonitæ erant de terra Gabaon intra ambitum terra Chanaan, non pepigissent cum eis vllum fœdus.

A *Si receperit.* scilicet, pactum pacis: ita vt confœderetur tibi recepta ista conditione, quòd seruiat tibi sub tributo. *Et aperuerat tibi portas.* Hoc erat signum, quòd gratam habebant conditonem pacis oblatam à Iudæis, & recipiebant eos tanquam dominos suos quibus se tributa præstituros profitebantur.

Cunctis populus qui in ea est. Scilicet, tam viri quam fœminę: tam magni quam pusilli. *Et seruiet tibi sub tributo.* iuxta mensuram delicti quam imponebant Iudæi qualitercunque ipsi imponerent, quia domini non erant illi ciues sui ipsorum, sed Hebręi erant domini. *Si autē fœdus inire noluerit* quia forte non vult pacem aliquam recipere cum fortiorem se credat, quam sit populus Iudaicus, vel dato quod pacem desiderat: tamen non vult recipere conditiones pacis oblatas, scilicet, vt sint tributarij: & ceperint contra te bellum oppugnando te, vel defendendo se à te in malis, quæ inferre velles.

Oppugnabis eam. Id est, incipies facere bellum contra eam, quia certissime capies eam. *Cumque tradiderit dominus tuus illam in manu tua.* Non dixit si tradiderit eam dominus Deus tuus, quasi in dubio esset an traderet eam in manus eorum vel non, sed certissime tenere debebant, quòd si ipsi non deuiantes ad cultum Deorum alienorum in timore Dei sui inciperent bellum contra aliquam ciuitatem, contra quam

B iustam pugnandi causam haberent, dominus traderet eum in manus suas.

Percuties omne quod in ea generis masculini est. Fœminæ non percutiuntur in ore gladij, quia non fuerunt ipsę origo discordiæ, sed viri: etiam quia fœminæ non insurgerent postea in bellum contra Israelitas: si tamen dimitterent aliquos viros viuentes tollendo omnia bona eorum, vel faciendo in eis aliud genus stragis, possent postea isti viri insurgere in Iudæos, & contra eos gentes alias concitare ad suam securitatem: ergo oportebat istos viros occidi. De paruulis autem illius gentis eadem causa non est propter duo supra dicta. Primo quia pueri nondum capientes arma, & non capaces rationis, nec indicantes iniuriam; vt paruuli nouem, vel decem annorum, & infra non possent iuuare in bello illo contra Hebræos viribus, nec consilijs. Secundo quia isti cum nō iudicent aliquid perfecte, nec iudicent iniuriam factam, licet postea superuiuant, non ita accēdentur in odium, & petitionem vindictæ contra Israelitas, sicut si manerent aliqui adolescentuli quindecim vel sedecim annorum, dato quòd adhuc arma capere non possent: ideo illi mori non debebant: isti autem sic, nisi forte sit aliquis specialis casus, in quo etiam paruuli trucidantur, vt patet infra. *Absq; mulieribus & infantibus.* Ista pœna infligitur propter culpam bellatorum, quia noluerunt oblatam conditionem recipere: mulieres autem & paruuli pugnare non poterant, ideo viuæ

C reseruantur: aliquando tamen etiam infantuli gladio mori præcipiebantur solis fœminis virginibus reseruatis: & hoc erat speciale, vt post nullus de illo populo contra eos pugnare posset, vt patet de Madianitis Num. trigesimo primo cap. sed aliquæ reliquiæ eorum latuerunt, qui crescentes in populum magnum Israelitas magnis prælijs infestabant, vt habetur Iud. 6. capit. *Et iumenta, & cæteris quæ in ciuitate sunt.* semper reseruabantur ista ad vtilitatem pugnantium, nisi ciuitas anathematizaretur, quia tunc oues, & boues, & omnia viuentia percutiebantur in ore gladij, vt patet de Hierico Iosue 6. cap.

Et cæteris quæ in ciuitate sunt. Scilicet omnibus supellectilibus, & pecunijs, & quibuscunque rebus possessis, quæ nullo modo vtiles sint, & adhuc de istis erat aliquid speciale, quia interdum ciuitate anathematizata, & omnibus rebus iussis perire, aurum, & argentum, ferrum, & æs, cæteraque genera metallorum reseruabantur in thesauris domini ad vtilitatem Sanctuarij: sic patet Iosue sexto cap. cum mandauit Iosue dicens: vos autem cauete ne de his quæ præcepta sunt, quicquam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur, quicquid auri, & argenti fuerit, & vasorum æneorum, atque ferri domino consecretur repositum in thesauris eius. Iterum facta fuit talis anathematizatio in terra regis Chananæi qui erat rex Arad, vt patet Numeri vigesimo primo capitu. nam populus vouit domino sanctificare vrbes illas delendo eas si traderet eas in manus eorum. Et exaudiuit dominus preces eorum, & tradidit ciuitates in manus eorum qui deleuerunt gentem illam subuersis vrbibus eius: ibi autem non acceperunt aurum, nec argentum, nec ęs, aut ferrum pro domino omnia succendentes. Quod potuit esse ex duobus. Primo ex inaduertentia illius populi Israelitici propter iram tunc candentem nam Chananæus rex Arad bis persecutus fuerat Iudæos, & fecerat in eis strages. Primo in secundo anno exitus de Ægypto, quando venerunt exploratores, & murmurare fecerunt populum, & tunc data sententia Dei contra eos, mortuisque decem de exploratoribus reliquus populus incœpit tendere versus terram promissionis contra mandatum Moysi dicentis: nolite ascendere, non est enim dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris: Amalechites, & Chananęus sunt ante vos quorum gladio corruetis: deinde ipsis ascendentibus descendit Amalecites, & Chananæus, qui habitabant in montibus, & percutiens eos, atque concidens persecutus est, vsque in Orma, vt patet Numeri decimo quarto, & supra primo capit. secundam irruitionem fecit contra eos iste populus Chananæorum regis Arad in anno quadragesimo immediate post mortē Aaron: nam audiens quòd veniret Israel per exploratorum viam pugnauit contra illum, & victor existens duxit ex illo prædam, vt patet Numeri vigesimo primo cap. his ergo duobus contra populum Chananæorum accensus furore orauit, vt traderentur in manus eorum, & tanta fuit vindictæ cupiditas, quòd etiā in ipsas res inanimatas desæuire gaudebant: ideō non aduerterunt, vt aliquid Deo promitterent. Secundum motiuum fuit, quia ista terra adhuc distabat à terra Chanaan, quam ipsi possidendam expectabant, & inquirebant, & per multa loca transituri erant: vnde adhuc magnus eis labor foret si per illa terrarum spacia ferri, & æris pondera multa deferrent, cum vix paruulos, & vxores in asinis suis deportare valerent: in anathemate facto in ciuitate Hiericho neutrum istorum duorum motiuorum stabat: ideo conuenienter ibi potuit aurum & argentum, & vasa ænea, & cunctum ferrum in thesauso domini segregari. Primum non erat: quia Israelitę nullam iram candentem in Hiericontinos conceperant, cum nihil eis nocuissent, sicut nocuissent Chananæi in terra Arad. Secundum etiam non erat, quia Hierico iam erat in terra Chanaan, & castra manebant in Galgalis: etiam si viri bellatores ad diuersa loca expugnanda irent: ideo poterat ibi manere copia auri, & argenti, & ferri, & vasorum æneorum quantumcunque essent sine labore Israelitarum. *Omnem prædam exercitui diuides.* hic hortatur eos ad actum iustitiæ distributiuæ: nam vt ait Arist. in 8. Ethicor. in omni communicatione, & amicitia est aliquod iustum inter communicantes & amicos, & quanto illud iustum maius est, tanto amicitia & communicatio maior est. Si autem sit modicum iustum, & modica amicitia, & communicatio erit, cum autem nullum iustum fuerit, amicitia omnis, & communicatio soluitur: patet etiam in ipsis qui inhonestam amicitiam, & communicationem habent, sicut sunt adulteri: nam cum adulteri inter se iustū aliquod habeant, scilicet, quòd quantum vnus condelectat alterum tantū condelectatur in eo perseuerant: cum autem alter eorum non reddit vicem, dissoluitur amor: sic patet in latronibus qui sunt amici vtiles, quia adiuuant se ad lucrandum, & cōmunicant in lucro. Si ergo inter eos obseruetur iustum, scil. quòd fiat distributio æqualis rerum acquisitarum per furtum, manent in amicitia illa, & communicationione: si autem incipiat aliquis eorum sibi maiorem partem appropriare distribuendo alteris inęqualiter, sequuntur litigia, & dissoluitur amor, atque communicatio.

D

E

Hortatio Israelitarum ad actum iustitiæ distributiuæ.

F

Quo excedat iustitia alias virtutes, & eius laus.

QVÆSTIO III.

HOc enim mirabile iustitia super cæteras virtutes habet, quòd actus eius tam in bonis, quam in malis requiritur ad cōmanendum. Nam nec ipsi mali sib ipsis concordabunt nisi quandā inter se iustitiæ partē habeant saltē materialiter: aliarū autē virtutū actus ad solam permanentiā in bono efficiunt, ad malum autem nequaquam, & ob hoc

A iuſtitiam optimam virtutem Ariſt. nominat in 5. Ethicor. & inter cęteras excellentem ſicut Lucifer inter aſtra: nam ablata iuſtitia nihil ſunt regna, niſi publica latrocinia, vt ait Aug. 4. de ciuit. Dei cap. 4. diuidere autem prædam exercitui ad iuſtitiam pertinet: non tamen debet fieri iſta diuiſio ſecundum æqualitatem arithmeticam, quæ eſt æqualitas quantitatis vel numeri, ſed ſecundum æqualitatem geometricam, quæ eſt æqualitas proportionis, ſcil. quòd ſi iſtis decem viris euntibus ad bellũ dantur mille denarij: non debẽt quibuſlibet alijs decem viris dari mille denarij, ſed aliquibus decem viris dabuntur centum millia denariorum, & aliquibus decem viris dabuntur ſolum ducenti denarij: ſi tamen obſeruaretur æqualitas, & proportio arithmetica, quæ eſt ſecundum exceſſum quantitatis & numeri, ſicut dantur decem viris mille denarij,, ita deberent dari quibuſlibet alijs decem viris mille denarij: nam in quot vnitatibus excedunt mille denarij iſtos decẽ viros, in tot vnitatibus excedunt alij mille denarij alios decem viros. Et iſta eſt propria æqualitas arithmetica, ſed manifeſtum eſt quod talis diſtributio iniuſta eſt: debet ergo obſeruari ęqualitas geometrica, quæ eſt ſecundũ habitudinẽ proportionis, ſcil. ſicut ſe habet virtus iſtorum decem virorũ ad mille denarios, vel dupla, ita virtus vel dignitas aliorum decem virorum eſt æqualis, vel dupla ad centum millia denariorũ, cum autem diſtributio ſic fit inter pugnantes omnes, gratum hoc habent & ad bellũ animantur. Si autem pugnauerunt, & poſtea duces pro ſe prædam accipiant, nihil aut modicum exercitui diuidentes, viri pugnantes non attendunt ad pugnam, nec aliquid probe fieri poteſt: nihil enim magis eſt quod aliquem ducem vinci ab hoſtibus faciat, quam auaritia in ſuos: ſic patet Alexandreidis lib. primo. *Nec*

B

Mœnia nec turres ducem tutantur auarum.

Exercitui diuides. Inter omnes de exercitu præda diuidi debet, obſeruata qualitate geometrica vt ſupra aſſignabatur, exercitus dicitur multitudo virorum euntium ad bellum, & iſti diuiduntur, quidam pugnant actualiter cum hoſtibus, & quidam cuſtodiunt ſarcinas: vtriſq; autem æqualiter diſtribuendum eſt ſecundũ ęqualitatem quantitatis, quę eſt ęqualitas arithmetica, dumtamen cætera paria ſint: ſic poſuit Dauid in legem vt patet primo Reg. 30. c. cum ipſe feciſſet bellũ contra latrunculos Amalechitas, & cepiſſet eos, & omnia, quæ abſtulerant à loco ſuo Sicelech, & ab alijs locis, & in perſecutione hac latrunculorũ ducẽti de viris Dauid lapſi reſtiterunt non potentes cæteros inſequi facta occiſione latrunculorũ, & ereptione prædę de manibus eorum, viri qui cum Dauid deſcenderant, nolebant dare partem prædæ his qui lapſi reſederant: ad quos Dauid ait, non ſic facietis fratres, mei de his, quę tradidit vobis dominus, & dedit latrunculos, qui eruperant aduerſus vos, in manus veſtras, nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc, æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident: & factũ eſt in illa die, & deinceps conſtitutũ, & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael ad diem hanc, alijs autem, qui ad bellũ non vadunt nec manent ad ſarcinas, ſed in ciuitatibus requieſcunt, nihil de præda diuidi debet, quia illi non ſunt de exercitu.

Diuiſio exercitus in bello.

C

Sed contra hoc obijcietaliquis, quòd etiam illi, qui non ſunt de exercitu, debeant accipere partem prædę, quia Num. 31. c. dicitur quod filij Iſrael iuerunt ad bellũ contra quinq; reges Madianitas, & non omnis Iſrael: ſed 12. millia virorũ electornm, & occiderunt hoſtes, & ceperunt prædam multam nimis: & Deus mandauit vt tota præda per dimidium diuideretur, & medietas daretur. 12. millibus pugnatorũ, reliqua medietas data eſt toti reſiduę multitudini Iſraelitarum, quæ non iuit in bellum.

Reſpondetur quod ratio diuerſitatis eſt ibi ab his, qui manent in ciuitatibus, & oppidis laborantes in rebus ſuis, cæteris ad bellum properantibus duplex.

Prima eſt quod iſta diuiſio prędę inter eos qui manſerunt in caſtris, & eos qui iuerunt ad bellum magis fuit ad vitandũ ſcandalum, quam de rigore iuris, erat namque magnũ ſcandalum, quia ſi 12. mille viri, qui deſcenderunt ad bellum ſoli accepiſſent prædam, quia nimis multa erat, valde fuiſſent ditati, de quo cætera multitudo, quæ in caſtris manebat, & inuidiſſet, & doluiſſet, inuidiſſet quidem, quia illi ditiores valde ſuper ipſos efficerentur, dolerent autem, quia nihil de tantis diuitijs eis dabatur, tanquam ipſi abiecti: liuore ergo, & dolore commoti in viros pugnatores inſurreziſſent prædam ab eis duriſſime extorquendo, ex quo non modica ſeditio oriretur. Deus autem prouidens hæc in plebe illa, quæ valde imperfecta erat, mandauit talem fieri diuiſionem.

D

Secunda ratio erat, quia etiã ius hoc aliqualiter expediebat: nam iſti non erant ſicut illi, qui in ciuitatibus manent cęteris in bellum euntibus, & vacant laboribus ſuis, ſed erant quaſi parati in expeditione, vt ſi forte alij auxilio indigerent, iſti irent in auxilium eorum, licet de hoc ipſi certificati eſſent quod illi 12. mille viri prævalerent contra quinq; reges Madianitarum, hoc tamen non obſtante ipſi erant tanquam exercitus paratus in expeditionem, & ſicut tunc miſſi ſunt illi 12. mille viri, ita alia vice mitterentur alij, & fieret ſimilis diſtributio, datum ergo fuit iſtis qui manſerunt in caſtris aliquid, quia tamen ipſi nõ deſcenderunt in bellum, nec manſerunt ad ſarcinas deſcendentium, non receperunt æqualiter cum ipſis deſcendentibus ad pugnam iuxta illud primo Regum. 30. cap. æqua enim pars erit deſcendentis ad bellũ, & manentis ad ſarcinas.

Et comedes de ſpolijs hoſtium tuorum.

Aliquando accipitur proprie comedere de ſpolijs, id eſt, de victualibus extortis de manu hoſtium ſic patet Gen 14. c. quando 4. reges pugnauerunt contra quinque, & poſtea deuictis eis pugnauerunt contra vrbem Sodomorum, & dicitur tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuerſa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt, ecce qualiter cibos pro ſpolijs acceperunt, & tunc proprie comeditur de ſpolijs, vel dicitur.

E

Comedes de ſpolijs hoſtium tuorum.

Id eſt vendes ea, quæ rapuiſti ab hoſtibus, & comedes de rebus emptis pro eorum precio. Ecce qualiter Deus mandat vel ſaltem permittit accipi ſpolia hoſtium quia in bello iuſto tam de iure diuino, quam de iure gentium ea quæ quis capit, efficiuntur capientis, & iuſte homicidia committuntur, cum autem bellum iniuſtum eſt nihil differt à publico latrocinio: ſicut ergo latro nihil ſuum efficit de his, quæ prædatur, nec præſcribit vllo tempore contra dominum rei etiam ſi mille annis poſſidere poſſet, ita & committentes bellum iniuſtum, quia omnium homicidiorum quæ committuntur, rei tenentur, & reſtituere omnia ablata, & illata damna iniuſtum paſſis.

Quæ dominus Deus tuus dedit tibi.

Deus dediſſe iſta Hebræis dicebatur, quia licet ipſi manibus ſuis pugnaſſent, Deus tamen vigorem, & audiciam contra hoſtes tribuebat, & hoſtes eorum in fugam vertebat aut ſubigi faciebat, vt patet ſupra 8. capit. cum dicitur, ne dicere in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ mihi hæc omnia præſtiterunt, ſed recorderis domini Dei tui, quòd ipſe tibi vires præbuerit, vt impleret pactum ſuum ſuper quo iurauit patribus tuis, ſicut præſens indicat dies.

F

Sic facies omnibus ciuitatibus, quæ à te procul ſunt.

Id eſt iſta eſt regula quam habere debes in pugnando contra ciuitates longinquas.

De ciuitatibus &c. nullum permittas omnino viuere.

Nec vendere in ſeruum alijs gentibus, vel tuæ ſubijcere ſeruituti, quia Deus abominatur vitam iſtorum, quia maxime peccatores erant in omni genere impudicitiæ, vt patet Leuit. 18. cap.

Item quia ſi aliqui de iſtis manerent, eſſent Iudæis tanquam claui in oculis, & lanceæ in lateribus, vt patet Num. 34. cap. & 6. & 7.

Item quia docerent filios Iſrael colere Deos ſuos, quòd eis eſſet in ſcandalum & ruinam.

In ore gladij.

Metaphorica locutio, quia res inanimatæ os non habent, cum os ſit membrum animalis ad ſumendos quidem cibos, & ſicut ea quæ ore animalis aſſumuntur, quia animal, ſibi illa incorporat: ita illa quæ gladio tranſuertebantur, conſumuntur, & pereunt, vocatur os gladij acuties eius, qua omnia amputãtur, & deſecantur, ſic dicitur lingua ignis ſępe vt patet Eſa. ſcilicet, ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis. *Ethæum, ſcilicet, & Amorrhæum.*

A Solum ponuntur hic ſex populi, quia de decem populis qui promiſſi ſunt Abrahæ vt patet Gen. 15. cap. tres dati fuerunt Idumæis, Moabitis, & Ammonitis, qui aliquo modo pertinebant ad ſemen Abrahæ, vt ibidem declaratum eſt & ſup. 7. c. Non ponitur hic etiam populus Gergeſæorum de quo rariſſime fit mentio in ſcriptura: cuius aliqui cauſam eſſe volunt, quia iſte populus antequam Hebræi intrarent in terram Chanaan, receſſerit: ita quod cum eo prælium nullũ geſtum eſt, ſed falſum eſt: quia contra omnes ſeptem gentes pugnauerunt vt patet Actuum 13. cap. cum dicitur: & deſtruens ſeptem gentes in terra Chanaan ſorte diſtribuit eis terram: ſed non fuiſſent deſtructæ gentes ſeptem, niſi inter eas fuiſſet deſtructa gens Gergeſæorum, quæ inter eas ponitur ad complendum numerum ſeptenarium. Dicendum ergo neceſſario quod cõtra Gergeſæos etiam Iſraelitæ pugnauerunt ſicut contra cæteras gentes, quare autem raro inter alias nominetur alibi dictum eſt, ſcil. Exod. 3. & in alijs locis vbi de hoc agitur.

Sicut præcepit tibi dominus Deus tuus. In multis locis hoc mandatum eſt in Exodo, & in libro Numerorum, & in iſto libro.

Ne forte vos doceant facere cunctas abominationes. Iſta eſt vna cauſa, & potiſſima quare omnes occidi debebant, de hac Exo. 34. & ſup. 7. c. *Quas ipſi operati ſunt dijs ſuis.* Licet inter ſe nimis peccarent in coitibus non obſeruando conſanguinitatis vlla iura, aut reuerentia, vt patet Leu. 18. c. & maſculi in maſculos turpitudinẽ operantes, & ad pecora hanc nequitiã extendentes, vt patet eodem cap. tamen ad Deos ſuos maximas abominationes fecerunt dantes de ſemine ſuo idolo Moloch vt patet Leu. 20. cap. etiam quia ad omnem ſpurcitiam cum dijs ſuis faciendam ſe tradiderunt, & omnibus incantationum, & auguriorum modis inſtiterunt de quibus ſupra 18. cap. *Vt peccetis in dominum Deum.*

B Poteſt teneri ly vt dicens conſecutionem, vel cauſam finalem, ſcil. ꝙ gentes in dolo docerent hebræos facere iſtas abominationes coram Deo ſuo, & deleret eos de terra, & ſic prævalerent aduerſum eos: & iſtum modũ tenuerunt Moabitæ contra eos: nam cum Balaam ariolus nõ poſſet eos maledicere, & prędixerat, quòd Iſraelitę vinci nõ poterant, quia erant in gratia Dei ſui, dedit conſilium vt pulchræ puellæ Moabitarũ, & Madianitarũ deſcenderẽt apud caſtra Hebręorum, & permitterent ſe cognoſci ab Hebræis: hoc tamen adiecto vt prius immolarent, vel adorarent Deos earum, ꝙ factum eſt, & inſurrexit furor domini in Iſrael, & multi perierunt, vt patet Num. 25. cap. Sic ergo poſſent poſtea facere alij gentiles, vt deciperent eos.

Quomodo ſe habere debent Iſraelitæ ad arbores, dum bellum agunt.

Qvæstio IIII.

C Qvando *obſederis ciuitatem.* Hic ponitur ſecundum qualiter habere ſe debent ad arbores. *Multo tempore.* Quia pro pauco, id eſt, pro ciuitate quæ in modico tempore capi poterat non oportebat fieri munitiones, vel turres ligneas, ita vt ſcinderentur arbores.

Et munitionibus circundederis, vt expugnens eam. In bello campali non indigebant talibus munitionibus, ideo non habebant cauſam ad ſuccindendum arbores, quare non datur eis ibi regula, ſed hic quando oppugnant vrbes, vocantur munitiones omnia apparamenta bellica ad expugnandũ ciuitates facta, quæ in modos varios diſtinguuntur quędã ſunt quę teſtudines vocantur, ſunt quædã tecta fortia, quæ rotis infra poſitis ſubuehuntur ſub quibus multi homines latitant, qui appropinquantes muro eum ſuffodiunt, & dirimunt, fiunt etiam turres ligneæ: fiunt quoq; machinę & arces quædam pendentes, quæ vndique circumlatæ ſagittatores intra continent. Et multa quæ quotidie humana inuenit ſolertia, plurima quoque abolita ſunt.

Non ſuccindes arbores de quibus veſci poteſt. Quia magnã vtilitatem ad cibos eis præſtabant, dum bellũ geſſerint, & deinde capta vrbe proficient, quia magis erat ciuitas habitabilis propter fructuũ abundantiam, ſiue tributarios ibi teneant, ſiue eam colonis aſſignent, & non ſolum refertur iſta regula ad ciuitates quæ ſunt extra terrã promiſſionis ſicut ſuperior, ſed magis adhuc conuenit ciuitatibus terræ promiſſionis, quia in eis ipſi habituri eſſent, ideo arboribus indigebant.

Quia lignum eſt & non homo. Id eſt, non poteſt ibi aliquid nocumentum patrare, cum non ſit homo. D

Nec poteſt contra te bellantium augere numerum. Id eſt, non erunt plures bellatores contra te etiam ſi multæ arbores fructiferæ ibi ſunt, cum nihil ipſæ faciant, ſed ſi ciuitas eſſet ita fortis extra terram promiſſionis, quòd de capiendo eam deſperaret, licebat ad damnificandum hoſtes ſuccindere arbores, ſicut fecerunt contra Moabitas, cum recederent non valentes obtinere ciuitatem regiam vt patet 4. Reg. 3. cap. in Hebræo habetur.

Quia lignum campi eſt homo. Et aliqui Hebræi vt Abenezra, dicunt, quòd iſta litera ſupplenda eſt, ſcil. quia lignũ campi eſt vita hominis, quia de fructu eius poteſt ſuſtentari, & ſatis videtur hoc applicari rationi, quia ideo illa ligna nõ ſuccinduntur, cum alimentum miniſtrant homini, & forte magis confirmaretur ſic, quia ſi ideo lignũ campi non ſuccinditur, quia lignũ eſt & non homo, ita etiã non ſuccinditur lignum no fructiferum, quia lignum eſt & non homo, ſed non debet illa litera ſic ſuppleri quod patet per literam caldaicam quæ habet ſicut noſtra. *Hebræorum opinio penes literam.*

Item quia in hebræo vtraq; iſtarum dictionũ, ſcil. lignũ, & homo ponuntur intranſitiue, nõ enim ponitur ibi aliqua appoſitio dictionis, vel variatio nominis principalis quantũ ad terminationem ad ſignandum in obliquo: ideo videtur rectius quod ibi deficiat vna negatio, vel ſit modus loquendi hebraicus. E

Et quando arguitur, quòd eadem ratio eſt in ligno fructifero, & non fructifero, quia neutrum eſt homo.

Reſpondetur, quòd ea quæ vtilia ſunt, deſtrui nõ debent niſi quantum ad aliquid nociua ſint. Ligna autem fructifera vtilia valde ſunt, quòd autem non ſint nociua probat, quia ligna ſunt & non homo. De lignis autem non fructiferis nõ poteſt hoc dici, quia nullo modo vtilia ſunt niſi ſucciſa: ideo licet non ſint homines ſuccindi poſſunt.

Si qua autem ligna non ſunt pomifera. Ligna pomifera dicuntur ferentia poma, id eſt fructus, quia pomum valde generaliter ſumitur. Pomum autem tripliciter aſſumitur aliquando ſtrictiſſime, pro quodam fructu cuius cortex eſt valde tener, & ipſe fructus eſt ſuccoſus valde, & vocatur alio nomine, & proprius malum à rotunditate, quia malon græce rotundũ latine eſt: & iſte modus accipiendi pomum eſt apud vulgares grammaticos. *Lignũ pomiferum qd ſit & pomum*

Alio modo accipitur pomum large pro omni fructu qui corticem tenerum habet, & iſte modus accipiendi proprius eſt, & apud grammaticos peritiſſimos reperitur, & eſt ſatis vſitatus in ſacra ſcriptura, & iſto modo diſtinguitur pomum contra nucem, quia nux ſignat omnem fructum habentem corticem durum, & iſto modo non accipitur hic: quia tunc non vetarentur ſcindi arbores proferentes fructum teneri corticis, vt nuces, auellanę, caſtaneę amigdala, & ſimiles fructus producentes, ſed arbores ſolum proferentes fructum teneri corticis, quod falſum eſt. F

Alio modo accipitur pomum pro omni fructu qualiſcunque ſit, ſiue durus, ſiue mollis, & hoc modo accipitur Gen. primo ca. cum Deus mandaret gigni de terra arbores fructiferas vocans eas pomiferas vniuerſaliter dicens, germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen: & lignum poferum faciens fructum ſic etiam accipitur hic arbores ſiue ligna pomifera eſſe id eſt habere aliquem fructũ. *Sed agreſtia.* Id eſt ſolum pertinentia ad agrum & non ad hortos, quia in hortis plantantur ſolum arbores fructiferæ, in agris autem non ſolum fructifera ſponte naſcuntur. *Et in cæteros apta vſus.* Id eſt quod non ſunt ad vſum proprium, qui eſt veſci eis, ſed ad vſum domificandi, vel alios minus principales: eſt autem præcipuus vſus lignorum, vt de eorum fructibus omnia animantia terræ tam homines, quam volucres, & quadrupedia veſcerentur, vt declaratur Gen. 1. cap. ligna autem non pomifera ceſſant ab hoc vſu. *Succinde & inſtrue machinas.* Hoc eſt intelligendũ quando magno tempore ciuitas obſidenda eſt, vt ſup. dicebatur. Si autem debiles ſunt vrbis munitiones, & non poteſt magno tempore defenſari, vel ex qualibet alia cauſa non debent facere maginas, aut ſuccindere ad hoc ligna, vocantur machinæ omnia apparamenta bellica ad inuadendum aliquam ciuitatem, dum tamen non ſint arma virorum, & iſta vocabantur ſupra munitiones.

CAPITVLVM XXI.

QVANDO inuentum fuerit in terra quam dominus Deus tuus daturus est tibi; hominis cadauer occisi: & ignorabitur cædus reus, egredientur maiores natu, & iudices tui; & metientur à loco cadaueris singularum per circuitum spacia ciuitatum, &c.

Qvando. Supra dictum fuit de homicidio facto à singulari persona, de qua nemini constat, & tanguntur duo. Primum de directione circa illud homicidium quod pertinebat ad irascibilem.

Secundo de accipiendis vxoribus quod pertinet ad concupiscibilem ibi. *Si egressus fueris.* Et ista secunda continet quatuor partes.

Prima de ducenda vxore.

Secunda de filiorum successione ibi. *Si habuerit homo.* Tertia de filiorum malorum correptione, vel occisione ibi. *Si genuerit homo.*

Quarto de occisorum occultatione ibi. *Quando peccauerit homo.*

Quam dominus Deus tuus daturus est tibi hominis cadauer occisi.

De directione penes homicidium ad irascibilem attinens, & quo modo illius fiebat inquisitio cum auctor cædis nesciretur.

QVÆSTIO I.

LOQVITVR ad totum populum, qui in istis malefactis remedium ponere debebat.

Et ignoratur necis reus. Tunc enim sient ista, quę sequuntur, cum autem sciretur interfector: aut voluntarie occiderat, & tunc nullo modo euadebat vt patet supra 19. Si autem à casu, fiebat sicut dictum fuit Numeri 35. & supra 19. cap. *Egredientur maiores natu.* Id est seniores qui erant in magna reputatione apud totum regnum. *Et iudices tui.* Non erant isti iudices alicuius ciuitatis propinquæ loco cadaueris inuenti: sed iudices maiores Israel qui prædicta inquirebant nomine totius Israel, cui ista mandata fuerunt. Satis patet quod isti maiores natu, & iudices non sint iudices, vel maiores natu in ciuitate illa, propinquissima erat, quia dicitur hic: quòd isti inquirerent quæ ciuitas sit propinquior illi loco, in quo cadauer reperitur, ergo videtur quod cum isti inciperent inquirere metiendo spacia ciuitatum, nesciretur quæ sit propinquior, non ergo poterat esse quod seniores vrbis propinquissimæ facerent istam inquisitionem, cum nesciretur, quę esset propinquior ciuitas: sed per hunc modū inquirebatur.

Item quia dicitur hic quod postquam cognosceretur, quę esset propinquior ciuitas, ibant seniores illius ciuitatis ad faciendum cæremonias istas sequentes super locum cadaueris, & in valle saxosa: ergo seniores, qui fecerant priores cæremonias, scilicet inquirere quæ ciuitas distantior esset, non erant idem, quòd isti secundi: ergo nō erant de ciuitate propinquissima. *Et metientur à loco cadaueris.* Non oportebat, quod aliquam mensurationem facerent, sed considerarent quot leucis miliaribus, vel stadijs locus ille à ciuitatibus circunstantibus distaret.

Seniores ciuitatis eius tollent vitulam. Istæ cæremonię fiebant ad manifestandam veritatem, & quia semper præsumitur quod aliquis de ciuitate propinquiori occidisset hominem, ideo aliqua grauamina fiunt ciuitati, vt ipsi confiteantur veritatem si sciunt, scil, quòd coguntur iurare seniores illius ciuitatis, & honoratiores quod nesciunt de homicida: hoc autem non iurarent si scirent. *Quæ non traxit iugum.* In ferendo currus. *Nec terram scidit vomere.* Scil. arando: & ista fiebant quia tales vitulæ ferociores ad signandum ferocitatē homicidij. *Ducent eam ad vallem asperam saxosam.* Vt signetur crudelitas, vel asperitas occisoris. *Quæ nunquā arata est.* Quia terræ aratæ alicuius domini sunt, & tunc singulari personæ fieret damnū, quia nō posset vltra aliquid agere in terra illa. *Et cædent in ea ceruicem vitulæ.* Vt signetur quod decapitari deberet homicida, & qui celat homicidium. *Accedentque sacerdotes filij Leui.* Quia isti sunt qui iudicare debent in omni causa, vt inquirant si apparet aliquod signum homicidæ. *Filij Leui.* Non ponitur ad differentiam aliorū sacerdotū, quia nulli alij erant sacerdotes nisi ipsi vt diximus sup. 18. c. Licet filij Dauid vocabantur sacerdotes vt patet 2. Re. 8. c. erant tamē de tribu Iuda, & vocantur sacerdotes, Id est viri potentes. *Quos elegerit dominus.* Omnes sacerdotes ad ministrandū electi sunt, sed aliqui de eis specialiter ministrabant, qui magis pertinebāt ad cognationē summi sacerdotis, sed summū sacerdotiū aliqualiter variatum est secundū qꝺ Deus diuersis temporibus eligebat, vt mutauit de domo Heli sacerdotium in domū Samuelis: immo vt verius dicatur in ipsum Samuelem, quia filij nō successerunt in summo sacerdotio, quia nō secuti fuerunt viam patris, sed auaritiā, vt habetur 1. Re. 8. c. deinde fuit mutatū in domū Sadoch qui fuit sacerdos fidelis & in domo istius mansit post, vt promiserat Deus 1. Re. c. 2. Licet forte postea per diuersas eius lineas successionū mutatum fuerit sicut sub domo Phinees de domo Heli ad Sadoch domū translatū est. *Vt ministrent ei.* In offerendis sacrificijs, concinnandis luminaribus, ordinandis panibus & thimiama incendendo, & ignem continuum in altari fouendo. *Et benedicant in nomine eius.* Quia sacerdotes ponebant nomen domini super populum, & Deus benedicebat eum: forma autem benedictionis habetur Nu. 6. c. *Et ad verbum eorum omne negocium pendet.* Id est, quicquid ipsi iudicant pro stabili accipitur, quia non licet ab eis appellare vt patet, supra 17. c. & quicunq; eorū præcepto nō obedit morte plectendus est, ad verbum autē aliorum iudicū non pendet omne negocium, quia ipsis diffinitiuis adhuc manet appellationis remediū. *Et quicquid mundum vel immundum est iudicetur.* Hoc etiam specialiter pertinebat ad sacerdotes, quia ipsi cæremonias circa mundos vel immundos facere debebant, vt habetur Leu. 13. & 14. c. Quandocunq; enim lepræ signū appareret in domibus, siue in parietibus, siue lapidib⁹ vel aliqua parte domorū vel in supellectilibus vt in vestibus, vel alijs stramentis, aut in pilis hominis, vel in qualibet parte cutis, sacerdotes vocabātur, & veniebāt vt cōtemplarentur vtrū lepra foret vel non, & secundū qꝺ isti iudicabāt ita manebat siue mundū, siue immundū aliquid iudicarent, & hæc obseruauit Christus qui venerat nō vt solueret legē, sed vt impleret: nam cum sanasset leprosos decē, dixit illis, ite ostendite vos sacerdotibus, & offerte munus qꝺ præcepit Moyses in testimonium illis id est vt claratum sit eis qualiter mundati estis à lepra.

Iudicare munditiam vel immundiciam ab alijs pollutionibus, quare ad sacerdotem attineat, & quomodo immundiciæ veteris test. sunt conformes ex communicationibus Ecclesiasticis.

QVÆSTIO II.

CAVSA autem quare iudicare munditiam, vel immunditiam à lepra, vel ab omnibus alijs pollutionibus pertineret ad sacerdotem, est, quia immunditiæ de quibus habetur in lege Moysi, sunt quædam irregularitates excludentes à communicatione Sanctuarij, nam quædam excludebant hominem ab ingressu & accessu tabernaculi, & totius Sanctuarij solum: quædam autem excludebant ab accessu & ingressu Sanctuarij, & ingressu castrorū, & communicatione cum alijs hominibus, & quia ministratio in Sanctuario, & custodia eius quantum ad hoc, vt aliquis accedere deberet ad illud, vel non, pertinet ad sacerdotes vt patet Nu. 3. & 4. & 18. c. cum dicitur de Aaron, tu & filij tui portabitis iniquitatē Sanctuarij, id est, super vos erunt iniquitates, quas commiserint aliqui accedendo ad Sanctuarium, ad sacerdotes pertinere deberet, vt cognoscerent quis mundus, vel immundus esset, vt eum ad accessum Sanctuarij, & introitum castrorum idoneum vel ineptum esse sciant, & non solum iudicabant munditiam quantum ad id quod immediate excludebat ab accessu Sanctuarij, sed etiam quantum ad id quod arcebat ab accessu castrorum, sicut erat in leprosis, & fluentibus semine, & similibus: de quibus Num. 5. & Leu. 15. c. quia illi qui erant in castris per communicationē cum istis qui erant taliter immundi, contrahebant quandam

immundi-

A immunditiam, ita vt ad Sanctuarium accedere non valerent, vt patet Leu. 15. & magis Nu. 19. c. vt ergo isti non inficerent cæteros, pertinebat inquisitio, & exclusio, vel receptio eorũ ad sacerdotes: sicut est nunc de sententia excommunicationis, conformiter enim se habet sententia excõmunicationis cum immunditijs veteris testamenti, nam sicut per excõmunicationem minorem excluditur quis à communicatione, siue participatione sacramentorũ solum, & nõ excluditur à cõmunione fidelium, ita sunt quædã immunditiæ per quas quis excluditur solũ ab excessu Sanctuarij, nõ tamen excluditur ab ingressu castrorũ, & cõmunicatione cum alijs hominibus & sicut per maiorẽ excõmunicationem aliquis priuatur cõmunione fideliũ, & participatione sacramentorũ, ita sunt quædã immundiciæ in veteri testamento quæ excludunt hominem à communione aliorũ, & ingressu castrorũ, & accessu ad tabernaculũ, & sicut excommunicatus excommunicatione minori, quantũ ad se est priuatus cõmunione sacramẽtorũ, & cõmunicantes eidẽ nec priuantur cõmunione fidelium, nec sacramentorũ, ita sunt quædam immunditiæ in veteri testamẽto quas aliqui habentes immundi sunt, sed cõmunicantes vel tangentes eos non sunt immundi, & sicut excõmunicatus maiori excõmunicatione quantũ ad se participatione sacramẽtorũ, & cõmunione fideliũ priuatus est, & cõmunicantes eisdẽ cõmunicatione sacramẽtorũ priuantur, ita sunt quędã immũditiæ, vel irregularitates in veteri testamento, quæ habentes immũdos efficiunt, & tangentes eos immundi etiã sunt, differentia horũ patet Leu. 15. & Nu. 19. c. Nam leprosi sunt sicut excõmunicati maiori excõmunicatione, & viri fluentes sẽmine, & mulieres mẽstruatę, & mulieres, quæ fluxum sanguinis patiuntur diebus multis, quia isti cæteros inficiunt vt patet Num. 5. & melius Leu. 15. Illi autẽ qui hos tangunt sunt sicut excõmunicati minori excõmunicatione, quia cum ipsi in se inficiantur, cęteros tamẽ tangẽtes vel cõmunicantes nõ inficiunt, in excõmunicatione ergo ideo hoc cõformiter obseruatũ est, vtrũ p eam sẽper qualiscunq; sit à sacramentis excludamur, quę à sacerdotib⁹ ministrantur, à solis viris ecclesijs excõmunicatio infligi, & absolui possit, seculares autẽ nullam in hoc habẽt potestatẽ, cum proprie censura ecclesiastica nuncupetur. *Veniant maiores natu ciuitatis.* Postquã maiores natu, & iudices Israel venie bant, & mensurabant quæ ciuitas propinquior esset loco illi, in quo cadauer occisi hominis repertũ erat, illa ciuitas manebat aliquo modo magis rea sanguinis, quã cæteræ in circuitu ciuitates, quia magis cõtra eam quã cõtra cæteras præsumẽdum erat, & tunc si non sciebatur manifeste quis in ciuitate illa effusor sanguinis fuisset, fiebat ista obseruatio cæremonialis ad purgationem ciuitatis. *Maiores natu.* Id est seniores, scil. qui primo nati sunt, & isti faciebant istam purgationẽ, quia maioris erant auctoritatis quã cæteri de populo, & ad quorũ sententiã totius populi pendet status, & faciebant isti quia totius populi vicem gerebant, vt istis facientibus totus populus facere videretur, sicut cum rectores ciuitatũ aliquid agunt qa gerunt personã totius cõmunitatis: etiã quia isti seniores prudẽtiores sunt, & magis poterũt per cõiecturas, vel alias iudicare quis sanguinẽ fuderit, quam illi qui nõ sunt seniores. Item quia isti iurant quasi cum ista dicũt, scil. manus nostræ non effuderunt hunc sanguinẽ nec oculi viderunt, debet ergo tale quasi iuramentũ fieri per illos, quorũ veritati magis confiditur, cuiusmodi sunt seniores, ergo seniores cæremonias has cõplere debent. *Accedunt ad interfectum.* Fiebat ista cæremonialis obseruatio super interfectum, vt esset cum maiori solennitate, & magis mouerentur intrinsecus, & horrerent falsum dicere pręsentibus ipsis cadaueribus hominis interfecti, vel aliquis volens naturaliter loqui diceret hoc fieri ad monstrandum, quis occidisset hominem illum, est enim naturale quoddã quasi miraculum eis, qui causam huius ignorant, vt si aliquis homo mortuus fuerit, & occisor aduenerit vulnera sanguinẽ sudent, & non solum cum quis recenter occisus est, sed etiã cum multis diebus fuerit homicidium perpetratum, ex ipsis nudis ossibus solet interdum cruor effluere, vt multoties visum est, cum ergo seniores populi, & magna pars ciuitatis cum eis conueniissent, super cadauer hominis interfecti, si sibi occisor adesset manifestaretur in emanatione cruoris de vulneribus, quòd patere non posset aliter, scilicet si cæremonialis ista obseruatio fieret in ciuitate propinqua, vel in aliquo loco distanti à cadauere hominis occisi. *Lauabuntque manus suas super vitula.* Ad signandũ quod ipsi innocentes sunt, & mundi à crimine hoc, nec merentur occidi vt vitula, & ista lotio solum erat significatio mundiciæ, sed non fiebat per istam aquam mundicia aliqua. Sicut aliquæ gentes putauerunt, quòd aliquæ aquæ crimina diluunt, ideo Hercules lauit se in quodam fonte in Libia, in quo se à cunctis credidit piaculis absolutum, vt patet per Senecam lib. 1. tragædiarum circa finem, sed hanc opinionem improbat Ouidius primo fastorum. Et sicut iste modus ab antiquis gentilibus inuentus est, ita quasi toto tempore gentilitatis apud homines non totaliter doctos permansit, nam Pilatus, qui fuit tempore Christi quasi adueſperascente, & finito gentilitatis tempore, hoc tenere visus est: nam cum Christus ei iudicandus à Iudæis perfidis duceretur, videns, quòd in eo nulla mortis causa erat, vt ore suo protestatus est, vt complaceret Iudæis, quia non poterat compescere vocem acclamantis plebis, sed magis tumultus fiebat in populo, decernens eum crucifigi debere, quia scelus hoc manifestum erat, vt non teneretur reus criminis huius, cunctis coram astantibus lauit manus suas dicens: mundus ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis, vt patet Matth. vigesimo septimo capitulo, & Lucæ vigesimo tertio.

B

C

D

Antiqui putarunt crimina certa aqua deleri, vt patet in Pilato.

E

Quare gentiles & Sarraceni sæpe lauant corpora sua, & manus, & credebant aquam crimina abstergere, & de baptismi virtute differitur, vnde ea adueniat aquæ.

Quæstio III.

Erroris huius occasio fuit in antiqua gentilitate quędam impropria transumptio, nam sicut aquam videbant labes corporis prorsus abstergere, ita, & inquinamenta animæ abolere crediderunt, & Sarraceni hanc opinionem sequuntur, qui in templis suis fontes habent, quæ latine delubra vocantur à diluendis criminibus sic dicta, vt ipsi existimant, ideo ibi sæpissime se abluunt. Sed magnus error est, quia secundum naturalem disciplinam agens, & passum debent proportionari, vt taliter sit patiens receptiuum qualiter agens est actiuum, ideo ea quæ incorporea sunt à corporibus non patiuntur, quia corpora agunt emittendo virtutem suam diuisibiliter propter extensionem quantitatis, & distantiam partium in situ, ita quod ab vna parte emittitur vna pars virtutis, & ab alia parte alia pars virtutis. Incorporalia autem indiuisibilia sunt, ideo non possunt recipere aliquid diuisibiliter, & sic nequaquam spiritus à corporibus patiuntur directe, secus est indirecte, de quo magis dictum est Exodi vigesimo tertio capitu. anima autem est in qua peccatum est secundum id esse quod habet, si ergo anima spiritualis est, necesse est peccatum spirituale esse, quia semper id quod in alio recipitur simplicius, & formalius est, nõ potest ergo ad tantam virtutem accedere vt purget mentis inquinamenta, ipsi tamen talem transumptionem posuerunt, & concẽsserunt, quia quidam circa naturam animæ errauerunt, quidam vero circa ipsum peccatum quid sit, circa naturam animæ non solum errauerunt vulgares gentiles qui non solum in hoc sed etiam in cæteris errant, immo & ipsi populi, quidam namq; eam sanguinem esse dixerunt, quidam aërem, quem attrahimus, & ista valde cõmunis erat, vnde & ab hoc anima ab animos, quòd est ventus græce dicta est, & spiritus apud latinos à spirando id est flando quod ad ventũ pertinet, multi quoq; alij modi errandi sunt, de quibus ad nos dicere nihil attinet, de quibus plene Arist. libro primo de anima. Qui autẽ animã de natura corporis esse putant, vt aërẽ vel sanguinẽ esse dicant, satis cõcedent eam per aquam emundari, nos autem qui animã tam secundum philosophicam doctrinam quã secundum catholicam veritatẽ spiritum esse fatemur, eam per aquam posse mundari, necessario negare cõpellimur. Sed adhuc isti qui errant circa naturam animæ nõ multũ videntur errandi occasionẽ habere, quia non est facile dari qualiter sanguis, & attractus aër per aquam emundentur, sed rudis gentilitas hæc omnia vsq; ad vnguem coaptare, aut nõ curauit, aut ꝙ verius est, ignorauit.

F

Ad qd hæc cæremonialis obseruatio fiebat super interfectũ

Errores penes naturã animæ.

A

Alij errabant circa ipſum peccatum, & quidam tantùm errabant, vt peccatum eſſe neſcirent, ſed quia hi rudiſſimi totius ſeculi erant, de eis curandum non eſt. Alij autem errabant, quia cùm peccatum eſſe cognoſcerent, putabant illud eſſe quandam maculam, vel immunditiam corporalem, aut corporibus adhærentem, & tunc cum aqua omnia corporum inquinamenta depellat, ſatis immunditias peccatorum abſtergere ſufficiebat, & in hoc adhuc magis rudis populus cõſentiebat, & ſic ſatis coaptatur quòd abluto corpore omnia vitia abſtergantur.

In his tamen erat diuerſitas, quia quidam totum corpus abluebant, vt ab omnibus vitijs mundiſſimi redderentur, quidam autem ſolas manus lauabant, quia malę actiones per quas cauſabantur ſecundùm ipſos maculæ peccatorum per manus fiebant, quæ ſunt organa operatiua. primũ fecit Hercules in fonte Lybico totum corpus abluens. ſecundum fecit Pilatus, vt corã toto populo manus lauerit: ſicut habetur Matth. 27. cap.

Sed aliquis arguet, quòd iſta obuient veritati Catholicæ, nam, vt ait Beda, & habetur per Magiſtrum ſent. in 4. cùm agitur de Baptiſmo, quòd Chriſtus tactu ſuę mundiſſimæ carnis vim regeneratiuam aquis tribuit, vis regeneratiua eſt vis faciendi hominem nouum relicta vetuſtate peccati, ergo aqua habet vim lauandi peccata.

B

Ad hoc poterat reſponderi, quòd aqua non habuerit vim regeneratiuam ſiue ablutiuam peccatorum, & ſic illi qui putabant per lotionem crimina tolli errabant, habuit tamen aqua vim regenerandi poſt Chriſti baptiſmum, & ſic ſonat auctoritas Bedæ, ſcil. quòd Chriſtus tactu ſuæ mundiſſimæ carnis vim regeneratiuam aquis contulit. ſed vt acutius & explicatius loquamur, dicendum eſt, quòd aqua non habet vim regeneratiuam in ablutione criminum: nam ſi talis virtus in aqua eſſet, ſiue hæc virtus ineſſet ex natura, ſiue quia poſtea Chriſtus dediſſet, neceſſarium erat vt ſemper in aqua iſta virtus eſſet cùm abſolutè ineſſet, ſicut aliqua alia qualitas in ſuo ſubiecto. ſed falſum eſt, quia tunc quandocunque aliquis lauaretur in aqua, iſta virtus regeneratiua peccata aboleret, ſicut quandocunque aliquis intret in aquam, quia humida eſt, neceſſario humefacit.

Item omnem hominem purgaret à vitijs, ſicut frigiditas aquæ quandocunque hominem infrigidat, aut calefacit, ita & vis regeneratiua, ſi in aqua eſſet, quandocunque hominem regeneraret à vitijs mundanis, ſed dicitur quòd eſt virtus regeneratiua in aquis, ſcil. quòd Deus voluit quòd tanta virtus eſſet, vt accedente verbo ad elementum aquæ fieret ſacramẽtum Baptiſmi, in quo fit plena remiſſio peccatorũ, & in nullo alio elemento hoc fit.

Sed fortè adhuc dices, quòd iſta redargutio antiquorum non benè ſtet, quando ipſi putant, quòd in lotione per aquã lauarentur crimina, quia ſicut nos dicimus, quòd per Baptiſmum fit plena peccatorum remiſſio in nouo teſtamento, ita ante Chriſti aduentum in fide & ſpe baptiſmi Chriſti crimina dilui poterant, patet hoc de omnibus cæremonialibus obſeruationibus veteris teſtamenti, quæ proficiebant ad ſalutẽ inquãtum per eas tacitè vel expreſsè confitebantur Meſſiam venturum.

C

In baptiſmo fit plena remiſſio peccatorum.

Reſpondetur quòd hoc non poteſt ſtare propter duo, ſcilicet quia iſta ablutio in aqua à Gentilibus non fiebat in fide baptiſmi à Chriſto inſtituendi, & quia dato, quòd in fide illius abluerentur, per illam ablutionem non lauarentur crimina. Primum patet, quia ſicut nunc in quacunque aqua fiat baptiſmus virtus regeneratiua æqualiter ibi eſt, ita ſi antiqui Gentiles in fide Chriſti lauarentur, in quacunq; aqua crederent crimina ablui, ſed non credebãt ſic quando potius Hercules quendam fontem in Libya ad hoc ſpecialiter elegit: & Theſeus admonens Herculem ſuadebat ire in terram ſuam, quia ibi poterãt peccata ſua ablui, vt patet in fine primæ tragœdiæ Senecæ quæ dicitur Hercules furens, quaſi in terra illa aliquid ſpeciale eſſet: ergo non abluebant ſe in fide baptiſmi Chriſti. Item qui haberet fidem de baptiſmo Chriſti, qui erat aliquod ſpeciale ſacramentum Chriſti, haberet fidem de Chriſto ipſo, ſed Gentiles facientes iſtas ablutiones non habebant fidem de Chriſto, ergo nec lauabantur in ſpe baptiſmi Chriſti: patet antecedens, quia Gentiles iſti colebant idola, fides autem Chriſti perfecta nõ ſtat cum idolorum cultura, ergo nõ habebat fidem Chriſti, patet hoc de Hercule, qui credidit ſe lauari per aquam ab omnibus inquinamentis peccatorum, tamen Chriſtum non credebat, cùm deos plures crederet, dicens Iouem eſſe Deum, & ſe eſſe filium Dei. Item patet hoc de Pilato, quia non egit ipſe iſtam ablutionem in fide baptiſmi Chriſti, cùm Chriſtum crucifigi iuberet, & erat purè gentilis ſicut ipſe confeſſus eſt, vt patet Ioan. 19. c. cùm dixit ſe non eſſe Iudæum: ſecundum patet, ſcil. quòd dato, q; iſti Gentiles facerent iſtas ablutiones in remiſſionem peccatorum, non remitterentur talia peccata in virtute huius ablutionis, nã licèt omnes qui in Chriſtum credebant ante eius aduentum per hoc ſaluabantur ſicut nos ſaluamur per fidem eius, iuxta illud ad Rom. 10. corde creditur ad iuſtitiã, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, & Act. 10. c. fide purificans corda eorum: tamen cæremoniæ quas faciebant de ſe nullam virtutem habebant, aut augmentum ad merendum: non enim poterat quiſquã dicere quòd Gentiles, qui lauabantur in aqua, haberent baptiſmum Chriſti, & conferretur eis virtus, quæ conferebatur in baptiſmo Chriſti, cùm in ipſo baptiſmo Ioãnes qui ſanctus fuit, & Chriſti præcurſor, non conferretur id quod in Chriſti baptiſmo, ideo baptizati baptiſmo Ioannis iterum baptiſmo Chriſti baptizabantur, vt patet Act. 19. cap. per ea quæ fecit ibi Paulus Apoſtolus, nec etiam dici poteſt q; cæremonialis illa obſeruatio abluendi in fide baptiſmi Chriſti poterat habere aliquam efficaciam, nam licèt fides Chriſti haberet efficaciam ad remiſſionem peccatorum, tamen iſtæ cæremoniæ factæ in fide Chriſti non habebant aliquam efficaciam vltra eam quam habebat per ſe fides Chriſti, cuius cõtrarium eſt in ſacramentis noui teſtamenti, quia licèt ſacramenta noui teſtamenti habeant efficaciam à Chriſto inſtitutore, & nobis proficiant ſecundùm quod credimus ea nobis proficere, inquantum ſunt à Chriſto inſtituta: tamen ſpecialiorem efficaciam habent quàm fides Chriſti: nam maior gratia confertur per vſum cuiuſlibet ſacramenti noui teſtamenti cum fide Chriſti inſtituentis, quàm ſi credamus Chriſtum ſolum, & non vtamur ſpecialiter ſacramentis, tempore autẽ Gentilitatis quicunq; Chriſtum crederet futurum, & vteretur aliqua cæremoniali obſeruatione, nihil magis de gratia accipiebat per illam obſeruationem quàm per ſolam fidem, niſi per accidens inquantum per operationem intenditur fidei actus, ratio huius eſt quia obſeruationes iſtæ cæremoniales nõ habent de ſe aliquam bonitatem, quaſi intellectus determinet ea fieri ſicut aliqua quæ ſunt de naturali rationis dictamine, ſi ergo aliquod bonum habere deberent, oportet q; habeant illud ab inſtituente conferente virtutem rei inſtitutæ, & ob hoc cæremoniæ veteris teſtamenti licèt quantum ad ſe nec bonæ nec malæ eſſent, tamen quia Deus eas inſtituerat ad exercitationem populi Iudaici meritoriæ erant, ablutio autem in aqua tempore Gentilitatis dato quòd fieret in fide baptiſmi Chriſti, tamen quia à Chriſto inſtituta non erat, non habebat in ſe aliquam virtutem ad diluenda crimina.

D

E

F

Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi noſtri viderunt. Id eſt nullo modo nos fecimus, vel fieri vidimus, ſed nec ſcimus, nec aliquis propter negligentiam noſtram fecit, & magis iurabant ſe neſcire, & negligentes non fuiſſe, quàm ſe non feciſſe, quia de eis nullus dubitare poterat. Et debet hoc intelligi in perſona totius ciuitatis, quia aliàs nihil proficeret, cùm illi maiores natu ſolùm ſeipſos ſpecialiter purgarent dicentes non commiſiſſe tale homicidium: & tunc neceſſe erat omnes alios ſic purgari in eadem ciuitate, vel nihil factum eſſet, ſed ſoli maiores natu, id eſt ſeniores totius populi hoc faciebant, & iſta vox dirigitur in perſona totius ciuitatis populi illius, ſcilicet: *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc.* Id eſt, ſatis credimus quòd manus noſtræ non effuderunt hunc ſanguinẽ, ſcilicet, quòd nullus de ciuitate hac ſanguinem hunc effuderit.

Nec oculi noſtri viderunt. Id eſt etiam nullus de ciuitate hac vidit effundi ſanguinem hunc: vtrumque enim neceſſarium erat: quia dato quòd nullus de ciuitate illa effudiſſet ſanguinem illum, ſi tamẽ vidiſſet ſanguinem effundi, debebat prodere effuſorem cùm taliter quæreretur, aliter peccaret, & eſſet reus ſanguinis ſicut qui effudiſſet: & intelliguntur iſta duo non de rei veritate, ſed de credulitate, nam certiſſimè dicere non poterant ſeniores populi loco omnium qui erant

A in populo, quòd manus suæ non effudissent hunc sanguinẽ, id est nullus de populo, & tamen benè poterant iurare de credulitate, quia sic crederent, scilicet neque quemquam feciſſe nec vidisse.

Propitius esto populo tuo Israël. Scilicet, non imputando eis hoc in peccato ad punitionem: & ista sunt verba seniorum ciuitatis illius, quæ erat propinqua loco, in quo iacebat cadauer occisi hominis, & orabant pro se & toto Israël, vt nõ statueretur eis hoc peccatum, cùm in hoc non deliquissent.

Quem redemisti. Persuasio rhetorica est habens non modicam vim, nam si Deus Hebræos redemit auferens eis pœnas captiuitatis Ægyptiacæ, quam merebantur: quomodo magis non infligeret pœnas pro peccato, quòd non feciſſent, vt mali quicquam commeruissent? non enim videretur rationabile quòd aliquid Deus feciſſet, quod postea irrationabiliter perire permitteret, quòd esset dato quòd puniret eos pro sanguine hoc effuso, quem non effuderant, nec effundentem viderunt. Et non solùm consistit in hoc vis persuasionis, sed magis in hoc, quòd aliqua Dei beneficia referuntur hic, scil. quòd Deus redemerit Iudæos de Ægypto, quod erat valdè magnum beneficium. delectantur autem magnanimi & magnifici, cùm audiunt beneficia ab eis facta alijs, & libenter ea audiunt, triſtantur verò cùm eis referuntur beneficia ipsis collata ab alijs, vt patet 4. Ethicorum, cap. de magnificentia, & cap. de magnanimitate, de hoc Genes. 32. cap. dictum, vbi dicitur de optimo modo orandi, an esse debet per verba valdè demonstratiua bona quæ recepimus, aut bona quæ egimus.

B *Ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël.* Id est non imputes nobis peccatum sanguinis effusi, si autem ex negligentia populi effusus fuisset sanguis ille, vel non vendicaretur iam effusus, irasceretur Deus super populum Israël. *Et auferetur ab eis reatus sanguinis.* Scilicet à senioribus ciuitatis propinquæ, qui antequam ista facerent rei sanguinis erant, & si ista facere nollent, irasceretur eis Deus tanquam verè occidissent.

Locutio ad totũ populum. *Tu autem alienus eris.* Id est absolutus, & loquitur ad populum totum, quia totus Israël tenebatur reus sanguinis quando aliquis occidebatur sic occultè, nisi istam inquisitionem faceret, & ciuitas propinqua, nisi prædicta feciſſet, & sic vtrique absoluebantur.

Ab innocentis cruore qui fusus est. Non vocatur sanguis innocens, ita quòd verè ille occisus sine culpa fuerit, quia potuit iustè occidi, vtputà si inuasit alium, & ab illo occisus est, vel si latro, vel insidians erat, siue aliàs iustè occisus est. sed vocatur innocens, quia non constat de eo quòd nocens fuerit, & secundùm præsumptionem iuris quilibet præsumitur bonus, nisi contrarium probetur.

Cùm feceris quod præceperit Dominus. Id est quando tu feceris ea, quæ mandat Dominus, scilicet quòd mittas seniores & iudices tuos, & sacerdotes ad inquirendum, quæ ciuitas esset vicinior loco cadaueris, & postea maiores natu, scilicet seniores ciuitatis, fecerint cæremonias suprà tactas, quæ omnia mandat Deus fieri, eris innocens à sanguine effuso, quia si omitterent facere hoc, reputarentur rei sanguinis, & perirent, facto autem hoc, quia faciebant quantum poterant, dato ꝙ illi qui occidissent hominem, essent in populo illo, & non cognoscerent interfectores illos esse in populo, erat populus liber, quia non iudicaretur reus sanguinis, nec quicquam ei à Deo imponeretur: licèt pœna infligeretur à Deo eis, qui aliquem de quo ignorassent, occidissent.

C *Si egressus fueris.* Hic ponitur secundum principale, quod pertinet ad dirigendum concupiscibilem. *Contra inimicos tuos.* Scilicet qui sunt extra terram promissionis, quia in terra promissionis nullum permittebant viuere siue masculum, siue fœminam, ideo non poterant accipere vxores de eis, vt patet Exodi 34. & suprà 7. cap. *Captiuosq; duxeris.* Vt vendas, vel vt seruiant tibi. *Et adamaueris eam.* Quia erant proni ad luxuriam videntes mulieres pulchras, & acciperent eas in concubinas, ne ergo peccarent, permittit Deus eas accipere in vxores. *Volueriſq; habere vxorem.* Quasi dicat. tunc debes facere, quæ sequuntur: aliàs autem non licet eam habere. *Introduces eam in domum tuam.* Ex permissione loquitur, & est permissio minus mali, vt vitetur concubinatus, & hæc omnia intelliguntur si ipsa vellet tenere ritum Hebraicum, aliàs vel venderetur, vel occideretur, siue efficeretur serua, quia non licebat filijs Israël tales vxores accipere. *Quæ radet cæsariem.* Ista abscissio capillorum, & vnguium superfluorum, significat abrasionem cultus idololatriæ qui superstitiosus est, secundùm Rabbi Salomon. & Aben Ezra: potest intelligi, quòd ista fiant ad decorem, vel turpitudinem huius captiuæ. Si intelligatur ad turpitudinem est intentio, quòd ista mulier debet deturpari, vt sic perdat amans stimulum carnis. *Radet cæsariem.* Id est totam comam, & sic multum turpis redditur mulier, quia mulieri pro ornatu capilli dati sunt, vt patet prima Corinth. 11. cap. vbi multa de hoc ponit. *Et circuncidet vngues.* In Hebræo habetur: *Faciet vngues.* Et potest intelligi duobus modis.

D Vno modo fecit vngues, id est dimisit crescere, sicut dicitur facere comam, qui eam crescere dimittit, & ista est propria significatio dictionis facere, id est ducere aliquid ad esse vel augmentum. *Littera Hebraica dupliciter intelligitur.*

Alio modo accipitur facere, id est ornare vel parare, & sic dicitur facere barbam qui eam radit, & facere vngues, qui eos circuncidit, sic dicitur Leuit. 14. faciet vnum arietem pro peccato, id est parabit, vel sacrificabit. *Et deponet vestem in qua capta est.* Si fortè erat pretiosa, vt non appareat benè sicut ante: *Sedensq; in domo tua flebit patrem & matrem.* Vt sic plorando deseratur, vt non placeat in pulchritudine, & durabat per vnum mensem, vt temporis dilatione subitaneus periret ardor, quòd si fortè non decresceret amor finito mense, poterat eam accipere in vxorem. Si autem velimus quòd ponãtur ista vt magis ametur ab illo qui eam accipere vult. Dicemus quòd radebat cæsariem, id est capillaturam, non quidem totam, sed aliquam partem fortè superfluam, circuncidebat vngues vt pulchrior esset, quia magnæ vngues puellarum detur pãt pulchritudinem, & deponebat vestem in qua capta erat, quia mulieres, & homines tempore calamitatis lætis vestibus non vtuntur, ideo accipiebat aliam meliorem. E

Sed neutra istarum duarum expositionum satis cõuenit, non prima, quia non mandaret mutari vestes captiuitatis ad non placendum cui minus placere poterat in veste illius quã in alijs, cùm vilior & abiectior esset.

Item quia facere vngues secundùm communem modum loquendi est eas apparare, vel decorare, sed hoc non conuenit ad displicendũ, sed magis ad placendum, quia causat pulchritudinem.

Secunda expositio non tenet, quia radere cæsariem enormitatem dicit in mulieribus, nec debent modicum siue multum radi.

Item plorare non pertinet ad pulchritudinem, sed magis deformat.

Doct. expositio. Dicendum ergo sicut ante diximus, quòd ista signant totalem mutationem de Gentilitate ad Iudaismum, cæsarici, & vnguium amputatio, quia ista intrinseca, & naturalia sunt, & F signant voluntatis quæ interior est mutationem, ita quòd nullus amor nullum desiderium maneat in animo idolis seruiendi. depositio vestis, quæ est exterior, signat depositionẽ actuum exteriorum, & habitus, totiusq; veteris conuersationis, vt non solùm nihil antiqui erroris in animo sedeat, sed etiam nihil extra videatur.

Sedensq; flebit patrem & matrem suam vno mense. Quia compassio naturalis parentibus exhibenda est, nec decet filios parentum funera qualescunq; extiterint sine cordis amaritudine præterire, ideo Deus non vult contra naturales motus rectos quicquam mandare, cùm ipse naturam instituerit.

Postea intrabis ad eam. Scilicet carnaliter cognoscendo.

Si autem post non federit in animo tuo. Id est non placuerit tibi sicut ante placebat, quia multum mutabiles erant isti Iudæi, & sicut assolet fieri, quæ aliquis feruentissimo desiderio concupiuit, nimio, & irrationabili animo detestatur, vt Ammon sororem suam Thamar nimio amoris æstu dilexit, sed quodam breuissimè actu functo eam inenarrabiliter odio habuit, ita quòd inordinatus amor ad deordinati odij magnitudinem non pertingeret, vt habetur 2. Reg. 13. c. & secretũ latet hic, potest etiam accidere, quia mulieres aliarũ terrarum viris Iudæis minoribus discordarent, quod turbat communicationem œconomicam.

Nec vendere poteris pecunia. Potuerat tamen si voluerat antequam accepisset eam in vxorem.

A

Nec opprimere per potentiam. Scilicet, subijciendo seruituti tuæ cùm vendere non potueris.

Quia humiliasti eam. Id est defloraſti virginitatem eius, ante enim quàm puella corrupta sit, magni valoris est & à quolibet acciperetur, cùm autem deflorata fuerit humiliatur, id est fit contemptibilior, ita quòd pauci eam accipere velint.

De filiorũ ſucceſſione

Si habuerit homo. Hic ponitur ſecundum de filiorum ſucceſſione.

Si habuerit homo. Hic ponitur determinatio litigij, quando pater vult priuare filium primogenitura, auferendo ei iura primogenituræ, & tribuendo alteri.

Vxores duas. Licebat tempore veteris teſtamenti habere plures vxores, nã ante ipſam legem datam ſancti patres quibus Meſſiæ promiſſio facta eſt, habuerunt plures vxores, habuit enim Abraham ſimul Saram, & Agar. habuit Iacob quatuor vxores, ſcilicet Rachelem & Liam, Balaam, & Zelpham, vt patet de Abraham Geneſ. 16. & de Iacob Geneſ. 29. & 30. c. cæteri autem qui tempore legis fuerunt hunc morem ſecuti, interdum plures vxores aſſumebant, Dauid enim multas vxores habuit ſimul: de Salomone autem dicere non attinet, qui multas habuit, ſed illicitè contra Dei mandatum, vt declarauimus ſuprà 17. cap. in his autem erat duplex ratio, quia in antiquis patribus pluralitatis vxorũ cauſa fuit deſiderium multiplicandi populum Dei, qui multiplicandus promittebatur quaſi ſtellæ cœli, & quaſi arena quæ eſt in littore maris, vt patet Geneſ. 22. cap. & hoc licitum erat, & aliqualiter meritorium, cùm nullo modo ad hoc incitaret deſiderium explendæ libidinis. Secunda cauſa erat permiſſio Dei, quia quidam eorum erant ita effrenatę libidinis, quòd ſi non permitterentur plures vxores habere, vt pluribus pro libito permiſcerentur, adulterium, & alia vitia perpetrarẽt, & hoc quamuis aliquo modo liceret, quia permiſſum foret, tamen meritorium non erat, imò aliqualiter demeritorium, inquantum radix illius deſiderij erat mala.

B

Contingit autem aliquem duas aut plures vxores habere, vel quia plures accepit de cognatione ſua, & aliam vel alias in bello, vt in litera ſuperiori dicebatur. *Vnam dilectam, & alteram odioſam.* Id eſt vnam placentem in oculis eius, & aliam nõ placentem. *Fueritq; filius odioſæ primogenitus.* Et ponitur hoc, quia iſti Iudæi accipientes vxores de alienigenis ſuſcipiebant filios ex eis: & deinde habẽtes odio matres, & abijcientes eas, volebant ſic, & filios ſuſceptos ab eis etiam ſi primi eſſent, alijs inferiores facere. *Fueritq; filius odioſæ primogenitus.* Si aliquis haberet vxorem ſibi odioſam, ſiue eam acceperit de gente ſua, & cognatione, ſiue in bello acceperit, poterit eam repudiare ne ſit vxor eius. De vxore accepta in bello patet ſuprà in litera, quia dimittebat eam vir ſuus liberam, nec poterat cuiquam vendere. de muliere autem quæ de gente ſua erat, patet infrà 24. cap.

C

Caſus 14. in quibus pater poſſit filium aut filiam exhæredare, & ad quæ poſſint iura primogenituræ.

QVÆSTIO IIII.

FILIVM tamen non poterat aliquis repudiare ne ſit filius eius, nec poteſt eum exhæredare niſi habuerit aliquam cauſam, propter quam exhæredet, quas cauſas iura humana exprimunt, ſcilicet: Primò, ſi filius parentibus manus intulerit iniurioſas.

Item ſi grauem iniuriam eis fecerit, quę non ſit manuum iniectio.

Item ſi eos criminaliter accuſauerit de cauſa quæ non ſit aduerſus Principem, vel Rempublicam.

Item ſi cum maleficis verſatur.

Item ſi maleficus efficiatur.

Item ſi vitæ parentum inſidiatur.

Item ſi vxori, vel concubinæ matris ſe immiſcuerit.

Item ſi ex dilapidatione parentes grauem iacturam, vel diſpendium ſuſtinuerint.

Item ſi pro patre vel debito eius inquantum potuerit fideiubere noluerit, & hoc ad ſolos maſculos referendum eſt.

Item ſi prohibuit parentes facere teſtamentum.

Item ſi cõtra voluntatem parentum inter arenarios perſeuerauerit & mimos, cùm pater illius profeſſionis non fuerit, ſecùs ſi filius ſequatur officium patris. mimi hiſtriones dicuntur vel iaculatores, arenarij dicuntur qui in arena contra beſtias pugnant, vt qui cum viſis vel leonibus incluſis in aliquo theatro vel domo bellum gerit. D

Item ſi filia vitam luxurioſam elegerit, dum tamen parentes vellent eam pro poſſe dotare, niſi neglexerint eam viro tradere ante annos 25.

Item ſi filij parentibus furioſis debitam curam non impenderint.

Item ſi de carcere parentem educere neglexerint, vt habetur in authen. vt cùm de appellat. cognoſcitur, in §. cauſas, collat. 8. Cùm autem non ſint caſus expreſſi in lege, non poteſt pater vel mater pro libito ſuo filium exhæredare, nam filius eſt pars patris, & ſicut communicauit ei eſſe per naturã, ita debet ei communicare nutrimentum & conſeruationem in eſſe œconomico per ſucceſſionem, iuxta dictum Saluatoris: Patres debent theſaurizare filijs, & non filij parentibus, non ergo poteſt pater priuare filium eo ad quod tenetur ei per naturam, niſi filius demeruerit, per actum demeritum autem nõ quodlibet eſt ſufficiens, vt pater poſſit priuare filium hereditaria ſucceſſione, ſed magnum demeritum, qualia ſunt iſta quæ expreſſa ſunt in cauſis ſuprà aſſignatis, quòd ſi pater velit filium pro ſola voluntate ſua nulla præcedente cauſa, vel non legitima, priuare legitima ſucceſſione, non ſe habet ad eum tanquam pater ad filium, ſed tanquam dominus ad ſeruum, inter quos propriè iuſtum nullum eſt, & talis principatus errat. cùm principatus paternus ſit principatus regalis, vt ait Ariſtot. in 8. Ethic. quod probat auctoritate Homeri, qui Iouem, eo quòd rex bonus foret, patrem populorum nuncupauit, in Perſis autem principatus paternus eſt principatus tyrannicus, ſicut domini ad ſeruum, ideo errat, vt ait Ariſtot. ibidem. *Fuerit filius odioſæ primogenitus.* Quia primò ſecundùm carnem natus eſt, & debet habere iura primogenituræ. Inter Hebræos ſemper fuerunt obſeruata primogenituræ iura, ita vt qui primogenitus eſſet haberet quædam ſpecialia dona & priuilegia inter cæteros fratres, & hoc obſeruabatur tam inter eos qui erant de magno genere, & habebant magnum ſtatum, quàm inter eos, qui erant de paruo genere, & habebant paruum ſtatum, nunc autem iſta primogenitura non obſeruatur inter nos niſi inter homines magni generis, & ſtatus, vt non pereat familia patrum, & ſemper primogenitis datur tota domus, cæteris autem dantur aliqua dona. inter Hebræos autem multum conferebant iſta iura primogenituræ, vt non miſcerentur familiæ, & manerent ſemper nomina patrum, nam cùm ipſa poſſeſſio indiuiſa maneat, quocunque tranſiret, tranſibat & nomen patris, & cognationis, cuius erat ipſa poſſeſſio, ſi autem poſſeſſiones æqualiter diuiderentur inter filios, & non maneret domus ipſa, id eſt maior pars poſſeſſionis, vel aliquid ſpeciale penes ipſum primogenitum, turbaretur poſteritas, & non manerent nomina patrum, & ob hoc in hominibus vulgaribus pereunt denominationes cognationum, & ignorantur ſucceſſiones, quia non euenit aliquid ſpeciale primogenitis. in hominibus autem nobilibus non accidit hoc, quia primogenitis dantur aliqua ſpecialia. Ad conſeruandam etiam iſtam impermixtionem cognationum & certitudinem paternarum linearum, fuit præceptum in veteri teſtamento, vt viri de vna tribu acciperent vxores de eadem tribu, vt habetur Num. 36. ca. etiam fuit factum aliud quod adhuc præcipuum erat, ſcilicet, vt non poſſent vendi poſſeſſiones immobiles ſimpliciter ſicut apud nos venduntur, periret certitudo cognationis, & lineæ illius quæ cognoſcebatur per talem poſſeſſionem, & ſic eſſet de omnibus lineis, & ſucceſſionibus, cùm de omnibus poſſeſſionibus ſimiliter fieri poſſet, ſcilicet vt ſimpliciter venderentur, nam non cognoſcitur poſſeſſio per familiam, ſiue poſſeſſionem, & è cõtrario poſſeſſio facit cognoſci familiam. quid autem iſta certitudo ſucceſſionum paternarum, & impermixtio tribuum atque cognationum in veteri teſtamento profuerit, & ad qd Deus illam mandauerit, Num. 27. c. dictum eſt. E

Voluerit q; ſubſtantiam ſuam inter filios diuidere. Ponitur hic de diuiſione poſſeſſionum paternarum, quia inter cætera primogenituræ iura id quo magis primogeniti apud Hebræos appretiabantur, & quod magis eos determinatos reddebat in linearum impermixtione, erat quòd primogeniti accipiebãt de hæreditate paterna duplices partes, vt patet de Ioſeph, F

A qui quantum ad aliquid reputatus est primogenitus Iacob: ideo susceptit duas sortes, cùm tamen quilibet de alijs vnicam sortem accepisset, & vnicam tribum denominasset, vt patet Genes. 48. c. cùm ergo pater volebat filium odiosæ, qui primogenitus erat, primogenitura priuare, præcipuum in quo eum grauabat erat diuisio hæreditatis, quia cùm deberet ei dare duplum, quàm cuilibet aliorũ, dabat & æquale cuilibet alteri, & alterum filium dilectæ constituebat primogenitum, dans ei duas partes, scil. duplum respectu cuiuslibet aliorum. hoc ergo non consentit lex. *Non poterit dilectæ filium facere primogenitum.* Scilicet dando ei iura primogenituræ.

Iura primogenituræ apud antiquos quæ erant.

QVÆSTIO V.

MVLTA erant iura primogenituræ apud antiquos. Primum, quòd primogeniti sacerdotes erant, vt patet de Melchisedech, qui vocatur alio nomine Sem filius Noe, qui iura primogenituræ habuit, sacerdos altissimi erat, vt patet Genes. 14. & ad Hebr. 7. c. Secundum, quòd veste pretiosa vtebantur, vt patet Genes. 27. vbi loquitur Isaac de filio suo, quem primogenitum existimauit, vt sentio vestimentorum flagrantia, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. Tertium, quòd moriente patre benedicebantur, ideo Esau benedici debebat, nisi primogenita ab eo Dominus abstulisset, vt B habetur Genes. 27. c. Quartum, quòd duplices partes hereditatis recipiebant, vt habetur Genes. 49. vbi loquitur Iacob ad Ruben primogenitum secundùm carnem: Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea, & principiũ doloris mei, prior in donis, maior in imperio, ideo filijs Ioseph ad quos primogenitura ex parte translata est duæ partes datæ sunt: alijs autẽ tribubus vna, vt patet Genes. 48. Quintum, quòd ad cultum Dei segregabantur, vt patet Exod. 13. & Num. 3. ca. Sanctifica mihi omne primogenitum, tam in hominibus, quàm in iumentis. Sextum, quòd prius federent, vel in nobiliori loco mensæ, deinde alij secundùm natiuitatis ętatem, vt patet Genes. 43. federunt singuli per ordinem, primogenitus iuxta primogenita sua, & minor iuxta minoritatem suam, de his Genes. 25. & 27. dictum est, vbi plura iura primogenituræ posita sunt. Nunc autẽ vbi primogenituræ iura seruantur, tota substantia patris transit ad primogenitum, cæteris fratribus dona aliqua solùm accipientibus. *Sed filium odiosæ cognoscit primogenitum.* Id est, tenebit eum pro primogenito, & sic vocabit eum. *Dabit ei de his quæ habuerit cuncta duplicia.* Ad quemlibet, ita quòd si sint duo fratres, fiant tres partes, vt primogenitus recipiat duas. Si tres fratres fient quatuor partes, & sic deinceps, vt singuli fratres habeant singulas partes, primogenitus aũt duas. *Iste est principium liberorum eius.* Quasi dicat, licèt pater hunc nõ habeat ita gratum sicut aliquem alium, quia matrem huius habebat odiosam, tamen secundùm veritatem C iste est principium liberorum eius, id est iste est quem primò genuit inter cæteros liberos superstites: filius enim non debet amittere priuilegium suum propter matrem: licèt enim ipsa exosa sit, & iustè odio habeatur, tamen filius semper manere debet immunis, quia pater non dat filio primogenituræ iura, quia vxor illa quam habet primò eum concepit, & peperit: nam tunc benè posset mutare primogenitum pater propter matrem, vt sicut matrẽ exosam habet, ita & filiũ priuilegio primogenituræ propter eam priuet, sed dat pater filio iura primogenituræ, quia eum primò genuit: nam dato, ꝙ pater eum primò genuit ex aliqua vxore, ille tñ non est primogenitus illius mulieris, sed vltimus, tamen primogenituræ iura consequitur, vel si mater illum primum filium habuit, & pater non habet illum primum, quia alium priorem habuit, non faciet illum primogenitum, sed alium. *Et huic debentur primogenita.* Scilicet omnia iura primogenituræ, quia est principium liberorum, quia dignitas quædam est primogenitum esse, & istum modum loquendi habuit Iacob Genes. 49. cap. cùm dixit ad Ruben: tu Ruben fortitudo mea, tu principiũ doloris mei, maior in donis, prior in imperio, id est maior esse debueras cæteris fratribus in accipiendo possessionem, & imperio prior esse debueras, sed non sic contigit tibi, quia maculasti cubile patris tui, & ascendisti stratum eius: vocatur principium doloris aliquo modo principium liberorum, vt ibidem dictum est.

Si genuerit homo. Hic ponitur tertium, scilicet de malorum filiorum occisione. Et suprà dicebatur, quòd pater per odium non tollat filijs iura sua. hic autem, quòd per inordinatum amorem non defendat vitia sua. *Filium contumacem.* Id est non obedientem eis quæ agere præcipitur. *Et proteruum.* Id est agentem ea quæ agere prohibetur. Et hoc quantum ad mandata legis. D *De malorũ filiorum occisione.*

Qui non audiat vocem patris, & matris. Hoc est quantum ad mandata patris, & matris, quibus obedire tenetur, & eos honorare secundo gradu post Deum: ideo aliquo modo comparat Philosophus 8. Ethic. patrem, & Deum dicens, quòd parentibus & dijs non possumus æqualia tribuere.

Et coercitus obedire contempserit. Prius debet eum pater verbis, & verberibus castigare, si autem nequiuerit, ducent eum ad iudices qui castigent, quia nomen patris amorem, & dulcedinem attinet, nomen autẽ regis timorem: lex autem cùm habeat vim coactiuam, magis regibus quàm patribus conuenit, sed cùm de communi non dantur leges pueris, & mulieribus, quilibet vti vult eas dare debet in domo sua, patent ista circa finem 10. Ethic. & in principio 1. Politic. *Ducent eum ad seniores ciuitatis.* Vt eum ad mortem iudicent, quia patri non licet filium suum pro aliquo peccato quantumcunque graui occidere, sed solùm personæ publicæ, scil. iudici, qui in morte cuiuslibet est damnum communitatis: ideo etiam ille qui seipsum occidit, communitati iniuriam facit, vt patet 5. Ethic. Item quia contra naturalem pietatem patris est aliquo modo occidere filium. E

Ad portam iudicij. In portis enim ciuitatis fiebat discussio causarum. de hoc dictum est suprà 17. c. & patet in multis locis, quia apud antiquos tam Hebræos, quàm non Hebræos, fuit ista consuetudo, vt ad portam ciuitatis iudices conuenirent, & ibi causę agerentur, quia locus ille publicissimus erat, iudices autem qui erant in loco Sanctuarij, non manebant in portis ciuitatum illius loci, sed in domibus ad hoc deputatis conueniebant, & ibi de omnibus litigijs disceptatio vertebatur.

Diceret ꝙ ad eos. Scilicet pater, & mater illius mali viri, qui duceretur ad iudices, vt occideretur, ipsi namque accusatores eius erant. *Filius iste noster.* Hoc intelligitur de filio non emancipato, qui adhuc est sub custodia parentum, quia iste potest esse contumax, & proteruus, nolensque obedire monitis parentum: nam filius emancipatus cùm sit magnæ ætatis non moratur in domo paterna, sed est vxoratus, vel sacerdos, aut aliquid simile, quod exiuit à patria potestate, & tunc pater nihil imperat.

Contumax & proteruus est. Exponatur, vt suprà expositum est.

Et monita nostra audire contemnit. Filius tenetur audire præceptum patris, & matris, & obedire eis, nisi mandauerint iniustum: hoc enim de iure naturali est, cùm filius teneatur parentibus, sicut subditus regi, quia principatus paternus est F regalis, vt patet in 8. Ethic. & adhuc magis tenemur parentibus, quàm regibus: vt ait Aristot. ibidem, quia maiora beneficia recepimus à parentibus, quàm à regibus, scilicet esse, & nutrimentum, quodlibet istorum valdè magnum bonum est, sed adhuc cæteris ademptis, hoc bonum, quod est Esse tãtum est, vt nullum bonum ei comparari valeat, nec omnia alia simul sumpta, cùm esse sit perfectio absoluta, & fundamẽtum omnium perfectionum tam naturalium, quàm non naturalium, nec homo, vel aliqua res potest æquale bonum recipere alterum: vnde si cuncta rectè inspiciantur, licèt redemptio nostra sit de maximis beneficijs, & ex maxima charitate Dei, cùm nemo maiorem charitatem habeat, quàm vt animã suam ponat pro amicis suis, vt patet Ioan. 16. c. maius tamen beneficium à Deo recepimus, quia nos creauit, quàm quòd redemerit. Et magis ei tenemur, quia cuilibet nostrum specialiter esse tribuit, tanquam causa prima in concatenatione naturæ maximè operans, & postea præter esse corporeum, quod concausauit, adhuc animas nostras solus, tanquã causa supernaturaliter operans creauerit, quàm ꝙ nobis prædicauerit, & pro nobis mortuus fuerit, & nos in vita æterna visionis beatæ faciat esse participes: hęc omnia minora sunt quàm esse, quod ab eo recepimus, ideo si considerentur beneficia Dei in seipsis, magis tenemur ei pro creatione, quàm pro redemptione, si autem considerentur beneficia, & quãtitatem

acci-

A accipiant ex affectione, vel vt proprius loquamur ex charitate tribuentis; maius fuit beneficium redemptionis, quàm omnia alia simul sumpta, quia maiorem charitatem nemo habet, &c. licèt enim pater non tribuat filio suo esse, ita perfectè, sicut Deus tribuit eidem filio illius hominis, quia Deus est causa prima, & magis influit in suum effectum, quàm causa secundaria, cùm hoc sit generale in causa primaria, vt ait Auctor in prima propositione libri de causis. tamen tribuit esse filio tanquam causa particularis determinans, & assimilans sibi effectum: ideo propter hoc beneficium, quod homo recipit à solis duobus proprijssimè, scilicet à Deo, vt à causa vniuersali, & à patre, vt à causa particulariſſima, his duobus super omnia tenemur, & quia istud esse abundantius Deus quàm parentes tribuit, magis Deo quàm parentibus tenemur, sed post Deum nulli magis quàm parentibus obligamur. Aristoteles autem hoc diligenter considerans collocauit Deum, & patrem in eodem gradu amicitiæ, dicens: quòd amicitia hominis ad Deum, & ad parentes est, tanquam ad quoddam bonum superexcellens: magis ergo filij parentibus quàm subditi regibus tenentur, sed tenentur obedire subditi mandato principis sub pœna mortis, nisi mandaret iniustum, ergo à fortiori tenentur parentibus: antecedens patet suprà 17. cap. cùm dicitur: Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio & decreto principis, morte moriatur. de hoc extrà, qui filij sint legitimi, c. per venerabilem. & B extrà de maioritate, & obedient. c. si quis, dicitur: Si quis non obedierit mandato principis, morte moriatur. sufficienter ergo parentes arguerent contra filium ad condemnandum eum morte dicentes, quòd monitis eorum obedire nõ curabat.

Comessationibus vacat. Id est frequenti, & immoderato cibo & potui: est enim comessatio frequens comestio.

Atque conuiuijs. Id est, consumit substantiam nostram inuitando alios participantes cum eo in luxurijs, & vanitatibus.

Lapidibus eum obruet populus. Non solùm est putandũ quòd ad hoc, quòd iste filius condemnaretur ad mortem, oportebat parentes hoc dicere contra eum, quia pater inquantum accusat filium ad mortem, videtur exuere naturam patris, ideo contra eum non credetur sibi, sicut nec crederetur extraneo alteri, nisi quatenus habuerit legitima documenta, vt probet qualiter ille filius non obedit eis, & vacat comessationibus atque luxurijs: erat enim contra legem, quòd aliquis condemnaretur solo accusatore proponente, & non conscito per aliqua legitima munimenta.

Populus ciuitatis. Ista pœna lapidationis imponebatur taliter peccantibus, quia valdè horrida est, vt alij arceantur à similibus, quia in alijs delictis ponebãtur aliæ minores pœnæ, vt suspensio in patibulo, vt patet immediatè: in hoc autem, & verò in idololatria, si est persona singularis, & in illicitis coitibus, vt patet Leuit. 20. cap. de idololatria patet suprà 17. cap. C imponitur pœna ista lapidationis, quia factum est valdè nefarium; ita pœna sit valdè horrida. mandatur autem quòd totus populus eum lapidet, vt per hoc incitentur ad zelum iustitiæ exequentes actus iustitiæ: nam generale est, quòd habitus causantur per habitus, aut si causati sunt, intenduntur & conseruãtur: etiam vt ipsi de populo infligentes pœnam hãc videant quàm grauia sint talia peccata, & proponant apud se in talibus non delinquere.

Vt auferas malum de medio vestri. Id est, vt auferatis hominẽ malum de terra ne sit inter vos, & dicuntur auferre malum, id est nociuum, quia tales homines pestilentes sunt, & contagiosi, & conuersatio eorum cæteris infectiua, quoniam corrumpunt bonos mores eloquia mala, vt patet 1. ad Corinth. 15. cap. interest ergo reipublicæ sceleratos de republica tolli, tanquam membra putrida, ne cætera sua sorte commaculẽt. vel dicitur auferas malum, id est hominẽ qui in se malus est, quia præter hoc, quòd infectiuus est cæterorum, in se malus est, & vita indignus.

Inter-est reip. sceleratos de republica tolli.

Et vniuersus Israël pertimescat. Licèt pœnæ inflictę hominibus sceleratis ad multa prosint; præcipuus tamen finis ad quẽ eas leges imponunt est, vt cæteri qui mala non egerunt, ne talia in futurum audeant, arceantur: de hoc magis diximus suprà 13. & 17. cap.

Quando peccaut homo. Hic ponitur quartum, scil. de occisorum occultatione, quia suprà dicebatur, quòd propter odiũ malæ vitæ aliquis occidebatur, & quia fortè tenere vellent odium post mortem, cùm non sit tenendum, quia caro occisi quæ manet, quædam pars naturæ est; ideo mala non est, quare nec odio haberi debet, cùm malitia propter quam odio habebatur, iam transierit: ponitur ergo hic quædam compassio quæ fit ipsi naturæ humanæ, vt illa pars eius, scil. corpus quòd olim corpus humanum fuit, licèt iam non sit, tumuletur.

D *De occisorũ tumulatione.*

Quando peccauerit homo. Mors enim pro peccato infligitur: sine peccato enim & mors, & qualiscunque punitio iniusta est, aliquando tamen principes, & rectores politiarum occidunt eos qui nondum peccauerunt, & rectè agunt: hoc enim quia timent ne in futurũ mala committant, vel ne valdè magnum scandalum nascatur, & ratio huius est: quia politia magis intendit bonum commune quàm bonum vnius, cùm aut eueniat interdum, quòd vna ciuitas erat in totali discrimine, nisi vnus homo moriatur, iudicat illum debere mori, etiamsi constet eum nihil mereri, ne tota simul pereat, nam licèt aliquis teneatur de homicidio, qui alium à morte potest, & non eruit, vt patet extr. de homicid. c. sicut dignum. tamen si aliquis princeps vellet aliquem hominem occidere, & constaret omnibus, quòd iniustè eum occidere parabat, fugeretque ille ad aliquam ciuitatem, & scirent homines illius vrbis, quòd princeps ille certissimè destrueret totam vrbem, nisi darent ei virum illum, poterant ei dare virum illum ad mortem etiam si nihil meruisset, & si fortè rectores ciuitatis exponerent totam ciuitatem ad mortem nolentes illum hominem tradere, grauiter peccarent. E

Quod morte plectendum est. Quia aliqua peccata sunt leuia q̃ morte plectenda non sunt, sed veniam accipere conuenit, quædam verò sunt quæ licèt punienda sunt, nõ tamen morte plectenda. & de his datur regula infrà 25. quòd si fortè aliquis deberet condemnari in pecunijs, quòd cõdemnaretur, si autem plagis dignus foret, iuxta mensuram delicti esset plagarum modus, id est quantitas: ita tamen, quòd quadragenarium numerum non excedant.

Et adiudicatus morti. Scilicet per sententiam, quia nullus quantumcunq; peccauerit, etiam si valdè publicè occidi debet ab aliquo, donec iudicialiter condemnetur, nisi in casibus in quibus seipsum defenderet, vel reperiret eum turpiter agentem, & quibusdam alijs in quibus lex permittit, quòd aliquis sine iudice ius sibi dicat, de quo in Decretis 23. quæst. 5. c. cùm homo, & C. quando liceat cuique sine iudice se vendicare, l. 1.

Appensus. Id est suspensus. *Fuerit in patibulo.* Patibulum à patiendo dicitur, quia ibi malefactores patiuntur. non est intelligendum, quòd quandocunque aliquis peccat, & delictum morte plectendum est, quòd debeat suspendi cùm possit habere alias pœnas, scilicet lapidari, vt in quibusdam casibus de quibus suprà diximus, & patet Leuit. 20. & suprà 13. & 17. cap. sed intelligendum est in casibus illis in quibus peccatum non est tantum, vt specialem exigat pœnam, & tunc datur ista tanquam minor. *Appensus fuerit in patibulo.* Et sicut est de suspensis, sic est de lapidatis, iugulatis, & quolibet genere mortis, quia omnes sepeliri debent, sed dicitur magis de suspensis, quia in securiori loco sunt, ne à canibus, vel bestijs comedantur, quàm alij occisi, & magis exemplum præstant, quia loco eminentiori sunt. *Non permanebit cadauer eius in ligno.* Videtur namq; esse quidam contemptus, & vituperium naturæ nostræ dum partem illam humanam innoxiam punimus, quæ peccati & malitiæ expers est, & verissimè pœna caret, sed nos ipsi punimur puniendo partem naturæ nostrę, sufficit autem puniuisse eum qui malè egit, quod erat eum occidere. *Sed in eodem die sepelietur.* Quia satis hominibus spectaculum præstat occisus, si vna die, vel dimidia pendeat, ista autem lex non tenetur à nobis vniuersaliter, quia interdum illi qui suspenduntur per multos dies, & per annum vsque ad totalem resolutionem in patibulo manent, quia licèt decens sit nostram honorare naturam, maior tamen vtilitas reipublicæ interdum est, quòd illi multis diebus pendentes multis spectaculum præbeant, quàm sit damnum, vel inhonestum vilipendendo naturam. *Quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno.* In Hebræo habetur: *Quia maledictio Dei est.* Id est iniuria Dei est, quòd aliquis pendeat in ligno: homo enim ad imaginem, & similitudinem factus est Dei. *Maledictio*

A

autem Dei est. Id est maledicere, vel vilipendere Deum, quòd imago eius sic deturpata pro spectaculo habeatur. Alio modo maledictio Dei dicitur, id est maledictio vel pœna inflicta à Deo: si autem suspensus maneret in patibulo putrefieret, & corrumperet aërem, & vicinis locis magnum inferret nocumentum, & ista corruptio maledictio Dei est, quam suspensus manens in patibulo affert: potest tamen retenta ista intentione melius dici. *Quia maledictus homo qui pendet in ligno.* Id est non crucietis amplius suspensum post mortē eum in cruce tenendo. *Quia maledictus est à Deo.* Id est satis punitus fuit à Deo per sententiam iudicum tenentium locum Dei: & in hoc sensu dicit Apostolus de Christo, quòd factus est pro nobis maledictum, id est patiens dolores, secundùm quod prædixerat Esaias. 53. cap.

Quantum ad primam sententiam, quando dicebatur, quòd maledictio Dei, vel iniuria Dei est, quòd aliquis pendeat in ligno, quia tunc deturpatur imago Dei. arguet aliqs, quia si imago Dei in hoc deturpatur, & Deo iniuria est, non deberet aliquis suspendi, sed litera est in contrarium quæ dicit aliquem suspendendum cùm fecerit aliquid, quod morte plectendum sit.

Respondetur, quòd maledictio Dei est, quòd homo pēdeat in ligno, & deturpatio imaginis eius, & hoc quidem nō, quòd homo occidatur in ligno, sed quòd pendeat in ligno, nam propriè accipitur hic pendere in ligno pro eo, quod est

B

manere cadauer pendens in ligno post mortem, quòd autem mali homines moriantur pendentes in ligno non est deturpatio imaginis Dei, sed laus eius, quia ibi non vilipenditur imago eius, sed punitur malitia huius malefactoris, cùm autē mortuus est, & manet cadauer in patibulo, non punitur directè malitia malefactoris illius, cùm nec ipse sit, nec ipsa maneat post defunctum morte corpus: solùm ergo manet cadauer illud, quod adhuc quandam gerit Dei imaginem in vultu, cùm in eo omnes sensus ingruerint, & operationes rōnis: sola ergo imago Dei tunc manet quæ puniatur.

Et nequaquam contaminabis terram tuam. Hoc respondet ad aliam superiorem sententiam, quam dicebamus, scil. quòd hominem pendere in ligno quædam maledictio data à Deo est, pro ipsis qui in terra ill. morantur: nam sicut aliæ plagæ datæ viuentibus, vt pestilentiæ, fames, & bella sunt, & nominantur maledictiones Dei, ita quòd aliquis pendeat in ligno est totum aërem inficere, & pestes grauissimas sequi: ne ergo contaminetur terra contaminato aëre ex odore terribili, & infecto, non debent manere corpora in aëre magno tempore, sed vt hic dicitur, eadem die sepelientur. est autem hoc præceptum iudiciale, præcepta autem cæremonialia, & iudicialia non manent in nouo testamento habentia aliquam obligationem, nisi inquantum institutio facta ab Ecclesia, vel dominis temporalibus tribuit eis aliquam vim, & quia hoc institutum non est, ideo non obseruatur, nec ob hoc transgressionis rei sumus.

C

Caput XXII.

Exo. 23

NON videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo: etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat, &c.

NON *videbis.* Suprà posuit Legislator quandā regulationem circa irascibilem, hic continuat idem. Et tanguntur tria principaliter. Primum circa irascibilem. Secundum circa partem quandam incidentalem, ibi. *Non seres vineam.* Tertiò circa concupiscibilem, ibi. *Cum ædificaueris.* Tertiò circa volantia, bi. *Si ambulaueris. Non videbis bouem.*

Quare Deus assuefacit hic Iudæos ad amorem proximorum.

Quæstio I.

ERAT populus iste durus: non enim habebat viscera pietatis, sed no ebat inimicis suis quantum poterat, & hoc erat ex inordinatione irascibilis, quia antiqui tenebāt, quòd bonum erat odio habere inimicos, & malefacere eis, amicos autem diligere, vt patet Matth. 5. ideo assuefacit eos hic ad amorem proximorum qui sunt eis odiosi saltem per exteriora opera. *Non videbis ouem, & bouem fratris tui errantem, & præteribis.* Sed magis laborabis, vt reducas ad eum, & vocātur hic fratres largius quàm Leuit. 25. c. quia etiam conuersi de Gentilitate vocantur fratres, quia eis tenentur ad ista charitatiua subsidia. *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem.* Non debet ista litera per se legi, quia tunc esset sensus, quòd Deus mandaret nobis, vt nunquam videremus ouem, aut bouem errantem, quod non erat in nostra potestate: quia, vt ait Aug. non est in nostra potestate quibus visis tangamur: vel mandaret, quòd si videremus aduerteremus ad ea, cùm ipse præcipiat hic oppositum, scil. reduci eum ad ea cuius sunt talia, sed debet legi copulatiuè, scil. *Non videbis bouem, & ouem fratris, & pertransibis.* Et est sensus, mando tibi, quòd quandocunq; videris ouem, aut bouem fratris tui errantem, non pertranseas sed subleues, vel reducas ad eum. *Fratris tui.* Licèt alibi fratres dicantur Hebræi ex genere inter se, & non dicantur conuersi fratres eorum, tamen hic non obseruatur hoc, quia omnes tam Iudæi, quàm non Iudæi fratres erant. *Bouem aut ouem errantem.* Sicut dicitur de istis duobus animalibus, ita intelligēdum est de omnibus alijs, vt de asino, & equo, sed ponit ista, quia talia exempla magis familiaria ei erant, sicut pastores magis loquuntur de ouibus, & canibus, & alijs pecoribus, quàm

E

de equis, & bellicis armamentis: Hebræi autem in deserto vbi ista dicebantur in bobus, & ouibus magis quàm in alijs rebus abundabant, vel ponuntur ista duo, quia ista sunt animalia quæ morantur in pascuis, & sic facilius contingit oberrare quàm alia animalia quæ sunt domestica, & quotidianis laboribus mancipantur, vt equi & asini: non enim habent sic locum diuagandi.

Sed reduces fratri tuo. In hoc erat duplex pietas, scilicet pietas ad proximum de cuius damno condolemus, & eius bono congaudemus, ideo illud procuramus. Secundò est pietas quædam ad ipsas res brutas, quæ si non reducerentur ad dominos suos, vorarentur à bestijs.

Etiam si non est propinquus frater tuus. Istud superius dictum intelligitur, quando aliquis videbat bouem, aut ouem errantem, & cognoscebat cuius erat, sciebatque quòd erat alicuius vicini sui, & reducebat ad eum. hic autem dicitur, quòd etiam si ille frater non sit propinquus hoc idem faciendum erat, scilicet quòd quando aliquis videt bouem, aut ouem errantem, aut aliquam aliam rem scit, quòd illa alicuius viri est in illa ciuitate, vel loco in quo moratur ipse, vel de aliquo loco vicino, si ergo non cognoscat cuius sit non poterit reducere ad dominum suum, sed mandat litera, quòd inuentor custodiret ea apud se, donec posito edicto quis talem rem perdidisset, veniret dominus rei, & acciperet illam, scilicet: *Non est propinquus.* Dicitur hoc, quia res propinquorum cognoscere consueuimus, & ad eos faciliter reducere possumus, quando autem non est propinquus non possunt ita cognosci res, & tunc debent detineri, donec veniat qui perdiderit. *Frater tuus.* Quasi dicat, licèt non sit propinquus, tamen adhuc semper est frater, cùm quilibet habitans in terra illa, siue sit Iudæus ex genere, siue conuersus de Gentilitate vocetur frater. *Nec nosti eum.* Quia nescis cuius res illæ sunt dato, quòd cognoscas dominum illarum rerum: non tamen cognoscis eum esse dominum illarum rerum, quia tunc nihil differt cùm sit ibi fallacia accidentis, vel quia nescit cuius illæ res sunt, & etiam nescit eum cuius illæ res sunt quouis modo. *Et erunt apud te.* Id est in domo tua, si sunt animalia domestica, & da eis cibum, atque laborem ne interim cibum frustra sumant, si autem sunt agrestia ad pastum solum, vt oues, & capræ, mitte ea ad pascua. *Quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat.* Vtrùm iste qui talia animalia inuenisset, deberet ponere edictum si quis perdidisset animalia aliqua an non, quomodocunque esset donec ille qui reperisset, certum dominum comperisset, tenere deberet apud se, ne traderet ei qui non perdidisset.

Similiter facies de asino, & vestimento. Sed dedit magis regulā de illis superioribus, quia in maiori abundantia sunt, & magis perdi possunt. *Ne negligas quasi alienā.* Solent enim homines ex inordinato, & deficienti amore res alienas non cura-

re, si

re si videant eas pereuntes, etiam si succurrere possint, hinc mandat, quòd non extiment res proximorum quasi alienas, sed vt proprias, & sic curabunt de eis. *Si videris asinum fratris.* In superiori tangebatur vtilitas proximi reducendo rem perditam: hic ponitur vtilitas proximi, & aliqua compassio ad animalia sub onere cadentia.

Et aliqui putant, quod intelligitur, quando aliquis inuenit aliquod animal solùm iacere sub onere nullo dirigente, vel ibi præsente: sed falsum est, quia dicitur in litera, sed subleuabis eum, cooportebat ergo ibi alium adesse, est ergo sensus, quod quando aliquis ducit iumenta onusta in via, & cadit aliquod, & non potest ipse solus eleuare, quod obuians ei debet eum adiuuare ad subleuandum, & dicit Rabb. Salom. quòd sacerdotes non tenebãtur semper ad istud præceptum, vt si cecidisset iumentum super sepulchra mortuorum, quia tangendo illa polluerentur. Et si arguas contra hoc, quod eadem ratio est in laico, quia etiam fiebat immundus tangendo mortuum, vel ossa mortui, siue sepulchrum, vt patet Num. 19. cap.

Respondetur, quod vterque polluebatur, sed munditia sacerdotum erat magis sub præcepto quàm munditia populi, quia parati esse debebant ad ministrandum, ideo permittebat Dominus laicos pollui in omnibus mortuis, sacerdotes autem minores in quatuor generibus personarũ solùm pollui permittebantur, sacerdos autem maior in nullo, vt patet Leuit. 10. & 21. c. in lege nostra nihil horum obseruatur, ideo quilibet prælatus Ecclesiæ potest adiuuare ad subleuandum iumentum iacens sub onere.

Non induetur mulier. Hoc etiã pertinet ad irascibilem, quia sicut non velle præbere in necessitatibus auxilium ad irascibilem pertinet, sic etiam velle vsurpare, quod suum non est, ad præsumptionem pertinet, & in irascibili est ex eo, quod magnam spem vel confidentiam dicit.

Quomodo intelligitur lex non induetur mulier veste virili, nec è contrario.

QVÆSTIO II.

ET aliqui intelligunt hoc de armis, ita quod illicitum est mulieri portare arma bellica, quæ sunt vestes viri. Et hoc dicunt quasi portare vestes solas viri non sit malum, sed vtrunque malum est: hoc tamen dixerunt aliqui Philosophi esse faciendum, vt quemadmodum in alijs animalibus masculus, & fœmella communiter pugnant pro cibo, & defensione filiorum, ita vir & fœmina, vt patet 2. Politicorum. Sed hoc reprobat ibi Philosophus, Lacedæmonij etiam vxores in bellum armatas secum ducebant, sed docẽte experientia cognouerunt, quod magis strepitus quàm vtilitatis faciebant: non enim poterant dirigi in bello, & nimis clamabant, & ad fugiendum virorum animos concitabant, quare talis pugna abolita est, de hoc Aristoteles in 2. Politicorum cap. de politia Lacedæmoniorum. Et quadam die Lacedæmonij armati de ciuitate contra hostes egressi sunt: deinde redeuntibus eis vxores in vrbe manentes putauerũt hostilem esse exercitum, vnde obuiam eis armatæ progressæ sunt: viri autem suas vxores esse cognoscentes in eas impetum fecerunt accipiẽtes singuli singulas, quas casus obtulit, & cum eis ibidem coierunt filios promiscuos facientes, quare post spartam, id est promiscui nominati sunt, & ob hoc aram Veneri fabricauerũt eam armatam Venerem nominãtes, vt ait Aug. de ciuit. Dei, lib. 3. Sed ista litera principaliter vetat ne viriles vestes accipiãt fœminæ, patet quia etiam prohibet viros fœmineas vestes accipere, sed non potest ibi accipi pro armis, & ratio huius est, quia si non essent diuersæ vestes viri, qui nõdum barbati sunt, fœminæ æstimari possent, & sic libidinibus omnia conturbarẽt idem in muliere est, sicut de aliquibus mulieribus legitur, quę aliquo tẽpore veste virili propter tẽporis necessitatẽ vsæ sunt.

Nota, quòd hinc ꝓhibet Deus vsum larua-rum, q̃ vulgariter di-euntur lingua Italica masca-re.

Abominabilis est apud Deum qui fecerit hæc. Quia in hoc multis occultis vitijs locus datur. *Si ambulãs per viam.* Hic ponitur tertium, scil. directio irascibilis circa volantia. *Si ambulaueris per viam.* Ista lex loquitur, quãdo homo ambulat per viam, quia communius euenit nidum in via inuenire, quàm in locis populatis, vel est alia causa potior, quia in ciuitatibus, vel locis habitatis non sunt nidi auiũ, nisi aliquarum quę valdè domesticæ sunt, & gratæ ad cõuersationem humanam, & tunc quitalẽ nidũ in domo sua habet, nec matrẽ, nec filios accipi vult ne deficiat solatium suum: cùm ergo ad hoc homines inclinentur, qa & ipsi auiculas varijs in auigerijs nutriunt, vt condelectentur iuxta illud Boetij, de consol. lib. 3. Metro. 3.

Quæ canit altis garrula ramis
Ales caueæ clauditur antro.
Huic licet illita pocula melle,
Largasq; dapes dulci studio
Ludens hominum cura ministret, &c.

Non permitteret auiculas illas perire, non ergo oportuit dari regulam quantum ad id, ad quod homines inclinantur, sicut non datur nobis præceptum de amando nos ipsos, licèt magis nos ipsos amare debeamus, quàm proximos, & datur regula de amando proximum, quia ad amandum nosmetipsos inclinamur naturaliter: ad amandum autem alios nõ inclinamur: ad conseruandum auiculas quæ in agris sunt, quia nobis vtiles non sunt, non inclinamur: ideo data fuit lex de auibus quas aliquis reperit in via, siue in agro, vel aliquo modo extra loca habitata, cùm tamen obseruari debeat cùm reperitur nidus in ciuitate. *In arbore, vel in terra nidum auis inueneris.* Idem si inuenias aliquo alio modo, sed omnes alij modi possunt reduci ad istos, quia inueniri nidum in aliquo loco alto reducitur ad inueniri eum in arbore: inueniri eum in loco plano qualitercunque sit reducitur ad inueniri in terra.

Et matrem pullis, vel ouis desuper incubantem. Mater incubat ouis, vt suo calore animet fœtus, & formentur: in ouis enim est semen auis, sed illud non excitatur, nisi calore naturali auis digerente, & excitante virtutem seminis, sicut vis formatiua in semine viri se habet ad menstruum muliebre formando, & digerendo illud, & in seminibus terræ nascentium hoc patet, quia cùm illa quandam siccitatem, & caliditatem habeãt inclusam, caliditas illa non excitatur donec perfundantur semina aqua: & tunc per antiparistasin calor ille excitatur in materia tenera, & fortificatur, nisi perfunderentur aqua, ita in ouis, licèt sit virtus seminalis auium, nunquàm formarentur pulli, nisi aues incubarent eis, quæ calore suo excitarent calorem naturalem, & sicut mater incubat ouis ad formandos fœtus, ita incubat pullis ad fouendos eos, quia illud est solatium maternum quo pulli egent.

Non tenebis eam cum filijs, sed abire patieris. Ratio huius præcepti est inducere corda Iudæorum crudelium ad pietatem, vt assuefierent ad pietatem circa homines per pietatem exhibitam brutis: videbatur enim quædam crudelitatis species simul filios, & actorem generis accipere, sicut non debebat eadem die mater, & filius in pecoribus immolari. Vel vt quidã Iudæi volũt, ratio præcepti est vitatio superstitionis, quia dicebant gentiles, quod caput auis captæ in nido super oua, vel pullos appensum in quadam parte corporis generare facit. Sed primum est verum, quia licèt gentiles crederẽt illud esse verum de aliqua aue, sed non de qualibet, cùm non habeant eandem virtutem omnes aues.

Vt benè sit tibi, & longo tempore viuas. Quia rationabile est, quod qui actorem vitæ viuere permittit, ipse longo tempore viuat. *Cùm ædificaueris nouam domum.* Hic ponitur regulatio irascibilis circa futura, sicut quilibet tenetur cauere ne lædat proximum in præsenti, ita tenetur præuidere ne lædat circa futurum.

Cùm ædificaueris domum nouam. Ista regula non datur pro talibus domibus quales sunt domus terræ huius, quæ non habent ambulacra super tecta: raræ enim domus tales sunt, sed in terra Chanaã tales erant communiter domus omnes, & hoc quod mãdabatur hic circum poni valdè proderat, ne aliqui caderent de domo, & per hoc, quod vetatur ne domus relinquerentur sine illo circuitu tecti, innuitur quòd non relinquerentur aliqua alia offensacula, in quibus aliquis periclitari posset, quia est contra ordinem charitatis, vt aliquis domum taliter dispositam habeat, in qua cæteri offendere possint.

Cùm ædificaueris domum nouam. Si aliquis restauraret domum veterem non mandatur, quòd hoc faciat, non quidem quia non compelleretur facere talem murum tecti si domus non haberet, sed quia intelligitur, quod si vetus est, quòd haberet illum murũ, cùm mandetur, quòd quælibet domus noua cùm ædificatur haberet murũ tecti, si autem domus vetus

totaliter cadat, vel diruatur, & penitùs reſtauretur, videtur nouiter fieri, & tunc eſt talis murus faciendus.

Facies murum tecti per circuitum. In terra illa erant tecta domorum ſupra plana non de tegulis, ſed de calce, lapide, terra, vel gipſo, & conueniebant homines ad requieſcendum ſuper tecta, & ſi non haberet tectum aliquod labium eleuatum in extremitatibus ſuis, faciliter poterat aliquis cadere deorſum, ideo mandatur, quòd fiat murus, id eſt, aliqua eleuatio terræ, vel lignorum quæ cadere non ſinat, & ſimiles domus ſunt in Catalonia, & de iſtis domibus loquebatur Chriſtus, quando dixit Matth.10. quod auditis in aure prædicate ſuper tecta, quia in illis tectis conueniebãt homines ad colloquia, & poterant ibi conuenienter diſcipuli Chriſti prædicare.

Dom⁹ Catha lonia, & Va lentia Hiſpa niarũ habent quan dam e leuatio nem in tectis.

Ne tu ſis reus labente alio. Reus eſſet ſi propter negligentiam ſuam aliquis moreretur. *Et in præceps ruente.* Præcipitari de alto eſt, ſcilicet de ſuperiori parte domus, & iſta tecta vocabantur domata, de quibus 2. Regum 5. & tetigiſſet domatum fiſtulas. *Non ſeres vineam.* Hic ponitur pars incidentalis quæ eſt ad quaſdam cæremonias. *Altero ſemine.* Scilicet ſeminando triticum, vel hordeum, ſiue legumina, & ratio huius ſubditur in litera, ſcilicet. *Ne ſementis, & quæ ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea pariter ſanctificentur.* Ad vtilitatem Leuitarum, & ſacerdotum iſta dicta ſunt, quia aliqui putarent, quod primitię & decimæ ſolùm ſemel debebantur de eodem fundo eodem anno, quia ergo darentur decimæ, & primitiæ de frugibus quæ primò colligebãtur, poſteà crederetur, quòd de vuis nihil dari deberet.

B

Ne ſementis, & quæ naſcuntur ex vinea pariter ſanctificentur. Id eſt, ne credas, quod ſementis, id eſt fruges, & quæ naſcuntur ex vinea, id eſt, vuæ ſimul ſanctificentur, ita quòd ſoluendo decimas, vel primitias de vno ad ſanctificationẽ ſit ſolutum de alio. Aliqui volunt, quod ratio prohibitionis eſt vitatio ſuperſtitionis, quia gentiles ad honorem coniunctionis Planetarum ſeminabant diuerſa ſemina coniuncta in agro vno, ſed non multum valet, quia ratio mandati aſſignatur in litera, in Hebræo habetur.

Litera Hebraica diſſimilis. Litera expoſitio.

Ne ſeres mixturam ne polluatur plenitudo ſeminis, quod ſeminaſti. Et iſta diuerſitas eſt propter æquiuocationem nominis, quia ſignat pollutionem, & ſanctificationem cum alijs, & alijs pollutis. Et eſt ſenſus, quòd non miſceantur iſta ne plenitudo ſeminis, id eſt, totum ſemẽ polluatur propter vuas, quia ſecundùm regulam datam Leuit.19.cap. fructus trium primorum annorum in qualibet arbore immundi erant, & deberent præcidi ab arboribus, & tunc iſta poma tactu ſuo pollluerent fruges, vt non poſſet ex eis aliquid offerri Domino, ſed melior eſt litera noſtra, quia non videtur verum, quòd cõtactus fructus immundi polluat ſegetes, quia morticina animalia cadentia ſuper ſementem non polluunt eam, niſi ſementis perfuſa fuerit aqua, vt habetur Leuit.11.cap.

Item dato, quòd ſementis pollueretur contactu iſto, non prohiberetur iſta mixtio ſimpliciter, quia ſolùm tribus annis erant fructus immundi: ergo deinde ſemper poſſent talem mixtionem facere, prohibitio autem ſecundùm intellectum literæ noſtræ perpetua eſt.

C

Non arabis in boue, & aſino. Sicut inuitauit nos ſuprà ad pietatem in auibus, ita hic inuitat ad pietatẽ in quadrupedibus, quia Deus etiam miſeretur iſtorum, quia opera ſua ſunt, vt patet Sapien.11.cap. miſereris omnium, quoniam omnia potes, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: aſinus autem cum boue arare prohibetur, quia bos fortior eſt, & magis de terra pertranſit, vnde ingrauaret totum iugum ſuper aſinum, & valdè torqueretur aſinus: & quid dicitur de arando, dicitur etiam de portando currum, idem etiã intelligitur de mulo, vel mula cum aſino: ſed non exprimitur de eis: quia ſupponebatur, quòd muli, & mulæ non forent in terra promiſſionis, cùm iſta gignantur ex coitu diuerſarum ſpecierum, quod Hebręis prohibitum erat, Leuit.19 c.

Non indueris veſtimento. Ponit aliud incidens quantum ad veſtes, quia non ſolùm cauenda eſt mutatio veſtis, ſed etiam diuerſa contextio, ſcilicet ex lino, & lana, quia ſacerdotes magni vtebantur veſtibus ex lino, & lana contextis, vel dicitur ad euitãdam idololatriam, quia ſic ſacerdotes idolorum vtebantur ad cultum dæmonum, vel ad honorem Planetarum ſignantes coniunctionem eorum in hoc.

Funiculos in fimbrijs. Poſuit veſtimentum à quo debent abſtinere: hic ponit illud quo debent vti: fiebant enim pallia, id eſt, ſuperiora veſtimenta Iudæorum aperta ante & retrò: & in duobus angulis cuiuſlibet aperturæ erant duo funiculi hiacinthini pendentes, & ſic erant quatuor funiculi: diſtinguebantur autem Iudæi per iſtas veſtes ab alijs gentibus, de quibus dictum fuit Num.15.cap. & inter Iudæos illi qui magis ſe obſeruatores legis demonſtrabant, iſtos funiculos maiores alijs hominibus faciebant, vt patet Matth.23.c. dilatant filacteria, & magnificant fimbrias: eſt autem ratio horũ, quia Iudæi ſoli erant tempore iſto populus Dei, iuxta illud Pſal.75. notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius: volebat ergo Deus hos à cæteris populis diſtinguere, ſicut paſtor qui oues ſuas diligit, ſignat eas ne perdantur cum alijs.

D

Qualia erãt Iudæorũ veſtimenta.

Erant autem Iudæi dupliciter ſignati interiùs, & exteriùs: interiùs erant ſignati in carne, exteriùs erant ſignati in veſtibus, ſignatio in carne erat per circũciſionem, ſignatio in veſtibus erat per angulos palliorum ponendo fila, ſiue funiculos hiacinthinos, de circunciſione autem ratio patet, & poſita fuit Gene.17.cap. erat enim iſtud pactum Dei in carne Iudæorum, vt patet Geneſ. decimoſeptimo cap. ſcilicet, quòd Iudæi pepigerant in carne ſua recipere circunciſionem, & per hanc proteſtabantur Meſſiam futurum de ſuo ſemine, cũ ob illum circunciderentur, & diſtinguebantur in hoc ab alijs populis, quia alj populi non poterant proteſtari de ſe Chriſtum naſciturum, per quod ſe demonſtrarent habere veritatem huius promiſſionis: etiam quia ſi non daretur ſignum in carne Iudæorum, nõ eſſet aliquod ſignum certum, per quod agnoſcerentur aliqui vtrum eſſent Iudæi vel non. nam veſtes ſignum fallax ſunt, cùm quilibet ſatis faciliter poſſet in veſtibus ſuis ponere illa petatia hiacinthina in angulis palliorum, nullus tamen maximè in magna ætate ex quacunque cauſa vellet, ſe circuncidi pateretur, niſi iam circunciſuſeſſet, & ſic non eſſet facile, quòd aliquis fingeret ſe eſſe Iudæum, cùm non eſſet. Neceſſarium fuit etiam ſignum diſtinctiuum in habitu exteriori, quia licèt circunciſio in membro virili eſſet potiſſimum, atque certiſſimum ſignum ad cognoſcendum Iudęos, non poſſet tamen aliquis per illud cognoſci, niſi cùm magna fieret ſcrutatio, quia illæ partes maximè latent: in habitu ergo cognoſci debuerunt, vt aliqua cognitio facilis haberetur, licèt certiſſima non eſſet, & ſic iſta duo ſigna neceſſaria, quia nec circunciſio per ſe ſufficit, nec ſignum per ſe in habitu, nam licèt circunciſio firmiter demonſtret, faciliter tamen non indicat, quia partes illæ latent: ſignum etiam in veſte non ſufficit, quia licèt faciliter diſtinguat, non tamen firmiter arguit: habito autem vtroque ſigno, & faciliter fit diſtinctio, & firmiter, ita quod vnum ſignum adiuuetur per alterum.

Iudæi dupliciter erant ſignati.

E

Si duxerit vir. Hic ponitur tertium principale, ſcilicet regulatio concupiſcibilis, & continet tria principaliter, ſcilicet. *De adulterio.* Secundo de ſtupro ibi. *Si inuenerit vir.* Tertia de inceſtu ibi. *Non accipiet.* Prima in duas, quia aliquando committitur adulterium in deſponſata aliquando in maritata, ſecunda ibi. *Si dormierit vir. Et poſteà eam odio habuerit.* Scilicet, poſtquàm cognouit eam carnaliter.

F

Quæſierit & occaſiones quibus eam dimittat.

Ad quid oportebat viro quærere occaſiones, cùm poſſit eam repudiare.

QVÆSTIO III.

SED ad quid oportebat quærere occaſiones, quia ſi nõ placeret in oculis eius poterat eã repudiare, vt patet inf.24.c.

Reſpondetur, quod fortè faciebat vir, vt mulier perderet dotem, quia adulterata fuiſſet, ſi tamẽ obijceret ei aliam fœditatem non perdebat dotem: poſſet autem fortè meliùs dici, quod fiebat iſta obiectio ad ſolam matrimonij diſiunctionem, & non ad lucrandum dotem, ſed opponebat vir iſtam occaſionem, quia fortè nihil aliud poterat opponere, quia ſi opponeret aliam fœditatem corporis, vel morum, immediatè poſſet patere veritas illius obiecti, quod non eſt ita facile de adulterio: poſſet etiam dici, quod vir odio habebat eam, ideo non oppoſuit ei aliquam maculam ad dirimendum matrimonium, ſed ad hoc, quòd moreretur, ſed litera non multum vult hoc, quia dicit.

A

Vt dimittat eam. Et sic solum de separatione loquitur. *Obijciens ei pessimum nomen.* Scilicet, quòd adulterata fuerit: nihil enim peius de fœmina dici potest.

Et ingressus ad eam non inueni eam virginem. Vir accusat hic de adulterio vxorem, non de adulterio commisso in domo viri, sed de adulterio commisso in domo patris, scilicet post desponsationem.

Obiectio. Et si dicas quomodo potest probari, quod puella commisit adulterium ex hoc, quod non inuenta est virgo, quia posset ante desponsationem fuisse corrupta?

Responsio. Respondetur, quòd si puella commisceatur alicui viro, quando non est desponsata, non imponitur pœna mortis, vt patet infrà in litera, & Exod. 22. cap. si autem desponsata fuit & tradita viro, & nõ inuenta virgo, siue ante desponsationẽ siue post corrupta fuisset, mori debebat, q̃a etiã si ante despõsationem corrupta fuisset, tñ tenebatur hoc ante contractũ matrimonij reuelare, quia vir fortè recepisset eam, nisi esset virgo: cùm ergo sub conditione virginitatis contractus factus sit, si non inueniatur talis, occidetur: præsumitur namque quod puella quæ in habitu virginali accipitur, quòd virgo sit, & si non est, cùm permiserit se desponsari tãquàm virginem, rea mortis est.

B

Tollent eam pater & mater eius. Quando vir sic accusaret vxorem suam de crimine pessimo, puella recurrebat ad patrẽ, & matrem qui eam tutarentur, & ipsi tanquàm defensores filiæ suæ ducebant eam ad iudices, qui sedebant in porta vrbis, vt defenderent eam aduersus virum criminaliter accusantem, quia ipsi poterant probare id quo puella ab impetitione viri liberaretur.

Quæ signa virginitatis in puella ostendebantur. *Et ferrent secum signa virginitatis eius*, scilicet linteamen, in quo sponsus cum sponsa primùm dormiuit, vt ibi appareat defforationis signum, & hoc in die primi accessus sub testibus, & scripto sumebant claudentes illud in loco securo, vt non posset ibi aliqua fraus fieri subtrahendo, vel apponendo, & hoc patet, quia dicitur infrà. *Extendentq; vestimentum.* Id est linteamen.

Sed aliqui non concedunt hoc dicentes esse valdè turpe talem pannum demonstrare: ideo exponunt literam sub metaphora vocantes extensionem vestimenti euidẽtem testium probationem, sed non videtur multum turpe, quòd sic inquiratur veritas, quia non oportebat, quòd linteamen monstraretur coram toto populo, sed solùm coram iudicibus in secreto, qui in hoc sententiarent, maximè quia ad inquirendum rei certitudinẽ nullus modus qui sine infamia alicuius personæ fit, turpis sit, cùm alia turpiora medici ad sanitatem faciant, nec consueuit scriptura in tali loco metaphoram facere. Accipiẽdo autem illorum intellectum posset dici, quòd quando sponsus primò cogniturus erat sponsam, veniebant matronę, & tangebant genitale sponsæ, & sic probabant vtrũ virgo esset, & fortè testificationes istarum sub sigillo publico ponebantur ad firmitatem, vt ex eis probaretur virginitas puellę, & istas scripturas pandebant coram senioribus ad demonstrandum virginitatem puellæ, sed prior expositio melior videtur, nec potest aliàs benè retorqueri.

C

Ad Seniores vrbis. Quando talis causa iudicanda erat, quia satis grauis erat, conueniebant seniores vrbis cum iudicibus ciuitatis, quia in his factis habetur aliquis locus coniecturæ, & seniores qui prudẽtiores sunt, magis in hoc attendere possunt. *Qui in porta ciuitatis sunt.* Quia ibi erat locus iudicandi eo quod locus publicus erat, vt sæpè dictum est, & habetur in isto libro in multis locis in litera. *Et dicet pater.* Pater, & mater puellæ ducebant puellam ad iudices in porta vrbis, sed quia ambo loqui non poterãt, pater qui erat honorabilior, & prudentior in quantum vir loquebatur. *Filiam meam dedi huic in vxorem.* Hoc dicebat pater postquàm sponsus proposuisset contra puellam, quòd nõ inuenisset eam virginem. *Quod, quia odit.* Id est, quia non diligit eam, vel nõ vellet eam habere iam in vxorem.

Sciendum, quod ista conquestio fieri debebat immediatè post nuptias celebratas: nam cùm sponsus immediatè postquàm cognouisset puellam, conquereretur quòd non inuenisset eam virginem, aliquo modo toleraretur querela sua, quia satis præsumi posset, quòd faceret stimulatus dolore, quia alius præcognouisset eam, si tamẽ per multos dies post, vt si post dimidium annum, vel vnum annum talem in vxorem proponeret quæstionem, satis contra ipsum argueretur, quòd calumnians hoc faceret ex aliqua alia causa, vt eam à se abijceret, quia si ex dolore illo, quòd alius præcognouisset vxorem suam moueretur, ante hoc fecisset querimoniam, scilicet immediatè, vt cognouit eam, & non inuenit virginem, quia tunc recens dolor violentior esset.

D

Imponit ei nomen pessimum. Vocatur nomen pessimum, quòd absoluta mulier dicatur fornicata, antequàm à viro suo cognoscereturr. *Vt dicat non inueni filiam tuam virginem.* Id est, hoc est nomen pessimum quod imponit, scilicet nõ inueni filiam tuam virginẽ, quod magna infamia est puellæ, & patri puellæ, ideo quando vir malè accusauit, condemnatur propter malum, quod egit in patrem, & propter malum, quod egit in puellam. *Et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ.* Quando pater puellæ proposuerit hoc in defensionem puellæ contra virum eius, monstrabit signa virginitatis eius quæ sunt in vestimento, de quo immediatè dicitur.

Expandentq; vestimentum. Vocatur vestimentum syndo, in qua dormierunt primò, quando puella à viro cognita est, in qua necesse erat virginitatis signa apparere, si virgo puella esset per defforationem eius, & licèt non sit vestimentum, vocatur tamen vestimentum ex inopia vocabulorum Hebraicorum, quia idioma Hebraicum non abundat, ita in nominibus, sicut alia idiomata, licèt meliùs dicetur, quòd hoc sit ex improprio modo loquendi: nam in multis locis Scripturæ veteris Testamenti syndones reperiuntur: in Hebræo dicitur. E

Coram senioribus populi. Vt ipsi considerent vtrùm puella virgo fuerit.

An probatio de signis virginitatis in syndone sit sufficiens. Et de alijs signis quibus indicetur virginitas, & quæ fraudes ad hoc soleant fieri.

QVÆSTIO IIII.

IN hoc autem multæ fraudes fieri possent, & satis manifestæ, nisi forte vestimentum illud, siue syndo custodiretur in loco securo, ad quem pater, & mater puellæ accedere non possent, aliàs possent apponere syndonem in qua dormiuissent alij defforantes virgines, vel fieret alia fraus, quia tingi posset syndo illius alio sanguine, vt videretur sanguis defforationis, & sic manifestè pateret, quod ista puellæ virginitas non sufficienter probatur.

Credendum est ergo, vt suprà dicebamus, quòd cùm noluiter puella cognita foret à sponso suo, accipiebatur syndo illa vidente sponso, vt non posset calumniari factum esse per fraudem, & præsente tabellione, & testibus, & reponebatur in diligenti custodia, in qua pater & mater nihil fallere possent, & sic intelligitur suprà, cùm dicitur, & ferent secum signa virginitatis, scilicet quod testes, & tabellio irent cum parentibus puellæ ad locum custodiæ syndonis, & accipiebatur, ferebantq; eam pater & mater puellæ diligenti appositа custodia, ita quòd fallere non possent. F

Sed adhuc ista diligentia posita non potest esse sufficiens probatio de virginitate puellæ per hunc modum, quia licèt aliqua corrupta fuerit, & sæpè à viro cognita, & genitalia sua nimis laxa sint, quæ sunt signa manifestissima corruptionis, tamen artificialiter ita stringi possunt, vt nullatenùs differat in hoc ab illa quæ virgo est, & eadem difficultas sit in cognoscendo fœminam sic se habentem, sicut in cognoscendo fœminam virginem, fraus ista notissima est: sed non facit probationem perfectè apparentem iste modus strictionis genitalium, quia secundùm quod litera vult hic in vestimento monstrantur signa virginitatis: sunt autem hæc aliquis cruor effusus, quia in primaria cognitione virginis ea quæ naturaliter clausa sunt, aperiuntur, & ista est ruptio quædam, & violentia quædam facta integritati sexus, & necesse est in tali ruptione cruorem effluere: & hoc est, quod dicitur apertio claustrorum virgineorum. In qua ruptione licet per accidẽs fœminæ ex ardore matricis qui temperatur per humidum seminale, sit delectatio per se, tamen tristitia est, sicut cùm violenter membra aliqua alia corporis discinduntur.

Et non solùm est hoc in fœminis, sed etiam in viris correspondet quædam corruptio, quam non est possibile ita esse

dolo-

A doloroſam, ſicut corruptio fœminei genitalis, cauſa ſatis liquet. Nec oportet in his profundiùs atque explicatiùs diſputare, licèt multùm naturalia ſint, & multã ſpeculationem habeant, & veritates multæ atque occultiſſimæ in his cognoſci poſſunt ſine vlla experientia corruptionis. In quo magnum amatoribus carnis tribuitur documentum, vt id quod ipſi maximum delectabile eſſe putant, ſcilicet primos virginum concubitus, vbi & totius fœlicitatis ſuæ ſedem potiſſimam locauerunt, ſine magno dolore eſſe non poſſit, quòd profectò intimiùs atque acerbiùs ſentiretur, niſi veriſimo illi dolori fallax admixta eſſet delectatio: iſte ergo cruor quem decurrere neceſſe eſt, virginitatis ſignum eſt. Si autẽ aliqua fœmina à viro cognita ſit, ſiue ſemel, aut pluries, & poſtea artificialiter claudatur ſtringaturq; fortitudine vas genitale, tamẽ quando iterum cognoſcetur ſanguis nullus emittetur, & ſic nõ patebunt ſigna virginitatis perfectæ. Cuius ratio eſt, quia in defloratione virginis, cruor emittitur, qa fit diſcontinuatio, aut diuiſio continui: cõtinuum autem in carne animalis ſine ſanguinis effuſione ſcindi non poteſt, cùm in omnibus partibus carnis ſanguis aliquis reperiatur, cùm autem virgo corrupta eſt, neceſſe eſt ſanguinem iſtum emitti: cùm autem poſteà artificialiter genitale fœmineũ ſtringatur, licèt contiguẽtur partes eius, ſolidiſſimè tamẽ non continuãtur, ſicut patet in alijs rebus naturalib⁹ duris aliqualiter, quę licèt contiguentur poſt diuiſionem, non tamen continuantur, ita vt recipiãt vnitatem, vt patet de lapidib⁹ & lignis: ideo licèt poſteà diſcontiguentur non decurret ſanguis, quia ad diſiunctionem contiguorum non effluit ſanguis, cùm non ſit aliquod medium per quod tranſeat ab vna parte in alteram.

B *Fraudes mulierum circa virginitatẽ*

Sunt tamen aliæ fraudes ſatis faciles, quas fœminæ excogitant, & viris notæ eſſe poſſunt, ſi attendant ante coitum, quoniam in ipſo coitu impoſſibile eſt attendere, aut intelligere, vt ait Ariſtoteles in ſeptimo Ethicorum cap. de delectatione, ſi autem antè non attendant poſt primum coitum cognoſcere non poſſunt, vtrum fuerint virgines, an non, per fraudes iſtas duas, ſcilicet per ſuperiorẽ deſcriptionem genitalis cũ alia ſecunda ad effuſionẽ ſanguinis perfectè fallũt. Et iſta fraus de emiſſione ſanguinis multipliciter fit, & ſatis faciliter, licèt aliquæ non ſine aliquali labore fœminarum contingunt: his enim modis miſeri non attendunt, fallunturq; ſæpiſſimè, ſed quid attendere iuuat, cùm in quibuſdam meliùs eſt ignorare q̃ cognoſcere veritatẽ? melius enim eſt exiſtimatione falſæ fœlicitatis gaudere, quàm certiſſima cognitione infœlicitatis continuè anxiari. Poſſent autem multa particulariùs explicatiusq́ de his dicere, ſed pudet dicere, nec dicenda ſunt, cùm tamen ſecundùm ſe turpia non ſint, quia nihil turpe eſt, quod cum charitate fieri aut dici poteſt: hoc enim ſolùm turpe eſt, quod inhoneſtum & malum eſt: hoc autem ſolum bonum eſt, quod honeſtum eſt, vt ait Tullius in Paradoxis, Parad. prima. Nec tamen ex hoc in ſectam

C Diogenis Phyloſophi Cynicorum principis relabi intendo, qui dixit coitum matrimonialem in propatulo celebrãdum, quia honeſtiùs foret, de quo magis diximus ſuprà 7. cap. non erat ergo iſta probatio de ſignis virginitatis in ſyndone ſufficiens, quia illa quæ virgo non erat cùm cognoſceretur, poterat ſanguinem multum effundere, ita vt virgo iudicetur: lex tamen non potens dare hominibus certum modum contenta fuit dare iſtam probationem, quæ licèt ſemper vera non ſit, vt communiter tamen ſic eſt: non eſt ergo multum inſiſtendum, quòd aliqua puella probet ſe virginem, quæ nõ ſit virgo, quia iura magis inſiſtunt diligentiùs aduertẽdo, quando contra aliquem agitur, vt occidatur, quàm quãdo aliquis ſe excuſat ne occidatur: vel aliter dici poteſt, quod aliquo modo diſtingui poteſt in hoc, ſcilicet circa ſanguinem qui falsè effunditur in defloratione, & ſanguinem qui falsè effunditur, quando aliqua fœmina quæ virgo non eſt, cognoſcitur, quia non eundem modum habent, maximè quãdo non ſunt multi dies ab effuſione cruoris illius, & ad hoc fortè inducti fuerunt Seniores ciuitatis ad portam vrbis cum alijs iudicibus, vt in hoc ſubtiliter inueſtigare ſciant.

Et apprehendent Senes ciuitatis virum, & verberabunt eum. Id eſt, mãdabunt eum verberari, quia crimen falſum impoſuit, ſed non excedet iſta verberatio quadragenas percuſſuras, ne flagellatus moriatur, vt patet infrà 25. c.

Condemnantes inſuper centum ſiclis quos dabit patri puellæ. Iſti dari debebant puellæ, ſed quia ipſa reducebatur in domum viri: & omnia quæ ſunt, vxoris ſunt in poteſtate, & adminiſtratione viri, non poſſet puniri vir in hoc, quia mox rediret pecunia ad poteſtatem eius: dabatur ergo pecunia iſta patri puellæ, vt non rediret ad virum, & rationabile eſt, quia vir offenderat puellam, & patrem eius imponendo crimen adulterij, puellam offenderat ad mortem, patrem autem ſolummodò infamia notauerat, ideo pro offenſa puellæ flagellatur, & pro offenſa patris in pecunia mulctatur. D

Et non ſeruatur hic lex talionis, quia vir non recipit pœnam quam recipere debuerat vxor viro probante legitimè. Et ratio, quia vir non tantùm arctabatur legibus matrimonij ſicut vxor, & nũc ſecundùm leges humanas vir, ſiue ſponſatus, ſiue vxoratus, licèt commiſceatur alicui mulieri ſolutæ non punitur, ſed mulier quocunq; modo alicui commiſceatur poſt datam fidem mortem meretur, ratio quia magis in hoc fœmina offendit virum quàm vir fœminam, quia fœmina alteri coniuncta facit hæreditatem viri ſui tranſire ad filios alienos, vir autem non poteſt in hoc lædere vxorem, qa fœmina cognoſcit filios ſuos, vir autem non. Item magna fit iniuria ſtatui politiæ, quia filij degeneres aſſumentur ad honores publicos, & non ſcietur diſtinctio liberorũ, quod valdè inconueniens eſt, vt probat Philoſophus contra Socratem & Platonem, 2. Politicorum, c. 2. *Quoniam diffamauit nomen peſſimum.* Per hoc, quod vir in iudicio cõtra vxorem ſuam propoſuit, quod non inuenit eam virginem, infamauit eam pro quo magnam pœnam merebatur. E

Super virginem Iſrael. Quaſi dicat, quia iſta virgo erat de filiabus Iſrael quæ erant magnæ dignitatis, qui infamaret eam multum culpabilis erat, ſi autem aliquis diffamaſſet imponẽs nomen malum alicui virgini, quę non eſſet de filiabus Iſrael, non erat tanta culpa, nec tanta pœna, vt ſi aliquis accepiſſet in vxorem aliquam puellam virginem de cõuerſis ad Iudaiſmum, vel de filiabus cõuerſorum, & poſt defloratione opponeret, quod non erat virgo, & probaret veſtimentum, de quo ſuprà, quod erat virgo, vir eam diffamans non tantùm peccabat, quia non diffamabat virginem Iſrael, ſed virginem alienam, de his Leuit. 25. c.

Habebit q̃ eam in vxorem. Id eſt, compelletur vir tenere illam puellam, quam ſic accuſabat ſemper in vxorem. *Et non poterit dimittere omni tempore vitæ ſuæ.* Iſta magna pœna eſt, quia cuilibet Iudæo erat libertas repudiare vxorem, vt patet infrà vigeſimoquarto cap. & ibi magis declarabitur: hic autẽ ex peccato ſuo compellebatur, & ſic aliquis perdidit priuilegia ſua ex peccato ſuo, & licèt non mutetur ius in ſeipſo, iſte tamen meretur perdere priuilegia iuris, & actualiter, & per hũc modum reſpondetur ad quoſdam qui quandoque arguunt ius naturale mutari, quia apud quoſdam perſonas ius naturale non obſeruatur, ſed iſta quidem nõ eſt mutatio naturalis iuris, ſed eſt priuatio beneficij iuris naturalis quantum ad aliquos, quia peccata ſua demeruerunt, vt ſucceſſio, vel educatio paterna eſt de iure naturali, vt patet Inſtit. de iure naturali, & ciuili, in principio: aliquãdo tamen priuantur filij iſto iure naturali. F

Et non poterit dimittere omni tempore vitæ ſuæ. Hoc etiam datur viro in pœnam, quod vxorem vlteriùs repudiare non poſſet, quod antè poterat, etiam ſi aliqua macula in ea ſit, niſi fortè poſt probaret cõtra eam verum adulterium, quia tunc lapidari deberet, vt patet infrà, & Leuit. 20. c.

Quod ſi verum eſt quod obijcit. Scilicet, quod puella fuit corrupta, ſiue ante deſponſationem, ſiue poſt, quia ipſa nomine virginis deſponſata eſt, niſi fortè hoc ante contractum matrimonij fuerit viro reuelatum, & non curauerit, quia tunc non poterit eam poſteà accuſare. *Et non eſt in puella inuenta virginitas.* Hoc eſt quod objicit ſponſus, hic autem eſt aliquid ſpeciale, ſcilicet quod ad accuſationem ſolam alicuius ſine probatione cõdemnetur accuſatus: nam vir hic objicit, quod puella non erat virgo, quãdo eam accepit, & cognouit, & hoc non probat, quia eſt negatiua quę directè probari non poteſt per rerum naturam, vt patet extra de probationb. c. quoniam contra falſam, in principio, & dato, quòd poſſet probari indirectè, non mandat lex, quòd probet, ſed ſolùm proponente viro iſtam querimoniam, ſi fœmina non probet ſe eſſe virginem monſtrando ſigna virginitatis condemnatur, & ad virum non expectat aliqua probatio.

Eijcient eam extra fores domus patris sui. Nam pater,& mater filiam defendunt à viro, & quando finitum est iudicium filia redit in domum paternam, & tunc si est inuenta virginitas nullum malum puellæ fit, sed redditur viro suo,si autem nõ sunt signa virginitatis inuenta puella lapidari debet, vt patet hic, & quia erat intra domum paternam, educebatur de domo paterna,& lapidabatur.

Quia malum fecit in Israel. Id est,quòd ista puella antequàm acciperetur matrimonialiter, cognosceretur ab aliquo viro, malum erat,& nefas,& si hoc factum esset in aliqua gente ignobili,sicut inter Barbaros qui viles sunt, non erat magnum dedecus, sic nec magna pœna ex hoc imponenda erat, sed quia Israel erat populus valdè honoratus, quia loquebatur Deus cum illis,vt habetur suprà 4.cap. nec est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris,facere ergo tale nefas in populo tam honorabili magnum dedecus erat,ideo puella sic faciens magnã pœnam merebatur:quanto enim persona, vel populus qui dehonestatur excecellentior atque honorabilior est, tanto maior est iniquitas infamantis,& ob hoc si filia sacerdotis summi in domo paterna fornicaretur, etiam si non esset desponsata, & sciretur hoc, exurebatur flammis, qa patrem infamauit,vt patet Leuit.21. cap.& hoc non obseruabatur in filia alicuius alterius viri in Israel,qa nullus erat,ita honorabilis, sicut sacerdos magnus, proportionaliter autem se habet in populo Israel respectu aliorum populorum, quia iste erat cæteris honoratior, magis puniri debebant puellæ quæ quando accipiebantur à viris suis non inuenirentur virgines,nisi à principio desponsationis fuisset dictã viro volenti eam in sponsam accipere, quòd non esset virgo. *Vt fornicaretur in domo patris sui.* Hoc est malum quod puella fecit.

An si puella non desponsata fornicaretur,lapidaretur,& quid cum adulterium committeret in domo viri post consummationem matrimonij.

QVÆSTIO V.

SED sciendum,quòd pro hoc solo non lapidaretur,immò non imponitur aliqua pœna in lege, si aliqua puella nondum tradita viro saltem per desponsationem fornicaretur in domo paterna: nisi esset filia sacerdotis magni, quæ comburebatur, quia erat aliquid speciale hic propter honorem sacerdotis magni, sed malum erat si puella fornicata est in domo patris sui, & subticuit permittens se desponsari tacita veritate, quod erat in præiudiciũm viri, qui eam vt virginem assumebat:ideo tunc cùm non reperiretur virgo,mori debebat. Si tamen solùm fornicaretur in domo patris,& hoc cognosceretur antequàm alicui desponsaretur, non imponit lex aliquam pœnã, nisi fortè pater,& mater accusarent eam,quia dehonestauerat eos, quia tunc deberet imponi aliqua pœna,& fortè diceret aliquis, quòd imponeretur eadem pœna quæ imponitur filio cõtumaci monitis, qui consumit bona sua in luxurijs, & comessationibus, & ad petitionem parentum moriebatur,vt patet præcedenti cap.

Et auferens malum de medio tui. Scilicet,vt non inueniatur in te quid inhonestum, quòd infamet, & deturpet honorem populi Israel. *Et lapidibus obruent.* Ex hoc dicit Nicolaus,quod apparet ipsam accusatam fuisse de fornicatione post desponsationem, sed non sequitur, quia siue ante, siue post cognita sit, dum tamen corruptio illa tacita fuerit in desponsatione, ita quòd vir accipiat eam virginis nomine, poterit accusari ad mortem tanquàm si verè adulterata fuisset, nec probatur infrà contrarium,& Exod.22. quia ibi loquitur text.de puella quæ cognita est ante desponsationem, & etiã hoc ante desponsationem iudicatum fuit, cùm illa corruptio quæ tunc apparet,non redundet in damnum alicuius,non lapidatur:si autẽ tacita fuerit illa corruptio, & post patefiat marito, quia in damnum eius redundat,& magnam iniuriam,puella lapidari debet,quia sponsum in contrahendo fraudare voluit.

Si dormierit vir. Hic ponitur de adulterio commisso in domo viri post consummationem matrimonij. *Cum vxore alterius.* Ex hoc patet, quod iam fuerat matrimonium consummatum, quia non vocatur mulier aut vxor,sed solùm sponsa.

Vterque morietur. Scilicet lapidabitur sicut mulier,quæ fuit adulterata ante consummationem matrimonij, & hoc patet Ioan.8.cap. de muliere deprehensa in adulterio,de qua dixerunt ibi Iudæi,quòd lex mãdabat eam lapidari,de hoc Leuit. 20.c.*Si puellam virginem.* Hic ponuntur aliæ regulæ circa adulterium ad cognoscendum, quando sit iudicãdum adulteriũ, vel non,& tenet ista regula, siue in puella desponsata solùm, siue in ea quæ iam viro suo copulata fuit. *Si puellam virginem.* Iste est modus loquendi, quia loquitur scriptura quãtum ad ea quæ communiùs accidunt, scilicet, quòd desponsatio in virginitate fiat,nõ tamen sunt ponderãda verba tex.ita quòd si puella desponsata non fuerit virgo, & cognoscat aliquis eã in ciuitate, quòd non plectatur pœna legis huius, quia tunc de peccato suo commodum reportaret, & meliùs esset multa peccata feciſſe,quàm vnum, cùm gauderet maiori priuilegio ea,quæ hactẽ⁹ meretrix fuerat, quàm ea quæ virgo:ideo cùm aliqua puella desponsata alicui viro, siue sit virgo, siue non sit virgo,& coeat cum altero, vterq; patietur istam pœnam:nam si ea quæ non esset virgo, non pateretur istam pœnam,cùm mulier tradita viro suo iam virgo non sit, quia ab eo carnaliter cognita est qui eam cognoscceret, non pateretur pœnam legis huius, nec vxor etiam, quia si solùm intelligeretur de virgine quæ secundùm veritatem esset virgo,& aliquis cognosceret eam,nũquàm posset discuti causa ad hoc, quòd videretur vtrum condemnari deberet, quia postquàm puella desponsata cognita esset à viro adultero, siue ante illam cognitionem fuisset virgo,siue non, probari non poterat:ideo esset intricatio ista maxima, & lex superflua: dicendum ergo, quòd quocunque modo ista puella desponsata se habeat,siue sit virgo,secundùm veritatem quando desponsata fuit,& quando cognita ab isto viro adultero,siue desponsata esset nomine virginis, & non esset virgo secundùm rem, siue non esset virgo,& desponsata esset non nomine virgininis,quoniam in omnibus his fit eadem iniuria viro, & sacramento matrimoniali. *Desponderit vir.* Id est, acceperit in sponsam, despondere,& desponsare in sacra Scriptura signãt idem,& conueniunt tam viro qui in matrimonium accipit puellam quam patri, vel curatori,aut tutori, qui eam tradit nuptui:dicimus enim,quod talis vir desponsauit filiam suam tali viro,pertinet etiam ad eum qui accipit puellam in vxorem,sic accipitur frequenter in iuribus humanis, & habetur extra de sponsalibus,in cap.tua nos duxit, cùm dicitur Ioannes te desponsat, id est, accipit te in sponsam, & hoc per totum titulum, despondere etiam pertinet ad eum qui tradit puellã nuptui alicui viro, sic dicebat Apostolus Corinth.2. Cor.c.11.despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo: pertinet etiam ad eum qui accipit puellam in coniugem,& sic dicitur hic,si quis puellam virginem desponderit. *Desponderit vir.* Loquitur de desponsata non ad excludendum maritatas,sed ad excludendum puellas solutas,quia puellæ solutæ,siue in ciuitate,siue extrà cognoscerentur,non debebant lapidari, de mulieribus maritatis manifestum est, quod obligantur per istam regulam, quia adhuc magis videtur delinquere mulier,quæ post copulationem cum viro adulteratur,quàm ea quæ antè, quia non sequuntur eadem damna in vtraque,quia si ante coniugium adulteretur, magis potest cognosci distinctio prolis,quàm si post.

Puella quia non clamauit. Puella non clamans consentiens iudicatur:poterit tamen esse,quòd clamauerit,& non audita sit,vt si erat in aliqua profundissima, & occultissima domo, & in hoc satis poterunt iudices per experiẽtiam scire,vtrùm aliquis ibi clamans in publico audiatur,& sic iudices sententiabunt,poterat tamen euenire,quòd puella clamasset,& oẽs à calle,vel coniunctis domibus aberant,vel quod vir subitò, & ex insidijs supercueniẽs puellæ os operuerit, ne clamaret,& multa similia,sed ad ea quæ rarò accidunt iura nõ adaptãtur.

Et vir quia humiliauit vxorem. Id est,quia reddidit eam contemptibilem:maximè si antè consummationem matrimonij erat. *Si autem in agro.* Scilicet in quo aliqui non erant qui auxiliari possent:si autem ibi alij erant perinde est ac si in ciuitate factum fuisset. *Reperierit vir puellam.* Dicitur reperire, quasi à casu, scilicet, quòd licèt vir attendisset,vt eam in agro reperiret,tamen ipsa puella non iuerat ad agrum, vt cognosceretur, & sic quantum ad ipsam fuit accidentale rederiri in agro,sic autẽ poterant puellæ, quæ vellent impunè cognosci

A à viris facere, procurando cum ipsis, quòd irent ad agrum, & puella cognosceretur in agro, & tunc licèt cognosceretur nō puniebatur ipsa, quia in agro cognita est, & solus vir occideretur: si tamen constaret, quòd puella conuenerit cum viro, vt exirent ad agrum, & ibi cognosceretur, vterque occideretur, sicut in ciuitate cognita foret.

Quæ desponsata est. Quia si non est desponsata, nec alicui viro alligata, non stat ista pœna, sed soluit vir certam summam pecuniæ, vt patet in sequenti lege. Et non solùm est hoc verum de puella desponsata, sed etiam de illa quæ matrimonialiter à viro suo ducta, & cognita est, qa si hæc in agro cognoscatur ab alio viro, morietur vir secundùm hanc legem, & nō ipsa, idem est si puella non sit desponsata, nec maritata, sit tamen alicui viro obligata per legem, & aliquis coeat cum ea in agro, morietur vir, & ipsa moreretur si in ciuitate cognita foret, quia totaliter debet sequi regulam despōsatarum, vtpotè sicut dicitur infrà 25. cap. quando vnus vir moritur, si non relinquit semen frater eius, debet accipere vxorem defuncti ad suscitandumm semen, si autem ille frater defuncti sit adhuc valdè puer, qui non posset contrahere matrimonium, nec despōsari, debet ipsa vxor fratris defuncti expectare, & tenetur, donec puer sit adultus, & accipiat eam in vxorem, si autem medio tempore antequàm sit desponsata ei, aut tradita matrimonialiter, cognita fuerit ab aliquo in ciuitate, punietur sicut si esset desponsata, aut maritata, quia licèt non sit contractum vinculum aliquod inter istas personas ex verbis earum, lex tamen causauit vinculum, vt teneretur ipsa expectare ipsum, & donec eam nolit accipere, semper erit obligata, vt sponsa sua, quod plenè patet Gen. 38. c. de Thamar quæ acceperat in virū Her filiū Iudæ, de quo mortuo accepit Onā fratrem Her, & rursus hoc mortuo cùm adhuc maneret alius frater Sella filius Iudæ, & ipsa petet eum dari sibi in virum, denique cùm non fuisset ei dtaus Sella, & ipsa fraudulenter cognita fuisset à Iuda, accusauit eam Iudas ad mortē, & comburi debebat nisi ostendisset signa, quæ ibi ostensa sunt: hoc autem solùm erat, quia ipsa obligata erat Sellæ filio Iudæ donec diceret, quod volebat eam in vxorem, vel non.

B *Et apprehendens concubuerit cum ea.* Apprehendere violentiam dicit, & sic ius præsumit, quod violenter cognita est, cùm in agro cognita extiterit, licèt fortè voluntariè ibi cognita sit, quòd si constet, vterque morietur tanquàm si in ciuitate dormiuisset cum ea, ipse morietur solus, quia de eo manifestum est, quòd peccauerit, siue eam violenter cognouerit, siue voluntariè, de puella autem non constat, nec præsumitur verisimiliter.

Ipse morietur solus, puella nihil patietur mali. Id est, non solùm non occidetur, sicut corruptor eius qui lapidatur, sed etiam, nec aliqua pœna parua infligenda erat ei. *Nec est rea mortis.* Non est sensus, quòd lex ista dicat puellam non esse mortis ream, ita quòd verè non sit rea mortis, quia hoc sciri non potest: fortè enim puella consensit se cognosci, aut procurauit in tali loco cognosci ob securitatem suam, & tunc mortis rea est, quia tantum peccauit sicut vir, sed dicitur quod non est rea mortis, quia non patet manifestè, nec est contra eam aliqua talis præsumptio, ex qua feratur sententia contra ipsam, & ponit exemplum, quia sicut fur consurgit contra fratrem suum, id est, contra quemlibet alium hominem qui vocatur frater.

C *Et occidit animam eius.* Id est, occidit eum, quia anima vocatur aliquādo totus homo, sicut patet Gen. 46. & Exo. 1. quòd septuaginta animæ ingressæ cum Iacob in Ægyptum, id est, septuaginta homines: aliquando accipitur anima pro vita, sicut dicit Christus, quod qui animam suam odit in hoc seculo, in vita æterna inueniet eam, & Matth. 6. c. nonne anima plus est quàm esca, id est vita, & est sensus.

Occidit animam eius. Id est, vitam eius, quia licèt nō sit proprius modus loquendi, quòd vita occidatur, quia animal est, quod occiditur, sicut animal est, quod viuit, qa ista duo sunt ad idem, tamen quia occiso animali vita destruitur, vita occidi dicitur: sequendo enim istam literam non potest propriè dici, quòd accipiatur anima pro ipso homine cùm dicatur hic, & occidit animam eius, non potest autem dici, & occidit hominem eius, quia necesse est signari per animam aliquid, quod est alterius, vel pars, vel proprietas. *Quia sicut latro consurgit.* Latrones in syluis latēt, & insidiosè surgentes viatores prædantur, & occidunt. *Sic puella perpessa est.* Id est, passa fuit, quia vir eam insidiosè in agro tenuit. *Sola erat in agro, & clamauit.* Præsumit ius, quòd puella clamauerit licèt hoc ignoretur, quia ea quæ æqualiter bona, vel mala esse possunt, in partem bonam interpretanda sunt, de viro autem manifestum est, quod malam intentionem habuit, ideo indistinctè occiditur, & licèt puella non clamauerit, si tamen ipsa intellexit, quod clamans exaudiri non poterat, nullā criminis culpam habuit, poterat tamen cōtingere, quòd puella voluntariè cognosceretur, vel quòd ipsa procurauerit cum viro, vt irent extra ciuitatē fortè, vt ipsa securior esset ad omnē euentum, ius tamen hoc non præsumit, quia constare nō possunt.

Si inuenerit vir. Hic ponitur secundū, scilicet prohibitio quantum ad stuprum. *Puellam virginem.* Siue ista puella sit virgo secundùm veritatem, siue non sit virgo, sit tamen in habitu virginali eadem pœna est, si tamen puella non sit virgo, & publicè cognoscatur, quòd non sit virgo, vtpotè quia fuerit concubina alicuius, vel meretrix, non videtur, quòd teneat ista lex. *Quæ non habet sponsum.* Quia si desponsata sit viro alicui, non soluet pecuniam quæ hic dicitur, sed morietur, vel si fuerit coniugata, aut alicui per legem alligata, vt patet in exemplo, quòd suprà ponebatur de suscitante semen fratri suo. *Et apprehendens concubuit cum ea.* Quod violentiam notat: sic enim præsumitur, vt suprà dicebatur de puella desponsata, nam si puella consentiat cognosci, non tenetur pœna huius legis vir, quia paria delicta sunt.

Et apprehendens concubuerit cum ea. Non exprimit litera clarè, vtrum intelligatur de eo, qui virginem seduxit, & dormiuit cum ea, vel de illo qui vi apprehendit eam in agro, & coiuit, quia maiori pœna dignus videtur qui violenter coiuit. Fortè dicet aliquis quod intelligitur de seducēte solùm, quia ita imponitur pœna dotationis, Exod. 22. cap. vbi agitur de virgine seducta, & defforata. Sed meliùs dicitur, quod etiam intelligitur de ea quæ violenter apprehensa est, & patet, quia dicitur in litera. *Et apprehendens concubuerit cum ea.* Hoc autem violentiam signat. Item quia si non intelligeretur de violenter corrupta non esset lex circa violenter corruptas. *Et res ad iudicium venerit.* Quia nunquàm aliquis punitur, nisi causa ad iudicem deducatur, quia impositio pœnæ ad personam publicam pertinet, & licèt ipse iudex non possit taxare quantitatem pœnę vel mulctę, quia à lege determinata est, tamen imponet illi peccanti pœnā legis ad quam tenebitur soluēdam sub pœna à iudice imposita arbitrariè. *Et habebit eam vxorem.* Si pater dare voluerit, vt patet Exod. 22. c. & licèt matrimonia sint secundùm legem voluntaria, tamen aliquando cogitur aliquis contrahere secundùm hanc legem, quia propter peccatum priuilegiū legis amisit, quod omnibus concedebatur, vel communem gratiam, vt magis propriè loquamur: & siue consentiat, siue nō, cogetur tamen stare cum puella, & sustentare onera matrimonij, siue sit verum matrimoniū, siue præsumptum à lege, siue totaliter nullum, & in hoc læditur vir, quia etiā si potens esset, & puella pauperrima, tamen eam susciperе debet. Secundò læditur, quia nunquàm poterit eam repudiare, nisi fortè propter adulterium, quòd omnem conditionem, & pœnam destruit.

Non accipiet homo. Hic ponitur tertium de incestu: est enim incestus inter personas sibi consanguinitatis, vel affinitatis linea attinentes. *Vxorem patris sui.* Id est nouercam, de matre enim ita notū est, quod nō oportet ponere legem, licèt ponatur ad horrorē facinorum, Leui. 18. c. sed intelligitur de nouerca, quā non debet aliquis in vxorem aliquo modo accipere, nec aliter ad eā accedere, sed maius peccatum est eā in vxorem recipere, quàm aliter, quia qui vxorē accipit peccat, tanquàm ex habitu iudicans illud sibi licere, qui autem aliter facit ex passione mouetur, ideo remissibilius est, sed vtrunque malum est, quia contra honorem patris, quia pater fuit vna caro per commixtionem cum illa, & sicut patri subiecta fuit, quòd ita sit subiecta filio. Et ob hoc Apostolus multum increpabat Corinthios qui consentiebāt, quòd quidam haberet publicè in vxorem eā, quam pater suus in vxorem habuerat, scilicet nouercā suam, vt patet 1. Cor. 5. c. scilicet auditur omninò inter vos fornicatio, & talis quæ inter gentes nō est, vt vxorē patris aliquis habeat, ideo Apostolus ad detestationem tanti sceleris grauem pœnā inflixit, scil. quòd acciperet eum Sathanas trucidādum vsq; ad interitum carnis, vt saluus

sit

D

Prohibitio quo ad stuprū.

E

F

De incestu, & qd ille sit.

A

sit spiritus eius in die Domini, & proculdubiò tali pœna dignus est, qui tantam irreuerentiam committit: nam cùm pater sit maximum bonum filio post Deum, maxima reuerentia post reuerentiam debitam Deo est reuerẽtia debita patri, magna autem irreuerentia patris est, vt eandem mulierem filius cognoscat quam pater cognouit. *Nec reuelabit operimentũ eius.* Id est, turpitudinem eius, scil. sexus verecundiã, & illa vocatur verecundia patris, quia patrem illa verecundia tãgebat, & maius peccatum est, quando hoc patre viuente fit, quàm ipso mortuo, & ideo maledictus fuit Ruben, qui maculauit lectum patris sui dormiendo cum Bala vxore patris sui, vt patet Genes. 35. & 49. cap. sic etiam Absolon dormiuit cum concubinis patris sui, sed iste magis peccauit, quia ad dehonorandum patrem fecit coram toto populo, vt patet 2. Reg. 16. cap. & quia talia crimina Deus detestatur maximè, mandauit tales occidi, vt patet Leuit. cap. 20.

Caput XXIII.

De renun. c. nisi, & pced.

NON intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Domini. Non ingredietur mãzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini vsq; ad decimam generationem, &c.

B

NON *intrabit.* Suprà positæ fuerunt aliquæ directiones circa partem irascibilem, hic dirigit circa concupiscibilem, & continet duo principaliter, scilicet de directione in communi. Secunda de directione in singulari ibi. *Si fuerit inter vos.* Et prima in duas secundum, quod status ciuitatis per duo tempora variatur, scilicet per pacem, & bellum, de secundo ibi. *Quando egressus fueris. Non intrabit Eunuchus.*

Tria bonum statum ciuitatis conseruantia.

Quæstio I.

C

HIc ponuntur tria, quæ conseruant bonum statum ciuitatis. Primò coniunctio honestorum coniugiorum. Secundò à Dei cultu expulsio immundorum. Tertiò prohibitio de exaltatione, vel promotione indignorum, & ista omnia tanguntur in eadem litera, secundùm quod potest tripliciter exponi satis benè, sed communior expositio, & consonantior est de coniunctione coniugiorum. Et excluduntur hic aliquæ personæ, quia non inuenitur in eis finis matrimonij, vel propter alias inhonestates, & quia finis coniugij est proles, excluduntur primò, qui propter aliquem defectum in vase genitali, siue à natura, siue à casu nõ possunt consequi istum finem. *Non intrabit Eunuchus.* Vocantur Eunuchi qui castrati sunt, vel qui naturaliter tantùm frigidi sunt, quod nullo modo coire queant, & sic dabantur nobiles dominæ in custodiam Eunuchis, id est, castratis, vt sæpè patet in Chronicis, hic autem solùm accipitur pro illo qui habens integra genitalia natura prohibente coire non valet, quia de castratis infrà dicitur. Et per Eunuchos etiam intelligũtur qui maleficiati sunt ad semper, quia si hoc constaret, non contrahebant matrimonium. *Attritis, vel amputatis testiculis.* Vterque prohibetur, quia generare non potest, licèt enim habeant virgam, quòd eleuari possit, & cognoscere fœminam, ita quòd clausta virginalia rumpant, tamen semen effundere nequeunt, quia testiculorum officium est, vt in coitu per quasdam cordas, siue cinasos ascendẽtes tangant vasa seminaria ad distillationem seminis, quibus non existentibus, vel si læsi sunt, vasa illa immota manentia generationem nunquàm complent.

Veretrum qd sit.

Et abscisso veretro. Id est virga virili, & dicitur veretrum secundùm Isidorum 11. Ethym. quasi virus tenens, id est, seminalem fluxum qui dicitur virus, vel veretrum, id est viritium, quia soli viri illud habent, & in istis magis patet.

Quid est Mãzer.

Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus. Ista est superadditio ad explanationẽ nominis Hebraici, in Hebræo autem solùm habetur manzer, & exponit litera Chaldaica, quod manzer dicitur filius alicuius conuersi de Chananæis, vel alijs gentibus, & alicuius Hebrææ, vel filius Hebræi, & mulieris conuersæ de gentilitate, sed magis videtur manzer secũdùm literam nostram esse propriè ille qui de meretrice natus est, & iste omnium illegitimorum turpissimus est, & potest intelligi per manzerem spurius qui de concubina natus est, vel nothus qui de adulterio, quia omnes hi contemptibiles erant.

D

Ecclesia tripliciter accipitur.

Non intrabit Ecclesiam Dei. Potest accipi Ecclesia tripliciter secundùm tria quæ suprà tetigimus, quæ sunt ad bonum statum ciuitatis. Primo modo accipitur Ecclesia pro congregatione populi, & sic frequenter accipit Philosophus in 2. Polit. vbi dicit, quod in quibusdam politijs apud Ecclesiam potestas est, id est, apud totã multitudinem popularem, & quædam politiæ Ecclesiam non faciunt, id est, congregationem, & tunc est sensus, quòd non intrent manzeres in Ecclesiam Domini, id est, non dentur vxores eis de multitudine filiorum, quæ vocatur mulitudo Domini, id est sancta, & non intelligitur de superioribus: quia frustrà esset dicere quòd Eunuchi, & habentes præcisa genitalia & similia, non acciperẽt vxores de filiabus Israel vsque ad decimam generationem: quia cùm illi generare non possint, nunquàm habebunt primam nec secundam, nec aliquam generationem, solùm ergo intelligitur de manzeribus.

E

Potest accipi secundo modo Ecclesia in secũdo sensu pro loco sancto, ad quem ingredi poterãt laici vt offerrent; & vt ibi comederent hostias pacificas. Et ad istum non poterant intrare isti omnes supradicti: quia sicut qui contaminati erãt in tactu alicuius rei immundæ, vel leprosi erant, vel fluentes semine, menstruatę, & fluentes sanguine, non debebãt intrare in sanctuarium: ita isti immundi reputabantur, de his patet Leuit. 11. 14. & 15. c. & Num. 5. & 19.

Potest tertio modo accipi Ecclesia pro multitudine, prout habet ordinationẽ ad rectores, & sic dicitur aliquis intrare Ecclesiam, cùm in multitudine datur ei aliquod officium, vel principatus: & ad hoc prohibentur omnes supradicti: quia non poterant esse tribuni centuriones quinquagenarij, vel decani. Et patet in patientibus defectum in genitalibus: quia istæ dignitates temporales, vt in plurimum, dabãtur per successiones, indignum ergo erat, quòd qui succedere nullo modo relinquere poterat, ad paternum honorem promoueretur: repelluntur etiam manzeres, nothi, & spurij, & alij de fornicatione, quia isti propter defectũ natalium multũ contemptibiles sunt. Et periculum est tales exaltare, quia subditi non æquo animo tales tolerant, maximè illi qui naturaliter excellentes sunt, de his Philosophus 2. & 3. Polit. Et ideo Ecclesia tales ordinari prohibuit, & aliquam Ecclesiasticam accipere dignitatem, nisi ex speciali consideratione considerata qualitate personæ, ita quòd paternæ incontinentiæ non sit imitator, & in dignitatibus temporalibus quæ per successionem habentur secundùm leges humanas filij illegitimi non succedunt, repelluntur etiam infrà positi, scilicet alienigenæ qui non efficiebantur principes, quia minùs præsumuntur alienigenæ terram diligere quàm indigenæ, nec in arduis causis multum in eis confidendũ est, & subditi etiam dedignantur aliquos sibi alienigenas dominari, & iste sensus consonantior quàm secundus, quia quantum ad ea quæ Dei sunt, non erat distinctio Iudæorum, & aduenarum, scilicet in cultu, & cæremonijs legis, & patet, quia omnes alienigenæ circuncisi poterant comedere phase, vt habetur Exod. 12. cap. & hoc est magnum sacrificium Dei, vt patet Numer. 9. cap. ergo etiam poterant offerre victimas pacificas, sed istas non licebat comedere nisi in atrio tabernaculi, vt patet sæpè in Leuitico, ergo comedere poterant in atrio. Ex superioribus patet, quòd expositio Chaldaica in præsenti nõ multum consonat, quia si intelligatur primo modo implicat contradictionem, quomodo non intrabit in Ecclesiam Domini qui est de Ecclesia Domini, sed isti quos ipse vocat manzeres de Ecclesia Dei sunt, quia vel patrem, vel matres de Hebræis habent, nec quantũ ad sacrificia, vt dictum est, nec etiam quantum ad dignitates, quia Dauid fuit in tertia generatione manzer, scilicet filius Isai, & nepos Obeth, qui fuit manzer illo modo, id est, natus ex Ruth Moabitide, & Booz, vt patet Ruth 4. cap. & Matth. 1. sed tamen Dauid rex fuit, & vxorem habuit de Ecclesia Dei.

Eunuchi nõ assumebantur ad dignitates.

Periculosũ est spurios ad dignitates exaltare.

F

Vsq; ad decimam generationem. Quia in decima generatione est totaliter memoria illegitimitatis abolita, & pro nobili se

A gerere poteſt, & ſi intelligatur iſta litera per primum modum, erit ſenſus, quod manzer, nec filius eius, nepos, abnepos, pronepos, & conſequenter vſque ad decimũ non accipiant in vxores aliquas de filiabus Iſrael, ſed accipient de filiabus cõuerſorum ad Iudaiſmum, & in decima generatione rurſus vnientur filiabus Iſrael.

In ſecundo modo eſt ſenſus, quòd manzer, & filij ſui, ſiue accipiant vxores de Iſrael, ſiue non, non ingrediantur in atrium tabernaculi vſq; ad decimam generationem, ſed non multum valet hoc, vt ſuprà diximus. In tertia expoſitione clara eſt litera.

Ammonites, & Moabites non intrabunt Eccleſiam Dei poſt decimam generationem vſque in æternum. Id eſt nunquàm, quia illud in æternum nõ fit, quod nunquàm fit, ſic dixit Petrus Chriſto, Domine non lauabis mihi pedes in æternum, Ioan, 13.c. & ponitur hoc, quia ſuprà dictum fuerat de manzeribus, quòd non intrarent in Eccleſiam vſque decimam generationem, ſic putaret aliquis de Moabitis, & Ammonitis, & reſpõdetur, quod nunquàm intrabunt Eccleſiã poſt centeſimam generationem. Et poteſt intelligi quolibet illorũ trium modorum, ſed maximè in 1. & 3. aliæ autem gentes, ſcil. Idumæi, & Ægyptij, de quibus hic fit mentio, intrant ad 4. generationes in Eccleſiã, iſti autem nunquàm, quia grauiùs, quàm illi peccauerunt cogendo eos operibus duris, & mergendo paruulos eorum in flumine, vt patet Exo. 2. & 5. c. Idumæi autem exierunt eis armati, & non conceſſerunt eis trãſitum per directam viam terræ ſuæ, vt patet Nume. 20. c. & Deut. 2. Moabitæ autẽ ſpiritualiter, & corporaliter eos læſerunt, quia per conſilium Balaam fecerunt fornicari filios Iſrael cum mulieribus Moabitarum, & Madianitarum, & colere deos eorum, vt patet Num. 25. c. propter quod Deus iratus eſt Iſrael, & deleuit multos, vt patet eo. c.

Quare Ægyptij intrabãt in 4. generatione Eccleſiam Dei, Ammonitæ verò nunq̃ B

Quare non ſit hic mentio de alijs gentibus, quando conuerterentur ad Iudaiſmum, quomodo fieret de eis quantum ad hoc, quod eſt intrare Eccleſiam Dei, & hiſtorica narratio Iudæorum à principio ſui originis, cum quibus gentibus communicauerunt, & in quibus terris manſerunt.

QVÆSTIO II.

SED quæres quare non fit mentio de cõuerſione aliarum gentium, & punitione?

Poteſt reſponderi, quod ratio eſt, quia iſtæ gentes quas hic exprimit, puniuntur aliquo modo, quia perſecuti ſunt filios Iſrael in itinere Ægypti, & non aliæ gentes, ideo quando conuerterentur aliæ gentes, non dabatur eis iſta pœna, ſed ſtatim poterant intrare Eccleſiam Dei, & ſecundùm iſtum modum prima de tribus expoſitionibus eſt verior, ita quod omnes conuerſi de gentilitate ad Iudaiſmum immediatè accipere poterant vxores de filiabus Iſrael, tamen non poterant principari ſtatim. Et ſi arguas de Amalechitis qui pugnauerunt contra Iſrael, vt patet Exod. 17. cap. & de Madianitis qui fuerunt principaliores in adducendo Balaam ad maledicendum quã Moabitæ, & ideo contra eos, & non contra Moabitas pugnatum eſt, vt habetur Nume. 31. cap. Reſpondetur, quod de Amalechitis nullus conuertendus erat ad Iudaiſmum, ſed continuum bellum eſſe debebat inter eos vſque ad deletionem Amalechitarum, vt habetur Exod. 17. cap. & iſta deletio tempore Saul conſummata eſt, vt patet 1. Regum 15. cap. de Madianitis reſpondetur, quod Iſraelitæ deleuerunt eos vſque ad reliquias, vt patet Numer. 31. cap. & poſt illi qui ſuccreuerunt fuerunt hoſtes Iſrael, vt patet Iudic. 6. c. & ideo fortè nullus de eis vnquàm ad Iudaiſmum conuerſus eſt, & ſic non oportuit de illis poni regulam. Vel poteſt reſponderi aliter, quod ideo ſolùm iſtæ gentes nominatæ ſunt, quia iſtæ erant prope Iſrael, & de eis conuerterentur aliqui, non autem de alijs remotis gentibus, & tunc dicetur, quod quia Amalechitæ, & Madianitæ diſtant magis à terra Iſrael quàm gentes, de quibus in litera. Et ſi arguas de Philiſthin qui propinquiores erant, quia habitabãt ſuper mare ad occidentem terræ promiſſionis.

C

Reſpondetur, quod iſti habitabant intra terminos terræ promiſſionis, qui Iudæis dati ſunt termini vſque littus maris magni ad occidentem, vt patet Numer. 34. cap. ſed in littore illo erant ciuitates Philiſthinorum, ideo vocatur mare illud mare Philiſthinorum, vt habetur Exod. 23. c. ſed melior eſt prima reſponſio, quia Syria in qua Damaſcus, & Phœnicia propinquiores erant terræ promiſſionis quàm Ægyptus, & tamen fit hic mentio de Ægypto, non autem de iſtis: erat autem prima reſponſio, quod de iſtis gentibus non fiebat mentio, quia hoſtes erant, & non erant conuertendæ ad Iudaiſmum, & fundamentum huius eſt, quia Deus vult dari hic regulam, quã gentem amare deberent Iudæi, & quam gentem perſequi, & quia amamus, vel perſequimur aliquid, ſicut nobis bonum eſt, vel malum eſt, vt patet in 1. Ethicor. oportet quòd illam gẽtem amemus, in qua aliquid boni reperimus, & illam exoſam habeamus, in qua aliquid mali reperiamus, & quia bonum, vel malum eſt inter gentes ſecundùm communicationem, ideo gentes illæ quę nullo modo communicant, nec vnquàm communicauerunt ſibi bonæ aut malæ nõ ſunt: ideo Deus ſolùm dat hic regulam ad amandum, vel ad odiendum, recipiẽdum, vel non recipiendum quaſdã gentes, quæ inter ſe aliquo modo communicabant, non dat Deus hic aliquam regulam Iudæis vtrum Indos, aut Hiſpanos, vel Alemanos odiſſe debeant, vel amare, recipere, aut non recipere, quia Iudæi nunquàm communicauerant cum iſtis gentibus bonum, aut malum ab eis recipientes, ideo non habebant aliquid per quod diligerent, aut odiſſent: etiam non oportebat poni aliquam regulam de iſtis vtrum recipi deberent, vel non, quia habitant in vltimis partibus orbis: terra autem Chanaan eſt in medio terræ habitabilis ſecundùm latitudinem climatum ſeptem.

D

E

Licet nunc conſiderando terram iam habitatam nõ eſt in medio terræ habitatæ, quia aliqua loca ſunt quæ ſunt in decimo climate, vt eſt inſula Thile, terra autem Chanaan eſt in principio quarti climatis, & partim in tertio, & diuiſa terra in ſeptem climata terra Chanaã eſt in medio terræ habitabilis: poſita diuiſione autem climatum ſecũdum terrã, quæ iam habitata eſt, multũ diſtat terra Chanaã à medio mundi, nunquàm autem Hiſpani irent ad terrã Chanaan, vt conuerterẽtur ad Iudaiſmum, nec Indi, aut extremi Æthiopes, vt Garamãtes, & Trogloditæ, & de habitãtibus in extremitatibus ſeptentrionalis plagæ: de iſtis tamen licèt rariſſimum eſſet, ſi tamẽ contingeret, vt aliqui ad terrã Chanaan venirent ad Iudaiſmum, dicendum erat, quòd reciperentur, vt intrarent in Eccleſiã Dei accipiendo quocunq; modo accipiatur Eccleſia: nã ſicut de iure quilibet præſumitur idoneus niſi probetur contrarium, ita quilibet admittitur ad omnia iſta niſi prohibeatur, ſed Indi, Hiſpani, Æthiopes, Alemani, non prohibebãtur hic intrare Eccleſiã Dei, ergo quãdocunq; intrare vellent, reciperẽtur, & ſic de cæteris gentibus, quæ nõ prohibebantur hic, niſi alia cauſa ſubeſſet: hic autẽ exprimuntur aliquæ gentes, cum quibus Hebræi aliquam communicationem habuerunt patientes ab eis bonum, vel malum.

An terra Chanaã ſit in medio terræ habitatæ. Clima 1. 2.

Conſiderandum autem eſt ex proceſſu ſacræ Scripturæ in his libris Moyſi, cum quibus gentibus Hebræi habuerãt aliquã communicationem boni, aut mali vſq; ad tempus præſens, & reperietur regula expreſſè, aut ratio tacitè. Et præſupponendũ, quod Hebræi primò nati ſunt trãs flumen Euphratem ad partem aquilonarem, & poſteà venerunt in terrã magis Meridianã vltra flumen Euphratem, quorum primus fuit Thare, & ab ipſo Hebræi alij nominati ſunt, poſteà ſui ſucceſſores, vt nunc attinet ad propoſitum, licèt de veritate huius magis habetur Exo. 21. c. Abraham autem perſecutionem magnam ſuſtinuit in Chaldæa, vt non coleret idola, ſed quia tunc Abraham adhuc non erat caput populi Dei, cùm non eſſet facta aliqua promiſſio Dei ad illum, non eſt aliqua cauſa quare Hebræi deberent tẽpore Moyſi eſſe hoſtes Chaldæorũ. Poſt hoc Abraham cum poſteritate ſua habitauit in terra Chanaan, in qua non habuit, nec veſtigium terræ, & multa ab illis paſſus eſt, & Iſaac eodem modo, & Iacob, plura autem paſſi ſunt ab eis cũ pugnauerunt cõtra eos duo reges Amorrhæorum, ſcilicet Seon, & Og: de his autem non eſt data aliqua regula vtrum recipi deberent in Eccleſia Dei, vel non. Et dico, quod non oportuit hic poni regulam, quia ſatis notum erat, quòd nullus de Chananæis admitti deberet in Eccleſiam Dei aliquo modo, qa Iudæi nullo modo poterant relinquere viuum aliquem de Chananęorum populis, quẽ nec accipere poſſunt, ſiue ſub conditione ſeruitutis, ſiue libertatis,

Hiſtorica narratio Iudæorũ, in qbus terris manſerunt. F

aut

A

aut quouis alio modo, ſic patet ſuprà 20.c. cùm dicitur de his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omninò patieris viuere, ſed interficies in ore gladij Ethęum, ſcil. & Chananæum, &c. ideo dato, quòd aliquis de Chananęis populis vellet eſſe Iudęus, & redigi in ſeruitutem, tamen nõ permittebatur, ſed percutiebantur gladio: communicauerunt etiã Iudæi cum Philiſthinis, quando deſcendit illuc Abrahã, & poſt hoc Iſaac filius eius, vt patet Gen. 20. & 26. c. quorum vterq; perſecutionẽ habuit ab eis, quia vxor Abrahæ accepta fuit à rege Abimelech, vt patet Geneſ. 20. c. magis, aut & iniquius damnabatur ab eis Iſaac, quia inuidebant ei duriſſimè, & compulerunt eum egredi de ciuitate, & quãdo aliquem puteum fodiebat occupabant eum paſtores Geraritæ qui erant Philiſthini, donec receſſit à terra illa aliqualiter, & venit in Berſabee, vt patet Gene. 21. c. ex his autem videbatur eſſe origo aliquarum inimicitiarum inter Iudæos, & Philiſthin: de his autem non ponitur aliqua regula vtrum intrare poſſint in Eccleſiam Dei, & non factum fuit, vt aliqui putabãt, quia diſtabant à Iudæis, ſed quia erant in terra eorum, nec etiam, vt alij putauerunt, quia Philiſthini ſemper fuerunt infeſti Iudęis, & ſic nullus de eis cõuerteretur ad Iudaiſmum: nam dato, quòd aliquis de Philiſthinis vellet conuerti ad Iudaiſmum, non reciperetur, ſed occideretur, ſicut non reciperetur aliquis de Ethæis, Euæis, Pherezæis, Iebuſæis, &c. & ratio eſt, quia Philiſthin ſunt pars iſtarum gentium ſeptem, cùm ponantur intra terminos terrę Chanaã à parte occidentali, in qua eſt mare Paleſthinorum, ſiue mare occidentale, vt patet ſuprà 11. c. & Exod. 23. & Nume. 34. & apud iſtud mare eſt manſio Philiſthinorum. Etiam à parte Meridiana erant Philiſthini intra terram Chanaan, quia termini Meridiani terræ Chanaã ſunt deſerta Arabica, quæ magis Meridiana ſunt quàm terra Philiſthini, vt patet ſuprà 11. c. ergo in terra Chanaan erant Philiſthini, nec poterant recipere quẽquam ex eis, nec ad vitam reſeruare ſub quacunque conditione, non ergo dari debuit regula de Philiſthin. Deinde communicauerũt Hebræi cum Ægyptijs, quia morati ſunt ibi ducentis, & quindecim annis, vt in Geneſi probatum fuit c. 15. & in Exo. c. 2. & alibi ſæpè, & in hac terra multa mala Hebræi ab Ægyptijs receperũt, quia preſſis eis in duris laboribus luti, & lateribus iuſſum eſt, vt infantes eorum obſtetricum dolo in ipſa alui effuſione necarentur, inſuper & in flumen mergi mandauit, quos aliter ſuperare non potuit: multa quoque alia dura illis imponebantur, & fiebant quæ deducebant animam Iudæorum ad amaritudinem, pro quibus ſatis rationabiliter videtur, quòd Iudæi eos exoſos habere poſſent, ſed Deus de his dat hic regulam, quod non debent Iudęi abominari Ægyptium, cuius ratio in litera ſubiungitur, quoniam licèt multas anguſtias paſſi ſunt ab Ægyptijs, tamen quia aduenæ fuerunt in terra Ægypti, id eſt, quia ibi magno tempore vixerũt, & de pinguedine terræ illius nutriti ſunt, non debent eos habere exoſos. Deinde communicauerunt Iudæi Amalechitis, quia Amalechitæ exierunt in obuiã, ſcil. poſt Iudæos, & extremos agminis q reſederant, occiderunt, vt patet Exo. 17. & infrà 26. c. iſta fuit prima gens quæ bellum mouit contra Iudæos, ſic dicitur Nume. 24. c. ſcil. principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur: & non ponitur hic regula de iſtis vtrum debeant eſſe exoſi, vel non, & quota generatione recipi debeãt in Eccleſiam Dei, & ratio eſt, quia de Amalechitis nullus conuerſus eſt, vt aliqui volunt, vel quia valdè diſtanter habitabant, non fiebat mentio, ſed non eſt verum, quia dato, quòd aliquis de Amalechitis conuerti vellet ad fidem, nõ reciperetur, ſed occideretur, & patet, quia Deus dederat mandatum, vt Iudæi haberent bellum cum Amalech vſque ad deletionem eius, vt habetur Exod. 17. c. cùm dicitur, dixit Dominus Deus ad Moyſen, ſcribe hoc ob monimẽtum in libro, & trade auribus Ioſue: delebo enim memoriam Amalech de ſub cœlo: quia manus ſolius Domini, & bellum Dei erit contra Amalech à generatione in generationẽ, & Moyſes ante mortem ſuam hoc iterum repetiuit, vt recordarẽtur duces Iſrael, & poſterioribus ſuis narrarent, & eos ad animoſitatem concitarent cõtra Amalech, de quo infrà 25. c. in fine ſic dicitur, memento quid fecerit tibi Amalech cùm egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum, cũ ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, delebis nomen eius de ſub cœlo, caue ne obliuiſcaris: poſt iſtos communicauerunt Hebræi cum Chananæis Arad, qui ſimul cum Amalechitis pugnauerunt contra Iſrael, & deſtruxerunt multos, vt patet Nume. 14. c. & Deuter. 1. c. & poſt hoc iterum iſti Chananæi Arad terræ ſurgentes contra Hebræos ceperunt prædã de Hebræis, vt patet Num. 1. c. poſteà autem Iſraelitę voto ſe obligantes, vt delerẽt totum populum Chananæorum illorum, accepit voluntate Dei populum illum in manus ſuas, & deleuit vrbes totas deſtructis omnibus habitatoribus eius: de his autẽ Chananæis non ponitur regula vtrum reciperentur in Eccleſia Iudæorum, vel nõ, quia iſti totaliter deſtructi ſunt, & ſi fortè aliqui ſuperfuerunt, erant de genere aliorum Chananæorum, cum quibus Iudæi nullum fœdus habere poterant: poſt hoc communicauerunt Iudæi aliqualiter cum Idumæis, quia cùm ſteterunt in Cadeſbarne, ſiue cades deſerti Syn, quod idem eſt, miſerunt legatos ad regem Edom, vt concederet eis tranſitum per terram ſuam, & reſpondit rex Edom non tranſibis per me, alioquin armatus occurram tibi, vt patet Num. 20. c. ex hoc autem poſſent Iudæi habere aliquod odium, & abominationẽ ad Idumæos, ſed mãdat hic Deus, quòd non abominentur eos, & hoc quia fratres eorum ſunt, ſcil. filij Iſaac, ſicut Iſraelitæ etiã, quia Idumęi nõ totaliter reſtiterunt Iſraelitis, qa aliquo modo conceſſerunt eis tranſitum per terram ſuã, vt patet ſuprà 2. c. cùm dicitur trãſibitis hodiè per terminos fratrũ veſtrorum filiorum Eſau, qui morãtur in Seyr, & in eodem c. infrà dicitur tantum eſt, vt concedas nobis tranſitum per terrã tuam, ſicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seyr. Deinde communicauerunt Iudæi cum Moabitis, Madianitis, & Ammonitis, & hoc, quãdo venerunt circa Iordanem ſuper campeſtria Iordanis in deſcenſu montium terræ Moab in mãſione, quæ vocatur Sethin, ſiue Belſethin, vt patet Nume. 25. & 33. nam Moabitæ timentes Iſraelitas, nec audentes congredi cum eis, conſilio, & fauore Ammonitarum, & Madianitarum cõduxerunt Balaam ariolum, vt veniret ad maledicẽdum Iudæos, & quia non potuit maledicere, ſed dixit, quod reuertens in terram ſuã daret conſilium, quid facerent Moabitæ Iudæis, vt patet Num. 24. c. & poſteà dedit conſilium de puellis ornandis, vt prouocarent Iudæos ad idololatriam, vt patet Nume. 25. Etiam quia Moabitæ, & Ammonitæ per quorum terminos trãſibant Iudæi venientes de Ægypto, vt patet ſuprà 2. c. noluerunt occurrere cum pane, & aqua Iudæis, vt patet hic, propter quod Madianitæ qui fuerunt miniſtri, & intẽtores horum ſcelerum, mox deleti ſunt, vſque ad reliquias, vt patet Nume. 31. c. Ideo non fuit data de eis aliqua regula, quia non erant, poſteà ſuccreuerunt, & fuerunt hoſtes continui Hebræorum, vnde de eis nulli redibant ad Iudaiſmum: ne intraret quiſquã in Eccleſiam Domini in ſempiternum. Moabitæ autem, & Ammonitæ qui tunc non fuerunt puniti, nec aliquod bellum cõtra eos geſtum eſt, hic puniti ſunt. Et datur de eis regula, quòd Iudæi nũquã habeãt cum eis pacem, nec quærant eis bonum, nec intrent in Eccleſiã Domini in æternum. Non tamen eſt intelligendum, quòd prohibeatur Moabitas, & Ammonitas conuerti ad Iudaiſmũ, cùm Deus vellet omnem hominem ſaluum fieri, & & neminẽ vult perire. Item qa dicitur Leui. 25. ſerui ſint vobis de gentibus quæ in circuitu veſtro, id eſt, de omnibus gentibus quæ erant in circuitu terræ, quã ipſi poſſidendam recipiebant, poterant habere ſeruos, cùm tamen aliquem ſeruum emebant, debebant eum circuncidere, vt patet Exo. 12. c. cùm dicitur oĩs ſeruus emptitius circuncidetur: ergo Moabitæ & Madianitæ, & Ammonitæ, & omnes gentes poterant conuerti ad Iudaiſmum, immò interdum cogebantur conuerti, vtpotè cùm eſſent ſerui emptitij de gentibus his. Item litera iſta innuit, quòd aliqui de eis cõuerterentur ad Iudaiſmum, quia aliter impoſſibile eſt intelligi iſtam literam, niſi ponatur, quod aliqui Moabitæ, & Ammonitæ, & ſic de cæteris poſt decimã generationem non intrabunt in Eccleſiam Dei, vel quòd Ægyptij intrarent poſt tertiam generationem in Eccleſiam Dei, quomodo enim computaretur generatio decima aut tertia, aut quarta, & ſic de cæteris niſi detur aliquod primum à quo incipiatur, nũquid deberet computari ab Ammon, & Moab patribus eorum? ridicula enim ſunt iſta, & intelligibilia nullatenùs, neceſſe eſt ergo computari iſtas generationes à cõuerſione ad Iudaiſmum, ſcil. quòd conuer-

B *Philiſthinorũ mãſio.*

C *Prima gens q̃ contra Iudæos bellum mouit.*

D

E

An Moabitis nõ prohibetur conuerti p hoc ad Iudaiſmum.

F

Quo fiebat in iſtis cõputatio generationũ.

A teretur aliquis Moabita ad Iudaiſmum, & poſt cõuerſionem gignebat aliquem filium, illa erat prima generatio in Moabita, deinde filius illius Moabitæ conuerſi gignebat alium filiũ, & iſta erat ſecunda generatio, & ſic deinceps, & iſto modo computantur tres generationes in Idumæo, & Ægyptio. Erit ergo ſenſus, quod ſi Moabita, vel Ammonita conuerterentur ad Iudaiſmum reciperentur, tamen non intrabant in Eccleſiam Dei, id eſt, non accipiebant vxores de communitate Iudæorum, ideo quòd iungerent cũ eis genus, & hoc erat intrare in Eccleſiam Dei, ideo ſi conuerſus Moabita non duceret ſecum vxorem Moabitam, vel de altera gente, non darent ei Iudæi gentis ſuæ vxorem, ſed manere cogebatur ſine vxore, vel acciperet de filiabus aliorum conuerſorum ad Iudaiſmum, quæ non erãt de genere Iſraelitarum: & ſi fortè moreretur vxor quam ducebat de gente ſua, & non inueniret de filiabus conuerſorum aliquam vxorem, cogebatur manere ſine vxore, & quæcunque generationes trãſirent, nunquàm filij Moabitarum, vel Ammonitarum conuerſi ad Iudaiſmum poterant accipere vxores de genere Iudæorum. Ægyptij autem, & Idumæi in hoc erant melioris conditionis quã Moabitæ, & Ammonitæ, quòd cũ aliquis Ægyptius, vel Idumæus conuerteretur ad Iudaiſmum, ſi non duceret vxorem de gente ſua, vel alia, aut reciperet eam de filiabus conuerſorum, nullo modo habere poſſet eam, quia Iudæi non darent eam illi de gente ſua, & filius ſuus non poterat habere vxorem Hebræam, nec nepos, pronepos autem habere poſſet, & iſte intraret in Eccleſim Dei, qui erat iam in quarta generatione computando illum qui conuertebatur pro vna generatione, quia ille non poterat accipere vxorem Hebræam, & ſic filius erat ſecunda generatio. Licèt non computentur ſic generationes in arbore conſanguinitatis: nã pater non computatur cùm ſit truncus, & à quo incipit generatio, & ſit principium diſtinctiuum aſcendentium, & deſcendentium, & collateralium, quòd non eſſet ſi computaretur in prima generatione: nam tunc impoſſibile erat dari in arbore illa aſcendentes, & deſcendentes, & tranſuerſales, quia totum continuum eſſet, & non diſtingueretur, niſi poneret ille truncus prima generatio, aut in deſcendentibus, aut aſcendentibus, aut collateralibus. Et iſta eſt cauſa quare in arbore conſanguinitatis cautiſſimè, nec ſine myſterio vna domus vacua relicta eſt, & vocatur à Iuriſtis Ioachin, ſiue truncus, & iſto modo computabamus ſuprà, ſed non eſt ſic computandum, ſed quælibet perſona conſtituit hic vnam generationem, ſiue vnum gradum, & primus conuerſus eſt prima generatio, & ſic computando deſcendentes deinceps.

Quid erat nõ intrare Eccleſiam Dei.

Aliter fiebat hic cõputatio generationũ in arbore conſanguinitatis.

B

Attendendũ tamen, quòd ſi aliquis Moabita aut Ammonita Ægyptius, vel Idumæus conuerteretur ad Iudaiſmum, & ille eſſet prouectæ ætatis, ita vt haberet pronepotes, & conuerterentur cum eo pronepotes, & nepotes, & filij, nõ computaretur ipſe tanquàm prima generatio, & filij ſui tanquàm ſecunda, & nepotes tanquàm tertia, & pronepotes, vt quarta, quia tunc ſequeretur quoddam inconueniens, quòd aliquis Ægyptius immediatè, vt conuerteretur, poſſet intrare Eccleſiam Dei accipiendo immediatè vxorem Hebræam, quod eſt cõtra textum, ſcilicet quòd Ægyptij, & Idumæi non intrent in Eccleſiam Dei vſque ad tertiam generationem, ſcilicet quod in ipſa tertia generatione intrare poſſent, licèt ſuprà computauimus ſecundùm quoſdam, qui ponebant in his tribus non intrare, & poſt tertiam intrare, quod erat ad pronepotes: litera tamẽ vult, cp intrarẽt in tertia generatiõe, ſcil. in nepotibus, cùm ergo iſte Ægyptius conuerſus haberet nepotes, & pronepotes, qui ſimul conuerterentur, & ipſe computaretur tanquàm prima generatio, filij autem, vt ſecunda generatio, nepotes verò vt tertia, poſſent iſti nepotes intrare in Eccleſiam Dei accipiendo vxores de Hebræis. Item hoc patet eſſe inconueniens, quia iſte qui eſt nepos alicuius Ægyptij conuerſi, & ipſe cum auo ſuo ſimul conuertitur, ſecũdùm iſtam rationem poſſet accipere vxorem de Hebræis, & ſic fieret contra regulam iuris, ſcil. quando quis non poteſt adipiſci aliquod vno modo, prohibetur adipiſci illud alio modo, debet autem computari iſta cõtextio generationum de his qui naſcuntur in Iudaiſmo poſt conuerſionem: nam cùm cùm aliquis conuertitur ad Iudaiſmum ipſe eſt prima generatio, & non poteſt accipere vxorem de Hebræis, & ſiue iſte ſit ſolus, ſiue habeat filios, & nepotes, & pronepotes, qui ſimul conuertantur, nihil magis ſic quàm ſic refert: nam ipſe computabitur, vt prima generatio, & quilibet filius ſuus cum eo conuerſus computabitur etiam prima generatio, & quilibet nepos, & quilibet pronepos quæcunque generationes ſint: primus autem genitus poſt conuerſionem ad Iudaiſmum de quolibet iſtorum eſt ſecunda generatio: & ſic ſucceſſiuè, & hoc modo non dabitur inconueniens, quod antè dabatur, ſcilicet quòd aliquis conuerſus ad Iudaiſmum de Ægyptijs, vel Idumæis confeſtim habere poſſit vxorem de Hebræis intrando in Eccleſiam Dei, Moabitæ autem, & Ammonitæ etiam poſt mille generationes non poterant accipere vxores de Hebræis: non poterant etiam Moabitæ, & Ammonitæ intrare in Eccleſiam Dei in æternum, id eſt, accipere aliquam prælationem in populo Iudæorum, quod erat intrare in Eccleſiam, & nulli de eis deſcendentes etiam poterant hoc habere. De Ægyptijs autem, & Idumæis, qui conuertebantur, non poterant habere aliquas dignitates inter Iudæos, nec filij ab eis geniti in Iudaiſmo poſt conuerſionem, nepotes autem qui erant in tertia generatione intrabant in Eccleſiam Dei ſuſcipientes aliquam dignitatem: communicauerunt etiam Hebræi gentibus duorum regum Amorrhæorum, ſcilicet Seon regis Eſebon, & Og regis Baſan, quia noluerunt iſti dare tranſitum Iudæis per terram ſuam, ſed exierunt pugnaturi cum Iſraelitis, vt patet Nume. vigeſimoprimo, & ſuprà 2. & 3. cap. ſed de iſtis non datur regula, quia omnes deſtructi ſunt in ore gladij, vt patet prælegatis cap. & dato, quòd non fuiſſent deſtructi, non eſſet aliqua pax aut fœdus Iudæis aum illis, quia iſti erant de ſeptem populis Chananæorum, de populo qui vocabatur Amorrhæus, cum quibus pax nulla habenda erat, vt patet ſuprà 20. cap.

C

Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Ægypto. Sed ſuprà 2. cap. dicitur, quod ipſi dederunt tranſitum Iudæis: Reſpondetur, quod primò noluerũt dare victualia, ſed exibant armati contra Iſraelitas, deinde Deo faciente placati ſunt.

Nicolai opinio de occurſu Moabitarum.

QVÆSTIO III.

NICOLAVS autem qui tenet, quod non conceſſerunt tranſitum, ſed victualia, reſpondet ſecundùm aliquos Hebræos, quod mulieres Moabitarum, & Ammonitarum exierunt cum victualibus viris manentibus armatis, ſed iſta poſitio non multum videtur, quam latè improbauimus ſuprà 2. cap.

Doct. opin.

Dici autem poteſt, quòd Moabitæ, & Ammonitæ qui termin habebant ſimul à parte oriẽtali terræ duorum regum Amorrhæorum, per quos fines trãſire debebant, à principio non conceſſerunt eis panem, & aquam, & occurrebant eis armati, ſed poſtea pacificati ſunt, & tranſierunt per Moabitas qui erant in Ar, & ſic dicitur ſuprà 2. c. quod filij Eſau qui habitabant in Seyr, & Moabitæ qui morabantur in Ar conceſſerunt eis tranſitum per terram illam, vel dicuntur Moabitæ hic non conceſſiſſe tranſitum nec panem nec aquã, quia Iudæi vellent tranſire per terram Moab aliqualiter per eam intrando, vt celeriùs accederent ad terram Chanaã: Moabitæ autem noluerunt ei concedere hoc vllo modo, nec dederunt panem, aut aquam, & quantum ad hoc dicitur hic, quod nõ cõceſſerunt eis tranſitũ, nec panẽ, & aquam, conceſſerunt tñ cp tranſirent per terminos ciuitatis Ar quæ eſt in finib⁹ Moabitarũ, & de hoc dicitur ſuprà 2. c. quod erat quaſi nihil concedere eis, vel dicendum, quod iſta duo referuntur ad diuerſa: nam ciuitas Ar eſt in extremitate terræ Moab à parte Orientis, & quando Iudæi acceſſerunt ad terram illam Moabitæ gratis conceſſerunt trantum per terminos ciuitatis Ar: & de hoc dicitur ſuprà 2. ca. ita quòd iſti Moabitæ non exirent eis obuiam, nec negaſſent panem & aquam: deinde cùm intraſſent Iudæi in terram duorum regum Amorrhęorum, & perueniſſent ad campeſtria Moab circa Iordanem acceſſerunt ad terminos terræ Moab, circa Phanum Phegor, & rex Moabitarum ibi exiſtens inſtruxit dolos contra Iudęos conducens aduerſus eos Balaam ariolum, vt malediceret eis, vt patet Num. 22. c. & ibi negauit eis panem, & aquã, & tranſitũ,

Situs ciuitatis Ar.

D E F

A & de ista parte Moab loquitur ista litera: sed melior atq; conuenientior est sensus primus, scilicet quod Moabitæ qui morabantur in Ar, primò negarent transitum totaliter, & negauerunt panem, & aquam, sed posteà concesserunt transitum non totaliter, vt Iudæi volebant, sed per terminos ciuitatis Ar, & sic coacti sunt transitum petere à regibus Amorrhæis, & pugnare contra eos: hoc autem confirmatur, quia dicitur hic, quod Moabitæ, & Ammonitę noluerunt occurrere cum pane, & aqua Hebræis, & sic coniungit istos duos populos hic, quasi isti populi simul noluerint occurrere Iudæis cum pane & aqua, sed terra Moab, & terra Ammon coniunguntur in parte Orientali apud ciuitatem Ar quæ erat in finibus Moabitarum, vt declaratum fuit suprà 2. cap. Item quia Moabitæ non erant culpandi, quòd non occurrissent cum pane, & aqua, quando erant Iudæi apud Phanum, vbi stetit contra eos ad maledicendum Balaam ariolus: nam ista pars Moab est in fine Moab in coniunctione frontis Orientalis terræ Chanaan ad frontem Occidentalem terræ Moab: & patet, quia erat super Iordanem qui circuit terram Chanaan ex parte à fronte Orientali, de quo dictum fuit suprà 2. cap. tunc non indigebant Iudæi transitu per terram Moab, nec etiam pane, aut aqua, quia iam Hebræi erant in terra sua, scilicet in terra duorum regum Amorrhæorum, quia iam possidebant deletis prioribus possessoribus, & habebant panem, & aquas: sed istis indiguerunt, quando stabant in introitu terræ Moab apud ciuitatem Ar, vbi Ammonitæ, & Moabitæ vno animo repugnabant eis, & Amorrhæi reges duo.

B *Et quia conduxerunt contra te Balaã filium Beor.* Non fit mentio in libro Numerorum, quòd Ammonitæ fuissent in consilio conducendi Balaam, sed solùm Moabitæ, & Madianitæ, vt patet Nume. 22. cap. sed dicendum, quod nominantur ibi Moabitæ, quia Balach, qui conduxit Balaam erat rex Moabitarum, vt habetur eod. cap. sed intelligendum est, quod sicut Madianitæ q erant extra Moab & Balaam cũ Moabitis conduxerũt, ita Ammonitæ fecissent, & fortè aliquæ aliæ gentes vicinæ in hoc conueniissent, quia nimis timebant Israel.

De Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi. Et sic patet Nume. 23. cap. de Aran eduxit me Balach. Aran enim idem est, quod Mesopotamia, sed Aran est nomen Hebræum, Mesopotamia est nomen Græcum, & signat ciuitatem positam in medio aquarum: & hoc ponitur aliquando per duo nomina, & vocatur Aran fluuiorum. *Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam.* Quia intentio Balaam erat maledicere Israel, quia ad hoc venit de terra sua, vt patet Nume. 22. cap. sed Deus prohibuit eum maledicere mouendo linguam eius contra voluntatem eius, vt diximus ibidem. *Vertitq; maledictionem eius,* scilicet quam mente conceperat, vt daret. *In benedictionem.* Quam actualiter dedit, vt patet Num. 23. & 24. c. maledictionem verò, licèt mente concepisset Deus immutabat, vt eam verbis proferre non posset. *Eo quòd diligeret te.* Et non propter merita tua, de quo nimis gratulandum est: istam dilectionem purè gratuitam demonstrat eis, Malach. 1. cap. dilexi vos dicit Dominus, & dixisti in quo dilexisti nos? nonne frater erat Esau Iacob dicit Dominus, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui? idem patet ad Rom. 9. cap.

C *Non facies pacem cum eis.* Quia peruertere possent Israel ad idololatriam, & si facerent pacem cum eis erat ista pax cõditionata, scilicet vt soluerent tributum, vt patet 2. Reg. 8. c. vbi Dauid occidit multos de Moabitis, & alios subiecit tributis, post fuerunt tributarij regis Israel, vt patet 4. Regum 3. cap. sed in his omnibus non permittebatur communicatio Moabitarum cum Iudæis.

Iudæi prohibentur bona tẽporalia gentibus sibi aduersis procurare.

Nec quæres eis bona. Scilicet temporales vtilitates. De bono spirituali nõ prohibetur, quia omnes proximos diligere debemus ex charitate ad vitam æternam, & ad hoc tenebantur Iudæi: quia sciebant, quod Deus vult omnem hominem saluum fieri, & ad veritatis agnitionem venire, vt habetur prima ad Timoth. 2. cap. Et ideo sicut nos cum magna affectione laboramus, vt infideles ad fidem conuertantur, ita & doctores eorum faciebant, vt patet Matth. 23. cap. vę vobis Pharisæi hypocritæ qui circuitis mare, & aridã, vt faciatis vnum proselitum, id est, conuersum ad legem, & cùm fuerit factus facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos: etiam non prohibebãtur desiderare pro eis bona temporalia, vt ad bonum finẽ ordinabilia sunt, quia hoc à nullo homine prohibetur, sed prohibentur procurare actualiter eis bona temporalia, quia in ista procuratione contrahitur amicabilis conuersatio, in qua per mala colloquia, & facta boni mores destruuntur: nam corrumpunt bonos mores eloquia mala, vt ait Apostolus 1. Corinth. 15. Et hoc vult litera, scilicet. *Nec quæres eis bona.* Quia quærere non dicit velle, sed actualiter inquirere. *Non abominaueris Idumæum.* Suprà posuit pœnam Moabitis, Ammonitis, & Idumæis, & Ægyptijs conuersis, & quia Moabitas abominari debebant in æternum, sic putaret aliquis, quòd faciendum esset de Ægyptijs, & Idumæis, ideo respondetur, quod non debent eos abominari, licèt aliqualiter puniant. *Quia frater tuus est.* Esau à quo descendunt Idumæi, vt patet suprà 2. cap. & Gen. 36. erat frater Iacob qui fuit pater omnium Israelitarum, ideo filij amborum fratres quodammodò vocabantur.

D Item quia licèt à principio non permisissent Idumęi transire Israelitas, sed post permiserunt, vt patet Num. 20. & suprà 2. cap. *Nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius.* Ægyptij magnum beneficium fecerunt Israelitis dando eis terram optimam in tota Ægypto tempore famis validæ, vt patet Genes. 47. cap. sed posteà eos duris laboribus afflixerunt, vt patet Exo. 12. & 5. cap. & secundùm legem beneficij, quia si aliquis alteri benefecit, & post damnum intulit, si damnum minus sit quàm beneficium, adhuc tenetur ad gratiarum actiones, vt restituat benè acceptum, & iniuriam prosequi possit: si autem damnum sit æquale beneficio, dissoluitur benè passi obligatio æqualitate damni: si autem damnum beneficij quantitatem excedat, qui benè passus est, poterit malum benefactori retribuere in quo noscitur damnum excedere beneficij quantitatem, de his Seneca libro de beneficijs. Vtrum autem Ægyptij Israelitis maius beneficium quàm damnum intulerint, vel è contrario inquirere ex re ipsa nobis difficile esset: sed dato quod damnũ beneficio præponderauerit, poterant Israelitæ aliquod malum Ægyptijs retribuere: & sic faciunt, quia non permittunt eos intrare Ecclesiam Dei vsq; ad tertiam generationem, vt patet infrà, non debent ergo eis aliud malum facere, scilicet abominari: Moabitæ autem nullum bonũ eis fecerunt, & grauissima damna eis intulerũt faciendo idolatrare, vt patet Nume. 25. c. ideo eos abominari debebant non procurando eis bonum.

E *Qui nati fuerunt ex eis.* Scilicet, postquàm cõuersi fuerint ad Iudaismum. *Tertia generatione intrabunt in Ecclesiam.* Et sic oportebat, quòd Idumæi, vel Ægyptij conuersi ducerent secum vxores pro se, & filijs, nepotibus: nepotes autem poterãt accipere vxores de filiabus Israel, & si non ducerent isti vxores de gente sua, poterant accipere de filiabus conuersorum de alijs gentibus, de Iudæis autem nequaquàm.

Attinentia ad belli statũ

Quando egressus fueris. Hic ponitur secũdum, scilicet ea quæ pertinent ad statum belli.

F *Custodies te ab omni re mala.* Id est, ab omni culpa: licèt enim omni tempore à peccando custodire debemus, maximè tamen tempore belli: ne tunc Dominum cõcitemus, cùm eum propitium habere debemus: quia tunc magis imputatur offensa, & citiùs Deus nos in manus hostium traderet, cùm magis contemnamus.

Si fuerit inter vos. Hic ponitur secundum, scilicet pars quæ tractat de directione in singulari, & continet duo.

Primum de munditia & puritate. Secundum de legalitate ibi. *Non trades. Qui nocturno sit pollutus somno.* Hic agitur de istis pollutionibus non vt sunt mortalia peccata, vel venialia, siue nulla: sed vt sunt quædam irregularitates excludentes à locis sanctis. Et patet, quia eadem pœna ponitur in illo qui polluitur in somno, & in eo qui polluitur per coitum, siue cum vxore, vel aliàs, vt patet Leuit. 15. cap. pollutio enim quæ in somno fit de se peccatum nullum est, quia naturaliter fit, sicut digestio cibi, & expulsio superfluj: sed potest esse per accidens peccatum in quantum homo est causa procurans illam pollutionem directè, vel indirectè per cibum, & potum, vel collocutiones, & visus qui formas imprimunt in phantasia potentes mouere interiores vires, vt ait August. in lib. de spiritu & anima.

An omnis pollutio seminis sit peccatum mortale, & quod tripliciter potest ea pollutio fieri.

QVÆSTIO IIII.

SED non oportet reducere omnem pollutionem ad peccatum mortale, vel veniale, vt aliqui putãt dicentes, quod pollutio nunquàm euenit, nisi cibus & potus intemperatè sumãtur, vel ex colloquijs, & quia in istis aliquando mortaliter, aliquãdo venialiter peccamus, ideo reducunt pollutionem saltem ad veniale, sed ista falsa sunt, quia non semper fit pollutio ex istis: potest enim tripliciter fieri pollutio, scilicet ex superfluitate, ex necessitate, ex debilitate. Ex superfluitate quidem, vt satis patet, quia quando cibus multus assumitur, conuertitur multa materia seminalis, & oportet effluere per coitum, vel aliàs.

Secundò fit ex necessitate. Et hoc dupliciter, quia aut ex necessitate cibi, aut ex necessitate naturæ. Ex cibo quidem, qa aliqui cibi sunt, qui etiã si in parua quantitate sumantur, siue per se, siue cum alijs, multum generant de materia seminali, & etiam si modicum semen sit ad effluxum prouocant, & quia aliquando tales cibos assumimus, non cognoscentes, vel si cognoscamus, alios habere non possumus: ideo quicquid inde sequatur peccatum non est. Et si arguas, quod quando aliquis nouit cibos, qui pollutionem prouocant, nullo casu eos assumere deberet, quia ex hoc pollutio voluntaria est, quia si antecedens est volitum, & consequẽs volitum, siue sit necessaria consequentia, siue vt communiter, quia hoc sufficit in materia agibili.

Respondetur, quod verum est, quãdo ex eo quod agimus sequitur aliquid quod est per se malum, quia tunc in nullo casu agere debemus, etiam vt euitemus mortem: sed pollutio non est de se mala, sed in quantum aliquo modo volita ante vel post. Et si hoc esset verum, argueretur sic, si in nullo casu licet comedere cibos, quos scimus prouocatiuos ad pollutionem, vel sine dubitatione prouocaturos, vt quia iam experimento comperimus, sicut in nullo casu licet fornicari: ergo non licet aliquid comedere, quia ex qualibet comestione potest pollutio procreari, vt infrà probabitur. Secundo modo fit pollutio ex necessitate naturæ, quia non solùm ex quibusdã cibis specialiter procreatur pollutio, sed dato quocunque cibo ex illo potest procreari: vnde necesse est, quòd quicunq; etiam si in cibis temperantissimus sit, aliquando licèt rarissimè, vel per coitum, vel per alias polluatur: non dico de homine Christo, qui assumpsit naturã qualiter voluit, nec de illis, qui contra cõsuetum modum hominum diuina bonitate faciente cibo paucissimo contentantur, vt Maria Ægyptiaca quæ tres panes solùm ad desertũ apportauit, cum quibus 30. annis vixit: sic de Hilarione Hieremita, qui tribus annis & dimidio vnum sextarium lentium madefactarũ comedit, q. cibꝰ vix sufficeret vni homini 4. diebus, de quo Hieronymus in vitis patrum, & de similibus: sed de alijs qui naturaliter solùm viuunt. Et patet, quia ex cibo fit nutrimentum, & semen: potentia enim generatiua tantùm & magis naturalis est cuilibet animali perfecto quàm nutritiua, quod per nutritiuam indiuiduum conseruatur, per generatiuam speciem: natura autem magis intendit conseruationem speciei quàm indiuidui. Et ex hoc maior delectatio est in coitu quã in quocunq; sensus delectamento, vt ait August. 14. de ciuit. Dei: natura ergo quæ perfecta est, sicut desiderans conseruare indiuiduum conuertit cibum in substantiam rei, ita desiderans conseruare speciem digeret partem cibi ad materiam spermaticam. Et cùm materia seminalis differat secundùm speciem à materia nutritiua, nunquàm poterit conuerti in substantiam indiuidui: licèt è contrario aliquando per nimium coitum partes teneræ & medullosæ, quæ sunt de substantia indiuidui, effluant in coitu deficiente semine. Oportebit ergo, quod seminalis materia per coitum, vel pollutionem effluat, vel in putredinem conuersa grauissimas generet ægritudines, & quia non cuilibet istæ ægritudines eueniunt, oportet eum pollui aliquando. Aliquando tamen herbæ sunt quæ portatæ vel comestę, siue in succo bibitę humorem seminalem deficcant & consumunt, vt agnus castus, & similes.

Tertio modo fit pollutio ex naturæ debilitate, & hoc magis per accidens est, scilicet cùm vis retentiua laxatur, & mollificantur partes, per quas distillatio fieri debet: ideo aliqui in ieiunio magis cæteris paribus pollutionem patiuntur, maximè si paulò antè accubitum aquam biberint: quia aqua vim retentiuam laxat, & tunc prouocatur pollutio non ex aliquo faciente, sed ex aliquo deficiente. Si autem potus vini aut colloquia pollutionem procurent, reducuntur ad modos superiores, quia eam nõ gignunt, sed dispositã citiùs effluere faciunt. Ex quibus patet, quod pollutio non semper peccatum mortale vel veniale est: quia aliquando sine aliqua culpa est, sed tamen nunquàm sine carnis macula est: ideo quædam irregularitas erat in veteri lege ex quacunque causa proueniret, siue sine coitu, siue cum coitu licito, vel adulterino, vel aliàs pessimo, quia ad irregularitatem magis respicitur factũ quàm causa, vel intentio, etiam secundùm instituta Ecclesię, quia si aliquis perdat manum vel pedem, siue aliud membrũ, siue pro Deo sustinendo à persecutoribus fidei, siue malè agendo, non ordinabitur, sic de lepra & similibus. Et non est arguendum de B. Marco, qui sibi pollicem abscidit, ne fieret Alexandrinæ sedis antistes, sed effectus est, quia hic speciale fuit, quod non trahitur in consequentiam, de quo B. Hieronymus in prologo super Actus Apostolorum.

Determinatio quæ sit.

Egredietur extra castra. Scilicet extra castra tabernaculi & Leuitarum, sed non extra castra multitudinis, qa extra castra multitudinis solùm excludebantur potentes inficere, vt leprosi, alij autem vt cõtaminati in mortuo, vel fluentes semine, & menstruatæ non expellebantur ab his castris, sed solùm castris deitatis, & à castris Leuitarum, vt diximus Num. 5. cap. *Et non reuertetur priusquàm ad vesperam.* Scilicet si fuerit sacerdos de his qui ministrant in tabernaculo, vel si fuerit Leuita de his, qui sunt in secundis castris, & fuerint polluti, exibunt de istis duobus castris, & manebunt in castris multitudinis, & post solis occasum reuerti poterant ad priora duo castra lotis aqua. Si autem esset laicus, qui pollueretur in castris multitudinis, non oportebat, quòd exiret extra castra: sed quòd non intraret tota illa die in castra Leuitarum & deitatis. *Lauetur aqua.* Non intelligitur de aqua expiationis commixta cineribus vitulæ rufæ, sed de aqua viuenti fluuiali, vel fontana, patet, quia Leui. 15. c. dicitur, quòd polluti semine lauent totum corpus suum aqua. Sed nullus lauat totũ corpus in aquis expiationis, sed solùm aspergebatur eis.

Item quia Nume. 19. c. vbi ponitur ritus istius aquæ solùm dicit de immunditia morticinorum cadauerum, ossium, tentoriorum, & sepulchrorum: ergo aliæ immunditiæ alia aqua aspergebantur vel lauabantur. *Habebis locum extra castra.* Dicto de puritate carnis, dicitur de puritate locorum, & extenditur istud præceptum ad omnia castra tria: & obligabat præceptum illud solùm in deserto, cùm castrametabantur in diuersis locis, quando verò venerunt in terram promissionis, quilibet in domo sua poterat habere latrinas, vel alia loca semota, & non existebat ibi ratio mandati.

Erat enim ratio duplex. Prima propter reuerentiam Dei, quia in motione castrorum sacerdotes cum arca, & vasis sanctuarij transibãt per loca, vbi castra fixa fuerant. Et si ibi fuisset fœditas, offenderentur sacerdotes, & vasa sanctæ ministrationis. Secunda causa est ad salutem populi, quia cùm castra in deserto propinquissima essent, si ibi fieret fœditas, ex multiplicatis & vnitis sordibus aër corrumperetur, & infirmitas sequi posset.

Item quia ipsi inter castra mundè moueri non possent. Et ex hoc patet, quòd castra magis in longum, quàm in quadrũ disposita erant, quia aliàs qui in medio castrorum essent, nõ possent exire ad requisita naturæ extrà, nisi cum magna difficultate. *Gerens paxillum in Baltheo.* Id est, in zona, est enim paxillus paruus palus, vel baculus acutus ad fodiendam terram.

Paxillus qd sit.

Cumq; sederis fodies per circuitum. Fuit quædam secta Iudæorum, qui Esseni vocabãtur, & post Christi tempora multum durauit, qui inter omnes Iudæos religiosissimi, & abstinentissimi erant, qui semper hoc præceptum seruauerunt, & strictiùs quàm hic ponitur, vt cùm ad requisita naturæ pergerent, sedebant vndique se contegentes, & terram effodientes, deinde fœditatem humo operiebant, ne splendori diuino iniuriam facerent. *Et egesta humo.* Id est, educta de loco foueæ. *Operies quo reuelatus es.* Id est, fœditatem illam, per

cuius

A

cuius depositionem reuelata est grauitas ventris: vnde pondus inutile vulgariter nominatur. *Deus tuus ambulat in medio castrorum.* Scilicet speciali modo in arca, & hoc quando arca portanda erat in mutatione castrorum, vel cùm exibant ad bellum. *Et nihil appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Deus enim spiritus mundissimus est, ideo munditiam diligit, & licèt immunditia corporalis nostra nihil eum tangat, tamen propter reuerentiam vult nos non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter mundos esse, de hoc diximus suprà 12.cap.

Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum. Id est, Deo enim secundùm se ambulare non conuenit, quia cùm ambulare sit motus, & motus pertineat ad rem imperfectam, quæ adhuc expectat alteram perfectionem cùm sit ad terminum: etiam quia pertinet ad rem finitam quæ alicubi est, & alicubi non est: Deus autem non est aliquid imperfectum, vt debeat moueri ad aliquam perfectionem vlteriorem: etiam non est aliquid finitum quod alicubi sit, & alicubi non sit, sed omnia implet. Dicitur tamen ambulare inter castra dupliciter.

Deum inter castra ambulare dupliciter dicitur

Vno modo accipiendo Deum pro ipsa essentia diuina, sicut homines consueuerunt accipere, tanquam sit aliquid quod aliquando sit in vno loco, & postea recedat ab illo, & est modus loquendi communis Scripturæ sacræ, scilicet, Deus descendit de cœlo, & intrauit in Ægyptum ad educendum Israëlitas, & sic de cæteris in hunc modum. & dicitur iste ingressus vel egressus ex aliqua speciali operatione in loco illo, ad quem ingredi vel egredi dicitur. & quia Deus specialiter curam habet de Israëlitis, dicitur ambulare inter castra eorum tanquam attendens ne aliquid pereat, & tunc licèt Deus vbique sit, & non polluatur sordibus locorum, tamen quia specialiter nos eum ibi esse intelligimus, debemus id quod apud homines honorabile & præcipuum est, Deo attribuere: nam sicut in essendo Deo attribuitur quæcunque perfectio essendi reperitur in aliqua re, ita in bono quod exhibetur & honore quicquid honoris apud homines iudicatur, Deo attribuendum est: sed mundare sordes à conspectu alicuius est honor inter homines, ita debet fieri in conspectu Dei. Et hæc est causa quare in templis & locis sacris specialiter obseruatur munditia corporalis, quia Deus ibi specialiter est.

B

In locis sacris corporalis munditia quare obseruatur.

Secundo modo est sensus, quòd Deus ambulat in medio castrorum, accipiendo Deum pro illo esse, quod habet Deus in arca, & alijs vasis tabernaculi, quia ista erant consecrata nomini eius: ideo ipse specialiter est in eis, & licèt sciamus eum esse in omni loco, maiorem reuerentiam exhibere debemus & munditiam corporalem, vbi scimus eum esse in aliquo repræsentatiuo corporali, quàm cùm scimus eum incorporaliter esse: quia tunc non magis nos determinamus ad vnam partem loci, quàm ad alteram, vt magis hic quàm ibi colere, aut honorare debeamus, & quia vasa sancta, in quibus Deus specialiter esse dicebatur, transibant per castrorum loca, dicebatur Deus ambulare per castra, & sic signat Scriptura in suo modo loquendi: sic enim dicit Dauid: Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ, vt patet Psalm. centesimo trigesimo secundo. & quãdo castra mouebantur, & arca, dicebat Moyses: Exurgat Deus, & dissipentur omnes inimici eius, quasi ad motum arcæ moueretur Deus, & sic putabant Gentiles, quòd in arca esset Deus Iudæorum, vt dixerunt Philisthin, quando arca Domini venit in castra, vt patet 1.Regum 4.cap. Et audierunt Philisthin vocem clamoris, & cognouerunt, quòd arca Domini venisset in castra, & timuerunt Philisthin dicentes, venit Deus in castra, & dixerunt, quis nos liberabit de manu istorum sublimium? Ad reuerentiam ergo Dei, qui in arca specialiter cæterisque vasis Sanctuarij erat, in castris per quæ transire debebat, nullas sordes reperiri decebat, & iste est conuenientissimus sensus.

C

Vt te eruat. Quando aliquis rectè colit Deum habendo se ad eum in magna reuerentia, & eum honorando quantũ potuerit, Deus magna bona ei confert tam spiritualia, quàm tẽporalia, & quia Iudæi existentes in deserto ibant ad terram Chanaan vt possiderent eam, & pugnaturi erant cum Gentibus multis, quas ipsi timebant, vt eijcerent eas de terra: maximum bonum quod ei euenire poterat, consistebat in in duobus, scilicet, quòd Deus eriperet eos ne traderentur in manus inimicorum, quos formidabant, & quòd subijceret eorum potestati hostes suos quos subijcere desiderabant. & ista duo notantur hic, cùm dicitur: *Vt eruat te.* Scilicet de potestate hostium. *Et tradat tibi inimicos.* Id est, & faciat eos tibi esse subiectos, vel det eos tibi, vt possis eos delere, sicut faciendũ erat habitantibus in terra quam Iudæi habituri erant. *Vt sint castra tua sancta.* Id est, ideo ista fiũt, vt castra filiorũ Israël sint sancta, id est munda ab omnibus inquinamentis. *Et nihil in eis appareat fœditatis.* Id est non appareat aliquid inquinatum in totis castris, per quæ arca cum Sanctuario transduci deberet. *Ne derelinquat te.* Id est ne Deus irascatur contra te, & dimittat tibi benefacere, sicut aliquando aliquis alterum à suo consortio deserit, quia eum immundum vel maculatum reddit aliqua in eo prauitas.

D

Non trades. Hic ponitur secundum de legalitate, & continet quatuor, scilicet de pietate ad seruum. Secundum de reuerentia ad Deum, ibi. *Non erit meretrix.* Tertium de compassione & misericordia ad pauperem proximum, ibi. *Non fœneraberis.* Quartum de fidelitate ad Deum, ibi. *Cùm votum voueris. Non trades seruum Domino suo.* Scilicet, quando dominus vult seruum indebitè affligere vel occidere, & patet quia subditur: *Qui ad te confugerit.* Solent enim serui à dominis fugere timore pœnarum, & tunc seruandi sunt. *Et habitabit tecum in loco qui ei placuerit.* Scilicet donec dominus eius sit placatus ab ira precibus aliorum, tunc eum reddent ei, quia pecunia eius est: nec fraudari debet. si enim seruus fugeret à domino nolẽs ei seruire apud quemcunque staret, reddendus erat domino suo. *Nec contristes eum.* Scilicet reducendo eum ad dominum suum. sed melius intelligitur litera ista de seruo, qui confugerit de gente aliena ad terram promissionis: quia etiam si dominus eius ibi inquireret eum, non erat ei reddendus. Et hoc erat in fauorem fidei: quia ille seruus habitans inter Iudæos conuerteretur ad cultum Dei. Et patet hoc, quia hic nõ loquitur ad vnum singulariter: sed ad totum Israël, quia dicitur: *Habitabit in vna vrbium tuarum.* Sed nullus habebat vrbes, nisi totus populus. ergo ad Israël dirigitur sermo, & ad eum seruus fugere dicebatur: sed non potest hoc intelligi de seruis Hebræorum, qui erant intra Israël: ideo non poterant cõfugere ad Israël, sed intelligitur de seruis qui erant extra terrã illam, & poterant confugere ad Israël.

De legalitate.

E

Non erit meretrix. Hic ponitur secundum de reuerentia ad Deum. magna irreuerentia est, quòd aliqua mulier sit publicè peccans, vel homo ad hoc incitans, vel defendens. & vocatur scortator qui scortum defendit, vel ad fornicandum illud exponit, & vtrunque abominabile est.

Scortator quid sibi velit secundùm Hebræos, & secundùm literam Caldæam.

QVÆSTIO V.

F

SECVNDVM aliquos Hebræos scortator dicitur, qui ad coitum Sodomiticum se exponit venale, & hoc valdè abominabile est, & patet hoc in litera Hebraica, quia dictio signans meretricem, & scortatorem passionem notat. & solùm videtur differre sexu. sed litera Caldaica dicit, quòd in hoc vetat matrimonium alicuius Iudæi cum aliqua muliere de alia gente, vel matrimonium Hebrææ cum viro alterius gentis. Et hoc induci posset secundùm intentionem literæ Caldaicæ sic, quòd quando aliquis de filijs Israël acciperet aliquam mulierem alterius gentis in vxorem, non esset matrimonium, sed fornicatio illicita valdè: quia tales personæ illegitimæ sunt, sicut nunc non possunt contrahere matrimonium Christiani cum Iudæis, aut Saracenis: maximè, quia adhuc ibi erat alia ratio specialis, scilicet ne ipsa mulier assumpta in matrimonium, virum suum peruerteret ad idolorum culturam: & filios inde genitos, qui apud matrem nutriuntur, mater erudiret ad cultum idolorum, ideo talis contractus matrimonij multum fuit vetitus, vt patet Exodi 34. & suprà 7.capite. mulier autem tunc scortum dicitur, cùm aliqua mulier de gente Hebræorum acciperet aliquem virum Gentilem manentem in Gentilitate, quia illud non esset tanquam matrimonium, sed tanquam fornicatio, vel adulterium, aut aliqua alia species mali, sicut si Christiana mulier acciperet in virum aliquem Saracenum, quia & hoc eodem modo vetitum est, suprà 7.cap. cùm dicitur: Non inibis cum

A eis fœdus, nec misereberis earum, nec sociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me: & vt magis seruiat dijs alienis: licebat tamen Iudæo accipere aliquam mulierem Gentilem in coniugem, ita quòd conuerteret eam ad ritum Hebraicum, sicut dicitur suprà 21. quando egrediebantur ad pugnam, & accipiebant aliquas mulieres virgines, si placebant in oculis eorum, obseruatis quibusdam cæremonijs, & pertransito modico tempore accipiebant eas in vxores. si tamen erant cognitæ à viris, non poterant accipi in coniuges à Iudæis, & ob hoc Dominus mandabat reseruari puellas virgines in bellis, quando pugnabant in hostes, qui non essent de terra Chanaan etiam cæteris mulieribus interfectis, scilicet vt de eis possent si vellent vxores capere. de hoc Numer. 31. cap. cùm agitur de bello Iudæorum contra Madianitas: dicitur ergo, Cunctos interficite quicquid est generis masculini, etiam paruulos, & mulieres quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem & omnes fœminas virgines reseruate vobis: si tamen fœmina nollet conuerti ad Hebraismum, non poterat eam accipere Iudæus in vxorem, & si acciperet non teneret eam: quia non poterat cohabitare ei sine contumelia creatoris, vt dicitur in capitibus duobus præallegatis. si tamen aliquis acciperet aliquam mulierem Gentilem captiuam in bello, vel eam pretio emisset quæ non esset cognita à viro, si Dominus vellet

B eam in vxorem accipere etiam nondum conuersa ea ad Iudaismum, & ipsa nollet relinquere deos patrum suorum, & conuerti ad Iudaismum, cogebatur ad hoc: quia sicut erat de seruo, ita erat de ancilla, cùm æqualem potestatem in vtrumque Dominus habeat: sed si aliquis esset seruus emptitius, cogebatur circuncidi, & obseruare ritus Iudaicos, vt patet Exodi duodecimo cap. cùm dicitur: Omnis seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet illud, id est Pascha, scilicet agnum immolatum. ergo ancilla compellebatur eodem modo obseruare ritus Iudaicos, & siue Dominus acciperet eam in vxorem, siue non, compellebatur seruare legem, sicut si à parentibus Hebræis genita foret. Sed aliquando aliqui viri Iudæi acceperunt aliquas vxores de Gentilibus manentibus in ritu Gentilitatis, & cultu deorum suorum: sicut patet de Chelion, & Maalon duobus filijs Elimelech & Noemi, qui acceperunt vxores Moabitas manentes in ritu Gentilitatis, scilicet Orphan, & Ruth: quod patet, quia mortuis istis viris cùm ambæ nurus comitarentur ipsam Noemi reuertentem in terram Israël, dixit ad eas Noemi, vt reuerterentur in terram suam, si tamen istæ conuersæ fuissent ad Iudaicum ritũ, non hortata fuisset eas Noemi, vt redirent in terram suam: quia ibi conuerterentur faciliter ad idololatriam: sed potius admoneret sequi eam, vt venirent in terram Israël, de his Ruth 1. capite. ergo istæ mulieres in ritu Gentilico cum viris suis manebant.

C Item patet, quia dicitur in eodem cap. ex verbis Noemi ad Ruth de alia nuru sua Orpha, ecce reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad deos patris sui. si tamen fuisset Hebræa non fuisset reuersa ad idola, vel si fuisset reuersa, quia fortè mala esset, nescire hoc Noemi, vel saltem nõ ita assertiuè diceret, ita enim loquitur, ac si clarissimè sciret eam reuerti ad cultum idolorum, quod non iudicaret sic asserendo, nisi ipsa ante semper in Gentilitate mansisset.

Item patet magis ibidem, quia cùm Ruth nollet discedere à Noemi socru sua, dixit: Quocunque perrexeris pergam, vbi morata fueris pariter morabor, populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus: ecce qualiter Ruth vult ibi, quòd ille qui erat Deus Noemi, scilicet Deus Hebræorum esset Deus eius, ex quo videtur quòd ante non erat ille Deus eius. ergo toto tempore ante in Gentilitate manserat: patet etiam de rege Salomone, qui accepit multas vxores alienigenas, scilicet Idumæas, Moabitidas, & Ammonitas, Hetheas, atque Sidonias, cæterarumque gentium, & istæ manebant in ritu Gentilitatis, & patet quia ipsæ idola colebant, & allexerunt Salomonem, vt idola coleret, vt patet 3. Regum cap. 11. cùm dicitur: Rex Salomon amauit mulieres alienigenas multas, filiam Pharaonis regis Ægypti, Moabitidas, Ammonitas, & Idumæas. & sequitur: Cumque esset senex Salomon, deprauatum est cor eius, nec erat rectum cum Deo, sicut cor Dauid patris sui, sed colebat Salomon Astartem deam Sidoniorum, & Moloch Deum Ammonitarum: tunc ædificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte qui est contra Ierusalem, & Moloch filiorum Ammon: atque in hunc fecit modum omnibus vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant dijs suis, sed hoc factum Salomonis non est trahendum in consequentiam, vt ex eo arguatur, quia Salomon fuit de pessimis viris, & valdè vituperatur in Scriptura, vt patet 3. Regum cap. 11. De alijs tamen duobus viris filijs Elimelech & Noemi, qui vt viri boni reputantur, quia Scriptura eos non redarguit, potest esse ratio quare non obseruauerint legem illam de non accipiendo vxores alienigenas, scilicet, quia ipsi fugerant tempore magnæ famis de terra Iuda in terram Moab, & erant iam magni viri, nec acceperant vxores in terra sua, & steterunt magno tempore in terra Moab, scilicet decem annis, vt patet Ruth primo capite, & quia non inueniebant ibi vxores de gente sua, quia fortè non ita citò se reuersuros credebant in terram suam, vt possent accipere vxores, acceperunt tamen eas de Moabitidis, vt patet Ruth primo capite. & sic ista videtur esse causa satis inducens, quia tempus generandi eorum quotidie transibat, si ipsi non ascenderent, vt acciperent vxores: aliàs autem si reperissent in terra illa Moab mulieres de gente sua, non acciperent de alienigenis, scilicet Moabitidis.

De mulieribus autem eodem modo dicendum est, quod aliqua mulier Hebræa non poterat accipere aliquem virum Gentilem manentem in Gentilitate, & si actualiter acciperet, puniretur, & tolleretur ab illo viro. poterat autem mulier Hebræa accipere in virum aliquem de Gentilibus conuersis ad Iudaismum, quia iam tenebat Iudaicum ritum, ita tamen quòd non esset ille vir de illis qui vetantur in lege, scilicet de filijs Moabitarum, & Ammonitarum conuersorum, quia isti non intrabant in sempiternum in Ecclesiam Dei, id est nunquam accipiebant vxores de Ecclesia, siue multitudine Hebræorum, vt patet suprà in litera: etiam non poterant accipere aliquem Ægyptium, aut Idumæum conuersum, nisi in tertia generatione, aut vltrà, vt patet suprà. & sicut si acciperet mulier Hebræa virum Gentilem, qui in Gentilitate maneret, non permitteretur stare cum ipso: ita si acciperet aliquem de istis conuersis, quos lex excludit simpliciter, vel vsque ad certas generationes cogeretur eum dimittere. Caldaica tamen litera hic quam introducebam, quæ intelligit literam hanc de Hebræo recipiente in vxorem aliquam Gentilem, & de muliere Hebræa recipiente in virum aliquem Gentilem, non conuenienter assignat quòd ista vocabula proprijssimè signant meretricem: ergo oportet literam istam intelligi de meretrice, & non de sic contrahentibus, quia licèt nuptiæ illicitæ sunt, tamen non vocantur meretricaliter agere: quia vt viri & conuenienter nubentes copulantur, ita quòd secundùm literam Hebraicam vtrunque istorum nominum passionem tam meretrix quàm scortator signat: non ergo est conueniens, quòd accipiantur hic pro his, qui licitè matrimonialiter non copulantur, cùm vir non se habeat isto modo, scilicet vt in tali acceptione vxorem sit patiens, ergo nõ loquitur de tali applicatione, sed de vxore & viro qui meretricaliter viuunt.

Litera Caldaica non stat.

Non offeres mercedem prostibuli. Irreuerentia Dei est, quòd de mercede pollutissima Deo aliquid offeratur. Si tamen meretrix aliquid aliundè licitè lucraretur, posset offerre, sed non reciperetur fortè propter indignitatem personæ, sicut nunc non recipiuntur oblationes excommunicatorum, & meretricum, ne in suis criminibus videantur approbari.

Nec pretium canis. Id est, pretium de conductione canis ad generandum: quia, vt ait Iosephus, & habetur in Scholastica historia, aliqui dabant venaticos ad imprægnandum caniculas, pro quo recipiebant certum pretium, & de illo non licebat offerre Deo, vt tale pretium erat: quia de turpitudine lucrum erat, & quantum ad hoc simile videtur de pretio dato pro equo vel asino emissario, qui mittitur ad equas vel asinas, vt fœcundet eas: quia æqualis causa est fœditatis: sed melius videretur hic dicendum, quòd prohiberetur redemptio canis, quia sicut in boue, capra, & oue, sanctificatur primogenitum, & in asino redimitur, & non sanctificatur, vt patet Exodi 13. capite. ita aliquis putaret, quòd in cane redi-

Pretiũ canis nõ stat.

redimendum esset pretio: ideo dicitur, quòd non offeretur pretium canis, id est pretium pro cane primogenito. Aliqui volunt, quod omnia animalia domestica quæ munda non erant, redimebantur quinque siclis, & dabantur sacerdotibus, sed hoc duas videtur continere falsitates. Prima, quia dicitur quòd omnia primogenita domestica animalium redimenda erant, & patet hoc, quia præter tria animalia munda, scilicet ouem, bouem, & capram, nihil mandauerat Dominus offerri, vel redimi, vt patet Exod. 13. Et omnes Iudæi, & Nicolaus volunt, quòd fuit specialis ratio in asino, quia multum iuuit filios Israël veniendo de Ægypto. Item quia cùm hoc sit cæremoniale, totaliter poni debet: quia ratione ista sciri non possunt, cùm à sola legislatoris voluntate dependeant, sed nõ ponitur ibi de alijs. ergo non est ratio quare intelligenda sint, & fortè ratio principalissima est: quia Deus solùm vult primogenita de animalibus quæ in Ægypto liberauit, occisis animalibus Ægyptiorum: sed non legitur eos ibi alia animalia habuisse nisi boues, oues, & capras, & asinos, vt satis colligitur in libro Exodi, ideo de istis solùm primogenitum offertur, vel redimitur: de Auibus autem non mandauit dare primogenita, quia non potest cognosci, quod sit primogenitum, cùm prius oua pariant, deinde fœtus incubando ouis forment: & non est aliquis ordo in generatione eorum, sicut in animalibus: quæ solùm semel producuntur. Secundum quia dicitur, quòd redimebatur primogenitum cuiuslibet animalis quinque siclis: hoc est valdè irrationale, quia pro primogenito hominis solùm dabantur quinque sicli, vt patet Num. 3. c. nullum autem animal homini æquari debebat.

Item quia magis valerent quinque sicli, quàm primogenita aliquorum animalium. Item quia pro asino dabatur vna ouis, quæ valeret vnum siclum tempore illo: eo quòd vnus aries valebat duos siclos, vt patet Leuit. 5. cap. non est verisimile, quòd pro primogenito cuiuslibet animalis daretur tantũ quantum pro tribus asinis, cùm asinus specialiter in litera ponatur, Exod. 13. cap. Et dicit Nicolaus quid faciendum esset de cane, quia non redimebatur, & respondet quòd videtur esse faciendum sicut de asino, scilicet quod decapitaretur si non redimeretur: sed non videtur multum, quia asinus decapitabatur, quia Deo tenebatur, cùm redemisset eum, siue eripuisset de percussione primogenitorum in Ægypto, & mandasset eum redimi in lege: ideo si non redimebatur, ita quod ouis loco eius immolaretur, ipse deberet sine sacrificio decapitari, non est autem sic de cane: quia canis non debet redimi, quia Deus vetat eum redimi: non est ergo aliqua causa, vel obligatio, propter quam debeat decapitari: datur ergo regula circa primogenita, quòd primogenitum bouis, ouis, caprę necessario offerri debeat: primogenitum asini necessario commutari, vel decapitari debet: primogenitum canis redimi prohibetur, primogenita aliorum domesticorum animalium nec prohibentur, nec mandantur offerri: sed cuilibet indifferens est quid facere vellet.

In domo Domini Dei tui. Id est in Sanctuario: quia quando aliquid offerendum erat, siue illud esset pecunia, siue animal, ferebatur ad Sanctuarium, vt ibidem à sacerdotibus reciperentur donata: nam licèt hæc quæ offerebantur, si pecuniæ essent, pertinerent ad sacerdotes, & nõ ad sumptus Sanctuarij præter id quod offerebat plus in die cœtus & collectæ, qui erat octauus dies in festo tabernaculorum, & tunc totus Israël dabat pecunias pro sumptibus sacrificiorum Sanctuarij. de his Num. 29. cap. tamen offerebantur omnia in Sanctuario, vt accepta essent Deo, & videretur, quòd hæc omnia quæ dabantur sacerdotibus, ob honorem & reuerentiam Dei dabantur. *Quicquid illud est quod voueris.* Id est quantumcunque si istud pretium quod voueris de canis mercede, & de mercede prostibuli. siue enim multum de hoc quisquam voueret, siue modicum, recipiendum non erat, vel aliter. *Quicquid est illud quod voueris.* Id est, si voueas vnum istorum, scilicet pretium canis, siue alterum, scilicet mercedem prostibuli, non dabis, & ad hoc conformatur litera sequens, scilicet: *Quia abominatio est vtrumque ad Dominum Deum tuum.* Id est, quodlibet istorum duorum detestatur, quia vile & sordidum est. Oblatio autem Dei munda debet esse, & de rebus mundis. quodlibet autem istorum offerendo, magna iniuria fiebat cultui diuino: nam offerre pretium meretricis erat duplex malum. Primum, quia de re vili, scil. de coitu merces dabatur, quo nihil vilius, quàm talia Deo attribuere. Deo autem contemptibilia & vilia danda non sunt, sed præcipua & cariora in nobis ipsis, & bonis nostris. Secundum malum erat, quia si tales oblationes acciperentur, videretur foueri in peccato offerens, quia opera eius quodammodo approbarentur, quod non decet, & non solùm ex parte sacerdotum recipientium, sed etiam ex parte eorum qui dabant. nam ipsi qui de meretricatu Deo offerrent, videntur innuere in hoc, quòd ille actus licitus sit, cùm putent velle Deum de tali actu mercedem recipere. In recipiendo autem pretium canis, scil. pretium quod dabatur pro cane imprægnante caniculas, licèt non esset accipere pretium de peccato, sicut accipere mercedem prostibuli in quo est actus illicitus, est tamen accipere mercedem de actu vili, & tollit hoc reuerentia Dei, cùm fieri debeat oblatio sua de rebus honorabilibus, vel si offerretur pretium canis, id est pro primogenito canis, non erat acceptandum, quia aliquid vile reputabatur canis, nec dignum venire inter animalia immolabilia, aut redemptibilia, & non dabatur decima de pretio canum, dato quòd aliquis nutriret canes pretiosos, & venderet, & inde magnum consequeretur lucrum, quia semper manebat, quòd hoc esset aliquid abominabile, magis tamen adhuc dicendum, quòd sit hic sensus non esse recipiendum pretium canis imprægnantis caniculas. *Non fœneraberis.* Hic ponitur tertium, scilicet de pietate ad pauperem proximum. *Ad vsuram.* Id est, vt soluat tibi aliquid pro vsu pecuniarum, sicut soluitur aliquid pro vsu equi, vel animalis alterius, vel domus.

Oblatio Dei munda esse debet.

Quare non est licitum aliquid accipi pro vsu pecuniarum, sicut licet accipi pro vsu aliarum rerum. Et de vsuris quæ fiunt in emendo, & vendendo. Et quibus poterant Hebræi dare ad vsuras, & quibus non.

QVÆSTIO VI.

SED dices, quare non est licitum accipere aliquid pro vsu pecuniæ, sicut pro vsu aliarum rerum licitè recipimus.

Et respondetur, quòd secundùm Philosophum 1. Ethic. bonum rei est in operatione rei. istæ autem res non sunt bonæ nobis secundùm scientiam suam, sed secundùm vsum earum, ideo bona vtilia dicuntur, id est res quarum bonitas in vsu est: vsus autem rei attenditur secundùm finem rei: ideo res diuersimodè applicantur ad vsum: quia quædam res habent duos vsus, aliæ habent vnum vsum: omnes enim res siue naturales, siue artificiales præter numisma duos vsus habent. numisma enim solùm vnum vsum habet, & patet de omnibus iumentis, quia habent vnum vsum, qui est iuuare hominem in portando aliquid, vt equus, asinus, mulus: habent secundum vsum qui est, quòd ipsa sint extrema commutabilia, inquantum attribuit eis homo pretij quantitatem secundùm varias necessitates: sic in pecoribus, armentis, frugibus, & fructibus. habent enim primum vsum, qui est sustentare necessarium per comestionem eorum, secundus est, quòd valeant ad commutationem, sic de domo, & alijs bonis vtilibus mobilibus, siue immobilibus, quia vtimur eis morando, vestiendo, & illa commutamus vendendo, vel locando. numisma autem solùm habet vnum, scilicet quòd sit medium commutationis, vt patet 5. Ethicorum. quia aliter commutationes semper fieri non poterant. cùm autem quælibet istarum rerum vsus suos habet, nihil illicitum sit, sicut nec ipsæ res de se illicitæ sunt: cùm autem aliqua plures vsus habere incipit, illicitè fit.

Pecunia enim est medium commutandi, in commutatione autem res simpliciter transit, & est iste vsus valere aliquid ad commutandum, & ista commutatio debet regulari secundùm iustitiam commutatiuam, ita quòd sit ibi æqualitas Arithmetica. cùm autem pecunia incipit habere alium vsum, scilicet, quòd non sit medium commutandi, sed quòd manens augeatur per vsum, sicut equus manens per vsum, lucrifacit aliquid domino suo, erramus, & in hoc illicitum facimus, quia vsum rei manentis applicamus rei, quæ habet ab institutione, vel fine suo, quòd per vsum transeat, & ideo abusus est, qui nunquam in aliqua re sine peccato est, & rectè vsura vocatur, quia actio rei per quam transit non proprijssimè vocatur vsus: actio

Pecunia est medium cõmutandi.

A autem quæ est manente re propriè vsus est: numisma autem cùm commutatur, transit: ideo nec vsus, nec vsura dicitur, cùm autem numisma manet, & ex tempore aliquid multiplicatur, vsura verissimè dicitur: sic autem in alijs rebus vsura committitur, cùm plures vsus quàm habent eis demus. habent enim singulæ res duos actus, cùm autem tres actus dederimus, illicitè agimus, vt si aliquis vendat equum, iste equus habebat duos actus, vel vsus, scilicet onera ferre, & esse medium commutationis. si autem præter hoc iste, qui vendit dat tertium vsum, scil. quòd iste equus simpliciter venditus valebat centum, & quia expectat pro pecunijs duos menses, recipit centum & viginti, vsura equi est. & potest hoc attendi dupliciter, quia aut ille qui vendit simpliciter, quia immediatè recipere debebat pecuniam, reputat se quasi tunc pecuniã recipere, & eam pro duobus mensibus commodare in quibus vult recipere.

Secundò pro vsu pecuniæ traditæ, & tunc vsura pecuniæ est. Si autem ille qui agit venditionem puram, in qua recipere deberet pecunias, reputat se quasi nõ facere venditionem puram vsque ad tempus solutæ pecuniæ, & pro vsu temporis intermedij vult recipere viginti, vsura equi est, & illicita est, quia contractus venditionis purè transiuit, ideo exinde res vendita in potestatem emptoris transibat quantum ad proprietatem & vsum: ideo venditor nihil pro vsu illius temporis recipere non posset, etiam si in æternum pretium rei non

B solueret, sed poterat agere aliàs venditor contra emptorem. cùm enim aliquis emens panem vel vinum, tradit pecuniam venditori antequam accipiat rem venditam: si ideo pro minori pretio datur, vsura pecuniæ est, quia emptor qui primò pretium tradit purè emendo, non reputat se quasi emere vsque ad tempus quo recipiat rem venditam: ideo pecuniam ante traditam reputat se quasi accommodatam dedisse: ideo pro vsu medij temporis vult recipere rem venditam pro minori valore, vt aliquid vltra recipiat, sed hoc illicitum est, quia contractus simpliciter factus fuit à principio, & pecu-

Grauius est vsurã cõmittere in emẽdo & vendendo, quã in accõmodando. nia pro re vendita tradita fuit, & ex hoc patet, quòd grauius est vsuram committere in emendo & vendendo, quàm in accommodando: quia dato, quòd liceret recipere vsuram per accommodationem pecuniæ, tamen non liceret in venditione, quia venditio purè fit. ideo pretium purè transit, ita quòd propter illud pretium non sit obligatus venditor emptori, nisi ad dandum rem venditam: ideo qui aliquid vltra extorqueret non per vsuram propriè, sed per fraudem tollit: secùs tamen si venditione purè facta venditor non traderet rem venditam immediatè, & vellet recipere pecunias, & tunc emptor daret omnes pecunias, & diceret: Ego do tibi istas pecunias non quidem pro re vendita, quia nondum das eam mihi, sed accommodo tibi sub vsuris, vsque ad tempus quo dederis rem venditam: si isto modo acciperet vẽditor, benè reciperetur sine præiudicio puri contractus, dato quòd vsuras

C ex accommodatione recipere liceret.

Non fœneraberis fratri tuo ad vsuram. Aliqui putant hic esse conculcationem vocabulorum, cùm dicatur fœnerari ad vsuram: cùm fœnerari hoc importet simul: sed falsum est, quia fœnerari solùm importat mutuare, vel commodare: ideo tantùm est non fœneraberis ad vsuram, sicut si dicatur non commodabis, aut mutuabis sub vsuris, sic patet suprà 15. cap. cùm dicitur: Fœneraberis gentibus multis, & à nullo mutuum accipies: accipitur ibi fœnerari pro accommodare, vt ibidem declaratum est, scilicet si feceris ea quæ Deus mandat miserendo pauperum Deus dabit tibi tãta bona vt fœnerari possis, id est accommodare multis gentibus, & nõ egeas vt quisquam tibi commodet.

Fratri tuo. Hic loquitur ad totum Israël, scilicet ad quemlibet de Israël, & omnes descendentes ab vtroque parente, vel saltem à patre de genere Iacob, vocantur inter se fratres. & de istis erat constitutum hoc, scil. vt nullus eorum posset alteri eorum quicquam ad vsuram tribuere, cuius causa erat, vt pauperes non destruerentur, imò cogebantur alij dare eis, & accommodare, quando indigerent, & si possent soluere, darent commodatum: si autem non possent soluere, concederent gratis donando, vt patet suprà 15. cap. & in septimo anno remissionis, si nondum soluissent debita, remittebantur, quia annus remissionis est: alieni autem erant omnes, qui non erant fratres, quod patet hic ex modo loquendi textus, cùm dicitur: Non fœneraberis fratri tuo ad vsuram pecuniam, ac quamlibet alteram rem, sed alieno: ex quo innuitur, quòd omnis homo aut esset frater, aut alienus: vel daretur, quòd non esset sufficiens diuisio. etiam sequeretur quòd aliqui essent, à quibus non prohiberentur accipi vsuras, & tamen permitteretur accipi eas: patet, quia à fratribus vsuras accipi vetat, & ab alienis accipi permittit: sed alij sunt, qui non sunt fratres, nec alieni, ergo non licet ab eis accipi pecunias: nec tamen vetantur accipi, & hoc inconueniens est: illi autem qui de Gentilitate ad Iudaismum conuersi erant, non erant fratres: quia non sunt de genere Iacob, ergo vocabantur alieni, quòd autem non sint fratres, patet: quia suprà 15. cap. soli Iudæi ex genere vocantur inter se fratres, cùm dicitur: Cùm tibi venditus fuerit Iudæus, aut Iudæa, qui est frater tuus, & magis patet Leuit. 25. cap. cùm dicitur, quòd habeant seruos de gentibus quæ in circuitu eorum sunt, & de conuersis ad Iudaismum, & filijs conuersorum. & sequitur: filios autem Israël fratres ne opprimatis per potentiam, & in alijs locis multa sunt in hunc modum: est ergo sensus, quòd Iudæi ex genere non possent dare aliquid ad vsuram inter seipsos: sed poterant dare alienis, scilicet Gentilibus manentibus in Gentilitate, vel conuersis ad Iudaismum: sed falsum est, quia tunc necesse esset dari, quòd conuersi ad Iudaismum de Gentilibus vocarentur fratres Hebræorum, quod nunquã reperitur in Scriptura: sed semper vocantur alienigenæ, &

D aduenæ, vel peregrini, aut proselyti, vt patet sæpissimè in isto libro, & in libro Numerorum, & Leuitici, atque Exod. & non est inconueniens, quòd permittatur Iudæis ex genere vsuras accipere ab eis, qui conuersi erant ad Iudaismum: cùm alia maiora permitterentur Iudæis contra conuersos, scilicet quod facerent eos seruos in æternum, quod non poterant facere de alijs Hebræis qui in anno septimo remittebantur, cùm dicitur Leuit. vigesimoquinto cap. Seruus & ancilla sint vobis de Gentibus, quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis in famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum: fratres autem vestros filios Israël non opprimatis per potentiam. etiam fiebat aliud contra conuersos, quia quando aliquis Iudæus commodauerat quicquam alteri Iudæo, si non soluisset in annis sex, scilicet ante annum remissionis, in anno septimo remittebatur, vt patet suprà 15. cap. si tamen Iudæus aliquid accommodasset alicui conuerso, poterat illud petere in æternum, quandocunque vellet, non obstante anno remissionis elapso, cùm dicitur: Septimo anno facies remissionem, qua

E hoc ordine celebrabitur, cui debetur aliquid ab amico proximo ac fratre suo repetere non poterit: quia annus remissionis est Domini: à peregrino & aduena exiges, ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem. ecce dicitur ibi, quòd ab aduena & peregrino peti poterat: sed conuersi vocantur aduenæ & peregrini: ergo ab ipsis poterat peti.

F Alia etiam in hunc modum permittebantur facere Iudæi contra conuersos: sic ergo permittebantur eis dare ad vsurã, & est fundamentum huius permissionis propter eos: nam Iudæis ad duritiam cordis eorum permissæ fuerunt vsuræ, sicut libellus repudij, quia si sic lucrari non possent, non accõmodarent, aut furarentur: sed si Iudæi non possent accipere vsuras à conuersis, & de filijs eorum, solùm possent accipere à gẽtilibus: sed cum Gentilibus modica aut nulla communicatio erat eis, immò interdicta erat communicatio eis, ne verterentur ad idololatriam, vt patet Exod. 34. cap. & suprà 7. cap: ergo tantum erat dici, quòd possent dare ad vsuras extraneis, scilicet Gentilibus solis, sicut quòd nullo modo darent ad vsuras, ergo oportet quòd permitteretur eis dare ad vsurã conuersis ad Iudaismum, ne frustrà ponatur ista lex. sicut autem Iudæi conuersis ad vsuram dare poterant, ita conuersi dabãt Iudæis, siue pauperibus, siue diuitibus ad vsuram, & hoc vt non daretur causa magnæ inuidiæ & seruitutis, & impediretur conuersio Gentilium ad fidem Iudæorum, nec aliquo modo faciebant isti conuersi contra istam legem. & hoc propter duo.

Primò, quia ista lex dabatur Israëlitis, vt darent vel non darent ad vsuras, & non dabatur alienigenis, ergo non tenebantur ad illam, sicut Ægyptij vel Palæstini, qui eo tempore

erant

A erant quando iſta lex dabatur, non peccabant non obſeruãtes talem legem, licèt conſtaret eis eſſe datam, quia non dabatur eis, nec obligabantur aliquo modo.

Secundò, quia lex dicit, Non fœneraberis fratri tuo ad vſuram, ſed Iudæi non erant fratres conuerſorum, ergo poterant eis fœnerari. nam ſicut conuerſi non erant fratres Hebræorum, ita nec Hebræi erant fratres conuerſorum, quia iſta ſunt relatiua quæ fundantur ſuper vnum, ſiue ſunt relatiua æquiparantiæ.

Item patet hoc ex ſimili. nam ſicut Iudæi accipiebant conuerſos in ſeruos iure perpetuo, per quem modum non poterant accipere alios fratres ſuos, id eſt filios Iacob, vt patet Leuit. 25. cap. & ſuprà dictum eſt. ita conuerſi accipiebant ſeruos de Hebræis, qui non ſoluebantur à ſeruitute eo modo quo ſoluerentur, ſi eſſent ſerui aliorum Hebræorum. nam ſi eſſent ſerui aliorum Hebræorum, in ſeptimo anno ſoluerentur, vt patet Exodi 21. & Leuit. 25. & ſuprà 15. ſi tamen aliquis conuerſus emeret aliquem Iudæum in ſeruum, non ſoluebatur, niſi ſeipſum redimeret dando pretium quod pro eo datum fuerat, computato tempore ſeruitij vſque ad Iubileum, ſcil. ad annum quinquageſimũ, vt patet Leuit. 25. ergo eodẽ modo de vſuris dicendum erit. Et non ſolùm poterant conuerſi dare ad vſuram Iudæis, ſed etiam poterant dare ad vſuram inter ſeipſos: nam nullus obligatur aliqua lege poſitiua, niſi ille, cui datur illa lex, ſed lex iſta de vſuris accipiendis, vel
B non accipiendis datur Iſraëlitis, cùm ad eos dirigantur iſtæ leges, ergo non tenebuntur alij. ſed ſicut iſti Gentiles ſi manſiſſent in Gentilitate, non tenebantur ad iſtam legem, quia non dabatur eis, ita poſtea, quia non data fuit eis, ſed Iſraëlitis, non tenentur ad eius obligationem. niſi fortè dicamus vſuras eſſe contra ius naturale, & tunc omnes homines ſine aliqua lege ſcripta facere debent ſecundùm iſtam legem, quia vt ait Apoſtolus ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ ſunt legis faciunt. de quo alia eſt inquiſitio. *Sed alieno.* Permittebat eis Deus dare ad vſuram extraneis, licèt malum eſſet, vt non darent ad vſuram Iudæis, & hoc erat ad duritiam cordis eorum.

Quare Iudæi erant duri corde. Et propter id quædam ſunt eis permiſſa.

QVÆSTIO VII.

DICITVR durus corde, qui paſſiones indomitas habet. ſic Iudæi quantum ad omnem paſſionem erant duri corde, in concupiſcibili erant duri corde: ideo permiſit accipere vxores de alienis, ne eas in concubinas acciperent, quod deterius erat, vt diximus ſuprà 21. capite. erant duri corde in iraſcibili: ideo permiſſum fuit eis repudiare vxores, ne eas occiderent, vt patet capite ſequenti, & Matth. 19. erant duri corde in auaritia: ideo permiſſum fuit eis lucrari vſuras cum extraneis, ne lucrarentur cum ſuis contribulibus, vt patet hic.

C *Pecuniam nec fruges.* In pecunia committitur vſura, vt ſuprà declaratum fuit, quia attribuitur ei vſus qui cõtra naturã ſuam, ſcilicet contra intentionem inſtitutionis eius: nam pecunia ſolùm inuenta eſt, vt eſſet medium commutandi, vt patet 5. Ethic. cùm autem aliquis pro vſu pecuniæ accipit pretium, conſtituit pecuniam non tanquam medium commutationis, ſed tanquam alterum extremum commutabile, & hoc videtur eſſe contra intentionem pecuniæ, ſcilicet ad quę inſtituta eſt.

Quid ſit quod propriè cõſtituit vſuram in pecuniis et frugibus.

Nec fruges. Dantur etiam fruges ad pecuniam, quando vltrà vſus naturales quos habent, datur eis à nobis aliquis alius vſus. habent enim fruges & omnes cibi duos vſus. Primus vſus eſt, vt ſumantur in cibum ad ſuſtentationem naturæ, & iſte ſine vllo peccato eſt.

Secundus vſus eſt, vt ſint extremum commutabile, ſecundùm quod reperitur in eis ratio valoris, non quidem ex ſola voluntate noſtra, ſed ex indigentia, quæ imponit naturaliter pretium rebus efficienter, vt patet 5. Ethic. ſcilicet, quòd ſecũdùm quod res magis aut minus neceſſariæ ſunt, magis aut minus de pretio habent: ſi autem ſuper iſtos vſus alium tertium habere velimus, erit vſura, vt ſi pro expectatione pecuniarum erogatis frugibus venditis detur maius pretium, quã aliàs dari debebat: licèt in hoc aliquando vocatur vſura frugum, aliquando vſura pecuniarum, quod dependet ex voluntate accipientis, ſicut ſuprà diſtinguebatur inter hæc. D

Aut quamlibet aliam rem. Quęcunq; enim res ſit ſiue naturalis, ſiue artificialis, præter numiſma duos vſus habet: cùm ergo illi duo dãtur ei, licitè vtimur ea, cùm autem datur aliquis alius, iam exceditur natura rei, & peccatur, & ſic diſtinxit hic litera tria, ſcil. pecuniam quę vnicum habet vſum, & cùm dãtur ei duo, peccatur & committitur vſura, & fruges quæ ſunt ſecundum per quas intelliguntur res naturales quæ omnes duos vſus habent, & erratur cùm dantur eis tres. Tertium eſt res artificialis, quæ etiã habet duos vſus, & hæc ſignatur cùm dicitur, & quamlibet aliam rem. *Sed alieno.* Scilicet Gẽtili, aut conuerſo de gentilitate, aut filijs conuerſorum de gentilitate, licèt in Iudaiſmo nati ſint: quia ſequuntur legem paternã, vt patet Leuit. 25. cap. quia ita fiunt ſerui in perpetuum, ſicut ipſi patres. *Fratri autem tuo.* Scilicet Hebręo ex genere de quacunq; tribu ſit, licèt magis tenerentur contribulibus, quàm non contribulibus, & magis cognatis, quàm non cognatis, & ſic ſecundùm gradum maioris attinentiæ. *Abſque vſura id quo indiget commodabis.* Non ſolùm pauperi, ſed etiam diuiti: quia interdum ſi alicui diuiti non commodentur aliqua, cogetur pati magnam rerum ſuarum iacturam: magis tamen ſubuenire pauperibus, quàm diuitibus ratio naturalis inſinuat, & non ſolùm commodabant, ſed etiam ſi poſtea ſoluere nõ poterat, remittebant eidem: quia Deus mandauerat, vt Iudæi facerẽt, ne eſſet aliquis omnino pauper & mendicus inter eos, vt patet ſuprà 15. cap. E

Vt benedicat tibi Dominus. Id eſt, vt multiplicet te in bonis temporalibus, & ſpiritualibus. Benedictio namque ſignat multiplicationem, vt colligitur ſuprà 7. cap. & infrà 28. cap. & patet clarius ſecunda ad Corinthios cap. 9. cùm dicitur: & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic vt benedictionem, & non quaſi auaritiam. hæc autem dico, qui parcè ſeminat, parcè metet: qui in benedictionibus ſeminat, in benedictionibus & metet, & ſic diſtinguitur ibi benedictio contra auarum vel parcum: quamobrem neceſſe erit accipi pro abundantia, ſiue multiplicatione. *In omni tempore.* Semper proſperant tribuendo. *In terra ad quam ingrederis.* Id eſt Deus faciat tibi ſemper bonum in terra Chanaan ad quam vadis, & dicitur: *Vt benedicat tibi Dominus.* Quia propter amorem eius accommodas gratis proximo.

Benedictio quid importet.

Cùm votum voueris. Hic ponitur quartum, ſcil. ad Deum fidelitas, quæ attenditur dando promiſſa. *Non tardabis reddere.* Quia magis à Deo acceptatur cùm citò, quàm cùm ſero redditur: ſic eſt de donis, quia

De fidelitate ad Deũ quòd ad promiſſa.

Gratius eſt donum quod datur ante preces.

Et:

Qui citò dat bis dat, retrahit qui munera tardat.

Iſta fundantur in voluntatis intentione, tunc enim actus bonus magis meritorius eſt, quando magis voluntarius eſt: voluntas autem magna demonſtratur in eo, qui citò ſoluit promiſſa. *Et ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Quia ex die quo aliquis vouet rem, ſi abſentem voueat habita opportunitate, & alijs circunſtantijs conſideratis ſecundùm rectam rationem, tunc ſoluere obligatur, & ſi non ſoluat, incipit eſſe negligens, & cùm magis tardauerit maius peccatũ reputabitur: & grauius eſt dilatare tempus in voto perſonæ, quàm in voto rei: votum perſonæ propriè dicitur, quando aliquis ſe totum vouet, & hoc eſt vouendo quòd aliquem ſtatum viuendi ſtrictiorem aſſumet, vt profeſſionem alicuius religionis, & ſi aliquis tale votum ſine limitatione temporis factum complere differt, valdè errat: quia tantũ diuino cultui ſubtrahit, quanta eſſent bona, q̃ agere poſſet: & deberet ſecundùm regulam religionis ſuprà bona quæ in ſeculo agit, & in tantum periculoſa eſt iſta cunctatio, quòd aliqui de die in diem completionem differẽtes morte præueniente complere nequiuerunt, quod in grauiſſimum eis cedit peccatum. *Si nolueris polliceri abſq; peccato eris.* Hic probat, quòd melius eſt non polliceri, quàm pollicita non complere, quia non vouere peccatum non eſt, cùm votum ſit de non debito, qui autẽ vouit iam obligatus eſt, ideo peccat cùm habita opportunitate non reddit. *Cùm votum voueris.* Improprius modus loquendi eſt, quia iſtud verbum vouere importat vtrunque, ſicut ſi quis dicat, iſte eſt cæcus viſu, quia tunc ille ablatiuus F

A ponitur ex ſuperabundanti: ſed quia eſt regula, quòd ſi vna dictio ſignificet id quod ſignificant duæ dictiones, & cõiungantur vni earum, quarum ſignificatum gerit, ſolùm ſignificabit id quod altera, vt cæcus ſignificat carentem viſu: ſi autẽ dicatur iſte eſt cæcus viſu, ſolùm ſtabit cæcus pro carente, ſic ait Doctrinalis auctor in c. conſtructionis.

Æquiualens geminis dictio ſi iungitur vni,
Hanc ſolam ſignat cæcum dic viſu carentem.

Sic eſt hic, quia licèt vouere ſignet facere votum, quia tamen ponitur hic vouere votum, ſolùm ponitur vouere pro facere, ſcil. cùm votum voueris, id eſt cùm votum feceris.

Vouere quid ſit & quãdo votum ſolvendũ.

Domino Deo tuo. Quia nulli alteri Deo vouere licebat. nam vouere eſt actus latriæ, quæ nulli alio quàm Deo attribuenda eſt: ad deos autem extraneos nullam reuerentiam habere debebant Iudæi, ſed eos totaliter deteſtari tanquam immunditiam, vt patet ſuprà 7. cap. etiam votum nulli homini faciendum eſt. poſſumus enim hominibus promittere aliqua quæ propter eos faciamus: vouere tamen eis non poſſumus, quia vouere eſt attribuere quandam reuerentiam, quæ ſoli Deo conuenit, ſcilicet promittere aliquid alicui, quia Deus eſt, ad honorem eius: ſi ergo aliquis alicui homini aliquid voueret, diceret illum hominem eſſe Deum, & propter eius diuinum honorem talia faceret.

Non tardabis reddere. Tardare in reddendo, quandam dicit negligentiam, quæ circa maximas res ſicut circa Deum peccatum eſt: nam cum omni reuerẽtia circa talia eſt habendum B & non negligenter, & ſollicitos nos oportet eſſe in ſeruitio Dei noſtri, ne aliquid deſit: cùm nos ex nobis multum deficientes ſumus, & hoc eſt quod maximè diligit Deus, vt patet Michææ capite 6. cùm dicitur: Quid dignum offeram Domino curuare genu Deo excelſo, nunquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus quærat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo: iſta autem ſollicitudo in cultu Dei noſtri tanta debet eſſe, vt tremamus coram eo, ne quid deſit cultui eius, quod nos implere poſſimus: ſemper ergo coram eo timendum, & tremendum eſt, ſicut patet Pſalmo ſecundo, cùm dicitur: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. quòd ergo aliquis in his quæ ad Deum ſunt, negligenter ſe habeat, eſt non exiſtimare Deum tantæ bonitatis, ſicut eſt: quod magnum peccatum eſt, nam coram magnis dominis in ſeruiendo diligentes ſumus propter eorum reuerentiam: omnis autem tardans votum reddere cùm poſſit, Dominum negligit: quia aut putat illud votum nil fuiſſe, & Deum non attendere iſta, quod error magnus eſt tanquam ea quæ ad Deum loquimur ridicula ſint, C aut non reputat Deum tantæ dignitatis, reuerentiæ, aut poteſtatis, vt propter eum in ſoluendo promiſſa feſtinare debeat, & hoc rurſus deteſtabile eſt: eſt tamen differentia, quia aut in vouente eſt limitatum tempus ſolutionis, aut non. ſi autem ſit limitatum tempus ſolutionis, oportet tunc ſolui promiſſum, alioquin peccatum eſt, ſi ſit in poteſtate noſtra completio promiſſorum. nam etiam ſi alicui homini aliquid promittamus, ſiue iurando, ſiue non iurando, in quo nunquam eſt votum, & hoc ſit limitatum tempus, ſcilicet ſoluere poſſumus, & nolimus peccatum eſt: quando magis in Deo ad quem ſpecialiſſima reuerentia haberi debet? ſi autem non ſit ſtatutum tempus, licèt in alijs hominibus promiſſa complere differamus, peccatum non eſt, in Deo autem quem cum ſumma reuerentia colere nos oportet, graue delictum eſt.

Quia requirit Dominus Deus tuus. Id eſt non putes, quòd Deus non curet de promiſſis noſtris: nam licèt bonorum noſtrorum non egeat, vt patet Pſalm. 15. ſi tamen aliquid vouemus, & non complemus, multum ad hoc reſpicit: non quidem quaſi promiſſis noſtris egens: ſed quia ſi non reddimus, eum contemnimus, & ſit nobis in peccatum. requirit ergo Deus iſta, ſcilicet attendens vtrùm promiſſa ſoluerimus, vel non, & non reddentes punit.

Et ſi moratus fueris. Mora ſua cuilibet eſt nociua, etiam ſecundùm iura humana: ideo ſi aliquis recipiens aliquam rem commodatam reſtituat eam domino ſuo, ſcil. commodatori ſine vlla mora, dato quòd res damnificetur fortuito caſu, nõ tenetur commodatarius, ſcilicet qui rem commodatam recepit: ſi tamen fuit in mora reddendi, tenetur de caſu fortuito propter moram: eodem modo in depoſitario: ſi depoſitarius, id eſt ille apud quem res cuſtodienda depoſita eſt, fuit in mora reddendi depoſitum, & eueniant aliqui caſus fortuiti, tenebitur de caſibus fortuitis, vt patet extr. de depoſito, cap. bona fides. eodem modo mora apud Deum nobis nociua eſt, cùm ſumus in mora reddendi, id quod promiſimus: ſed aliquis conſtituitur in mora dupliciter, quia aut limitauit tempus ſolutionis voti, aut non: ſi autem taxauit tempus, lapſu termini conſtituitur in mora, & iam peccat: & Deus requiret ab eo: ſi autem non limitauit tempus ad ſoluendum, intelligitur quàm citius commodè id ſoluere poſſit: cùm ergo aliquis habens opportunitatem ſoluendi promiſſum Deo non ſoluit, conſtituitur in mora: licèt iſta mora non ſit interpretanda ſtrictiſſimè: ſtrictius tamen conſtituitur aliquis in mora circa Deum quàm circa homines: cuius ratio eſt: quia maiorem reuerentiam obſeruare tenemur ad Deum, quàm ad homines, & magis laborare, vt compleamus promiſſa ad eum, quàm cæteros.

Reputabitur tibi in peccatum. Id eſt, Deus iudicabit hoc tanquam peccatum, puniens te pro iſta mora, quæ eſt peccatum omiſſionis: ſicut pro aliquo alio peccato commiſſionis.

Si nolueris polliceri. Eſt polliceri Deo actus latriæ, cùm in honorem eius aliquid agimus, promittentes nos tale, aut tale facturos. Et eſt hic duplex bonum. Primum, quia aliquid propter Deum aliquid facimus. Secundò, quia totam noſtram voluntatem ei per votum ſubijcimus: nam qui liberè agit Deo actum ſuum tribuit, ſibi autem voluntatem reſeruat: qui autem vouet, & agit Deo actum ſuum & totam voluntatem donat nihil ſibi prorſus reſeruans. Et iſta eſt cauſa quare magis merentur illi qui agunt aliquid ex voto quàm ſi ſine voto agant: quia magis meretur qui plura Deo tribuit: plus autem eſt totam voluntatem ſubijcere, & omni tempore quàm pauco tempore, vel nullo modo, ſed actum ſolũ dare. multum ergo merentur vouentes. Si tamen aliquis non vouet, non propter hoc malè agit: qui tamen vouet & non complet, malè agit cùm deſtruit bonum, quod à principio egit.

Agẽtes aliquid ex voto, quare magis merentur quã ſine voto

Quod autem egreſſum eſt ſemel de labijs tuis obſeruabis. Non oportet quòd egrediatur de labijs: quia etiam ſi aliquis ore non protulerit, dum tamen corde deliberauerit, obligatus eſt ad tenendum votum. nam ſicut egreſſio de ore facit verbum vocale, ita determinatio interior facit verbum mentale.

Egreſſum eſt ſemel. Dicitur ſemel ad notandum, quòd non ſit idem votum multoties: nam poſtquam aliquis ſemel mente aliquid determinauit, ſiue verbo protulerit, ſiue non, quia determinatum eſt, retractari non poteſt, ad hoc quòd iterum fiat: ideo ſemel tantùm idem votum fit, ita tamen quòd determinatè fiat, ſcil. cum plena deliberatione: nam ſi quis ſubito ex paſſione in verba prorumpens aliquid vouiſſet, quia non potuit habere animum ſe obligandi, cùm non habuerit voluntatem ad aliquid, quia determinata non fuit.

Et facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo. Nihil mutans de ipſa re promiſſa, aut de actu, & conditionibus, atque qualitatibus rei, cum quibus promiſſio facta eſt.

Et propria voluntate. Quaſi dicat non coactus: nam ſi quis cogeret quemquam ad vouendum inferens pœnas, aut pœnarum iuſtos metus, votum factum nullum eſt ex defectu cõ ſenſus, cùm conſenſus per violentiam compleri non poſſit, ſcil. ſi metus vel coactio intercedit, vt patet extr. de ſponſal. c. cum locum.

Et ore tuo locutus es. Hoc non eſt de eſſentia voti, ſed de ſolennitate: nam Deus qui ſcrutatur intima cordium, ita videt, cùm in ſecreto cordis noſtri conſentimus, & totaliter deliberamus, atque vouemus aliquid agere, ſicut ſi publicè clamaremus: nihil enim minus corda ei quàm voces patent: nec corda minus quàm voces manifeſta ſunt: eſt tamen maior culpa cùm quis votum ſolenne infringit, quàm cùm infringit non ſolenne: quia circumſtantia notorietatis aggrauat peccatum: videtur namque DEVS in facie

con-

contemni, cum votum factum ei coram omnibus infringitur: si autem votum secrete factum infringatur, eum occulte contemnimus: quod non ita damnabile est.

Degrata communicatione: quoad fructus terræ.

Ingressus vineam proximi tui. Hic ponitur de grata communicatione, ita quod vnus non doleat, si alius modicum de bonis eius accipiat. *Ingressus vineam:* Idem est de segetibus: quia potest quilibet intrare & accipere spicas, & defricare, vt comedat, & patet quia discipuli Christi hoc fecerunt, vt patet Matth. 12. cap. scilicet, vellebant spicas, & comedebant: & si dicas quod hoc fecerunt cogente fame non nego: sed ecce sine coactione facere poterant. Et patet ex argumento Pharisæorum qui solum arguerunt de violatione sabbati dicentes, ecce discipuli tui faciunt, quæ non licet facere sabbatis: si autem illicitum fuisset eas simpliciter accipere, Pharisæi etiam de hoc arguissent: quia non constabat eis vtrum ex necessitate fecissent.

Comedes vuas. Dicit Rabbi Salomon quod hoc intelligitur de eo qui intrat ad faciendum aliquid in vinea: non autem de eo qui solum vult comedere: quia hoc non licet. Sed non videtur hoc, quia de laborantibus manifestum est: cum enim non debeat claudi os boui trituranti, vt patet infra 25. cap. & 1. Corinth. 9. ca. quanto magis homini laboranti? sed hic intelligitur de quocunque intrante in vineam: quia Deus intendebat inter eos amicabilem communicationem inducere, vt non tristarentur cum proximi sui aliquod bonum paruum de suis acciperent.

Foras autem ne efferas tecum. Et ratio est, quia si aliquis solum comedat in vinea, non multum damnificat, quia paucis satiabitur: si autem efferre posset, multum destrueret.

Si intraueris segetem. Posuit regulam de vineis, posuit hic regulam de segetibus: quia eadem ratio est in vtroque: nam sicut paucas vuas comedendo de vinea alicuius non damnificatur Dominus vineæ, ita paucas spicas accipiendo, & terendo, vel confricando. Et non solum in istis licebat sed etiam in cæteris arboribus modicum de fructibus accipiendo, ponuntur tamen ista duo: quia ista communiora sunt vbiq;: etiam quia ista promptiora sunt ad lædendum quam arbores quæ sunt in hortis: nam arbores vt cõmuniter in hortis sunt, sub clausura: quæcunq; autem sub clausura sunt, talia sunt à quibus multum obseruari oportet: quia solum frãgere ostia, aut clausuram peccatum magnum est, & intrare non per locum debitum: sic enim dicit Christus Ioan. 10. cap. cum dicitur amen dico vobis qui non intrat per ostium in ouile, ille fur est & latro, vineę autem & segetes non sunt sub clausuris: ideo fas est cuilibet accedere ad vineam, vel segetem alterius, & accipere inde aliquid. Item quia ista de vuis & segetibus tollunt à quolibet, quia modicum aut nihil damnificat propter maximam horum abundantiam: sed fructus hortorum non sunt ita abundantes sicut vuæ & segetes: ideo de his non explicuit tanquam nõ totaliter vellet quod in omnibus fructibus sic fieret: nam si de fructibus sint copiæ abundantes ad modum frugum & vuarum, non læderetur magis Dominus hortorum cum acciperetur de fructibus horum, quam cum acciperetur de frugibus & vuis. Si autem aliqua vinea esset sub clausura sicut hortus, nõ esset licitum accipi de fructibus eius sicut nec de hortis cum clausura prohibeat. *Amici tui.* Ponitur hic amicus pro quolibet pacifico, scilicet, cui bene loquimur etiam si nihil in corde teneamus. Et isto modo omnes ciues ciuitatis alicuius sunt amici: quia debẽt omnes esse pacifici nihil inuicem repugnantes, & sic est quod amici sunt, dato quod non colloquantur, vel alia opera simul faciant: & non accipitur amicus proprie: quia tunc non deberet poni de eis ista lex, cum inter amicos non oporteat esse legem: quia amor est sibi ipsi lex, vt ait Seneca tragœdia prima quæ intitulatur Hercules furens carmine 4. & Boetius de consolat. libr. 3. metro vltimo, scilicet, felix qui potuit, & hoc quia communia sunt quæ amicorum vt ait Aristot. 8. Ethic. cũ & ipsi amici duo vnũ sint, vt patet per Arist. 9. Ethic. cum dicitur amicus est alter ipse: accipitur ergo amicus pro omni homine qui est de Iudaismo: sicut accipiebatur large istud nomen fratres pro omnibus qui sunt de genere Iacob: & tũc necessaria erat lex: quia non extẽdebatur charitas Iudæorum ad omnes, & vetarent omnem ingredientem: ideo mandatum fuit quod neminẽ vetarent. *Franges spicas.* Carpendo eas à calamis siue culmis suis: nam cum spica & culmus continua sint, & spica abscinditur à culmo, frangi dicuntur spicæ. *Et manu cõteres.* Excutiendo grana vt ad comedendum apta sint. *Falcem autẽ non mittes.* Id est, cũ omnia ista feceris non poteris adhuc falcem mittere in segetem, cuius ratio est: quia frangendo spicas de manu & conterendo, modicũ grauatur Dominus: si autem segetes metantur, consumentur velociter.

Caput XXIV.

Si acceperit homo vxorem & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu illius: & dimittet eam de domo sua. Matt. 5 & 19. Mar. 10

Si acceperit. Dicto de legalitate circa quasdam personas non coniunctas, hic agitur de legalitate circa coniunctam, scilicet, circa vxorem. Et tanguntur duo principaliter. Primo de legalitate ad vxorem. Secundo de legalitate ad alias quasdam res ibi. *Si deprehensus.* Et prima in tres partes. Primo de separatione viri ab vxore. Secundo de eorum cohabitatione ibi. *Cum acceperit homo.* Tertio de supellectilis ordinatione ibi. *Non accipies. Si acceperit homo vxorem & habuerit eam: & non inuenerit gratiam in oculis eius.* Id est, quod vir eam odio habet. *Propter aliquam fœditatem.*

Fœditas quid vocetur in mulieribus, ob quam permittitur repudium.

Qvæstio I.

Fœditas attendi potest in corpore vt si sit in aliqua parte maculata, vel habeat aliquam grauem & continuam ægritudinem, quæ repugnat procreationi liberorum: vel aliqua fœditas est in moribus, vel quia forte mores vxoris non conueniunt moribus viri, ita quod in pace viuere nequeunt: Aben Ezra voluit quod solum ex fornicatione præsumpta vir posset repellere vxorem: vt si forte vir præsumit quod vxor sua fornicata est, vel forte vidit, & testibus probare non potest, repudiabit eam, & probat hoc ex dictione Hebraica hic posita: quia eadem ponitur hic & Leuit. 18. cap. scilicet, turpitudinem sororis matris, &c. non reuelabis ibi accipitur ,p coitu: ita vult quod accipiatur pro coitu, scilicet, cum viro extraneo. Sed arguetur contra eum, quia vir reperiẽs vxorem adulteratam poterat eam accusare ad mortem, vt patet supra 22. cap. Si autem præsumeret vel sciret sed probare non posset, habebat probationem legis certissimam scilicet, aquas maledictas de quibus Numer. 5. cap. & sic tolleretur præsumptio.

Ideo dicendum, quod non ex sola præsumptione fornicationis daretur libellus repudij: quia dato quod esset pro ista causa non tamen exprimebatur: ideo posset vir tacendo pro quocunque odio eam repellere.

Item quia ex hac causa sola si fieret, quando alij viderent aliquam fœminam repudiatam, scirent quod propter fornicationem veram vel præsumptam: quare nullus eam acciperet: vellet: sed multi eas recipiebant: ergo, &c.

Item totus populus sciebat, quod omnis fornicatio vera vel præsumpta tolli & certificari poterat per duo remedia supra posita, scilicet, de accusatione, & de aquis maledictis: sed lex & omnes permittebant libellum repudij: ergo propter aliquas alias causas: ideo datur econtrario quod vel ex quacunq; causa voluntaria fiebat repudium, vel non fiebat propter præsumptam fornicationem, patet consequentia: quia si fieret repudium propter fornicationem præsumptam, non poterat causa exprimi: quia si exprimeretur, & vir in probatione succũberet, puniretur: quia infamauit vxorem, vt separaretur à se: & compellerent eum redire ad eam, sicut de illo qui oppossuit vxori quod non inuenit eam virginem, vt patet supra vigesimo secundo capitul. secus est quando non agit contra vxorem ad separationem: sed vt tollatur præsumptio, & inquietudo animi sui: quia tunc permittit lex quod præsentetur sacerdoti, & fiat probatio de aquis amarissimis: si autem non exprimatur causa, sed prætereatur sub tacitur-

A nitate, poterit vir eam ex quacunque causa eam tacendo repudiare: quia non poterit sciri vtrum propter fornicationem vel alias repudiat: aliqui Talmudistæ dicunt quod non poterat vxor repelli ex quacunque causa: quia aut illa causa vel fœditas venit ante matrimonium, vel post, si ante matrimonium, aut erat occulta, aut apparens: si occulta potest eam repudiare: quia fuit fraus in contractu matrimonij, cum non potuerit patere vitium vxoris, quia ipsa callide abscondit: sicut qui vendunt iumenta morbosa suppressis vitiis eorum: si autem apparens erat, non potest repudiare: sibi enim imputet, quia talis placuit: si post contractum matrimonium venit fœditas, dicunt quod nunquam fiebat repudium nisi propter fornicationem: sed hæc omnia non consonant statui primo Iudeorum, qui nimis duri erant corde, & poterant incurrere in magna odia vxorum ex quibuscunq; causis aduenientibus post matrimonium, & etiam pro causis apparentibus ante matrimonium, vt si aliqua mulier esset diues siue pulchra, & haberet aliquam fœditatem cognitam, vt quia mali aspectus, vel ægra: vel quia decora sed manifeste erat malorum morum, & concupiscentia pulchritudinis, vel cupiditas diuitiarum faceret non attendere, vel non curare alias fœditates, deinde consummato matrimonio incurreret tantum odium inter eos, quod si non separarentur, vir occideret eam: ideo videtur quod licebat eam dimittere sicut de muliere quæ accepta fuit de alia gente propter corporis pul-

B chritudinem, & post non placet in oculis viri, vt patet supra 21. cap.

Item, quia ista distinctio supra data & aliæ causæ assignatæ à Iudæis videntur esse causæ repudij de quadam æquitate & iure: Moyses autem non attendit æquitatem, sed duritiam cordis eorum, vt patet Matth. 19. cap. scilicet, vt non occiderent vxores, sed ista duritia cordis ad occidendum vxores potest in eis insurgere non solum ex causis assignatis, sed ex quacunque displicentia: ideo ex omni causa permittebatur: & hoc satis patet ex quæstione Pharisæorum ad Christum Matth. 19. cap. ipsi enim semper arguebant ex his quæ videbantur dura in lege, vt concluderent contra magnam misericordiam quam Christus prædicabat, & arguerunt vtrum ex quacunq; causa liceret dimitti vxorem: & respondit Christus quod non, ipsi autem replicuerunt quare Moyses permisit in lege, videtur ergo quod Moyses permiserat ex omni causa repudium.

Et si dicas quod replicatio ista non refertur ad quæstionem factam, sed ad responsionem datam à Christo quod nunquam licet nisi ex causa fornicationis: ita quod sit sensus quare Moyses permisit in lege, scilicet, siue ex omni causa siue ex multis: cum tu dicas quod solum propter fornicationem?

C Respondetur, quod adhuc concesso hoc ad quod nemo nos cogit, stat ratio: quia si non fuisset ista intensio Moysi, vel si non obseruatum fuisset, tunc sic, ipsi nullam causam arguendi contra ipsum haberent, sed falsum est, quia si respiciantur omnia argumenta eorum in toto processu Euangelij, reperientur fundata in lege, siue quantum ad intellectum, siue quantum ad apparentiam, vt eum insolubiliter concluderent: sed mentita est iniquitas sibi: cadebant enim in laqueum quem nexuerant, vt eodem argumento caperentur quo capere intendebant.

Scribet libellum repudij. Licet abiicere vxorem non esset mandatum sed permissum, tamen dare ei libellum quando repudiabatur, præceptum erat: quia hoc erat in fauorem vxoris, vt sciretur quod à viro dimissa esset, & posset alteri matrimonialiter copulari: & scribebatur in libello quod dimittebat eam vir promittens nunquam amplius cum ea matrimonialiter conuenturum: ideo quod haberet licentiam contrahendi cum alio.

Quid scribebant in libello

Magister in Historia Scholastica dicit, quod in libello ponebatur iuramentum de non conueniendo cum ea matrimonialiter, & causa propter quam abiiciebat eam: & legebatur coram sacerdotibus, sed forte non multum apparet: quia mulier infamaretur sic maxime si fornicatio ibi exprimeretur, & nullus eam ducere vellet.

Item quia iste libellus dabatur in fauorem eius: quia dicitur, dabit libellum in manu eius & dimittet eam: sed si ibi contineretur causa repudij magis esset ad odium.

Et dabit in manu eius. Scilicet, quod scribet vir libellum repudij in quo testatur se dimittere eam abiiciens eam, & promittens nunquam petere ab ea debitum sicut ante consueuerat, & quod non accusabit aliquem virum, qui eam acceperit in vxorem, vel ad eam carnaliter quomodocunque accesserit: conseruabat autem fœmina hunc libellum ad tutamen suum, scilicet, vt si quispiam vellet eam accusare, quod coniungeretur alteri viro, & committeret in hoc adulterium, ipsa monstraret libellum illum, in quo patebat eam absolutam à lege prioris viri, & in facultate sua esse cuicunque viro vellet coniungi.

Et dimittet eam de domo sua. Scilicet, quod ipsa eat quocunque voluerit, & contrahat cum quocunque voluerit.

Cumque egressa alterum virum duxerit. Forte iste qui repudiauit fœminam aliquam, repudiauit eam ex aliqua causa leui, quę cuique videretur irrationabilis: ideo quilibet alius vir non curans de illa leui causa acciperet eam in vxorem.

Et ille quoque oderit eam. In quo patet quod odium erat causa sufficiens repudiandi vndecunq; nasceretur, & patet Malach. 2. capitulo, vxorem adolescentiæ vestræ nolite despicere: cum odio habueris eam dimitte. Ex odio ergo solo vxores repudiari permittit, quia semper consistit fundamentum huius legis, scilicet, duricies cordis Hebræorum: quia si vxorem exosam haberent, siue hoc iuste siue iniuste fieret, eam lacerarent nisi abiicere possent: salubre ergo erat illis, quod ex quocunq; odio eas repudiare posset, etiam quod quidam E dicebant, scilicet, quod Deus hic solam fornicationem ponat pro causa hanc solam fœditatem nominans, non conuenienter dicitur: nam in litera dicitur si acceperit homo vxorem, & non habuerit gatiam in oculis eius propter aliquam fœditatem: si autem per fœditatem intendisset signare fornicationem veram, vel præsumptam, non dixisset propter aliquam fœditatem sed propter fœditatem, ita quod fœditas illa determinata sit: sed dicitur propter aliquam fœditatem, id est, propter quamcunque, multa ergo fœditatum genera consentit, in quibus mulier repudiari possit, fœditas autem signat quamcunque indecentiam, sed magis indecentiam in corpore vt indispositionem vultus, aut malum colorem, vel ægritudinem, signat etiam large morum inhonestatem, quæ causa conuenientissima erat ad repudiandum eam.

Dederit ei libellum repudij. Nec ponitur numerus in maritis repudiantibus: quia etiam si cum mille contraxerit, & totidem repudient eam adhuc poterit vltra cõtrahere, sed prior maritus recipere non poterit, quia contempsit eam: & vt non moueantur cito viri ad repudiandum vxores.

Et dimiserit eam de domo sua. Idem ritus seruatur quando secundus vir repudiabat vxorem, sicut cum primus repudiabat eam, & sic de cæteris: dato ergo libello repudij in manu vxoris abiiciebat eam vir à domo, & dabat ei omnia quæ sui iuris erant, scilicet, bona dotalia, & partem bonorum de communi acquisitorum: nam si fœmina peccasset, & ob hoc F à viro repelleretur, vtpote quia fornicata foret, perdebat dotem, secundum iura humana quæ nunc sunt: & sic videtur quod forte tunc esset, si tamen fœmina ex aliqua fœditate alia corporis, vel importunitate morum repelleretur, non perdebat dotem: filij autem si qui erant viri repudiantis, & mulieris repudiatæ alebantur apud patrem, siue apud matrem secundum ætatem filiorum: nam si in parua ætate essent, ita vt indigerent solatio materno apud matrem alebantur: si autem essent maioris ætatis, ita quod apud patrem viuere possent, ab eo alebantur, sic enim nunc mandant iura ecclesiastica, vt quando diuortium fit viri & vxoris, si puer sit in anno tertio vel infra annum tertium deberet apud matrem nutriri, si autem sit vltra annum tertium debet nutriri per patrem, vt patet extra de conuersione infidelium, cap. ex literis, secus tamen est si fiat diuortium: quia isti erant infideles, & alter eorum conuertitur ad fidem Christianam dum tamen filius sit infra annos discretionis, & debeat regi mandato parentum, sequitur illum qui conuertitur ad fidem Christianam in fauorem fidei, vt patet in eodem capitulo, si autem esset filius in ætate adulta, in qua possit eligere quid vellet an fidem Christianam, vel Hebræorum perfidos ritus, facere poterat sicut vellet: quia inuitus trahendus ad fidem non erat dato quod non esset emancipatus, & maneret sub patria potestate: quia patria potestas ad hoc non se extendit,

D *Ritus repudiandi vxorẽ.*

maxime

maxime cum ecclesia nullum inuitum recipiat: quia Deo non placent sacrificia inuoluntaria: cum tamen fiebat diuortium inter Hebræum & Hebræam, quia vterque manebat in eadem lege, tenebatur regula quę tenetur cum fit diuortium inter duos Christianos.

Vel certe mortuus fuerit. Istud aduerbium certe nihil operatur hic ad significationem: ponitur autem ista disiunctio hic, scilicet, siue vir secundus mulierem repudiauerit, siue non repudians eam mortuus fuerit: quia in quocunque istorum duorum casuum tenet, quod dicitur in textu, scilicet, quod mulier ista non poterit redire ad priorem virum qui eam repudiauit, etiam si mulier venire vellet ad ipsum & vir petat eam.

Non poterit prior vir recipere eam in vxorem. Quod dicitur de istis duobus viris dicitur de omnibus aliis quotquot eam acceperint, nam sicut primus qui accepit eam in vxorem, & postea repudiauit, non potest eam reaccipere in vxorem, si secundus vir repudiet eam, vel moriatur, ita si secundus vir repudiauit eam, & accepit eam tertius vir, & iste moriatur non poterit eam accipere primus, nec secundus, vel etiam si tertius, qui repudiauit eam: quia eadem ratio est de vtroque, & sic si mille viri acceperunt eandem vxorem, & omnes repudiant quomodo vltimus, qui habet eam repudiat eam, nullus priorum potest eam accipere, vel si iste vltimus moriatur, litera tamen solum posuit de duobus: quia eadem ratio reperiebatur in multis aliis quotquot essent.

Quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Id est, quia à priore viro coram Deo & toto populo abominata est, & polluta iudicata.

Ne peccare facias terram tuam. Id est, vt non incites ad peccandum viros terræ tuæ: quia si vir prior reduceret eam ad se cum ante abominatus fuerit, posset eam ex magno odio faciliter occidere, in quo committeretur magnum peccatum, & pollueretur terra sanguine innocente, quod valde displicet Deo, vt patet Numer. 35. & supra 19. cap.

An repudium vxoris fuerit de se licitum. Et nunquid dantes gentilibus vsuras, & repudiantes vxores peccabant. Et quare lex vetus non omnia mala prohibuit, lex autem noua sic.

Qvæstio II.

De repudio vxoris vtrum licitum esset aliqui dubitant. Et communiter dicitur quod repudium potest accipi dupliciter, aut proprie, aut large: dicitur large repudium diuortium viri & vxoris quantum ad thorum, vel cohabitationem ex fornicatione, ita quod neuter possit alteri copulari, & hoc licitum est: quia Christus illud licite fieri dixit Matth. decimo nono capitulo, repudium proprie dicitur expulsio vxoris à thoro, cohabitatione, & vinculo matrimonij: ita quod quilibet eorum possit alteri matrimonialiter coniungi, & de hoc dubium est: & videtur quod licitum est: quia lex iusta omne malum vetat: sed lex Moysi fuit iustissima, quia à Deo, & in se ordinatissima, vt patet supra quarto capitulo, ergo cuncta mala vetat: sed repudium non vetat: ergo non est malum: maior patet extra de constitutionibus, capit. nam & concupiscentiam, vbi dicitur quod lex omnia mala prohibet.

Item, quia ita videtur esse contra bonum matrimonij pluralitas vxorum sicut dissolutio: sed licite habuerunt sancti patres multas vxores ante datam legem, vt Abraham, & Iacob: & post datam legem, vt Dauid: ergo etiam repudium licite fiebat.

Item, quia dicit Chrysostomus, sicut Apostoli permiserunt secundas nuptias, vt patet prima ad Timoth. 5. ita Moyses permisit libellum repudij: sed secundę nuptię licite fiunt, quia dicitur quod vidua si non vult continere nubat in Domino, id est, in nomine Domini, ergo licite fit repudium.

Respondetur, quod repudiatio vxoris illicita est, vt patet Matth. 19. capitulo, quia ad duritiam cordis eorum permissa est, sicut vsura mala est, sed propter magnam cupiditatem eorum, erga alienos permittitur: sed hoc etiam non erat bonum, quia vt patet Psalm. 13. ille cum Deo habitare dicitur qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & glossa Hebraica ibi dicit: nec etiam gentili. Et si quæras nunquid dantes gentilibus vsuras, & repudiantes vxores peccabant ista faciendo, quia de se mala erant.

Respondetur quod non peccabant, quia lex eis permittebat, & si vtendo legis permissione peccarent, lex permittens mala esset, cum poneret laqueum operantibus: & nihil differret colere idola quod non est permissum, à repudiando vxorem quod est permissum: sed istud quod secundum se malum erat, Deo dispensante per communem legem bonum efficiebatur: Deus enim qui nouit corda hominum, & dispositiones temporum, & populorum, quod malum de se erat alicui populo bonum facit, sed nulli hominum licet talem facere permissionem.

Et secundum hoc respondetur ad argumenta, ad primum responderi potest quod maior non tenet vniuersaliter: quia lex humana iustissima non vetat omne malum, quia non vetat meretrices: immo illa lex quæ meretrices vetaret, iniustissima esset: quia vt ait August. tolle meretrices, & cuncta libidinibus conturbabis.

Lex noua quare potuit omne malū prohibere: lex vetus nō.

Et si arguas ex hoc contra legem Euangelicam quæ meretrices detestatur quod iniusta sit.

Respondetur, quod leges humanæ sunt quædam regulæ directiuæ ad pacem & bonum statum politiæ: si autem in ciuitatibus meretrices non essent, sequerentur multa adulteria, incertitudo prolis, & concubitus masculorum: quæ maxime repugnant politiæ statui, lex autem Euangelica non respicit principaliter vtilitatem, vel bonum statum quantum ad honorem, & aliqua mundana in aliqua persona, sed respicit cuiuslibet personæ bonum spirituale: & quia quodlibet malum est destructiuum boni status alicuius personæ, ideo omne malum prohibet.

Item quia quilibet Legislator qui homo est, defectuosus est: nec potest dare aliquod adiutorium ad præseruationem ab omni malo: Deus autem potest dare homini cuilibet quantum potest se disponenti gratiam ad bene agendum, & malo resistendum: ideo iuste potuit omne malum prohibere. Et hæc est ratio potissima quare in lege veteri non fuerunt omnia mala prohibita, quia non erant in ea aliqua in quibus homo se exercitans gratiam reciperet, sicut sunt Sacramenta in lege noua: nec tantum Deus visitabat corda hominum sicut nunc visitat, & adhuc non sufficiebat hoc: sed addebantur multæ pœnæ, & maledictiones transgressoribus, vt patet in his quatuor libris, benedictiones quoque terrenæ ad obseruationem incitantes: sed adhuc ad custodiendum grauis erat, vt demonstrat Apostolus ad Roman. sexto, & septimo, & octauo capitulo, & patet Actuum decimo quinto capitulo, hoc est iugum quod nos nec patres nostri ferre potuimus. In lege autem Euangelica data fuit plenitudo gratiæ: vt non solum homines quæ præcepta sunt agant, sed multa & mirabilia supererogent, posset autem responderi ad minorem concessa maiore, scilicet, quod lex vetus iustissima est, & omne malum prohibet. Et ad hoc notandum quod iustissimum dupliciter dicitur aut absolute aut in comparatione, illa lex absolute iustissima dicitur quæ omne iustum simpliciter respicit, non descendendo ad iustum vel ad bonum politiæ alicuius specialiter: & ista est lex Euangelica, & sicut absolute omne iustum respicit, ita absolute omne malum prohibet, lex iustissima comparate dicitur, quæ bonum alicuius gentis specialiter respicit: & illa non oportet quod omne malum absolute respiciat, sed id quod est malum illi ciuitati: cum ergo isti ciuitati bonum sit, quod meretrices sint, vt adulteria non sequantur: ideo eas non prohibet: sic lex vetus fuit quædam directio specialis politiæ Iudaicæ sicut patet Exodi decimo nono capitulo, quia eos solos tunc in peculiarem populum accepit: ideo bonum illius gentis specialiter attendebat, sed illi genti adhuc infirmæ bonum erat repudiare vxores, & vsuras alienis dare, ideo permissum est. Quod autem lex vetus non esset lex data vniuersaliter, sed lex data alicui politiæ specialiter patet: quia si foret vniuersalis omnes homines obligaret, sed non obligat omnes homines, ergo non erat vniuersalis: lex autem Euangelica vniuersalis fuit: ideo omnes homines obligat: patet differentia inter istas duas leges: de lege Euangelica habetur Matth. vigesimo octauo capitulo, vbi dixit Christus ite per vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creatu-

Notandū de duplici iustissimo.

A turæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Ecce ergo qualiter omnes obligat ad recipiendum eam ſub pœna mortis æternæ, de lege autem veteri non peregrinabantur inter eos, vt patet in toto proceſſu veteris teſtamenti, & præcipue in his quinque libris in quibus ponuntur leges per hunc modum: etiam quia id quod potiſſimum erat in ea, ſcilicet, circunciſio ſolum fuit impoſita Hebræis, vt patet Geneſ. decimo ſeptimo capitulo, ergo non pertinebat ad alias gentes.

Item ſi ad alias gentes pertineret, fuiſſet eis denunciata, ſed nulli genti denunciata fuit aut prædicata lex vetus niſi genti Iudæorum, quæ ſuſcepit eam in monte Synai: & poſtea nullus de Iudæis iuit ad prædicandum inter gentes annuncians teneri eos ad obſeruationem legis veteris: in lege autem Euangelica econtrario factum eſt: quia in principio eius miſit Chriſtus prædicare diſcipulos per totum mundum prædicare Euangelium omni creaturæ, vt patet Matth. vigeſimo octauo capitul. ipſi autem iuxta mandatum Chriſti per totam terram iuerunt, & prædicauerunt, vt patet Marc. vltimo cap. cum dicitur illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus locis.

Nec valet ſi arguas, quod aliquis propheta miſſus ſit ad prædicandum gentibus, quia fuit miſſus Ionas propheta, vt prędicaret Niniuitis, vt patet Ionæ primo capitulo, & per totum librum: nam non fuit Ionas miſſus ad Euangelizandum eis circunciſionem, vel obſeruationem veteris teſtamenti, ſed conuerſionem de peccato: vel vt verius dicatur pœnam infligendam cum dixit, adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur: ipſi autem audita prædicatione eius conuerſi pœnitentiam egerunt: nec tamen propter hoc conuerſi ſunt iſti ad Iudaiſmum, aut obſeruauerunt aliud quod pertineret ad vetus teſtamentum, ſed ſolum fecerunt pœnitentiam de peccato ſuo: hoc autem non magis pertinebat ad ſtatum veteris legis quam ad ſtatum naturæ: quia etiam homines ſine lege data ſciunt ſe peccare, & bene agere, & egebant admonitore ad conuerſionem: in lege noua non fiebat ſic prædicatio, ſcilicet, quod prædicarent Apoſtoli, vt gentes conuerterentur à peccatis ſuis ſolum, ſed in primis euangelizabant eis Ieſum dicentes hunc eſſe verum Deum, in quo eſt tota ſalus, ſine quo impoſſibile erat haberi bonum ad quod natura humana determinata eſt, non ergo erat lex vetus vniuerſaliter data, ſed erat lex ſpecialis data cuidam politiæ ſpecialiter, ſcilicet, politiæ Iudæorum: lex Euangelica erat vniuerſaliter data, quia ad omnes homines pertinebat, & cum quælibet lex intendat bonum, & conſeruationem illius politiæ ad quam data eſt, quia ſecundum hoc dicitur lex bona, vel mala, & lex vetus erat data politiæ Hebræorum, ſolum intendebat bonum illius gentis: lex Euangelica erat data vniuerſaliter: ideo intendere debebat bonum vniuerſaliter, ſcilicet, id quod erat ſecundum ſe bonum.

Lex Euangelica eſt vniuerſaliter data.

C Sed tunc arguet aliquis, quod ſicut lex vetus data Hebręis intendebat bonum politiæ Hebræorum, & quia ipſi erant imperfecti, dabatur lex imperfecta: ergo lex Euangelica quæ erat ad totum orbem, debebat intendere bonum omnium hominum: ſed maior imperfectio reperitur in toto orbe, quam reperiretur in gente Hebræorum: ergo plura mala deberet permittere lex Euangelica quam lex vetus.

Reſpondetur, quod politiæ particulares ordinant ſubiectos, ſiue partes ſuas ad bonum quod in præſenti eſt: & quia bonum quod eſt in præſenti, ſcilicet, pax, & bonus ſtatus politicus, non conſeruaretur niſi permitterentur aliqua mala: ideo neceſſarium eſt permitti aliqua mala: ſi autem lex Euangelica, quę totum mundum dirigit, vel ad dirigendum totum mundum poſita eſt, dirigeret reſpectu alicuius boni futuri, ſcilicet, ad vitam æternam: & quia vita æterna eſt finis optimus per applicationem ad illum fontem totius bonitatis, & totaliter immaculatum: ita ergo ipſe qui nos ad hoc bonum perducit Deus, vult vt ratio ipſa expetit quod illud bonum non niſi per vitam immaculatam aſſequamur: eſt autem vita immaculata, cum nullum malum agimus quod nos maculatos reddere poſſit: & quia omne vitium ſiue actus per ſe malus, eſt huiuſmodi: ergo omne malum decuit in hac lege prohiberi.

Vita æterna eſt finis optimus

Sed adhuc dicetur pro iſta parte, quod dato, quod lex Euangelica vellet omnes homines regulare reſpectu boni præſentis, non poſſet: quia vnitas legum datur vnitati politiæ, vel principatus, ſed totus mundus non facit vnam politiam, vel vnum principatum: ergo non debet eis dari vnica lex ſecundum bonum præſens, reſpectu cuius ſit vnica politia vel principatus: faciunt tamen omnes homines vnum principatum & politiam ſecundum quod ſubduntur capiti ſuo Chriſto tanquam membra, donec occurramus in virum perfectum: & quantum ad hoc conuenit eis vnica lex ordinans eos in principem illum. D

Item, quælibet vna politia ordinatur in vnum bonum tanquam in finem ſecundum conformitatem ſtatuum: ergo nec erit eis eadem lex quantum ad bonum præſens, bene tamen reperitur vnum bonum commune quantum ad futurum, ſcilicet, vita æterna: nam omnibus erit commune bonum viſio Dei: ad directionem ergo reſpectu illius boni bene conueniet omnibus hominibus vna lex, & iſta eſt lex Euangelica, quia ipſa datur omnibus hominibus, vt probatum eſt: & non datur eis ad directionem reſpectu boni præſentis, vt patuit: ergo datur ad vitam futuram.

Item, hoc patet magis quia Matth. 28. cap. vbi mandauit Chriſtus prædicari iſtam legem, dixit qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui autem non crediderit condemnabitur: ſed ſaluari & condemnari dicunt aliquid quod pertinet ad ſtatum futurum poſt mortem: ergo lex Euangelica ſolum dirigit ad bonum futurum. E

Sed adhuc argues, quod eodem modo debet eſſe de lege veteri: nam ſicut lex Euangelica ordinat in vitam æternam, ita lex vetus ordinat ad vitam æternam dirigendo homines per actus bonos qualiter ſe habeant in Deum: ergo eodem modo non deberet conſentire aliqua mala, ſed conſentit: ergo & lex Euangelica conſentire debet.

Ad hoc poteſt reſponderi dupliciter. Vno modo, quod ſiue lex Euangelica ſiue vetus dirigunt in vitam æternam, ſed quia in veteri lege non erant ſufficientia remedia ad eleuandum hominem in bonum iuxta illud Apoſtolus ad Hebræos ſeptimo capitulo, neminem ad perfectum deduxit lex: immo cum non eſſent aliqua per quæ homines reciperent gratiam, ſicut ſunt in nouo teſtamento, & lex ipſa mala prohiberet, incitabantur homines magis ad peccandum exiſtente lege quam non exiſtente lege, ſic dicit Apoſtolus ad Roman. 7. cap. nam & concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret, & ibidem virtus peccati eſt lex, id eſt, id in quo fundatur peccatum eſt lex, quia per prohibitionem illius incitatur homo magis ad peccandum non exiſtente gratia adiutrice: in lege Euangelica non erat ſic, quia dabatur ſufficiens gratia adiuuans per Sacramenta, in quibus homo aſſuefactus multum vigoratur ad reſiſtendum legi peccati: ergo in illa lege in qua nullum ſubſidium erat, non debuerunt vitari omnia mala: quia non poſſent omnes homines hoc facere: in lege autem Euangelica quæ plenitudinem gratiæ habet, non debebant conſentiri aliqua mala: quia erat gratia ſufficiens ad reſiſtendum omnibus his. F

Alio modo reſpondetur, quod licet vtraque lex tam Euangelica quam vetus dirigant hominem in vitam æternam, diuerſimode tamen, quia lex Euangelica dirigit omnes homines, vt iam doctos & aſſuetos: ideo nullum malum eis permittit: lex autem vetus dirigebat homines ad vitam æternam non tanquam doctos ſed adhuc tanquam rudes & inexpertos: ſed rudibus & inexpertis multa conſentiuntur inconuenientia, donec aſſueti ſunt ad rectitudinem: ergo lex vetus non debebat omnia mala vetare: nam licet lex vetus dirigeret hominem in vitam æternam per accidens, eo quod illi qui recte complebant legem erant in fide mediatoris, & in charitate, principaliter tamen lex vetus quantum erat ex operibus legis nihil aliud erat quam quædam diſpoſitio ad perfectiorem ſtatum, ſcilicet, vt homines aſſuefierent in hac ad poſtea accipiendum legem nouam, quæ non dirigebat in aliquam alteram tanquam in ſtatum perfectiorem: ſed immediate in vitam æternam, debuerunt ergo in lege veteri quæ erat quædam regulatio incipientium, quædam mala permitti, vt ſic homines aſſuefierent ad bonum totaliter: difficile namque erat incipientibus eſſe bonos & totam bonitatem via perfecta & laborioſa oſtendere: quia ſic fugient bonum: cum autem pauliſper itur conſentiendo quædam

A

mala, vt deueniatur ad id quod est simpliciter bonum: sequitur enim lex vetus in hoc conditionem omnium legum humanarum, quæ dantur aliquibus politiis particularibus, scilicet, quod non est aliqua lex illarum simpliciter bona: nam illa lex vocatur simpliciter bona, quæ non deuiat in aliquo ad id quod malum est simpliciter, sed quicquid in ea continetur, est simpliciter bonum, si autem inquiratur aliqua lex particularis, non inuenietur talis: nam inter omnes legislationes humanas quotquot ab origine omnium politiarum traditæ sunt, nulla reperietur quæ sit simpliciter bona: ita quod in nullo deuiet à bono simpliciter ad id quod est malum: nec debet aliquis Legislator ponere optimam legem simpliciter alicui politiæ particulari humanæ: nam lex tunc bona est cum conuenit eis quibus datur secundum finem, secundum quem datur: sed homines seculares non sunt perfecti: ergo non debet eis dari lex perfecta, & sicut ipsi non sunt simpliciter boni: ita non debet eis dari lex simpliciter bona: etiam quia finis ad quem dantur leges in ciuitatibus, est ad pacem politicam: sed ad istam pacem non conuenit quod ponatur lex simpliciter bona, quia illa impediret pacem politicam: ergo non debet dari lex simpliciter bona alicui politiæ, ita quod tota legislatio sit simpliciter bona: patet antecedens quia lex quæ esset simpliciter bona, omnia mala deuitaret, & sic fornicatio simpliciter tolleretur, & meretrices tollerentur: sed si meretrices tollerentur, sequeretur

B

magna lis iuxta illud Augustini meretrices de ciuitate tolle, & cuncta libidinibus conturbabis: ergo tales leges quæ essent simpliciter bonæ non essent bonæ alicui ciuitati: quoniam si aliqua ciuitas intenderet ponere legem optimam, cum optima sit illa quę maxime vitia deuitat, & virtutes prouocat: sequeretur quod deberet ponere legem monachorum & fratrum, quia ista maxime ad virtutem incitat, & promouet, cum in ea quilibet obedientiam, continentiam, & paupertatem foueat: sed manifestum est quod magna stultitia esset, talem velle condere politiam, non ergo debet alicui politiæ humanæ lex simpliciter bona imponi: quia illa omnia mala euitaret, quod inconueniens est, vt probatum est: & secundum hoc intelligitur id quod habetur extra de constitutionibus in cap. nam & concupiscentiam, cum dicitur quod ideo lex bona est, quod dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet, scilicet, omnia mala quę sunt mala illi politiæ in qua lex data est, non tamen omnia mala quæ sunt mala simpliciter: immo illa lex simpliciter cuilibet ciuitati mala esset, quæ omnia mala simpliciter prohiberet, lex autem vetus fuit huiusmodi: quia dabatur hominibus imperfectis: ergo non debuit omnia mala prohibere: & in hoc conueniebat populo Hebræorum, & si non consentiret in ea Legislator aliqua mala, non conueniret populo Iudæorum, qui erat non simpliciter bonus: & quia inter cætera inter quæ homines imperfecti & vulgares magis in-

C

ordinati sunt, præcipua sunt ista duo, scilicet, appetitus venereus circa quem contingit fieri varia desideria, & abominationes vxorum: ideo permissus fuit libellus repudij.

Secundum est concupiscentia pecuniarum, & circa hoc sunt desideria inordinata lucrandi: ideo vsura quæ est lucrandi modus permissa est: circa alia autem non sunt ita fortes passiones: ideo non fuerunt factæ promissiones in aliis rebus.

Ad secundum respondetur quod antecedens est falsum, scilicet, quod æqualiter est contra bonum matrimonij pluralitas vxorum, sicut dissolutio per repudiationem: quia repudium est contra substantiam matrimonij & contra finem: quia facit non esse matrimonium, & prolem non gigni: pluralitas vxorum solum est contra significationem, scilicet, quia non significat vnam ecclesiam Christo vnitam: ideo repugnat hoc matrimonio quod sit in lege Euangelica: quia hic magnum sacramentum est, quod ad Christum & ad Ecclesiam refertur, vt patet ad Ephes. 5. cap.

Item, quia pluralitas vxorum erat ad maius bonum, scilicet, ad multiplicandum populum Dei tempore illo: ideo bonum erat: repudiatio vxoris est ad euitandum maius malum, scilicet, vxoris occisionem: ergo non iustificatur per hoc, & sic semper manet simpliciter malum, quamuis ex diuina permissione istis licitum erat.

Et si arguas quod ita deberet esse nunc, quod plures vxores acciperent viri ad multiplicationem populi Dei. Respondetur, quod aliquid in se vno tempore bonum est, quod alio tempore non est bonum nec licitum: sicut de virginitate quæ nunc valde meritoria est, sed in primis parentibus si eam habere voluissent peccatum magnum fuisset: quia Deus mandauerat crescere & multiplicari: sic tempore Patriarcharum erat populus Dei paucus: ideo bonum erat non solum vnam vxorem accipere ad generandum, sed etiam plures, dum non excederetur: ita quod magis fieret ad carnis illecebras quam ad generandi intentionem: sed nunc ita est multiplicatus populus Dei, quod sufficit vna, & adhuc melius foret nullam habere, vt patet 1. Corinth. 7. cap. & patet quia nunc non dantur vxores in officium, scilicet, ad generandum, sed in remedium, scilicet, ad fornicationem vitandam, vt patet prædicto capitul. bonum est mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat.

D

Ad tertium respondetur, quod ly sicut in auctoritate Chrysostomi non dicit omnimodam similitudinem, sed aliqualem, scilicet, quod sicut licite celebrantur nuptiæ secundæ in lege Euangelica: etiam licite celebrantur repudia in lege Mosayca, sed non æqualiter licite: quia nuptiæ secundæ sunt de consilio vel de permissione respectu maioris boni, repudium erat permissum respectu maioris mali: & secundæ nuptiæ in se bonæ erant sine aliqua permissione, licet non essent ita bonæ sicut continentia vidualis vel virginitas: repudium autem in se malum erat: ideo si non fuisset permissum, non licuisset illud agere.

E

Cum acceperit homo nuper vxorem. Hic ponitur secundum, scilicet, de viri & vxoris cohabitatione.

De viri & vxoris cohabitatione.

Non procedet ad bellum. Quia Deus volebat quod in cohabitatione noua continuata firmaretur amor viri ad vxorem: nec videbatur rationabile quod nouiter coniuncti sic separarentur, & maius priuilegium datur hic quam fuerat supra vigesimo cap. scilicet, quod qui nondum acceperat vxorem sibi desponsatam, quod non exiret ad bellum: hic dicitur quod etiam postquam eam acceperit carnaliter cognoscendo per totum illum annum: alij autem tres qui ponuntur supra 20. capitulo, non gaudent ampliori priuilegio quam ibi ponitur.

Nec quidpiam necessitatis publicæ ei imponetur. Aliqui volunt, quod intelligatur de pertinentibus ad bellum, vt portare victualia ad bellatores, sed magis videtur quod referatur ad omnes labores vel solutiones publicas: & hoc sic seruant Iudæi: quia si tributa soluturi sunt, ipsi inter se dispertiunt, vt nouiter ducentes vxores in hoc reluentur: vt solum illo anno intendat rebus suis: & ad minus oportet concludi ex textu quod non solum excusetur à rebus bellicis, sed etiam ab omnibus aliis laboribus, qui eum separant à cohabitatione quotidiana vxoris.

F

Quia dicitur vacabit absque culpa domui suæ. Ita quod maneat in domo, & non solum hoc, sed etiam quod non soluat aliquid de tributis publicis: quia absque culpa, id est, absque aliqua impositione grauante debet vacare domui suæ, id est, ad vtilitatem domus suæ nihil curans de publicis: quia domui in datiuo acquisitiue ponitur: si autem poneretur in ablatiuo esset sensus, quod permitteretur stare in domo sua, ita quod non cogeretur ire foras ad negotia publica, sed non excusaretur à tributis propter hoc.

Non accipies. Hic ponitur tertium, scilicet, de supellectilis ordinatione: quia in vita œconomica necesse est habere supellectilia quæ sunt instrumenta ad vitam humanam: ideo Philosophus 1. Polit. ponit tres partes essentiales œconomiæ cuiuslibet, scilicet, virum, & mulierem, & bouem aratorem secundum sententiam Hesiodi, & intelligit per bouem seruum & alia supellectilia: & ideo ista non debebant in pignus accipi, ne destrueretur communicatio œconomica quæ in his sustentatur.

De supellectilis ordinatione.

Loco pignoris superiorem & inferiorem molam. Id est, duas molas quæ terunt farra, quarum vna est quæ mouetur superior, alia est inferior quæ immobilis est. Et est sensus quod nulla istarum molarum in pignus accipiatur, quia vna sine alia nihil valet: vel non accipiat ambas: quia istæ dant cibum toti domui, & sunt valde necessariæ & etiam non debent prohiberi ne molant propter aliquod debitum: quia multum in

A hoc damnificaretur Dominus earum, & nihil sic solueret: forte enim magis perderet Dominus tempore quo non molarent molæ quam valebat debitum, & nihil releuaretur sic perdendo: ideo nulli licet talem facere pignoris detentionem: sed melius est quod permittantur molere: & ea quæ inde peruenerint accipiat creditor, donec vniuersum debitum sit persolutum, dum tamen interim necessaria Domino ministrentur. Et per hoc prohibentur omnia pignora quorum vsus necessarius est vt vestimentum: ideo mandatur infra quod pignus pauperis reddatur ei qualibet nocte ante Solis occasum, vt dormiat in eo & sic habetur Exod. 22. cap.

Quia animam suam apposuit tibi. Id est, quia anima, id est, vita habentis molas est in eis, cum ex eis habeat vnde viuat. Et si tu accipias eas anima illius, id est, vita sua apponitur tibi, id est, manet apud te, & fieri non debet.

De localitate ad quasdã alias res.

Si deprehensus fuerit homo. Hic ponitur secundum principale de legalitate ad quasdam alias res. Et diuiditur inter tres partes. Primo agitur de iusta pœnarum seueritate. Secundo de proximorum pietate ibi. *Cum repetes.* Tertio de iudiciorum æqualitate ibi. *Non occidentur.* Prima in duas. Primo de punitione humana. Secundo de punitione diuina ibi. *Obserua diligenter. Si deprehensus fuerit homo.* Scilicet, in iudicio conuictus, vel per confessionem suam vel per testes: quia alias nulla pœna infligi poterat. *Sollicitans fratrem suum.* Id est, fraudulenter ei loquens, vt ducat eum in locum vbi vendere possit, scilicet, sollicitando eum vt veniat cum ipso ad terram hostilem: sicut aliqui Christiani falsi pueros decipiunt, & ducunt eos vt Sarracenis vendant. *Et vendito eo acceperit pretium.* Non infligebatur pœna mortis pro sola sollicitatione: sed quod actualiter vendidisset, dabatur alia pœna minor ad arbitrium iudicis: sicut in furante ouem vel bouem si non comedisset, vel vendidisset, soluebat quinque boues vel quatuor oues: si autem nondum comederat, vel vendiderat, duplum dabat, vt patet Exod. vigesimo secundo capitulo, quia si nondum vendidisset, non plene constabat vtrum ad vendendum accepisset. *Acceperit pretium.* Quod autem aliquis vendidisset alium sufficiebat ad punitionem capitalem, etiam non probato quod sollicitauerit, vel quod precium acceperit, sed ista ponuntur ad demonstrandum veram venditionem: quia aliquis maior viginti annis potest pati se venundari ad participandum precium, vt habetur Instituta de iure personarum, §. serui autem. Et licet aliquis vere vendiderit aliquid, & probetur, obiiciet quod alius permisit se vendi ad participandum precium. Si autem probetur quod iste sollicitauit eum, & quod recepit precium venditionis, eliditur vtraque pars exceptionis, scilicet, quod voluntarie venditus fuit, & assecutus fuit precium: & etiam secundum legem Mosaycam quilibet se poterat vendere, vel permitti vendi ab alio, vt patet Exod. vigesimo primo, & Leuit. vigesimo quinto capitulo. *Interficietur.* In hoc furto imponitur maior pœna quam in aliis: quia in nullo aliorum imponitur pœna mortis, sed solutio quintupli, vel quadrupli, siue dupli, vt patet Exod. vigesimo secundo capitulo, hic autem propter dignitatem hominis imponitur pœna mortis. *Auferes malum de medio tui.* Id est, malum culpæ vt indirectio culpæ ordinetur per regulationem iustitiæ, vel. *Auferes malum.* Scilicet, malum damni: quia si relinquatur impunitus non formidabit postea committere similia. *Obserua diligenter.* Hic ponitur secundum de pœna diuina. *Obserua plagam lepræ.* Vt non incurras in eam.

B

C

De pœna diuina.

Plaga lepræ propter quid specialiter infligebatur à Deo.

QVÆSTIO III.

EX hoc notatur quod ista plaga à Deo specialiter infligebatur propter peccata: ideo cauendo à peccatis cauemus à lepra.

Et patet etiam supra de Maria quæ à Deo percussa fuit lepra: & infligebatur principaliter ista plaga propter duo.

Primo, propter murmurationem de prælatis & maioribus, vt patet de Maria quæ murmurauit de Moyse, vt patet Numer. 12. cap. & percussa fuit lepra.

Secundo, propter inobedientiam ad sacerdotes vel quoscunque prælatos spirituales: & ita percussus fuit lepra rex Ozias: quia noluit consentire sacerdotum mandato ne thurificaret, sed vsurpauit officium sacerdotale offerendo incensum, vt habetur 4. Reg. 15. cap. & 2. Paralip. 26. cap. & hoc est quod subditur.

D

Sed facies quæcunque docuerint sacerdotes Leuitici generis. Quia si non feceris ea incurres morbum lepræ: litera Hebraica est breuior hic, scilicet. *Obserua in plaga lepræ, sed facies quæcunque docuerint te.* Id est, obserua quod si incurreris plagam lepræ, vt facias secundum mandata sacerdotum: quia ipsi iudicabant aliquem leprosum vel non leprosum faciendo diuersas cæremonias: de quibus Leuit. 13. & 14. cap. sed magis concordat prima expositio secundum vtramque literam, patet per exemplum quod inducit de Maria.

Mementote quæ fecerit Deus Vestri Mariæ. Scilicet, quod percusserit eam lepra, quia murmurauerit contra Moysen, vt patet Numer. 12. cap.

E

In via cum egrederemini de Ægypto. Scilicet, vicesimo anno ab exitu de Ægypto in mense tertio vel quarto illius anni, in mansione quæ dicitur Aseroth, & mansit populus septem dies propter immunditiam Mariæ donec mundaretur, vt patet Numer. duodecimo capitulo, istud exemplum non ageret ad propositum in secunda expositione: ideo tenenda est prima: nam in prima expositione dicitur quod cauere debet quilibet, ne incurrat maculam lepræ: & ad hoc debet sacerdotibus obedire, quibus obediendo non fit lepra: & inducit exemplum de Maria quæ quia non obediuit, sed murmurauit de Moyse, vt patet supra duodecimo capitul. Numer. fuit percussa plaga lepræ: aduertentes autem ad ipsam punitionem obediemus diligenter non murmurantes de prælatis nostris: tamen secundum secundam expositionem non conuenit iste sensus, quia dicitur in secunda expositione quod caueamus quod in plaga lepræ, id est, quando aliquis nostrum habuerit plagam leprę obseruemus ea quæ mandauerint sacerdotes Leuitici generis: & quantum ad hoc non conuenit exemplum de Maria: quia Maria non obseruauit specialius mandata data sacerdotibus qualiter se haberet in inspiciendo lepram, vtrum esset lepra alias non: & ad hoc nihil agebat exemplum de Maria quod debuisset conuenire aliquo modo in isto casu, scilicet, vt ipsa obseruasset specialiter: & propter hoc necesse est ad primam expositionem referri in qua innuitur de Maria: quia Maria non obseruauit specialius mandata data, sacerdotibus qualiter se haberet in inspiciendo lepram vtrum esset lepra alias non: & ad hoc nihil agebat exemplum de Maria, quod debuisset conuenire aliquo modo in isto casu, scilicet, vt ipsa obseruasset specialiter: & propter hoc necesse est ad primam expositionem referri in qua innuitur de Maria, quod lepra fuerit ei data in plagam, quia non fuit obediens mandatis superiorum: aut quia murmurauit de eis: ex quo nos moniti multum debemus talem plagam leprę cauere: & hoc ponitur hic specialiter: quia plaga leprę faciebat quandam maiorem irregularitatem, quam aliquæ aliæ immunditiæ: quia quædam immunditiæ erant quæ vetabant hominem ab accessu ad loca sacra, sicut si quis tetigisset domum in qua erat aliquis mortuus, vel aliquid quod staret in domo mortui, vt patet Numer. decimo nono capitulo, & sic de similibus: si quis tamen tetigisset eum qui sic immundus erat, non contaminabatur, vel res quæ ad eum accedebat, non erat contaminata, & iste erat minimus gradus contaminationis legalis: aliæ autem similes ponuntur Leuit. 11. & 15. secundum genus immunditiæ erat, quando aliquis non solum erat immundus, sed etiam quicunque eum tangeret, erat immundus: & non solum homo tangens illum, sed etiam res inanimatæ: vt patet de muliere quæ patitur menstruum tempore determinato à natura, scilicet, in quolibet mense: quia ista non solum erat immunda in se sed etiam tangentes eam immũdi erant, & arcebantur ab ingressu Sanctuarij, vt patet Leuit. decimo quinto capitulo, & durabat immunditia in eo qui tangebat eam, vsq; ad vesperam, & lectus in quo sedebat, & quicquid ipsa tangeret immundum erat: & si aliquis vir aut fœmina tangeret lectum eius, immundus erat per totam illam diem, & lauabit vestimenta sua, & omnia vasa quæ tangeret immunda erant: si vero aliquis coiret cum ea, erat immundus septem diebus: eodem modo quasi de muliere quæ patitur fluxum sanguinis non in tempore menstruali: quia

F

eadem

A

eadem fient in ea, vt habetur Deut.Leu.15.ca.in isto secundo gradu contaminationis,licet ista contaminarent tactu suo alias res,tamen non excludebantur à castris: alij erant contaminati qui non solum erant in se contaminati , & tactu suo alios inficiebant , sed etiam excludebantur à castris, vt viri fluentes semine : quia patentiores sunt, & abominabiliores, & insanabiliores: ideo mandabat Deus specialiter ab ista immunditia esse cauendum : etiam quia ista pro peccatis magis quam aliæ imprimitur. *Cum repetes.* Hic ponitur secundum de proximorum pietate & continet duo. Primum de redditione pignorum. Secundò de solutione mercedum ibi. *Non negabis mercedem. Cum repetes à proximo tuo.* Intelligitur quando debitor soluere non potest, & creditor vadit ad domum eius accepturus pignora. *Non ingredieris domum vt pignus auferas.* Quia iniuria fieri videtur cum aliquis domum alterius inuito eo ingreditur: vel quia si tu intrares ad accipiendum pignus , acciperes quod velles de melioribus quæ videres: sed Deus vult quod pauper det,quod voluerit: vel quia si intrares domum eius posses videre aliqua, de quibus ipse verecundaretur. *Sed stabis foris.* Ad accipiendum quicquid dederit.*Non pernoctabit apud te pignus.* Quia in illo dormit pauper: intelligitur de pignoribus quæ ad lectum pertinent,quæ necessaria sunt per noctem, & vocantur largo modo vestimenta: proprie vestimenta sunt quibus per diem contecti ambulamus : & potest etiam accipi pro vestimento quo vtimur in die: quia pauperes pauca lecti habentes stramenta , vestibus quas per diem induunt, noctibus conteguntur : & eodem modo si sit pignus cuius vsus sit necessarius per diem & non per noctem pernoctabit apud creditorem, sed in die reddetur pauperi debitoris : & sic quotidie reddendo commoueret creditor debitorem, vt laboraret ad solutionem : & verecundia ductus citius persolueret. *Vt habeas iustitiam coram Deo tuo.* Id est vt Deus tuus reputet tibi hoc ad iustitiam.

De proximorũ pietate in reddit. pignorũ, & solutione mercedum.

B

Iustitia quid in proposito. Et quod sit duplex iustitia: & quas partes singulæ habeant.

Qvæstio IV.

ET vocat hic iustitiam quæ legalis est & est omnis virtus: & vocatur maxima virtus lucens quasi lucifer & hesperus,vt patet 5.Ethico. Iste modus loquendi de iustitia est frequentatus in scripturis, scilicet vt quilibet bene operans vocetur iustus cũ dicitur iustus vt palma florebit in domo Domini: & alibi iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum,& sic de cæteris : non potest autem hic accipi pro iustitia particulari: quia nõ solum sunt isti boni secundum iustitiam distributiuam & commutatiuam , sed etiam secundum alias virtutes, & fortitudinem , & temperantiam , & cæteras. Diuiditur autem ista iustitia in duas, scilicet, in particularem , & legalem : iustitia particularis est quædam virtus specialis directiua secundum quam homo bene se habet ad alterum in his quæ pertinent ad communicationem vitæ , vt circa honores , circa pecunias , circa damna,& lucra : per istam iustitiam cuicunque damus quod suum est,siue honorem, siue reuerentiam , siue pecunias, vel quodcunque aliud : & de hac iustitia loquitur Apostolus ad Rom.13.cap. dicens reddite ergo omnibus debita : cui tributum tributum,cui vectigal vectigal,cui honorem honorem: nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis,hæc autem iustitia particularis bipertitur in commutatiuam , & distributiuam. Distributiua est in qua de bonis alicuius communitatis, vel vniuersitatis,collegij , aut societatis æqualiter præmia & pœnæ aliquibus distribuuntur consideratis meritis causarum , vel dignitatibus personarum. Commutatiua est secundum quod aliqui duo inter se recte commutant in quocunqne genere contractus siue commutationis occulti, siue manifesti,voluntarij, siue violenti: de voluntarijs apparentibus vt in emptione,& venditione, mutuatione, & fideiussione,vsu,& depositione, & conductione in occultis vt in mæchia,veneficio,seductione serui reductione dolosa, occisione,paragogia,falso testimonio, in manifestis vt violentis, vt in verberatione,& vinculatione,morte, atque rapina , orbatione,accusatione,iniuriatione,qualiter autem distributiua iustitia in quatuor minimis,id est,in quatuor terminis sit, & qualiter attendatur ibi æqualitas secundum geometricam proportionem, & qualiter in commutatiua teneatur medietas arithmetica , & qualiter in vtraque attendatur medium rei & non rationis,prolixioris inquisitionis est, nec multum tangit, ideo omitto , distinguitur autem ista iustitia particularis , siue commutatiua siue distributiua à qualibet alia virtute particulari, quia quælibet aliarum est circa aliquam passionem , & principaliter est ad bonum habentis scilicet qualiter bene se habeat intra se contra insultos deordinatos passionum , iustitia autem particularis principaliter est in regulatione actionum,quæ sunt ad alterum : ideo iustitia vocatur bonum alterius,& non habentis, vt patet princ.5. Eth. Arist. Iustitia legalis multipliciter dicitur.

C

Vno modo iustitia legalis pro qualibet virtute speciali pro ut præter finem suum particularem habet quendam alium finem communem , quem intendit lex , & quia lex præcipit omnem actum virtutis vt est ad bonum commune , ideo omnes virtutes simul sumptę facient vnam iustitiam legalem, sicut plures habitus particulares in speculatiuis per aggregationem faciunt vnum habitum , quæ est vna scientia corporalis , & secundum istum modum potest vocari temperantia legalis , & mansuetudo legalis , inquantum quælibet earum potest ordinari in altiorem finem sc. in bonum commune.

Sed ista positio non multum conuenit intentioni philosophi nec veritati , quod probatur quia obiectum determinatum facit habitum esse determinatum , cum habitus recipiat speciem ab obiecto , scilicet iustitia legalis habet obiectum distinctum ab obiectis aliarum moralium virtutum, quia intendit bonum communitatis , alij autem habitus intendunt quoddam bonum particulare , ergo erit distinctus habitus ab aliis.

D

Et si respondeas , quod non oportet poni iustitiam legalem habitum distinctum ab aliis virtutibus,quod omnes virtutes habeant sua obiecta particularia , deinde ordinentur in bonum commune,nec erit aliquis habitus,qui specialiter sit circa bonum commune.

Sed hoc non valet,quia nulla virtus habet duo obiecta,sicut nulla res habet duas essentias duarum specierum,nisi forte illa obiecta habeat subordinata,sc.quod ad vnum sit prius, & ad aliud secundario,&ad vnum sit per se à quo recipiat esse, & ad aliud sit per accidens tunc ergo quæro vtrum virtutes sint primo ad obiectum,quod est bonum commune , vel ad bonum particulare , si autẽ dicas quod primo sunt ad obiectum commune,hoc falsum est, quia ab illo reciperent speciem,& cum illud sit vnum , & simplex,ergo virtutes omnes erunt simpliciter vna virtus , & vna species , quod est falsum & abusio. Si autem primo sint ad obiectum , & bonum per se,recipient speciem ab illo, & per accidens erunt ad bonum commune , hoc autem inconueniens est , quia cum bonum commune melius & diuinius sit bono particulari , vt ait Ari. 1.Eth.oportebat per se,& magis illud intendere,quam bonũ particulare , sed istæ virtutes non possunt : ergo dandus est alius habitus qui primo & per se sit ad bonum cõmune,&dirigat actus habituum particularium ad commune bonum.

E

Item quia cum isti habitus sint de se ad bonum particulare,non possunt esse ad bonum commune nisi ab aliquo dirigantur superiori, quod per se sit in bonum commune : oportebit ergo dari iustitiam legalem , quæ per se & totaliter sit in bonum commune , & deinde cæteras virtutes ordinet in bonum commune.

Item quia dicimus , quod iustitia legalis est virtus propria principis,sed non est dicendum quod omnis virtus sit virtus propria principis : ergo iustitia legalis, non est omnes virtutes simul sumptæ , & patet quia proprium distinguitur contra commune,si ergo datur aliqua virtus propria principi,ergo oportet dari aliquam communem , sed si omnes virtutes simul essent iustitia legalis, omnes virtutes esset virtus propria principis, & nulla esset communis ꝙ repugnat ex natura rei.

F

Item non distinguitur contra seipsum , sed iustitia legalis distinguitur contra iustitiam particularem,ergo iustitia legalis nõ erit omnes virtutes simul sumptæ, antecedẽs patet per Ari.5.Eth. Alio modo accipitur iustitia legalis pro omni virtute,ita ꝙ quælibet virtus vocetur iustitia,& habens quælibet vocetur iustus secundũ ꝙ omnes conueniunt cũ diffinitione iustitiæ , nam iustitia est constans & perpetua voluntas red-

Iustitia qd sit.

A dens vnicuiq; quod ſuum eſt, vt patet inſtituta de iuſtiria & iure in principio ſiue, quod iuſtitia eſt habitus inclinatiuus ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt. In eo autem quod aliquis bene ſe habet reddendo quod ſuum eſt, dicitur iuſtus vt ſi aliquis bene ſe habet ad Deum reddendo aliquid quod debet Deo, & bene ſe habet ad omnem hominem reddendo id quod debet cuilibet homini, vt patet in 8. & 9. Eth. & bene ſe habet ad ſeipſum reddendo ſibi id ad quod ſibiipſi tenetur, ergo in omni bene ſe habere eſt iuſtitia, & non ſunt plures ad quos nos bene habeamus: ergo ad omnes ad quos bene habemus eſt iuſtitia, ſed virtutes ſunt ad hoc quod ille qui eas habet bene ſe habeat: ergo omnes virtutes quantum ad hoc ſunt iuſtitia quędam, nam latria ſecundum quam Deum colimus eſt iuſtitia, quia ei cultum debemus, & inquantum ei reddimus iuſte agere dicimur, pietas etiam ſecundū quam parentes honoramus eſt quædam iuſtitia, ſecundum quod tenemur parentes honorare tanquam Deos, vt patet in nono Eth. per Ariſt. temperantia eſt quædam iuſtitia ſecundum quam non fornicamur cum vxore alterius, quod eſt facere illi ad quod tenemur illi, & manſuetudo eſt quædam iuſtitia ſecundum, quod per eam compeſcibus iracundiam, & non percutimus, vel conuiciamur alicui ad quod ei tenemur. Et fortitudo eſt quædam iuſtitia, inquantum per fortitudinem non deſerimus aciem pugnatorum, & non fugimus, nec dimittimus arma ad quod obligamur communitati. Eodem modo faciliter de omnibus aliis virtutibus moralibus, patet applicatio, & differunt iſto modo virtutes, quia inquantum per temperantiam habet ſe aliquis ad certum obiectum, ſcilicet, ad delectationes, & triſtitias, ad quas non ſe habet per liberalitatem, diſtinguitur temperantia à ſingulis, & inquātum quælibet iſtarum eſt per quam aliquis ſe habeat bene ad aliquem vocatur iuſtitia, & iſte modus accipiendi iuſtitiam frequentiſſimus eſt in ſacra ſcriptura, vt patet ad Hebr. 11. c. ſcilicet, iuſtus ex fide viuit, id eſt, fidelis: nam ſi accipiatur iuſtus ſpecialiter pro eo qui habet iuſtitiam particularem, non eſt verum quod iuſtus viuat ex fide, ſed magis ex actu iuſtitię in commutando vel diſtribuendo, cum quilibet habitus conſeruetur per ſuum actum, ſic etiam dicitur ad Rom. 10. c. corde creditur ad iuſtititiam, id eſt, ad hoc quod aliquis ſit fidelis, & bonus acceptus Deo, oportet vt credat corde, & per illam ſolam credulitatem eſt bonus, ſic etiam Geneſ. 15. cap. ſcilicet, credidit Deo Abraam, & reputatū eſt ei ad iuſtitiam, nam iſtud credere quod Abraam habuit ad Deum, fuit actus fidei & non poterat ei imputari iſtud credere niſi ad fidem, dicitur tamen quòd reputatum eſt ei ad iuſtitiam, ſcilicet ad iuſtitiam legalem, quia licet eſſet actus fidei iſtud credere, quia tamē tenebatur Deo credere propter eius reuerentiam ſicut aliquis ſoluere alteri decem quæ accepit mutuata, cum reddidit, egit ad quod tenebatur, ideo Deus reputauit ei ad iuſtitiam tanquam ſi aliquod alterum Deo debitum perſoluiſſet, ſic etiam accipitur hic cum dicitur. *Et habebis iuſtitiam coram Domino Deo tuo.* Id eſt Deus reputabit te iuſte egiſſe reddendo ei veſtimentum quo indigebat, nam licet iſtud reddere ſit actus miſericordiæ, quia tamen hoc exhibere pauperibus, & totaliter egentibus debemus, dicimur iuſtum agere talia facientes, iſte modus accipiendi iuſtitiam eſt conuenientiſſimus ſacræ ſcripturæ, quia pleræque auctoritates in ea reperiuntur de iuſtitia, quæ ad hunc ſenſum neceſſario reducendæ ſunt, non tamen conuenit modo loquendi Ariſt. quia ſecundum Ariſt. ponitur iuſtitia legalis vt vnus habitus, hic autem ſunt multi habitus quot ſunt particulares virtutes, pro hac parte faciunt omnia argumenta, quæ poſita ſunt in ſuperiori modo loquendi de iuſtitia, & hoc non ad probandum quod ſacra ſcriptura non ſic accipiat, ſed ad probandū quod non ſic accipit Ariſt. Nec eſt inconueniens modū loquendi ſacræ ſcripturæ diſcrepare hic ab Ariſt. quia in pleriſque ſacra ſcriptura propria ſignificata dictionum non obſeruat: Ariſt. autem obſeruat: & ſic ſcriptura ponit iuſtitiam pro quolibet de multis habitibus. Ariſt. autem accipit pro vno habitu. Alio modo volunt quidam quod iuſtitia legalis, ſit obedientia totius legis, quia lex omnia bona iubet, & omnia mala vetat, vt patet per Ariſt. 5. Eth. cum dicitur, præcipit autem lex omnem actum virtutis, præcipit enim opera fortis facere, vt non derelinquere aciem, nec fugere, nec abiicere arma, & quæ temperati vt puta non mœchari, nec conuitiari, & quæ manſueti, vt puta non percutere, nec contendere, ſimiliter autem & ſecundum alias virtutes & malitias has quidem iubens, has autem prohibens, cum ergo homo agit aliquod bonum, quod mandat lex, quia illud mandat lex, vocatur iuſtus legaliter, & hoc modo actus omnium virtutum poſſunt accidere in iuſtitia legali: ſi enim aliquis non fornicetur, quia turpe eſt ſolum ille eſt temperatus, ſi autem non fornicetur, quia lex prohibet, vocatur iuſtus legaliter, & hoc tenet aliquo modo Franciſcus de Mayronis ſuper 3. ſenten.

Sed non proprie dicitur quod iuſtitia legalis ſit obedientia, primo quia iuſtitia legalis eſt amplior, & nobilior quam obedientia. Amplior quidem quia obedientia ſolum extenditur quantū ad ea quæ in lege ſcripta ſunt, vel à rectore politiæ imperantur, iuſtitia autem legalis comprehendit omnē actum humanū, nullus eſt enim actus de quo eſt data lex, ſiue non ſit data, quē ad bonum cōmune ordinare non poſſimus.

Item quia iuſtitia legalis nobilior eſt quam obedientia: quia perfectior & altior ratio eſt diligere quam obedire, ſed iuſtus legalis facit omnia ad bonum communitatis, non quia lex mandat illa, ſed quia talia fieri vtile communitati & bonum eſt: ergo excellentior eſt.

Item ſi iuſtitia legalis eſſet obedientia, non eſſet finis legalis iuſtitiæ bonum commune, ſed obedire legi & licet obediendo legi faceret ad bonum commune, tamen intentio facientis eſſet per ſe obedire legi, per accidens autem procurare bonum commune, licet lex omnia ad bonum commune ordinet, ſed contrarium vult Ariſt. in 5. Ethic. ſci. quod ſicut iuſtitia particularis eſt per ſe ad bonum commune.

Item quia iuſtitia legalis dicitur precioſiſſima virtutum & fulgens inter alias, ſicut lucifer & heſperus inter ſtellas, vt patet in principio. 5. Ethi. Et hoc quia eſt de maximo bono, cum aliæ virtutes intendant quoddam bonum particulare, ſed intendere bonum commune eſt maius bonum obedire legi: ergo iuſtitia legalis eſt de communi bono: & non de obedientia: antecedens patet quia lex poſita eſt propter cōmune bonum cum ſit quædam menſura, vel regula directiua actuum humanorum in bonum commune, vt eſt de ſe notum, & patet ſæpe in 5. Ethi. niſi ſit apoſtediaſmenos, id eſt lex poſita ſine ratione, quę proprie non vocatur lex, finis autem ſemper perfectior eſt his quæ ſunt ad finem vt patet 1. Eth. in principio. Item patet hoc clariſſime quia iuſtitia legalis eſt propria virtus principis, cum ipſe ſit perſona publica. Et ſicut alij ſe habent ad bona particularia tanquam ad bona propria & adæquata, ita princeps ſe debet habere ad bonum commune tanquam ad quoddam bonum proprium & adæquatum, ſed princeps nullam obedientiam habet, quia legibus ſubiectus non eſt, ergo iuſtitia legalis non eſt obedientia. Accedendo autem in radice ad poſitionem Ariſt. dicendum eſt quod iuſtitia legalis eſt quædam virtus, quæ in eſſentia ſua vna eſt & particularis, ſicut quilibet alius habitus, ſed dicitur virtus generalis, quia eius actus eſt ordinare actus omnium virtutum in bonum commune: quælibet enim virtus habet propriam materiam, & proprium bonum quod eſt finis, finis autem temperantiæ eſt vt aliquis intra ſeipſum bene diſpoſitus ſit ad delectationes, & triſtitias, finis fortitudinis eſt vt bene ſe habeat homo ad timores & audacias, & ſic de qualibet alia virtute. finis autem iuſtitiæ particularis eſt bonum particulare alterius, quia omnis iuſtitia bonum eſt alterius quam habentis: finis enim iuſtitiæ particularis cōmutatiuæ eſt bonum eius cum quo commutatur, finis diſtributiuę iuſtitię eſt bonum eorum quibus aliquid diſtribuitur, finis autem, vel bonum legalis iuſtitiæ eſt bonum commune totius politiæ: ideo ordinat omnes virtutes ad bonum commune: nec habet aliquod bonum ſpeciale, vel materiam ſpecialem, ſicut cæteræ virtutes: qui enim recte cōmutabat per iuſtitiam particularem, intendebat bonum illius, cum quo cōmutabat, put eſt quidam homo ſingularis. Iuſtitia legalis facit vt iſte cōmutet cum illo homine ſingulari recte: non vt eſt quidam homo ſingularis, ſed vt eſt quædam pars communitatis politiæ, ideo primo intendit bonum commune, quam bonū particulare, & ob hoc bene facit iſti, quia bonum iſtius redundat in bonum commune, vt pars illius eſt. Iuſtitia autem ſecundum ſe dicit quandam æqualitatem vt patet quinto Eth. equalitas autem non eſt ad ſe, ſed ad alterum, ideo omnis iuſtitia ad alterum eſt, ſed alterum accipitur dupliciter.

Latria quomodo iuſtitia ſit.

Virtutes quo modo differunt.

Iuſtitia legalis eſt amplior & nobilior obediētia.

Finis perfectior eſt his quę ſunt ad finem.

Quid iuſtitia legalis iuxta Ariſt. opinionem.

B C D E F

A

Vno modo alterum id est aliud singulariter consideratũ, & sic iustitia particularis est ad alterum cum quo commutamus, vel cui aliquid distribuimus.

Alio modo dicitur ad alterum id est ad communitatem, & sic quælibet pars communitatis cum bene se habet ad cõmunitatem, dicitur bene se habere ad alterum, & hoc modo iustitia legalis dicitur ad alterum, quia per eam quilibet de communitate ordinat omnes operationes suas ad bonum communitatis, & cum omnes homines quibus communicamus aliquo modo partes communitatis sint, & bonum commune resultet ex bonis priuatorum cõiunctis, quando cum aliquo iuste communicamus, ideo iuste communicare debemus, vt bonum illius pars boni communis est: hoc modo ordinamus actum iustitiæ particularis in bonum commune per iustitiam legalem. Actus autem aliarum virtutum de se non sunt ad alterum, sed ad quoddam bonum particulare nostrum, vt intra nos bene dispositi simus, sed quia nos ipsi partes sumus communitatis, tunc actus istarum virtutum ad bonum commune ordinabimus, si ideo fortes esse volumus, quia per hoc rem publicam defendimus, vel si temperati vt per hoc non noceamus alijs cũ inebriati fuerimus quæ sunt partes politię, vel ne per incontinentiam alicuius vxorem de adulterio sollicitemus, quod ad iniuriam alicuius de communitate redundat: & sic de qualibet alia virtute: & sicut se habet ista virtus inter morales ordinando alias ad bonum commune quod est excellentius bonis particularibus ad quæ ordinantur aliæ virtutes de se, & ideo laudabilior est, & melior alijs inquantum bonum commune melius est & diuinius bono particulari, vt ait Ari. 1. eth. in princ. ita charitas se habet inter virtutes theologicas quod ordinat actus omnium virtutum theologicarum siue moralium ad Deum, qui est obiectum & bonum summum, & tantum excedit proportionaliter ista charitas legalem iustitiam quantum Deus excedit bonum commune ciuitatum sicut excedebat iustitia legalis iustitiam particularem, sicut bonum commune bonũ priuatum, charitas enim cum ex natura sua habeat Deum p obiecto, & fine, quia per eam diligimus Deus propter se, ordinat omnes alias virtutes in Deum vt in finẽ, aliæ enim virtutes theologicę licet Deum pro obiecto habeant, non tamẽ habent eũ necessario pro fine: ideo charitas ordinat actum spei quę est de Deo vt de obiecto, in Deum tanquam in finẽ, & sic de actu fidei, virtutes autem morales non habent Deum necessario pro obiecto, nec pro fine, sed obiecta sunt quædã actiones vel passiones, fines autem sunt quædam bona particularia in habentibus illas: sed per charitatem ordinantur in Deum, sc. vt simus temperati propter Deum, fortes, & iusti, & sic de cæteris, est autem ista iustitia legalis secundum essentiam quidam habitus particularis sed quantum ad virtutem vel potentiam suam est generalis, quia actus aliarum virtutũ in bonum commune ordinat, ista autem est propria virtus principis, & in eo respicit bonum commune tanquam obiectum proprium: ita enim bonum commune est obiectũ p priũ principi, sicut bona particularia sunt bona propria subditis, vocatur autem ista virtus iustitia legalis, quia per eam concordamus legi ordinanti omnia in bonum cõmune: lex enim omnia bona opera præcipit, nam præcipit opera fortis facere, puta non derelinquere aciem, nec fugere, nec abiicere arma, & quæ temperati vt puta non mœchari, nec conuitiari: & quę mansueti vt puta non percutere, nec contendere, similiter autem & secundum alias virtutes, & malitias, hęc quidem iubens, hæc autem prohibens, vt ait Arist. in 5. Eth. licet enim istæ virtutes in isto textu Arist. nominatæ habeant alios actus, qui sunt ad bonum habentis: tamen lex mandat opera earum quæ sunt ad bonum commune, & particularũ politię principaliter: sic nos per iustitiam legalem omnia bona facimus, vt tendunt in bonum: de iustitia legali magnus sermo haberi debet, sed hæc aliqualiter eius nobis naturã inquirentibus insinuabunt, s. qũo ad cęteras virtutes se habeat. *Non negabis mercedem.* Hic ponitur secundum de solutione mercedum: negare mercedem quomodocunq; fiat malum est, quia contra iustitiam distributiuam est: sed peius est negare mercedem indigentis, quia proprie indigentes vocantur, qui nihil aliud habent vnde viuant. *Indigentis vel pauperis.* Quia licet pauperes aliquid habeant, tamen illud paucum est ideo mercede sua indigent. *Fratris tui.* Id est Iudæi secundum carnem, & aduenæ, id est, conuersi de gentilitate ad ritum iudaicum, & idem esset dicendum de gentili qui faceret eis aliqua opera, vt patet de seruis Hiram regis Tyriorum, qui gẽtiles erant, & scindentes cedros & abietes pro tẽplo Salomonis magnas mercedes reportabant, vt habetur 3. Reg. 5. c. sed quia raro communicatio erat Hebræis cum gentilibus, non ponit de mercede gentilium. *Qui tecum moratur & intra portas tuas est.* Loquitur ad totum populum, quia isti peregrini habitabant cum populo intra portas suas, id est, in ciuitatibus eius. *Sed eadem die reddes.* Quia communiter isti mercenarij non habent aliud vñ viuant, nisi mercedẽ quotidianam. *Et ex eo sustentat animam suam,* id est, vitã suam, ideo qui tollit mercedem tollit vitam, vt habetur Eccl. 34. panis esurientum vita eorum est, qui defraudat illum vir sanguinis est. *Ne clamet contra te ad Dominum.* Tria peccata clamant ad Deum, scil. effusio sanguinis innocentis, vt patet Gen. 4. c. sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Secundũ est vitium Sodomiticum Gen. 18. c. descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Tertium est defraudatio mercedis laborantis, vt habetur Ia. 5. c. ecce merces operariorũ vestrorum, qui messuerunt terras vestras, quę fraudata est à vobis, clamat ad me, & clamor eorum in aures domini Sabaot introiuit. *Et reputetur tibi in peccatum.* Sicut nullo modo dare mercedem operario ad magnum peccatum reputatur, ita differre solutionem, quia in vtroque laborans damnificatur. *Non occidentur patres.* Hic ponitur tertium principale, scilicet de Iudæorum æqualitate, & tangit duo. Primò de contentiosis iudiciis. Secundo de quibusdam operibus piis ibi. *Non auferes Non occidentur patres.*

B

C

D

E

F

Tria peccata ad Deum clamãt

De Iudæorũ æqualitate.

Charitas ordinat actum spei quæ est de Deo vt de obiecto.

De solutione mercedum.

An possint occidi filij pro patribus vel econuerso, & an ita, quod alterutri testimonium perhibeant, ex quo deberent ad mortem alterutri condemnari. Et quod mors triplicíter dicitur.

QVÆSTIO V.

SECVNDVM literam caldaicam est sensus quod non occidentur patres pro filijs, id est, filijs perhibentibus testimonium contra ipsos, vel econtrario, id est, quod nõ cogantur patres testificari in causa criminaliter intenta contra filios, pro qua probata mori deberent, quia contra naturalem pietatem est quod patres cogantur aliquid dicere pro quo filij occidantur, & econtrario. Item quia daretur maxima occasio periurij naturali affectione ad veritatis subuersionem inclinante. Vel potest intelligi de morte secundum causam, ita quod pro his quę fecit pater non occidantur filij & econtrario. Et si arguitur quod aliquando Deus occidit patres pro filiis, vel potius filios pro patribus, quia visitat peccata patrum vsque in tertiam & quartam generationem, vt habetur Exod. 34. & supra 5. cap. Respondetur quod ista lex imponitur iudicibus ita, quod ipsi nunquam mandent occidi patres pro filiis vel econtrario: Deus autem legem sibi non imponit, ideo occidet qualiter voluerit. Pro quo sciendum quod mors triplex est, sc. corporalis, spiritualis, & æterna: iudices enim nõ possunt occidere morte spirituali, id est, morte culpæ, vel morte æterna, id est gehennæ, sc. faciendo aliquẽ carere gratia, vel eum trudendo in gehennam, siue hoc iuste vellent siue iniuste, & vtraque mors istarum est mors animæ de qua Matth. 10. cap. nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem occidere non potest. Tertia mors quæ est corporalis dari potest à iudicibus, & ideo circa istam regulat eos hæc lex ne patres pro filiis occidant, quia homines solum iudicant quæ extra sunt vt habetur. 1. Regum. 16. cap. ideo qui culpabilis inuenitur mori debet: nullus autem alius quantumcunque ei amore, societate, consanguinitate, vel affinitate coniunctus pro eo mori debet iudicio humano, Deus autem quamlibet mortem istarum irrogare potest. Sed mortem æternam id est gehennæ nunquam irrogat vni pro peccatis alterius: sed quicunque eam incurrit, propriis demeritis eam incurrit, & de hoc congrue intelligi potest illud Eze. 18. capit. anima quæ peccauerit ipsa morietur, sic est etiam de morte spirituali quæ est perditio gratiæ, vel non appositio, siue induratio, mortẽ spiritualem quæ perditio gratię est, solus peccator causat Deo nihil agente, quia cum gratia non

A

cogat, nec neceſſitet liberum arbitrium, quilibet poteſt gratiam, acceptam perdere contra eam per paſſionem agendo & hoc ſolum eſt deficere, in quo Deus non habet aliquam cauſalitatem, vocatur etiam mors ſpiritualis non appoſitio gratiæ, ſicut vita ſpiritualis appoſitio gratiæ, & hanc mortem & vitam ſolus Deus operatur, cum ad eum ſolum pertineat gratiam apponere vel non apponere, & tunc proprie ſpiritualiter Deus occidit, quando in maxima neceſſitate gratiam nō apponit vt in fine vitæ, & iſta mors nulli infligitur propter peccata parentum: nunquam enim legitur nec eſt poſſibile manente Dei iuſtiſſima ordinatione, quod ex eo quod pater malus fuit, quod Deus non apponat gratiam filiis, quia cum mors ſpiritualis ſit immediate diſpoſitio ad mortem gehennæ, ſi mors ſpiritualis propter patres infligeretur filiis etiam mors æterna, quia iſta habent neceſſariam connexionem, ſed nunquam mors æterna infligitur vni propter alterum ergo, &c. Infligitur autem iſta mors ſpiritualis ex magnis demeritis propriis, quia ſicut aliquando propter peccata meremur temporales punitiones, & propter maiora peccata maiores temporales punitiones, intantum poterunt creſcere peccata, vel totiens iterata erant, quod nulla temporalis pœna ſecundum diuinum iudicium eis condigna eſt, ideo punitio fit in non apponendo gratiam tempore mortis, quę eſt maxima pœnarum neceſſario inducens pęnam æternam: ſed beatæ animæ quas Deus ex mera gratia ante ſecula elegit, licet ſepties

Deus ꝓ prieſpiritualiter occidit.

B

in die cadere permittantur, & quantum de ſe eſt cadere poſſunt in omne malum ſed præſeruantur à Deo ne in talia cadant, per quæ mereantur eis gratiam non apponi. De morte autem corporali dicitur quod aliquando Deus occidit aliquem propter peccata ſua, aliquando autem pro peccatis parentum. Et non eſt aliquid inconueniens, quia quilibet quātumcunq; iuſtus debitor mortis eſt Deo propter peccatum originale, quod obligat ad mortem æternam, niſi per ſpiritū ſanctum in baptiſmo, vel alias deleatur, & obligat ad mortem temporalem neceſſario, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 9. c. ſtatutum eſt hominibus, ſemel mori, ideo licet aliquis ſit qui nullum peccatum fecerit, tamen occidet eum Deus per legem ſuam inducens neceſſitatem moriendi, quod ergo mirum ſi peccantibus parentibus Deus immediate filios mori faciat, quos alio tempore etiam non peccantibus parentibus, eſſet morte puniturus, maxime quia tunc mori multum proficit filiis, quia ſi boni ſunt ad beatitudinis augmentum valet. Et ſiue boni ſiue mali ſint, ad deteſtationem criminis, & correptionem proficit aliorum. Item quia Deus alia occultiſſima cognoſcit, propter quæ tunc mori illos bonum eſt, ideo in ſimilibus mirabilibus quæ nobis dura videntur, regula Boetij in 4. de conſo. proſa. 5. tenenda eſt, ſcilicet, licet cauſam tantę diſpoſitionis, ignores, quia tamen à bono rectore cuncta facta ſunt, recte facta eſſe non dubites, hominibus autem iudicibus, nunquam talia facere licet, quia nullus eis ad mortem

C

obnoxius eſt, & quia cordium ſecreta rimari non valent, ideo ſemper errant, Deus autem iſtas mortes patrum pro filiis vel magis econtrario ſc. filiorum pro patribus ſæpe exercuit, vel per creaturas irrationabiles ſicut per aquas diluuij, armabit enim creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos, vt patet Sapien. 5. c. Sed in illis aquis multi paruuli perierunt, qui non dum actualiter peccauerant committendo vel omittendo, ſed ſolis parētum iniquitatibus mortui ſunt: aliquando moriuntur iſti paruuli pro peccatis patrum occidentibus eos angelis malis, ſicut in morte primogenitorum totius Ægypti, inter quos multi paruuli adhuc rationis vſu carentes mortui ſunt, vt patet pſa. 77. miſit in eos iram indignationis ſuæ immiſſiones per angelos malos. Aliquando per angelos bonos ſicut in deſtructione Sodomorum multi paruuli nondum peccantes ab illis ſanctis angelis, qui venerunt ad Abraham & Loth, mortui ſunt vt patet Geneſ. 18. & 19. c. aliquando morieban-

Non nullorum o-

tur pro peccato patrum filij per homines miniſtros Dei ad hoc exercendum, vt paruuli in terra Chanaan qui nondum peccauerant, occiſi ſunt per Iudæos vt patet Num. 33. & ſupra 7. c. ſic etiam pueri Madianitarum, vt patet Num. 31. c. & pueri in regno regis Arad vt patet Num. 21. c.

Aliqui tamen dicunt aliquando licere quod homines occidant filios pro patrum peccatis, & diſtinguunt de morte, quia aut conſideratur vt eſt pœna, aut vt eſt quædam medeſa, mors enim vt pœna mala eſt tam in ſe quam in cauſa, in ſe quia eſt priuatio maximi boni, ideo valde mala eſt, quia eſſe maximum bonum eſt.

D

Opinio de occiſione filiorum pro patrū peccatis.

Item quantum ad cauſam, quia mors infligitur pro peccato, & ideo ſicut peccatum patris non tranſit ad filium, nec ſecundum actum, maculam, vel reatum, ita nec mors filio infligi debet. Si autem conſideretur mors vt quædam medicina infligi poteſt pro peccato patris filio, medicinæ enim licet amaræ ſint, tamen quia curatiuæ ſunt accipiuntur, & amaritudo quæ ibi ſumitur per accidens ſumitur, vt inducatur delectatio, quæ per ſe intenditur, ſic mors inflicta filio pro patre medicina quædam eſt, ideo licet aliqua triſtitia ibi ſit, tamen maius eſt bonum quod inducitur per eam. Et vocatur iſta mors medicina reſpectu duorum, ſcilic. reſpectu eius qui moritur, & reſpectu totius ciuitatis, propter ſeipſum quidem quia ille qui moritur, ſi patiēter toleret, quod in eo actus iuſtitiæ exerceatur, cum nihil horum mereatur, valde meretur ad vitam æternam, ſed iſta medicina eſt per accidēs, quia non occideret aliquis homo alium vt tranſiret ad maiorem gradum vitæ æternæ. Eſt autem iſta medicina per ſe ad ſalutem ciuitatis, vt membra alia ciuitatis ſanentur: eſt enim ciuitas quoddam corpus per aggregationem compactum ex pluribus ciuibus poſitis ſub eiſdem legibus. Et ſicut in corpore humano permittimus vnū membrum ſcindi ne cætera corrumpantur, vel vt meliorentur: ita in corpore politico vnū membrum ſcindi permittetur per mortem, vt alia emendentur, & ſicut aliqua bona homo perdi permitteret, vt alia bona vel poſſeſſiones ſuæ meliores & ſecuriores ſint, ita in ciuitate congregata ex pluribus domibus vna perdi permittetur, vt cæteræ ſaluæ ſint, nec reſpicietur vtilitas illius domus vel domini ſui, ſed vtilitas publica, & ideo licet in morte vnius hominis pœna & grauatio magna ſit ipſi, ſed in reſpectu tanti boni quod conſequitur ciuitas, non eſt malum, vt ſcilicet ad deteſtationem criminis magni pater noxius, & filij innocentes moriantur, vt cæteri tanta ſeueritate perterriti à ſimilibus arceantur. Et quia in iſta morte ſunt duo, ſcilicet pœna & medela. Pœna quæ propter culpam debetur, refertur ad patrem, vt non ſolum puniatur pater in ſe, ſed etiam in filijs, quos tenere diligit, ideo communiter ſolum patiuntur illi, quos pater patientes videre poteſt ſcilicet vſque ad tertiam & quartam generationem, alij autem non. Medicina autem vel bonum quod inde ſequitur, ad morientem & ad totam ciuitatem refertur, inquantum iſte moriendo maiorem gradum gloriæ acquirit, & tota ciuitas in tanta ſeueritate corrigitur. Et ſecundum iſtum modum exponitur tex. *Non interficientur patres.* Id eſt non occidentur filij pro patribus, vel econtrario inquantum intelligeretur quod filij obligarentur ex peccato patrum ſed inquantum mors eorum eſt curatiua morbi ciuitatis.

An liceat occidere innocentem vt euitetur magnū damnum aut deſtructio ciuitatis.

E

Sed iſta expoſitio opinionis multum extorta eſt, quia ex quacunque harum cauſarum aliquis occidatur ſiue propter pœnam patris ſiue medelam ciuitatis, ſemper iniuria iſti fit, cum hoc non mereatur.

F

Item quia iſte qui ſic occiditur propter ambas cauſas ſupradictas ſimul occiditur, ideo non poteſt exponere textum negatiue in aliqua illarum, quia mandat non occidi, illæ autem ambæ ſimul ſunt cauſæ ad occidendum.

Item quia occidere Innocentem contra ius naturale eſt ſcilicet contra præcepta decalogi, ergo propter nullum bonum inde ſequens fieri poſſet.

Et ſi arguas, quòd Deus hoc agit puniens peccata patrum in filios vſque in tertiam, & quartam generationem.

Reſpondetur quod aliud eſt de Deo, quia quilibet quantumcunque ſit innocens eſt debitor mortis Deo propter peccatum originale, quia vt habetur Exod. 34. cap. nullus apud te per ſe innocens eſt, id eſt nullus eſt qui non ſit obligatus tibi, ſic quod licet filius non ſit obligatus Deo ad mortem propter peccatum patris, eſt tamen obligatus ad mortem ex alia cauſa vel peccato, ideo licite ſecundum ordinatam poteſtatem eum occidit quomodocunq; vult. Non eſt ſic de iudice, qui eſt perſona, & miniſter reipublicæ puniens offenſas factas reipublicæ. Cum ergo filius mali patris non offenderit rempublicā in aliquo, non eſt ei obligatus ad mortē, nec licite eum iudex occidit. Sed poteſt argui ꝙ iudex licite occidat filios ꝓ patrib⁹ quia peccāte Achor filij, & vxor, & vniuerſa q̄

Arguit ꝙ iudex licite filios pro patrib. occidat

A ad eum pertinebant, cumbuſta ſunt, vt habetur Ioſue 7. ſed non habetur alicubi expreſſe quod mandato Dei hoc egerint, ergo videtur quod iudex ex officio ſuo occidit filios innocentes pro peccato parentum.

Item quia omnes tribus pugnanerunt contra tribum Beniamin,& deleuerunt vniuerſa in ore gladij ſiue viros,vel vxores,ſiue paruulos,qui nihil peccauerant, & tamen non reperitur quod fuiſſet de mandato Dei de quo Iud.20.c.

Item omnes tribus fecerunt pugnam contra Iabes Galaad & occiderunt viros,mulieres,& paruulos exceptis puellis virginibus : ſed hic nihil peccauerant paruuli , & non legitur Deus tale mandaſſe, tamen hæc omnia in ſacra ſcriptura approbata fuerunt. Item quia in legibus humanis mandantur filij cum patribus occidi in certis criminibus , pro peccato patrum , vt in crimine læſæ maieſtatis contra principem, ergo aliquando iuſte mors infligitur filiis innocentibus pro patribus nocentibus. Sed ad iſta faciliter reſpondetur ſic ad primum , quod licet Ioſue non legatur expreſſum mandatum habuiſſe ad occidendum Achor cum tota domo ſua, tamen veriſimile eſt, quod Deus ei mandauerit , quia Deus ei frequenter loquebatur,ideo veriſimile eſt quod tantam ſeueritatem non exercuiſſet niſi à Domino audiuiſſet mandatum. Item quia Deus dixit, quod non ſtare poſſet Iſrael contra hoſtes ſuos,donec deleretur,qui fecerat,ſed combuſta tota familia & ſubſtantia Achor & ipſo lapidato auerſus eſt furor Dei ab Iſrael, & deſtruxerunt hoſtes iubẽte Deo

B ergo videtur quod Deus illud mandaſſet,alias non fuiſſet ita placatus,de quo Ioſ.7.& 8.c.

Item quia Deus mandauit delere illum qui peccauerat: ſed non dicitur deleri aliquis,quando manent filij eius vel aliqua pertinentia ad eum,vt patet Eccleſ.30.cap. mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus , reliquit enim filium ſimilem ſibi. Sic etiam ad ſecundum de occiſione paruulorũ Beniamin, quia licet non ponatur per verba ita expreſſa , tamen aliqualiter infertur ex verbis tex. quia cum conſuluiſſent omnes tribus vtrum pugnarent vltra contra Beniamin, Deus reſpondit cras tradam eos in manus tuas,iſta reſponſio eſt intelligenda ſecundum conſuetudinem belli, bellatores enim capientes hoſtes omnia vaſtant, ſic videtur quod permiſit eis Deus, quia promiſit ſe traditurum ſimpliciter Beniamin in manus iſtorum.

Idem videtur dicendum de habitatoribus, Iabes Galaad quod eos mandato Dei occiderint , licet non ſit ſcriptum quia multa facta fuerunt quæ ſcripta non ſunt.

Ad quartum de eo quod dicitur de legibus humanis non valet conſequentia,quia multa principes ſtatuunt, quæ ſimpliciter iniuſta ſunt,quia voluntas principis quę pro lege accipitur vt patet inſtituta de iure naturali & ciuili. §. principũ quoque placita, valde variabilis eſt, quia voluntas humana eſt valde malus canon , vt patet 3. Polit. maxime quia ſecun-

C dum leges humanas error principis facit ius.

Item quia multa mala in legibus humanis permittuntur, quæ ſecundum diuinam legem valde puniuntur,vt meretrices,& concubinatus inter perſonas ſolutas. Et ideo ſi occidere patres pro filiis ſecundum leges humanas licet, tamen ſecundum diuinam legem nunquam licet , ſed iſta fiunt propter miſeram conditionem ſtatus humani, quia aliter conſeruari non poteſt niſi iſta fiunt, & ſic ponit Auguſtin. de ciuita.Dei lib.19.de multis pœnis,& malis quæ fiunt in politia humana ad conſeruandum ſtatum politicum,vt torquere in nocentes propter alicuius criminis præſumptionem , vt aliquando contingat,quod aliquis duros timens cruciatus mala,quæ non egit,ſe egiſſe fateatur, vt leui mortis compendio diuturnos cruciatus effugiat,& plurima alia ponit ibi,de quibus humana miſeria plangenda eſt.

An Domini locorum permittentes fieri in ciuitatibus ſuis ea quæ contra legem Dei ſint, & aliquo modo factis conniuentes peccent mortaliter.

QVÆSTIO VI.

SI tamen quæras nunquid iudices vel Domini locorum permittentes in legibus ea quæ contra legem Dei ſunt peccent mortaliter, vel ſi illa non puniant.

Aliquis forte dicet quod cum domini & rectores ciuitatum debeant intendere bonum politiarum ſuarum, & hoc à Deo ſit eis mandatum , quod ſi aliqua lex ſit vtilis politiæ etiam ſi ſit contra legem Dei euangelicam , quod ſeruare eam debet,ſed hoc falſum eſt, quia leges humanæ ſunt variabiles, & lex diuina inuariabilis,ideo per eam dirigi debent.

Sed ad hoc dantur aliquæ regulæ , prima quod pro nulla vtilitate temporali quantumcunque adueniat politiæ toti, ſiue perſonis ſingularibus , vnquã debet ſtatui aliqua lex iniqua, quæ ciuitatis conditionem faciat meliorem , vel ab aliis ſtatuta ſeruari non debet,ideo lex vel conſuetudo ſecundum quam permittitur , quod arca communitatis accommodet ſub vſuris iniqua eſt,& peccant qui talem ſtatuunt,vel obſeruant,ſed magis,qui ſtatuunt,ſicut magis peccat hæreſiarcha, quam ille , qui hæreſim conditam ab alio ſequitur , & patet iſta regula quia ſi pro vtilitate communitatis liceret quęcunque contra Dei legem agere , liceret etiam per latrocinia , & iniuſta bella ſpoliando extraneos communitatem ditare.

Secunda regula quod lex illa quæ permittit aliquid contra legem euangelicam,quod ſi non permitteretur,redundaret in deſtructionem politiæ, & maiora mala,non eſt iniqua, nec principes obſeruantes , vel non punientes non peccant, vt leges quę permittunt vel non prohibent meretrices,equitas iſtarum legum habetur per conformitatem ad legem diuinam. Et non oportet , quod iſta conformitas ſemper ſit in

E eo quod lex mandat, ſed in eo quod per illud mandatum inducere intendit, lex enim quæ fornicationem ſimplicem nõ prohibet,licet in eo,quod mandat,repugnet legi diuinæ, tamen intendit per hoc abſtrahere homines à peccando , cum cognoſcat certiſſime quod ſi meretrices tollantur , tota ciuitas libidinibus conturbabitur,& infinita adulteria,continua bella inter virum,& vxorem,iniuſtus zelus,& retractio à cõtrahendo propter timorem incertæ prolis. Poſitis ergo meretricibus magis Deo ſeruitur quam ſemotis , ſtante miſeria communi conditionis humanæ, ideo ſi aliqua lex vetaret omnes meretrices à loco , iniqua eſſet , quia maioris mali fomenta præberet.

Et ſi dicas debuit ergo lex diuina meretrices conſentire, vt maiora mala vitarentur.

Reſpondetur , quòd lex Dei , quæ immaculata , & ſancta eſt nullum malum debet conſentire , ſed beneplacet ei quod lex humana conſentiat, & ſic eſt rectiſſimus ordo , quia ſi lex diuina fornicationem ſimplicem permiſiſſet,omnes in illam effrenarentur in tantum , quod conditio humana beſtialior redderetur, & debilior per frequentes coitus , ſed nunc lege diuina prohibente , qui ſpiritum Dei in ſe habent propter Deum fugiunt eam,aliqui autem timore gehennæ, alij autẽ, qui à forti paſſione vincuntur videntes omne genus concubitus præter ſimplicem à legibus,eſſe prohibitum, hanc tanquam ſecuriorem amplectuntur. *Non peruertes iudicium aduenæ.* Specialiter monet ſeruandam æquitatem in iudiciis aduenarum id eſt eorum,qui conuerſi ſunt de gentilitate, quia non habebant aliquos adiutores, & iudices, frequenter tales in iudicio deprimebant: ſic de cauſa pupilli qui patrem non habet defenſorem , & de vidua quæ virum non habet: ideo culpantur iudices , qui cauſas viduarum , & pupillorum non ſuſcipiebant,vt patet Eſa.1.c.tamen non tantum pauperi vel viduæ ſeu pupillo miſerendum eſt, vt propter eos contra aduerſarios iniuſta feratur ſententia, vt patet Exo.23.c. pauperis non miſereberis in iudicio.

Nec auferes pignoris loco veſtimentum viduæ. Hoc eſt ſpeciale in viduis , quia ſupradictum fuerat , quod ſi acciperetur pro pignore veſtimentum , quod redderetur ante occaſum ſolis, hic autem mandatur nullo modo aſſumi veſtimentum viduæ pro pignore , ratio diuerſitatis quia hic dicitur de veſtimento , quo vidua de die tegitur , ideo non eſt ſibi auferendum,nec etiam per noctem , quia in eo dormit propter paupertatem vt patet Exod. 22.c. *Memento quod ſeruieris* , id eſt, ſi forte graue tibi videtur illud mandatũ , memento quod ego mando illud qui eduxi te de Ægypto, ideo pro tanto beneficio accepto ſcies te eſſe ſatis obligatum ad obediendum , vel aliter.*Memento quod ſeruieris*,id eſt memento quantas miſerias paſſus fueris in ſeruitute Ægypti , & quod ibi deſiderabas quod aliquis miſeretur tui,ſic tu miſereris viduæ, ſed prima magis conuenit ſequenti literæ, ſcilicet.

D

F

Seruanda eſt æquitas in iudicijs aduenarũ.

Speciale in viduis.

A

Ideo præcipio tibi vt facias hanc rem, sc. quia de Ægypto te duxi. *Cum messueris.* Hic ordinatur homo ad pietatem in largiendo pauperibus. Et de his dictum fuit Leui.19.cap.quod non erat ager tondendus vsque ad solum, nec spicæ remanentes colligendæ erant, & ista erant quasi media inter consilia, & mandata. Item de quantitate relictorum, scilic. vuarum vel segetum, siue oliuarum, sola consuetudo requirenda erat, si enim aliquis obliuisceretur multos manipulos vel magnos, non prohibetur per hanc legem reuerti pro illis, sed quando sunt aliqua pauca. *Sed aduenam, pupillum, & viduam patieris auferre*, supra quando agebatur de eleemosynis fiebat mentio de leuita qui nunqnam relinquendus erat, vt patet supra 12. & 14.c. hic autem non fit mentio de eo, & est ratio, quia in aliis locis dicebatur de mutatione leuitarum tempore sacrificiorum in Hierusalem, ad quem locum ascendebant leuitæ tempore solennitatum trium, & de decima quæ seruabatur in tertio anno pro pauperibus, & leuitis, & poterant leuitæ illo tempore venire de vrbibus suis ad recipiendum eam, sed hic dicitur de collectione diuturna messium, vuarum, & olearum, quæ durabant magno tempore anni, leuitæ, aut non poterant congrue morari tanto tempore extra vrbes suas pro parua vtilitate.

Caput XXV.

B

Si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt, quem impium, condemnabunt impietatis.

Si fuerit. Supra dictum fuit de directione rationalis circa varias communicationes, hic agitur de directione eiusdem circa pœnarum distributiones.

Et tanguntur duo.

Primum de pœnis ciuium.

Secundo de pœnis hostium ibi. *Memento, quæ fecit tibi.* Prima in duas. Primo ponit iniustitiam factam.

Secundo ponit de non faciendo regulam ibi. *Non habebis in sacculo.* Iterum in prima de pœna virorum.

Secundò de pœnis mulierum ibi. *Si habuerint inter se iurgium.* Iterum primò agit de causa litigij. Secundò de causa matrimonij ibi. *Quando habitauerint. Si fuerit causa.*

An de causis ciuilibus hic agatur, vel criminalibus. Et quæ sit causa maxima criminalis de qua hic agitur.

Quæstio I.

C

Hic agitur de causis ciuilibus quę in ciuitatibus propter varias communicationes ciuium fiunt, ex quibus exoriri solent contentiones, quia homines vt communiter habent desideria inordinata, & magis volunt aliena rapere quã de suis dare: ad sedandas has contentiones quotidianas ponuntur iudices, qui definiant, ne per ista pax ciuitatis destruatur. *Si fuerit causa inter aliquos.* Licet litera ista de qua hic in principio agitur, intelligatur de causa ciuili: istud tamen, c. de vtroq; iudicio agit tam de iudicio causæ criminalis, quã ciuilis, & non potest tota litera intelligi de causa ciuili, nec tota de causa criminali, patet quia si dicatur, quod intelligatur tota de causa ciuili, obstat quod infra dicitur quod verberabitur reus, in causa tamen ciuili ciuiliter intentata nunquã aliquis verberatur, nec etiam potest intelligi totaliter ista litera de causa criminali pure criminali, siue criminaliter intenta, quia litera facit differentiam hic de genere causarum implicite cum dicit. *Quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt quem impium condemnabunt impietatis.* Sin autem eum qui peccauerit viderunt dignum plagis &c. in quo manifeste innuitur quod in prima causa cõdemnabatur aliquis impietatis suæ, & non erat dignus plagis, ergo prima non erat criminalis, & dabitur hic regula generalis quantum ad omnes causas ciuiles, non tamen erat regula generalis quantũ ad omnes causas criminales, & de causis ciuilibus, patet quia cum alicuius discussa causa reperiebatur iustam fouere litẽ, dabatur ei victoria, ei autem qui succubuisset imponebatur pœna & non taxatur, in quo innuitur quod deberet fieri in qualibet causa ciuili sicut in ea iustum videretur, siue ex lege, siue ex consuetudine, leges autem de causis ciuilibus aliquæ positæ sunt Ex.21.& 22.c. & aliquæ ponuntur in libro Num. & cum tales reperientur per illas iudicandum est, si autẽ non reperiebantur leges super hoc sequebantur consuetudines suas & statuta principum terræ, de causis autem criminalibus non datur hic regula generalis, quia maxima causa criminalis de qua hic agitur est in qua aliquis posset flagellari sustinens vsq; quadragenas percussuras, & hoc erat in leuibus criminibus cum quis non merebatur mortem, & tamen non poterat soluendo pecuniam rationabiliter absolui, quia tunc infligebantur istę percussiones in alijs autem maioribus criminibus quæ morte plectenda erant data erat regula supra in multis locis diuisim de multis, ideo non fuit hic data.

D

Distinctio de punitione criminum qualiter puniri debent singula de lege diuina. Et primum idololatria qualiter puniri deberet.

Quæstio II.

Considerandum est autem pro hoc ꝙ si aliquis faciebat aliquid propter ꝙ merebatur mori, aut illud erat idololatria quod erat maximum peccatorum, aut erat aliquid alterum, si autem esset idololatria dicendum, quod istud peccatum primo quo post datam legem commissum fuit ferro vindicante punitum est nam Moyses acceptis secum leuitis introeuntibus eis à porta castrorum vsque ad portam viginti tria millia hominũ ab eis percussa ceciderunt, vt patet Ex. 32. ca. lex tamen vindicandi istud crimen postea non sic data fuit, nam ille qui committebat istud crimen, aut erat persona priuata, aut erat aliqua communitas vel plures de communitate, si erat vnus, tunc aut sollicitauerat alterum, vt irent ad colendum Deos alienos, & tunc lapidandus erat quicunque ille esset, vt patet supra 13.c. aut actualiter aliquando coluerat Deos alienos, & tunc etiam debebat lapidari vt patet supra cap.17. si autem colens idola esset communitas scil. quod aliquis totus locus in terra Israel coleret idola, vel plures, & principaliores colerent: si hoc notum esset, & alij non corrigerent, vel saltem non notificarent exponentes toti Israeli, omnes incidebant in capitalem sententiam scilic, quòd tota ciuitas destrueretur, ita quòd ipsi viri, & iumenta omnia perirent gladio, atque quicquid viuens esset, deinde muri & domus prosternerentur, atque omnia comburerentur, vt esset tumulus æternus, de hoc supra 13.cap. Si autem erat aliud peccatum quod non pertineret ad Dei cultum per se, sed pertineret quomodocunq; saltem indirecte, vtpote in obseruatione sabbati, quæ erat non directe ad Dei cultum affirmando aliquid de ipso vel negando, quod ad hæresim pertinet, sed quod esset ad quandam reuerentiam Dei, vtpote quæ erat in vacatione quadam facta propter Deum, & ista erat in sabbati obseruatione, & tunc si aliquis delinqueret in hoc mori debebat vt patet Exod.31.cap. genus autem mortis erat quod lapidaretur, vt patet Num.15. cap. de quodam homine qui in sabbato inuentus fuit colligere ligna, alia sunt peccata quæ erant solum contra Deum, vt non circuncidi in tempore debito, vt patet Gen. 17.c. & in hoc non erat iniuria alicui alteri homini, si tamen aliquis peccaret mori debebat, cum dicitur peribit anima illa de populo suo, vt habetur in eo ca. sed in hoc vtrum iudex pro tali omissione infligeret pœnam mortis, vel Deus suo iudicio occulto, ibidem dictum fuit, eodem modo cum aliquis conficeret thimiama, vt delectaretur odore illius, vel si conficeret vnguentum, vt illo perungeret carnem suam, prædicebat ei Deus quod periret de populo suo, vt patet Exo.31.c. eodem modo cum aliquis offerre vellet, aut offerret aliquod genus sacrificij extra atrium tabernaculi, nam tunc prædicebatur ei, ꝙ periret de populo suo vt patet Leuit.17.c. Si autem aliquis peccaret in aliquibus rebus quæ erant contra proximum, aut ille proximus erat aliquis superior, vt pater, & mater, aut non, si erat maior sic est pater & mater, & cum aliquis peccaret in hos, vtpote maledicendo eis, morte moriebatur vt patet Exod.21.ca. sc. qui maledixerit patri aut matri morte moriatur, loquor autem hic

E

De sabbato violato.

F

De peccato offensionis proximi.

de offen-

A

de offensa quæ fit patri, aut matri, vt pertineret ad mandatũ de honorando parentes, quia sunt quædam aliæ offensæ, quę fiunt parentibus, & pertinent ad alia præcepta: reducitur autem, & ad hoc præceptum obedientia debita maioribus, qui tanquam patres reputanrur, scilicet, principes, & iudices qui autem istis nonobedirent morerentur, vt patet supra 17. cap. scilicet, qui non obedierit mandato sacerdotis, & decreto iudicis morte moriatur.

De punitione peccatorum carnis quorũcunq;.

Si autem aliquis peccaret in vitio carnis, aut erat commertio solutorum voluntaria, & tunc nulla pœna erat, si erat inuoluntaria, vir qui inuitam acciperet virginem, & coiret cũ ea, dabat patri puellæ. 50. siclos, & accipiebat eam in vxorem, & non poterat eam relinquere aut repudiare vllo tempore vitæ suæ vt patet supra 22. cap. si autem illa esset non soluta, sed aliquo vinculo alicui homini esset vnita, quærendum est an istud vinculum esset vinculum consanguinitatis, quod haberent inter se vir & fœmina coeuntes, aut erat vinculum matrimoniale, vel obligationis ad matrimonium.

B

De primo modo si quis cognosceret matrem suam aut filiam, aut sororem, auiam, aut auunculam, materteram, & sic de cæteris consanguineis vel affinibus, quia pro coitu inter istos infligebatur pœna mortis, vt patet Leu. 18. & 20. c. & nõ solum si esset inter eos opus hoc nefarium perpetratum, sed etiam aliquid minus, quod pertineat ad præludium huius actus, de quo magis declaratum fuit Leuit. 20. c. Si autem inter fœminam, quæ sic cognoscitur sit ad alterum matrimoniale vinculum, aut aliquid loco talis vinculi, distinguẽdum, quod aut erant contra sponsalia de præsenti inter aliquam fœminam, & virum, & tunc si fœmina cognoscatur ab alio viro in ciuitate vel loco existẽs vterq; mori debebat, vir quia corrupit, & puella quia non clamauit, aut fuit extra locum in agro cognita puella, & tunc præsumit ius eam clamasse, & nõ fuisse exauditam, & tunc solus vir occiditur, de his patet supra 22. cap. Aut erat magis ligata quam per sponsalia de præsenti, vtpote quia erat viro matrimonialiter tradita, & ab eo carnaliter cognita, quia tunc si aliquis eam cognosceret, moriebantur ambo, distinguendo tamen sicut in prioribus distinguebatur, & ista mors quę erat sic peccantibus, erat quod lapidari deberent, vt patet Leuit. 20. & supra 22. capit. & non solum erat hoc quando puella post desponsationem vel traditionem in matrimoniũ cognoscebatur altero viro coeunte cum ea, sed etiam quia si fuisset cognita antequam desponsata, & tamen desponsari se consentiret, nõ exprimens, quod virgo non esset. Nam tunc accusare poterat vir puellam cum ad eam primo accederet, quòd eam non reperisset virginem, vt patet supra 22. cap. aut non erat puella habens vinculum matrimoniale per aliqua verba contractum, nec finito matrimonio, aut non finito, sed erat obligata, vt traderetur in sponsam alicui viro, & tunc si ab altero cognosceretur, moriebatur vir cognoscens & puella sic cognita, sicut si moreretur aliquis vir non habens liberos de vxore sua, & maneret aliquis frater eius nondum vxoratus, accipere debebat vxorem fratris sui nondũ ab alio acceptam. Et si antequam frater mortui diceret illi mulieri, quod nolebat eam in vxorem, ipsa cognoscebatur ab altero, vt patet in isto c. & Ruth. 4. c. mori debebat tanquam si maritata aut desponsata foret, vt patet de Thamar quam ideo Iudas iudicauit ad mortem, quia filio suo Sela in vxorem tradenda erat, cum veniret Sela ad ętatem adultam, etiam si tunc non esset ei aut desponsata, aut maritata, sed antequam ei traderetur reperta est concepisse, de quibus Genes. 38. c. de fornicatione autem, quæ erat inter pure solutos, dictum fuerat, quod non imponebatur pœna mortis pro illa, fallit tamen in vno casu, scilc. quando filia sacerdotis magni quæ nondum erat maritata aut desponsata, fornicabatur in domo patris, quia tunc ipsa comburebatnr, vt patet Leui. 21. c. corruptor autem eius vel coiens cum illa, licet non exprimatur ibi, quod mori deberet, satis tamen rationabile est, quod mors aliqua ei inferretur, vt lapidatio vel suspensio, iste suprapositus coitus secũdum naturam factus.

C

De punitione vitiorũ carnis contranaturam.

Alius autem est contra naturam. Et iste est duplex aut masculorum cum masculis, quod fœtidissimum est, & vocatur sodomiticus, & in isto taliter operans lapidari debebat, vt patet supra Leui. 20. & 18. c. Aliud vitium est quod fit cum brutis, vt quod viri coeant cum brutis, vel fœminæ cum brutis, & tunc oportet dari crudelem mortem scilicet quod lapidetur, vt patet Leuitic. 20. Alia autem erant vitia carnis, vt mollities quæ fit in solo agẽte, qua propriissime quispiam in corpus suum peccat: & aliud genus cum quis cum fœmina coiens semen effundit in terram, quodlibet autem horum grauissimum est, & morte dignum atrocissima, sed quia hæc ita secretissima sunt, quòd vix vnquam testes habere possint, imo nunquam testes habeant, non fuit posita aliqua lex super hoc, quia valde esset superuacuum ius ponere, vbi nunquam potest haberi probatio iuris secundum quam executio, Deus tamen ista sibi tanquam grauia, & quia hominibus incognita erant, punienda seruauit, vt patet de Her & Onam duobus fratribus filiis Iudæ atque succcssiue maritis Thamar, qui semen fundebant in terram, ideo Deus morte atrocissima occidit eos, vt patet Gen. 38. cap. Est etiam & alius casus ad huiusmodi pertinens vitium, vt cum quis semen in aliquo vase effunderet, & offerret idolo Moloch, vt Deum illum immũditiæ sibi per huiusmodi obscænitatis extrema placaret ad habendum quicquam in amore venereo, de hoc erat grauis pœna si quis talia faceret scilicet quod ipse qui fecisset lapidaretur à toto populo, & si populus aut cognatio hoc sciens hominem illum non occideret, totaliter cum ipso mali perpetratore periret vt patet Leui. 20. cap. & per hoc inflictam à domino cladem, tenet autem iste casus secundum vnam expositionem accipiendo semen pro humano semine.

D

Alij autem duo casus sunt qui aliquo modo ad hoc pertinent, & aliquo modo ad præceptum primum de cultu Dei: est autem vnus si quis obseruaret auguria, aut diuersos modos incantationis, aut cuiuscunq; maleficę artis, cuius multæ species ponuntur, supra 18. c. & in his peccans mori debebat, vt patet Exod. 22. cap. cum dicitur, maleficos non patieris viuere: sic etiam ponitur supra 18. c. de istis tamen non ponitur, quæ pœna eis infligatur, sed videtur quod lapidari debeãt sicut alij idolatrantes puniuntur, vt patet supra 17. cap. Alius casus est si aliquis immolaret filium suum aut filiam dæmonibus, quia tunc lapidari debebat, & hoc quia dœmoninbus immolabat, & quia hominem filium occidebat & hoc patet Leuit. 20. cap. cum dicitur quod nullus offerat de semine suo Moloch, ita quod in eadem litera fundatur vterq; sensus secundum quod aliter & aliter accipitur semen siue pro ipso semine virili, siue pro filiis genitis ex semine.

E

De pœna obseruantiũ auguria.

De pœna immolantium filios dæmonibus.

Cum quis etiam peccabat in occidendo pœna mortis ei infligebatur, sed differt quia aut occidebat voluntarie, aut à casu, si autem à casu occideret quis alium, non erat ei pœna mortis, sed fugiebat in ciuitatem vnam de ciuitatibus refugij & ibi eripiebatur, de hoc Exo. 21. c. & Num. 35. & supra 19. ca. si autem voluntarie aliquis alterum occidebat, aut erat per insidias, aut alias sine insidiis, si erat sine insidiis, aut percussus moriebatur ex vulnere, ita quod postquam percuteretur non conualescceret potens ambulare super baculum suum, & tunc quandocunque moreretur percussus, tenebatur percussor reus mortis, & iugulari debebat, vt patet Numer. 35. c. aut postquam percussus fuit conualuit, & ambulauit super pedes suos, aut baculũ, & post recidens in infirmitatem mortuus fuit, & tunc non tenebatur occisor reus mortis, vt patet Exod. 21. cap. vbi tota ista distinctio ponitur, & hoc verum est quando ille qui occiditur, liber est: si autem aliquis percutiat seruum suum gentilem aut conuersum de gentilitate, aut moriebatur immediate in manibus suis, vel ante vnam diem, & tunc moriebatur Dominus, qui occiderat seruum: aut moriebatur post vnum diem saltem, & tunc non occidebatur dominus pro seruo, quia pecunia illius erat, aut occidebat aliquis per insidias, & tunc mori debebat occisor, & nõ solum moriebatur, sed etiam non gaudebat aliquibus immunitatibus sacrorum locorum sic patet Exod. 21. cap. scilic. si aliquis per industriam occiderit proximum suum, aut per insidias, ab altari modo euellas eum, vt moriatur, alij autẽ gaudebant immunitate locorum sacrorum, iste autem non, ista autem sunt quando fit mors aliquibus personis, quibus non est specialissima obligatio, aut reuerentia tenenda.

De pœna obseruantiũ auguria.

De pœna immolantium filios dæmonibus.

De pœna diuersorũ occidẽtium.

F

Si autem fiat mors in personis specialissimæ reuerentiæ, vt in patre & matre, sc. quod filius occidat patrem aut matrem, occidetur filius, & ista crudelior pœna esse debebat quam si quis aliquem alium occideret, sed non exprimitur specialior pœna in vno quam in altero, sed solum quod morte moriatur, vt patet Exod. 21. cap. leges autem humanæ seuerius puniunt,

De pœna insidiatoris patricidij.

niunt, vt patet digestis de patricidis per totum, scilicet, quod patricida insuatur culeo, id est, in quodam corio, & ponatur gallus, & serpens, atq; simia, & proiiciatur: sic enim fuit condemnatus Maleolus, vt ait Tullius lib. 1. rheto. nouæ in fine, hoc autem est cum quis per se occidit, si autem aliquis non occidat per se, sed det occasionem homicidio, tenetur homicidij, vt si aliquis monitus fuerit vt bouem cornupetam recludat, vt non custodierit, & ille occiderit aliquem virum, vel fœminam, paruulum, aut magnum, occidetur Dominus bouis, & sic de aliis qui aliqua animalia ferocia habent vt patet Exod. 21. c. Cum aliquis peccabat in furto non infligebatur pœna mortis, sed duplum, aut quadruplum, vel quintuplum, vt patet Exo. 22. c. si tamen aliquis furaretur hominē, & venderet eum morte moreretur, vt patet Exo. 21. ca. Si autem aliquis peccaret in falsitate testificando, puniebatur eadem pœna qua puniendus erat qui per depositiones, ideo si propter crimina quæ deponebat testis, deberet accusatus pati manus absciſſionem, patiebatur testis falsidicus manus absciſſionem, si autem esset aliquod genus mortis, infligēdum pro depositione, idem infligebatur testi deponenti vt patet supra 19. cap. alij autem sunt casus, in quibus peccans deberet capitalem sustinere sententiam, qui non ita clare in lege expressi, in quibus, & in omnibus aliis expressis, in quibus tamē pœna expressa non est, infligebatur pœna suspendij, vt patet supra 21. c. cum dicitur quando peccauerit homo, quod morte plectendus est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, &c. de istis ergo de quibus infligebatur mors, non extitit hoc dictum cum alibi expressum fuisset, sed cum sunt alij casus, qui nō merentur pœnam mortis sed aliquam aliam, ponitur hic pœna quod flagelletur peccans vsque ad quadragenas flagellorum percussuras. *Et appellauerunt iudices*, id est, si causam suam noluerint ducere ante iudices. *Quem iustum esse perspexerit.* Qui viderint fouere iustam causam, quis autem iustior esset sciebatur per leges datas in omnibus istis 4. libris in quibus agitur de aliquibus causis iudicialibus, *Illi iustitiæ palmam dabunt*, id est, illi dabunt victoriam in iudicio pronūciantes pro eo, & alterum condemnantes, & est locutio metaphorica, quia sicut olim victores in bellis palmam gestabant in manibus victoriæ excellentiam ostētantes, sic vincens etiam in iudicio palmam habere dicitur. Nicolaus dicit, quod forte ad literam posset intelligi, q̄ obtinentes in causis palmam in manibus recipiebant. Sed non multum videtur, quia in litera hebraica non habetur palma. Itē quia non habetur forte in quolibet loco palma ad dandum obtinentibus in causis. *Condemnabunt impietatis.* Pronunciantes eum fouere causam iniquam, & condemnantes ad petita & expensis alteri parti.

Sin autem eum qui peccauit. Hic agitur de causa criminali pro qua debetur corporalis punitio. *Dignū viderit plagis.* Quia malum quod probatur contra eum, non est punibile in pecunia. *Prosternent.* Ita quod flagellaretur extentus super humum ad confusionem suam. *Et coram se facient verberari.* Vt magis erubescerent publice punitus, & vt iudices p̄sentes facerent ne in verberibus ministri excederēt, vel ex pietate diminuerent, sed daretur tanta punitio quanta diffinita fuisset. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*, id est, quantitas, sic habetur Apo. 18. c. quantū glorificauit se in deliciis suis tantum date illi de tormento. Et ponitur hic mensura punitionis secundum mensuram peccati, & si proprie respiciatur nō potest mensurari, vel æquari pœna peccato, quia ista sunt diuersorum generū, mensura autem & mensuratū semper sunt in eodem genere, quia rectum non potest mensurari per circulare, nec econtrario, maior tamen distantia est inter pœnam & culpam, sed accipitur mensuratio pœnæ & culpæ secundum communem opinionem humanam, cum autem aliqua pœna peccati deuiat à statuto legis, vel à communi extimatione humana, non mensuratur pœna & culpa, & quia opiniones hominum variæ sunr, ideo apud diuersas gētes varie taxatur pœna peccatorum: & est ista varietas ex multis. Primò quia eadem peccata apud quasdam gentes grauiora reputantur quam apud alias: ideo grauius puniuntur, vt apud quasdam gentes non reputatur adulterium tantum peccatum sicut apud alias. Item quia quædam gentes promptiores sunt ad vnum peccatum, quam aliæ gentes: ideo leges iustæ illud durius puniunt ibidem, quā alias. Item quia quædam vitia damnosa sunt quorum damnum minus à patientibus vitari potest, vt furari quæ in agro, vel quæ in domo: minus enim custodire possunt, quæ in agris sunt, quam in domo, ideo Exod. 22. pro furto rerum domesticarum solum datur restitutio dupli, pro furto in pecoribus datur quintuplum in bobus: in ouibus autem quadruplum, sic leges humanæ multum puniunt crimen abigeatis de abigendis pecoribus ad perditionem, & nocturni deprǣdatores agrorum minus gaudent immunitatibus, quam alij fures. *Ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant.* In causa criminali habebant Iudæi duos modos punitionis, quia aut infligebatur mors, aut non, si danda erat mors aliqua suspendebatur, vt patet supra 21. cap. pro omnibus peccatis: aliquando iugulabatur, vt pro homicidio, vt habetur Numer. 35. cap. aliquando lapidabatur, vt pro adulterio, & similibus: de quibus Leuit. 20. & 21. cap. & supra 22. cap. aliquando comburebatur, vt qui acciperet in vxores matrem & filiam, vt patet Leuit. 20. cap. De latrocinio autem dabatur pœna scilicet restitutio semidupli, quadridupli, vel quintidupli, vt patet Exodi 22. cap. sed hoc videtur esse quando aliquis raro hoc fecisset, sed si multotiens ista faciebat, maxime si insidiabatur in viis, occidebatur suspendio, & patet quia cum Christo duo latrones crucifixi sunt, vt habetur Matth. 27. cap. & hoc erat in lege veteri secundum iudicium legis. Nisi forte dicatur, quod Pilatus iudicauit illos secundum leges Romanorum, quia erat iudex positus à Romanis. Si autem alicui imponebatur pœna, quæ non esset ad mortem, aut erat pœna talionis, quæ infligebatur falsis testibus, & aliis percutientibus à proposito, & tunc dabitur dens pro dente, fractura pro fractura, vt habetur Leuit. 24. cap. & supra 19. c. facta distinctione, quam in prædicto c. posuimus, si autem esset causa in qua non infligeretur talio, oportebat distingui quantitatem causæ, & secundum hoc dabantur plura, vel pauciora flagella: dum tamen pro nullo crimine vltra quadraginta flagella darentur, sed si crimen magnum erat, ita quod mereretur vltra 40. flagella, dabantur 40. deinde seruabatur reus, vt iterum alia 40. reciperet, sic habetur de Paulo, quòd quinquies 40. minus vna tulit, vt patet 2. Corinth. 11. c. & infligebant Iudæi 40. minus vna, quia timebant, quod in computando erassent & numerum excedere.

Ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus, si enim multa flagella aliquis pateretur, posset patiendo deficere, & sic aliquis qui mortem non merebatur, sic moreretur. *Fœde laceratus*, dicitur quia quando multa flagella infliguntur, decorticatur cutis, & caro intumescit, & sic deformia apparent vulnera. Item quia flagellatio pœna seruilis est: ideo homini libero multa flagella infligi non debent. In hebræo habetur. *Ne dehonoretur coram te frater tuus*, ad eandem sententiam redit, sed litera hebraica breuior est, & nostra supplet in verbis, quod hebraica intrinseco continet intellectu.

Non ligabis os bouis triturantis. Hic ponitur pars incidentalis de iustitia circa animalia bruta, quia iustum est, vt animalia laborantia comedant: ideo non debet claudi os bouis triturantis ne comedat. Et idem intelligitur de aliis animalibus, quæ laborant in aliqua occupatione, vt si iumenta triturent, & hoc verum est, nisi in comedendo magnum damnum inferrent, vt quando vineæ in Aprili arantur, & sunt virides propagines, si iumenta vel boues permitterentur comedere, totum venturi anni fructum destruerent: ideo ibi licitū est claudi ora. Et idem intelligitur, quod si aliquis mercenarius laboraret in agro vel vinea, dum ibi fructus sunt, non prohibebitur manducare: Apostolus ad Cor. 9. cap. inducit in alio sensu, & vult quod ille sit sensus literalis, scilicet quod ille qui laborat debet de labore manducare scilicet prædicator, quod debet de bonis suorum auditorum sustentari, & vult, quod Deus non intellexerit de bobus, sed de prædicatoribus, sic in quiens: nunquid de bobus cura est Deo, an propter nos vtique dicit? nam propter nos vtiq; scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi, sed dicendum cum Apostolo, quod ista litera principaliter intendit de mercede non prohibenda prædicatoribus, sed tamen minus principaliter potest intelligi de bobus, & aliis iumentis: & quando Apostolus ait, quod non est Deo cura de bobus verum est magis principaliter: sed minus principaliter bene, quia Deus vult gubernationem omnium rerum:

A

De pœna latronū de qua melius infra. De punitione testiū falsè testificantium.

B

C

Vnde sint varia pœna peccatorū.

D

De pœna latronū.

E

Videtur q̄ Pilatus iudicauit latrones secundum leges Iudæorū, & etiā Christū qa dixerunt Iudæi nos legē habemus, &c.

Flagellatio seruilis pœna est.

F

De iustitia penes bruta animalia.

Deus rerum omniū

A gubernationē vult

rum: vt patet Sapientiæ 11.cap. miſereris omnium, quia omnia potes, diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorū, quæ feciſti, & erunt iſti duo ſenſus literales, ſed vnus principalior, & ſic ſunt multa in ſcriptura, vt patet 2. Reg. 9. cap. de promiſſionibus factis ad Dauid, quæ de Chriſto ſecundum literam intelliguntur, & etiam ſecundum literam de Salomone, vt ait Aug. late 17. lib. de ciuitate Dei: de his autem alibi Deo dante latius dicemus. *Quando habitauerint fratres.* Hic agitur de cauſa matrimonij, & datur hic lex, quod frater ſuſcitet ſemen fratris ſui defuncti. *Quando habitauerint fratres ſimul*, id eſt, quando ſimul vixerint, ita quod vno mortuo maneat alius, & non accipitur habitare ſimul, id eſt, habitare in eadem domo vel loco, quia hoc nihil agit, & tenet hoc ſolum in fratribus, quia non cogitur aliquis de extraneis accipere vxorem mortui ad ſuſcitandū ſemen defuncti, & dato quod non acciperet eam aliquis de fratribus mortui, ſi acciperet aliquis de extraneis, iſte non ſuſcitabat ſemen defuncti, ſed ſemen ſuum, quia filij inde geniti non nominabantur de familia defuncti, ſed de familia viuentis, ratio quia fratres attinēt ſibi, quia videntur eſſe idem, quia fuerunt vna caro in patre quæ deciſa eſt in diuerſis coitibus. *Et vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit.*

De cauſa matrimonij.

B

An frater maior tenebatur accipere vxorem minoris vel econtra.

QVÆSTIO III.

HOc intelligitur ſemper de filiis maioribus, vt ſi primō genitus frater acciperet vxorem, & moreretur ſine filiis ſequens frater accipere debebat vxorem. Et ſi iſte ſine liberis moreretur accipiebat eam tertius, & ſic vſque in infinitum donec vnus ſemen haberet. Sicut in caſu quem poſuerunt Saducæi arguentes contra Chriſtum, ſcilicet, quod erant ſeptem fratres, & primus accepta vxore mortuus eſt ſine ſemine: deinde accepit ſecundus ſimiliter, & tertius vſque ad ſeptimum, & mortui ſunt ſine ſemine de quo Matth. 22. cap. Si autem minor frater accepta vxore ſine ſemine moreretur maior manens qui forte nondum vxorem receperat, vel acceptam perdiderat non tenebatur ſuſcitare ſemen minoris, ratio quia iſta fiebant ad conſeruandum familias primogenitorum per quos principaliter linea patrum deſcendebat: ideo maiores pro ſe ſemen ſuſcitare debebant non pro minore. Sed poſito quod eſſent multi fratres quorum primogenitus ſemen haberet, ſed ſecundus vel tertius ſine ſemine moreretur: nunquid minores tenebantur ſuſcitare ſemen eorum accipiendo eorum vxores?

Reſpondetur quod poſſet dici, quod non, quia iſta ſuſcitatio ſeminis fiebat propter continuationem familiæ, & nominis primogenitorum: ſi ergo primogenitus ſemen habebat non erat neceſſe fratres minores ſuſcitare ſemen, & licet hoc bene dicatur tamen non patet ex ſcriptura: & tamen licet diceremus, quòd fratres minores tenerentur ſuſcitare ſemen maioris defuncti qui non erat primogenitus: tamen primogenitus non tenebatur hoc facere.

C

Abſque liberis mortuus fuerit. Quia ſi primogenitus mortuus eſt, & reliquit ſemen non tenetur frater ſequens ſuſcitare ſemen eius, quia iam eſt ſucceſſor patris in familia ſua, tamen ſi frater primogenitus mortuus reliquit filios, & mortui ſunt frater ſequens tenetur accipere vxorem eius ſi nondum alius accepit eam, quia idem eſt ſecundum iura, & ſcripturas ſacras filios habuiſſe, & mortuos fuiſſe, & nunquam filios habuiſſe: vt Salomon vocauit ſe vnigenitum apud matrem ſuam, vt patet Prouerbiorum quarto, tamen alium fratrem habuit quem genuit Dauid de Berſabee, vt patet ſecundo Regum vndecimo, ſed ille cito mortuus eſt, vt habetur ſecundo Regum duodecimo capite, & de his extra de verb. ſig. in c. nam & ego. Dicitur autem, quod ſi frater maior fuerit mortuus abſque liberis, quod tenetur frater minor illius ſuſcitare ſemen eius: hoc ergo faciendum eſt quandocunq; ſine liberis moriatur.

(∴)

Mori ſine liberis eſt multipliciter dictum.

QVÆSTIO IV.

MOri autem ſine liberis eſt multipliciter. Primò quando vir moritur, & nunquam genuit filios, quia tunc moritur ſine liberis, id eſt, non habens liberos, nec aliquando habens, & tunc oportet quod frater minor illo aſſumat vxorem defuncti.

Secundò dicitur aliquis mori ſine liberis ſi genuit libēros, & poſtea mortui ſunt ante mortem patris, quia tunc pater moritur ſine liberis, id eſt, moritur, & non habet liberos cum moritur. Et tunc idem dicendum eſt, quia ad ſuſcitandum ſemen, eodem modo neceſſarium eſt tunc accipi illam vxorem viri mortui, ſicut cum vir mortuus fuit, & nunquam habuerat liberos: alias manebat primogenitus ſine ſemine, id eſt ſine liberis.

Tertiò modo dicitur, quòd aliquis moritur ſine liberis, quando filios genuit, & mortuus fuit pater filiis ſuperſtantibus: tamen antequam venirent filij ad ætatem adultam mortui ſunt, ita quòd non manet aliquis de ſemine illius mortui tunc ſi antequam frater viri aſſumat vxorem moriantur iſti pupilli filij fratris ſui, tenetur accipere in vxorem eam, quæ per mortem fratris ſui relicta fuerat: patet quia aliter non ſatis fit intentioni legis, quæ vult ſemen viri mortui ſuſcitari cum æqualiter ſic maneat ſine poſteritate, ſicut ſi ſine liberis mortuus fuiſſet, & nullus ſemen eius ſuſcitaret. In hoc caſu tamen poſt mortē viri non tenetur expectare frater eius minor, qui nondum accepit vxorem, vt videat ſi ſuperuiuent pupilli, vſq; ad ætatem nubilem: nec tenetur mater illorum paruulorum, quæ vidua relicta eſt, expectare vſque ad illud tempus non aſſumpto alioviro tempore intermedio, ſed immediate, vt mortuus fuit vir relictis filiis pupillis, frater eius minor qui ante vxorem non habebat, non tenebatur expectare vlterius ſaltem per vnam diem: & ſi vxor viri defuncti peteret eum in virum, & nollet eam accipere, non incurrebat in pœnam, quæ ponitur infra, ſc. quod vocaretur domus diſcalciati in Iſrael: vxor autem viri mortui compompleto tempore luctus, ſci. conſtituto à lege humana, vel ſecundum conſuetudinem, in quo debeat manere lugens pro viro ſuo, ſi filij pupilli adhuc ſuperuiuerent poterat accipere quemcunque virum vellet, etiam non conſentiente fratre viri ſui mortui: nec ob hoc poterat eam ad mortem accuſare, tanquam adulteratam, ſicut in aliis caſibus ſuperioribus, in quibus debebat eam in vxorem accipere frater viri mortui. Si tamen eueniat, quod mortuus ſit vir habens liberos, & illi ſuperuiuant vſq; quo accipiant vxores, & omnes illi moriantur antequam prolem genuerint, manet ille vir prior ſine ſemine, quia tantum eſt non habuiſſe ſicut habuiſſe, & ante procreationem mortuos fuiſſe: tunc autem ſi iſto tempore adhuc vxor viri defuncti maneat non aſſumpto altero viro, & frater viri mortui, ita quod mulier licet alteri, quam fratri viri ſui mortui nubat, non incidit pœnam adulteræ, & frater mortui licet petente vxore illa non accipiat eam in vxorem non incurrit, pœnam quæ infra continetur, ratio huius eſt, quia in iſto caſu non dicitur proprie mortuus vir ſine ſemine: cum filij ſui ad talem ætatem acceſſerint, vt vacarent generationi vxores habentes: cum filij accipiunt vxores ad alteram generationem pertinent, & tunc ipſis ſic morientibus dicuntur ipſi ſine ſemine mori, & non pater eorum: ideo magis tunc oporteret ſemen iſtorum ſuſcitari, quam ſemen patris eorum, ſcilc. quod ſi aliquis vir ſic moreretur, & relinqueret filios quorum primogenitus accepta vxore mortuus eſt, frater huius primogeniti manens laboraret ad ſuſcitandum ſemen fratris, & ſic non dicebatur tunc ſuſcitari ſemen patris eorum: ſi tamen aliquis moreretur relictis filiis paruulis, & poſtea eiſdem antequam vxores acciperent mortuis: ſi frater viri mortui acciperet vxorem eius, nō dicebatur ſuſcitare ſemen pupillorum mortuorum, ſed ſemen patris eorum: ergo in hoc caſu cum pupilli vxores acceperunt ad ætatem nubilem accedentes, & ſine ſemine mortui ſunt, non obligantur vxor mortui, & frater minor eiuſdem ſuſcitare ſemen viri mortui, cum iam magis ſemen pupillorum mortuorum ſuſcitandum erat, iſta ſuſcitatio ſeminis erat ſpecialius in

D

E

F

lius in Israel, quam in aliis gentibus ad seruandas lineas primogenitorum impermixtas: vt sic omni tempore manerent tribus,& familiæ impermixtæ,quod non contingeret si non suscitaretur semen primogenitorum per quos lineæ decurrebant.

Si autem dicas, quod idem est, si fieret hoc in minoribus, vel medietaneis.

Respondetur quod verum est, quod quicunq; sit in quo seruetur ista susciatio seminis, siue primogenitus, siue quicunque alius, tenebitur impermixtio linearum familiarum, & tribuum,sed rationabilius fuit, quod minores suscitarent semen maiorum,quam maiores semen minorum.

Item nomen paternum debebat seruari in illo in quo seruabatur domus paterna,sc.possessio,sed in filio primogenito seruabatur possessio paterna, quia dupliciter suscipiebat primogenitus,quam quilibet alius,vt colligitur Ge.48.& 49.c. ergo in primogenito fieri debebat ista suscitatio seminis.

Item ille suscitare debet semen alterius,qui viuit post mortem eius,sed magis accidit,quod fratres iuniores viuãt mortuis maioribus, quam econtrario: ergo conuenientius erat, quod fratres minores suscitarent semen primogenitorum.

Sed forte dices, quod ad conseruandum distinctionẽ tribuum,& nomen paternum,non magis referebat, quòd frater minor suscitaret semen fratris maioris mortu, quã quod in semine suo conseruaretur nomen patris sui.

Respondetur, quod ad conseruandam distinctionem familiarum, & tribuum semper erat facienda seminis suscitatio in primogenito,quia alias dato, quod conseruaretur nomen capitis tribus, aut familiæ, tamen couseruaretur in alia linea,& sic miscerentur lineæ, & nulla maneret cognita, sed de vna transiretur in alteram,& sicut illa linea primogenitorum deperiret, nisi frater minor suscitaret semen fratris sui, ita si frater mediocris moreretur, qui continuaret in se semẽ patris sui,& nomen,& alius minor non suscitaret semen eius nam esset transitus de ista linea ad alteram, & sic non maneret aliqua certitudo: sicut nunc non manet in lineis plebeiorum,in quibus non fit possessionum certa separatio in primogenitis, & seminis suscitatio: oportet ergo ad conseruationem generis sine permixtione linearum, vt fiat alligatio ad certam lineam,siue sit linea primogenitorum,siue medio crum, vel qualiumcunque: dum tamen illa linea conseruetur sine permutatione, & fiat in ea suscitatio seminis. Quod autem sit radicale fundamentum,quare possessiones sortium erant distinctæ in lege veteri, & qualiter fieret suscitatio seminis in primogenitis, & quid ista proficiant ad nouum testamentum Num.27.c. dictum fuit.

Quod conueniẽtius fuit suscitare semen primogenitorum.

Quid si primogenitus reliquit filiam non filium,nunquid alij fratres vxorem defuncti accipere deberent.

Qvæstio V.

Qvid si primogenitus mortuus est,& reliquit filiam, & non filium, nunquid alij fratres vxorem defuncti accipere deberent. Respondetur quod posset dici,quod non, quia licet filiæ non facerent lineam patrum continuari,quia transibant ad tribum de qua virum accipiebant: tamen poterant accipere viros ex quibus susciperent filios, qui nominarentur nomine auorum,& illi reciperent possessionem, & continuarẽt lineam familiæ auorum,vt patet de filiabus Salphaad Num. 27. ca. Sed licet hoc aliqualiter videatur tamen non multum stat, quia si viros ex alia tribu acciperent, semper transiret hæreditas ad aliam tribum, in qua non proprie continuaretur familia descendens à capite alterius tribus: ideo filij Manasse petierunt, quòd filiæ Salphaad, quæ habebant sortem patris, non nuberent viris aliarum tribuum ne perderent aliquid de sorte Manasse, vt accresceret alteri tribui,& sic mandauit Deus fieri: vt patet Num. 36.c. Ideo dicendum,quod si moriatur frater primogenitus sine filijs masculis,habetur ac si non genuisset: ideo debet frater sequens accipere eius vxorem,vt suscitet semen, & patet quia dicitur in textu, quod post vocabitur primogenitus istius nomine defuncti ad continuandam familiam, sed non potest intelligi hoc de fœminis, quæ nunquam nominantur nomine patrum, vel auorum: si tamen defuncto primogenito filiam manserit,& non fit aliquis frater potens suscitare semen, illa accipiet hæreditatem patris,vt patet Num.27.c. *Vxor defuncti non nubet alteri.* In hoc liberior erat masculus,quam fœmina, quia in optione masculi erat recipere vxorem fratris defuncti,vel subire pœnam, quæ ponitur in textu, sed fœmina tenebatur nubere illi, nec poterat aliquando excusari volente fratre defuncti, ratio quia si vir inuitus vxorẽ reciperet semper eam odio haberet, vel eam occideret, & esset maius damnum, & videtur forte, quod talem vxorem non permitteretur repudiare, donec ex ea saltem vnum filium suscepisset, qui vocaretur nomine fratris mortui,alias frustra esset,quod eam acciperet ad suscitandum semen fratris sui, tamen erat ei obligata ex lege: ideo tanquam per verba de præsenti desponsata,vel vxor facta puniebatur: vt patet Gen.38.cap. de Thamar, quæ expectabat Selam filium Iudæ paruulum defunctis fratribus suis,& non reliquentibus semen,&quia antequam ei traderetur,inuenta est concepisse, mandabat eam Iudas tanquam adulteram comburi, donec inuentum est, ꝙ de ipso conceperit: sic etiam dixit Noemi nuribus suis defunctis viris, quod non poterant expectare ex ipsa alios viros: ideo quod nuberent cui vellent, vt habetur Ruth 1.cap. quasi dicat, si possent expectare non deberent alijs nubere, vt ibidem. *Et suscitabit semen fratris sui.* Suscitare semen fratris est ex vxore,quam frater moriens reliquit filios gignere,qui nominentur nomine fratris mortui, & sint de familia illius, & non dicitur iste suscitare semen sibi, quia filij sui non nominantur nomine suo, & ita habetur iste ac si non gigneret filios: nec potest iste familiam distinctam facere,quia successio sua transit in familiam fratris defuncti: ideo excusauit se consanguineus Booz accipere Ruth Moabitidẽ dicens. Nec enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, id est nollem eam delere, quod facerem si suscitarem semen defuncti, vt habetur Ruth.4.c.& iste accipiens vxorem fratris accipiebat omnia,quę ad eum pertinuerant duplici iure,scilic.iure propinquitatis, quia frater erat, & quia semen eius suscitaturus erat, cui omnia ista debebantur, quæ erant patrui sui, quia tanquam filius eius in sua familia gradum faciebat, & si forte aliquis de fratribus maioribus nollet suscitare nomen defuncti,licet ad eum hæreditas fratris magisquam ad alios pertineret: tamen si alius non ita proginquus semen suscitare vellet, ad istum hæreditas deuoluebatur,& renunciabat alter iuri suo,vt patet de consanguineo Booz ad quem magis pertinebant bona filiorum Noemi defunctorum: qui tamen nolens ducere vxorem Ruth cessit iuri propinquitatis, & translatum fuit ad Booz, vt patet Ruth.4.c.

An suscitatio seminis pertineret ad consanguineos seruata semper maiori attinentia. Et si primo plures fratres moriantur, & postea vltimus accipiat vxorem illorum, cuius ex illis nomen suscitare dicatur.

Qvæstio VI.

Scienvm tamen, quod ista lex dabatur in fratribus, quod suscitarent semen fratrum suorum maiorum defunctorum,sed non solum poterant hoc fratres,sed etiam alij cognati, quia tamen fratres erant propinquiores inuicẽ, quam alij cognati,quando frater vnusvolebat semen alterius fratris suscitare, non poterat aliquis de aliis cognatis accipere vxorem defuncti ad suscitandum semen ex ea: si tamen frattes nollent,aut non essent alij cognati,vt patrui,vel consanguinei in secundo gradu,qui patrueles vocantur siue consobrini, aut in aliis gradibus attinentiæ in quibus matrimonium concessum erat in lege, poterant sustitare semen: ita quod non essent primogeniti, qui ex hoc perderent successionẽ in sua linea posteritatis, & in istis seruabatur ordo propinquitatis,scilicet,quod qui magis propinquus erat, poterat accipere vxorem defuncti: illo autem cedente iuri suo alius qui non erat ita propinquus,accipiebat eam si vellet.Nõ tamen cogebantur isti subire pœnam,quam subibant fratres nolentes suscitare semen fratris propinqui sui, quod autem alij cognati præter frates possent suscitare semen cognati, & peruenirent ad eos omnia iura, quæ erant eius qui mortuus

Dect. respon.

fuerat,

fuerat, patet Ruth.cap.4.de Booz qui ſuſcitauit ſemen vnius de filijs Noemi, cuius vxor manſerat ſcilicet Ruth, vt patet Ruth.4. ca. & omnia quæ erant pertinentia ad virum Ruth, & fratrem eius mortuum, atque patrem eorum, accepit, vt patet ibidem. Et ſi forte dicas, quòd iſte Booz erat filius Elimelech, & frater Maalon, & Chelion, & vnius horum vxor erat Ruth, ideo quod per hanc legē ſuſcitabatur ſemen. Reſpondetur, quod non poteſt dici, quod eſſet Booz frater viri Ruth. Primò, quia Elimelech erat pater viri Ruth, vt habetur Ruth.1.c.ſc.Booz non erat filius Elimelech, ſed cognatus eius vocatur, vt patet Ruth 2.c. ergo non erat Booz frater illius viri cuius ſemen ſuſcitabat, nam cognati vocanrur proprie illi, qui habent attinentiam tranſuerſalem, aſcendentes autem, & deſcendentes inter ſe proprie nō vocantur cognati. Secundò, quia ſi Booz eſſet frater mariti Ruth eſſet filius Noemi, vel Elimelech mariti ſui, & tunc cum Noemi mitteret Ruth ad meſſes Booz, non mitteret eam tanquam ad alienum, ſed tanquam ad meſſes filij ſui, ſed mittebat eam tanquam ad alienum, & ita moliebatur conſilia in eum ad faciendum caute, quod eſſet Ruth vxor eius, ſicut ſi nullo modo pertineret ad cognationem eius, vt patet Ruth.2.& 3. capit. Item tertio, quia cum Ruth locuta fuit ad Booz dicens, quod extenderet ſuper eam pallium ſuum, ſcil. quod acciperet eam in vxorem, dixit Booz, quod alius erat propinquior marito Ruth, qui mortuus fuerat, vt patet Ruth. 3. cap. tunc dato, quod alius qui vocabatur propinquior, quam Booz eſſet frater mariti Ruth iam mortui, ſequeretur quod Booz non eſſet frater mariti prioris Ruth, quia tunc neceſſarium eſſet, vt ipſe Booz & alius, quem vocabat propinquiorem ſe fratres eſſent. Sed non poteſt ſtare, quia tunc non eſſet vnus propinquior alio, cum duo fratres ſint in eodem gradu propinquitatis reſpectu cuiuſlibet, ſi autem alius quem dicebat Booz eſſe propinquiorem quam ſe, non eſſet frater mariti Ruth mortui, ſequeretur à fortiori, quod Booz non erat frater mariti prioris Ruth, cum minus attineret ad eum quam alius vir. Quartò, quia Booz vocauit Elimelech fratrem ſuum, vt patet Ruth. 4.c. cum dicitur partem agri Elimelech fratris noſtri vendit Noemi, ſed ſi eſſet Booz frater mariti prioris Ruth eſſet filius Elimelech cum Maalon, & Chelion, quorum vnus erat maritus Ruth: & tunc non vocaret ſe fratrem Elimelech, ſed filium: ſcriptura tamen vocat eum fratrem. Quinto, quia Ruth.4.c.in fine, & Mat.1.c.cum deſcribitur genealogia Booz dicitur quod Naaſon genuit Salmon: Salmon genuit Booz, ſi tamen eſſet Booz frater mariti prioris Noemi non eſſet filius Salmon, ſed filius Elimelech: cum Elimelech eſſet pater Maalon, & Chelion, quorum vnus erat maritus Ruth, vt patet Ruth.1.capit. multa alia ſunt ibi ex quibus hoc manifeſtatur. Cum autem cognati qui non erant fratres, ſuſcitabant ſemen alicuius cognati ſui, omnia quæ pertinebant ad iſtam legem ſuſcitationis ſeminis in fratribus, ſeruabantur in eis: excepto quod nō obligabantur ad pœnam hic poſitam ſi non ſuſcitarent ſemen, quia gratis agebant: ideo non debebat damnum reportare, quia benefacere non coguntur. *Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Quia per primogenitos poſteritatis familiæ linea texebatur. Sed quæritur ſi fratre primogenito mortuo ſine ſemine accipiat ſecundus frater vxorem eius, deinde tertius, quartus, & quintus, & omnes ſine ſemine moriantur: deinde accipiat eam ſextus frater, & procreet inde filios, cuius nomine vocabantur filij geniti? vel nomine maioris fratris primo mortui? de ſecundo, tertio, & quarto non eſt dubium, quod non nominabuntur filij geniti nomine illorum, quia ſextus nulli eorum immediate ſucceſſit, nec propter eos iſta ſeminis procreatio facta fuit, ſed de primo & vltimo dubium eſt, de primo quidem, quia tota fratrum ſuſceptio in vxore propter eū facta eſt, de vltimo ſcil. de quinto dubium eſt, quia ei ſucceſſit ſextus qui prolem habuit. Sed reſpondetur, quod iſti filij nominabuntur nomine primi fratris mortui, quia omnes iſti propter illum acceperunt vxorem ei⁹. Item quia per primogenitos texebatur ordo poſteritatis in familijs. *Vt non deleatur nomen eius de Iſrael*, id eſt, vt non interrumpatur, & deficiat familiæ ſucceſſor, & ſpeciale erat hic, quia ſi ille primogenitus ſuperuixiſſet, & prolem genuiſſet, non oportebat quod primogenitus eius vocaretur nomine eius, alias dicemus, quod tota vna linea familiæ vnius haberet idem nomen: maxime quia contrarium patet in tota ſacra ſcriptura, quia patres raro vocabant primogenitos ſuos nomine ſuo, ſed nunc mortuo fratre primogenito nominabatur filius fratris ſuſcitantis ſemen nomine mortui, vt qui non erat filius iure, eſſet ſaltem in nomine, & hæreditatis ſucceſſione. *Si autem noluerit accipere vxorem fratris ſui*, ſc. quia requiſitus fuit, quod eam acciperet, & noluit. *Quæ ei lege debetur*, id eſt, per iſtam legē quam Deus hic ſtatuit de ſuſcitatione ſeminis fratris defuncti. *Perget mulier ad portam ciuitatis.* Quia ibi iudices manebant cauſas audientes. *Et interpellabit maiores natu*, id eſt proponet cauſā ſuam coram ſenioribus qui dicuntur maiores natu, id eſt, natiuitate, vel tempore. *Tollet calceamentum de pede eius.* In ſignum vituperij, quia non vult ſuſcitare ſemen fratris ſui, aliquando vir diſcalceabat ſeipſum, vt ſi duo propinqui eſſent, ad quos pertineret accipere hæreditatem, & vxorem mortui: ſi ille ad quem pertinebat primo ſucceſſio, nolebat accipere hæreditatem defuncti, & vxorem, & cedebat alteri, diſcalceabat calceum ſuum, & dabat proximo ſuo in ſignum firmæ conceſſionis, vt patet Ruth.4.ca. *Spuet in faciem eius*, id eſt, in vultu ſuo, quia magnum dedecus eſt hoc Rab. Salom. dicit, quod ſpuebat in faciem eius, id eſt coram eo in terra quaſi deteſtans eum. Et iſte ſenſus eſſet conueniens, ſi ly faciem poneretur in ablatiuo, ſed quia ponitur in accuſatiuo neceſſe eſt eſſe terminum ad quem ſputa terminabantur: ſed de hoc non plene patet differentia in litera Hebraica cum caſus nō habeat, ſed quaſdā præpoſitiones, quæ videntur determinare ad plenam habitudinem caſualem, ſed non poteſt tanta fieri diſtinctio, quod dubium totaliter tollatur, quia aliquæ præpoſitiones habitudinales diuerſimode ſignant, ſicut in quæ ſignat aliquando, in quo, aliquando in quem, ſic eſt alia apud Hebræos eandem vim habens, ſc. be, vel ba, vel bi. Aben Ezra dicit, quod mulier ſpuebat in calceamento, & hoc eſt propter diuerſitatem relatiui, quia ly eius videtur poſſe referri, vel ad calciamentum, vel ad hominem, ſed litera noſtra rationabilior eſt, quia hoc fiebat ad magnum dedecus, ſed valde maius erat ſpuere in faciem reſpuētis vxorem. Item, quia dicitur in faciem eius, calceamentum autem non dicitur habere faciem, nec ante, nec retro. *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Fiebat enim tantum dedecus, vt non recuſarent accipere vxores fratrum defunctorum, quia multi refugiebant ſuſcitare nomen fratris, & perdere ſuum, vt patet Ruth.4.de conſanguineo Booz, & Gen.38.c.vbi Onan filius ſuſcepit Thamar vxorem fratris ſui mortui, & quia ſciebat non naſci ſibi filios, ſed fratri, ſemen fundebat in terram. *Et vocabitur nomen eius in Iſrael domus diſcalceati.* Iſtud erat magnū dedecus, quia propria vituperia tranſeunt, ſed hoc manet in tota eius poſteritate, & ideo hoc maxime mouebat, quia homines rationabiles magis volunt liberorum ſucceſſione carere, quam eos infames gignere. *Si autem noluerit accipere vxorem fratris ſui*, ſcilicet forte mortuo fratre ſuo ſine ſemine ſi acciperet iſte aliquam vxorem antequam ab vxore mortui ſuper hoc requiretur, non incidebat in pœnam, quæ infra ponitur.

Cauſæ quare viri retrahuntur ac accipiendo vxores fratrum ſuorum defunctorum. Et quare melius eſt contrahere cum virgine, quam cum vidua.

QVÆSTIO VII.

CAVSA autem recuſandi tales vxores multæ erant. Prima, & potiſſima, quia debebat gignere fratri ſuo, & non ſibi, vt patet infra. Secunda erat, quia multi viri, & vt in plurimum recuſant accipere vxores, quæ ab aliis cognitæ ſunt. Tum, quia quilibet mulierem à virginitate habere vult, tum quia melius vir moribus ſuis coaptat eam fœminam, quæ nullius alterius viri matrimonio coaptata eſt, quam eam, quę alterius moribus aſſuefacta erat, quia difficile talia auferuntur. Tum, quia quando mulier nouit alium virum non eſt integra dilectio ad eum, quem nunc habet, maxime ſi alius fuit bonus vir, & conſentaneus moribus vxoris, iſte autem quem poſtea habet non eſt ita conſentaneus. Ex quo ſequitur, vt interdum fœmina viro ſuo in memoriam ducat virū quem prius habuit, & ſic fit, vt fœmina integro animo virum quem habet, non diligat, nec vir fœminam, & hæc ſunt cauſa quo-

A

sa quotidianarum querelarum, vt sæpissime experiuntur. *Quæ ei lege debetur.* Satis distinguit hic litera de fœmina viri mortui, & de fratre viri mortui, quia fœmina debetur viro, & tamen vir non debetur ei, ideo si fœmina illa, siue requisita à fratre viri mortui, vt sit vxor sua, siue non requisita antequam ipse aliam acceperit vxorem per quam videatur recusare eam, acceperit aliquem virum, vel qualitercunque alicui carnaliter cõmixta fuerit, rea est adulterij, quia tenebatur illi alligata, tanquam si esset sponsa eius, aut tradita ei in matrimonium, vt patet Gene. 38. c. de Thamar nuru Iudæ: vir autem siue requisitus sit, siue non requisitus à fœmina, & non acceperit eam, sed aliquam aliam, non fornicatur, nec peccat vt secundum Deum debeat puniri, vt fornicator, sed tanquã fractor legis de suscitando semen fratris sui: est tamen differentia, quia si mulier eum requisiuerit, antequam assumat aliquam vxorem, & non accipiat eam, tenetur reus pœna legis huius quæ infra ponitur, si autem non monuerit eum, non est reus aliqua pœna. Dicitur autem deberi mulier viri mortui fratri eius per legem, sc. per istam legem de suscitando semen: & non refert se ista lex ad aliquam priorem per quam esset obligatus frater mortui viri obseruare hoc nisi hoc statutum foret, sed refert se ista lex ad casus particulares determinandos, qui euenirent post conditionem legis huius scilicet, quando acciderit aliquis casus post determinationẽ legis huius, vt moriatur vnus frater primogenitus, & maneat

B

sine semine, vxor eius est debita fratri suo per istam legem. *Perget mulier ad portam ciuitatis.* Quando frater mortui nolebat in pace vxorem fratris sui mortui, non obseruabatur aliquid de ista solennitate, sed recipiebatur in vxorem sicut recipiuntur aliæ mulieres: & cuncta quæ ad fratrem suum pertinebant ad eum perueniebant, & hoc duplici lege, primo lege cognationis, quia ex quo iste vir mortuus non reliquerat filios, nullus ei propinquior erat quam frater, secundo perueniebant ad eum omnia, quæ fuerant fratris sui lege de suscitando semine, quia qui accipit vxorem viri mortui, ideo eam accipit, vt suscitet ex ea semen viro mortuo, & vocet primogenitum nomine viri mortui, sicut igitur si ille mortuus reliquisset semen, omnia bona sua perueniebant ad filium suũ lege naturalis succession is, quia filiis debent thesaurizare parentes, & non parentibus filij, vt patet 2. Corinth. 8. cap. si tamen iste qui frater erat nolebat accipere vxorem fratris, & alius qui non erat frater assumebat eam, cedebant ei cuncta, quæ pertinuerant ad virum mortuum, & hoc quia lex de suscitando semen erat potior, quam lex de successione cognatorum, & hoc quia ille qui suscitare volebat semen, erat tanquam filius viri mortui, cum daret operam, vt gigneret filiũ nomine viri mortui, qui ei ascribendus esset, & sicut ille si natus esset cuncta susciperet, ita ille qui loco eius se gerebat, cuncta recipere debebat: patet hoc in Booz accipiente Ruth in vxorem: nam alius erat propinquior viro mortuo quam

C

Booz, quia tamen ille noluit accipere Ruth in vxorem, cuncta cesserunt in ius, & hæreditatem Booz, vt patet Ruth. 4. c. cum dicitur, dixit ergo propinquo Booz tolle calceamentũ, quod statim soluit de pede, at ille maioribus natu, & vniuerso populo: testes vos inquit estis, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion atque Maalon tradente Noemi, & Ruth Moabitidem vxorem Maalon in cõiugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditatem suam: cum autem non accipiebat pacifice vir mulierem fratris sui requirentem eum ne eam accipiat in vxorem, ipsa pergebat ad portas vrbis ad iudices huiusmodi negotium propositura.

Vnde intelligendum est quod mulier teneretur requirere fratrem viri mortui post mortem viri sui, vt eam acciperet vxorem: nam si non compelleretur hoc requirere, fierent fraudes isti legi, quia vt communiter viri fratres mortuorũ, non desiderabant accipere vxores relictas à fratribus suis ex causis supra assignatis: si ergo fœminæ non compellerentur requirere eos etiam ipsæ interdum nollent eos in viros, sed quoslibet alios, qui non accederent ad eas hac lege de suscitando semen, & sic fieret fraus legi, quia rarissime poneretur in executione. *Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui.* Ex hoc sequitur, quod mulier requirebat fratrẽ viri sui mortui, vt eam acciperet in vxorem, alioquin non posset ipsa scire vtrum vellet eam accipere aut nõ. *Suscitare semen fratris sui,* id est, gignere filios pro fratre suo. *In Israel,* id est, vt filij aliqui

D

gignantur qui maneant in populo Israel continuantes lineã patris sui, & denominantes eam. *Nec me in coniugium sumere.* Idem erat istud, scilicet, nolle eam habere in vxorem, & nolle suscitare semen fratris sui, nam si illam non acciperet in vxorem, non poterat suscitare semen fratris sui, dato enim, quod aliam quamcunque vxorem acciperet, & diceret se velle suscitare semen fratris sui, ex illa non poterat, quia illa non fuerat vxor fratris sui, ex qua semen suscitari debebat, quia in ea semen mortuum fuerat: in ea autem in qua semen viri mortui nunquam fuit, non dicitur suscitari, sed non conuertuntur ista, scilicet, accipere vxorem fratris in vxorem, & suscitare semen fratris, quia accipere vxorem fratris est vniuersalius, quam suscitare semen fratris, nullus namque potest suscitare semen fratris, quando accipiat vxorem fratris mortui: potest tamen aliquis accipere vxorem fratris non suscitando semen fratris, scili. quando acciperet eam non per legem de suscitando semen pro fratre suo, sed vt gignat pro se sicut ex alia vxore gigneret si eam pro se acciperet.

An frater defuncti teneretur suscitare semen ex omnibus vxoribus defuncti. Et quare iudices virum interrogabant vtrum accipere vellet vxorem fratris.

QVÆSTIO VIII.

E

SED circa hoc quæritur si aliquis habeat plures vxores, sicut in veteri lege permissum fuerat, & gignat ex vna filios, ex alijs autem non: nunquid debet frater suscitare semen fratris ex aliis vxoribus.

Respondetur, quod non, quia ista lex solum mandat suscitari semen fratris, & non suscitari semen vxoris fratris, hoc autem est cum vnus frater qui est maior, moritur absque liberis: si autem habeat liberos non debet habere vxorem eius lege successionis ad suscitandum semen, sed cum vir ex vxore vna filios genuit dato, quod ex aliis non genuit, non dicitur mori absque liberis: ergo non debebat tunc aliquis suscitare semen fratris sui. Sed adhuc quæretur aliud, scilicet, si aliquis vir habuit multas vxores iuxta casum prius positum, & ex nulla illarum filios genuit, vel genuit, & mortui sunt, ita quod dicatur mori sine semine: de qua vxore illarum debet suscitare semen frater manens.

Respondetur, quod aut illę vxores erant æque principales, aut non: si non erant æque principales debebat suscitare semen de vxore magis principali, quia illa proprius dicebatur vxor viri mortui, quam aliæ, habent enim se aliquæ vxores, vt magis principales, & minus principales, quando aliquę sunt ancillæ, & aliæ sunt dominę, vel saltem liberę, vtpote Abraham habuit vxorem Saram, quæ libera erat, & Agar quæ erat ancilla Saræ, & tradita fuit in vxorem Abrahæ, vt patet

F

Genes. 16. capit. si ergo mortuus fuisset Abraham, & aliquis cognatus suus vellet suscitare semen eius, non debebat accipere Agar in vxorem, sed Saram, quæ erat principalis vxor, sic esset dicendum si Iacob qui habuit quatuor vxores duas liberas, scilicet, Rachelem, & Liam, & duas ancillas suas, scilicet Balam, & Zelpham, vt patet Genesis vigesimo nono, & 30. ca. mortuus fuisset sine liberis, qui vellet de cognatis eius semen illius suscitare, accipere debebat Rachelem, vel Liam, & non ancillas, quæ non erant principales vxores: idem est si vna de vxoribus sit ancilla, & alia libera: licet illa quæ ancilla est non sit ancilla alterius quæ libera est: sicut cum aliquis in bello accipiebat in numero captiuarum aliquam, quę in omnibus ei placebat: debebat eam habere in vxorem secundum formam traditam, supra 21. capit. vel si eam alias emisset in ancillam, & postea accepisset in vxorem: ista autem distinctio tota locum habet quando frater viri mortui non vult accipere in vxores omnes quas habuerat frater suus nam si habere voluerit omnes, erunt omnes suæ vxores, & quæcunq; alterum acciperet in virum, vel alteri quouis modo commisceretur, erat rea adulterij, donec frater viri mortui repudiaret eam. Si autẽ omnes vxores essent æque principales, vtpote, quia omnes erant liberæ, est distinguendum, vt supra quia aut volebat habere omnes eas in vxores, & tunc habebat, & omnes ipsæ obligabãtur accipere eum in virum:

si au-

A si autem nolebat accipere omnes, videtur quod esset relinquendum in electione viri viuentis, quam potius vellet assumere in vxorem, vnde quando aliquis vir moreretur sine semine habens multas vxores, quarum aliquæ essent minus principales, quam aliæ, vtpote, quia quædam ancillæ, & quædam liberæ, & esset aliquis viri mortui frater, qui suscitare posset semen viri mortui, omnes istæ vxores requirere debebant ipsum virum, vt eas acciperet in vxores: & si ante istam requisitionem aliqua de eis siue ancilla, siue libera aliquem alium reciperet in virum, vel alias commisceretur ei carnaliter, adulterij rea erat, quia omnes erant obligatæ illi viro, donec eas vel aliquas earum accipere recusaret: si autem vellet ipse accipere omnes, acciperet quotquot vellet, scilicet, accipiendo omnes liberas, & vnam de seruis, vel accipiendo omnes liberas relictis omnibus ancillis: ita tamen quod non posset relinquere liberam aliquam, vt acciperet ancillas omnes, vel aliquam de ancillis: deinde si forte omnes ancillas abiiceret, esset in electione eius, quam vellet de liberis, vel si vellet omnes illas: postquam vero iste vir determinasset sibi aliquam, aut aliquas de istis relictis cæteris, poterant relictæ accipere alios viros, quos vellent.

Statimq; accersiri eum facient. Id est, citari, vel vocari ad hoc, quod respondeat vtrum facere velit, quod petitur vel non, vel vt ostendat aliquam legitimam causam, quare hoc non faciat.

B *Et interrogabunt.* Licet mulier viri mortui conquesta fuerit, quia iste eam in vxorem habere non vult, tamen interrogatur iterum vtrũ eam velit in vxorem, & hoc propter duo.

Primum est, quia verbis mulieris conquerentis non creditur, sicut nec alicui actori contra reum, aut accusatori contra accusatum non creditur, nisi aliter veritas aliqualiter cõstaret, constare autem in hac parte nullo modo melius potest, quam per confessionem viri, cum dependeat hoc ex voluntate sua: ideo petitur ab eo vtrum velit.

Secunda causa est, quia dato, quod constet eum recusasse accipere illam vxorem fratris sui mortui extra iudicium, tamen requiritur in iudicio, vtrum eam recipere velit, vt magis verecundetur coram omnibus, & inducatur ad accipiendum eam.

Tertia causa est, quia si non accipiat eam, debet ei dari pœna, sed pœna nunquam debet dari, nisi ei cuius delictum aliqualiter constat: ergo oportet, vt prius constet eum nolle recipere illam in vxorem quasi detur ei aliqua pœna, sed hoc constat per confessionem istius viri: ergo debet interrogari. *Si responderit nolo eam in vxorem accipere.* Erat tenor legis de suscitatione legitimi seminis pro fratre suo, ideo dabatur ei pœna, quæ sequitur. *Accedet mulier ad eum.* Mulier infligebat istã pœnam, quia contra eam peccabat iste vir nolens suscitare semen ex ea viro mortuo fratre suo. *Coram senioribus.* Scilicet, coram iudicibus qui vocantur hic seniores, & supra vocabantur maiores natu, quod idem est, & hoc est, vt coram eis infligeretur pœna, vt magis verecundaretur vir recusans accipere vxorem, & non recusaret eam. *Tollet calceamentum de pede eius.* Hoc fiebat ad magnum vituperium, quia illi cui tollebatur calceamentum signabatur priuatus omni bono: etiã vsq; ad calceamenta, quæ dicuntur minima, vt patet ex modo loquendi Abrahæ Genes. 14. cum dixit ad regem Sodomorum viuit Dominus, quia non accipiam de his quæ ad te pertinent à filio sub tegminis vsq; ad corrigiam caligę, id est, calceamenti, vt magis apparet in litera Hebraica, & fiebat hoc etiam vt maneret opprobrium sempiternum illi, & filiis suis, quia vocaretur domus sua in Israel domus discalceati. *Spuetque in faciem illius.* Id est, in vultum suum, scilicet, mittendo sputa ad vultum eius, quæ est maxima confusio, & verecundia, quod tota hominis pulchritudo, & dignitas, quæ in facie lucet, quia imago Dei est, deturpetur sputis, aliqui autem aliter hoc declarauerunt, vt diximus supra.

C *Tollere calceamenta de pede fiebat ad magnum vituperiũ.*

Quare Ruth non expuit in faciem cognati Booz.

QVÆSTIO IX.

SED quæres quare quando Booz & alius cognatus suus disceptabant, quis acciperet Ruth Moabitidem in vxorem, & alius qui propinquior erat noluit eam in vxorem accipere, & tulit Booz de pede eius calceamentum, non spuit in faciem eius: debuisset enim spuere in faciem eius secundum legem hic datam, quia non accepit vxorem illam Ruth Moabitidem ad suscitandum semen cognati sui mortui, scilicet, Maalon, vt patet Ruth 4. cap. D

Respondetur, quod ista lex, quę talem pœnam infligebat, solum erat data inter fratres, quando vnus frater volebat suscitare semen fratris sui, vt patet ex verbis legis huius in principio. Booz autem & alius cognatus eius non erant cognati Maalon, ita quod essent fratres eius, sed erant cognati in alio gradu remotiori: ideo in nullo illorum poterat obseruari ista lex quantum ad inflictionem pœnæ, siue Booz eam recusaret, siue alius. De Booz, quod non esset frater Maalon, & filius Elimelech, siue Noemi supra declaratum fuit: de alio cognato qui renunciauit iure propinquitatis, etiam satis patet: Elimelech, & Noemi duos filios solum habere narrantur, vt patet Ruth 1. cap. ergo non erat ille filius Elimelech, & Noemi, & patet diuersitas in hac lege, & in illo facto Booz, & alterius cognati sui.

Primo, quia quando frater viri mortui recusabat accipere vxorem relictam, ipsa discalceabat virum tollens de pede eius calceamentum: in illo facto non soluit Ruth calceamentum illius viri recusantis eam, sed ipsemet soluit illud, & dedit Booz, vt patet Ruth 4. cap.

Secundo erat diuersitas, quia mulier spuebat hic in faciem viri recusantis eam: hic autem in nullius faciem spuitur, quia nec Booz spuit in faciem cognati sui, nec ipsa Ruth. E

Tertio erat diuersitas, quia hic tollebatur calceamentum ad notandum infamiam, vt ille vir, cui tolleretur calceus, & totum genus suum manerent infamati, cum dicitur in litera, & vocabitur nomen illius domus discalceati in Israel: in facto autem Booz, & alterius cognati sui soluebatur calceamentum ad faciendum alteri firmam cessionem rerum pertinentium ad ius suum: sic dicitur Ruth ca. 4. scilicet, hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos: quod si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma cessio, soluebat homo calceamẽtum suum & dabat proximo suo, hoc erat testimonium cessionis in Israel: patet ergo quod nõ debuit Ruth vxor Maalon defuncti dissoluere calceamentum de pede illius cognati Booz, & viri sui mortui, nec spuere in faciem eius. *Sic fiet homo qui non ædificat domum fratris sui.* Id est, sic meretur pati, & deludi homo, qui non suscitat domum fratri suo: dicitur domus non quidem fabricatura parietum, sed familia, & genus deriuatum: ædificat ergo aliquis fratri suo domum, quando non reliquit frater progeniem aliquam, & alius gignit pro illo, vt maneat ei successio, sic patet Genes. 16. ca. vbi litera dicit ingredere ad eam si forte saltem suscipiam filios ex ea, litera hebraica dicit, si forte ædificabo ex ea. *Et vocabitur domus illius.* Hic ponitur adhuc maior infamia, scilicet, quod domus istius viri qui recusaret suscitare semen fratris sui, esset semper infamata, ita quod filij sui vocarentur semper filij hominis discalceati, & tota illa progenies vocaretur progenies discalceatorum in tribubus Israel. *Si habuerint.* Hic agitur de pœna mulierum. *Si habuerint inter se iurgium.* Dicitur hic iurgium large quęlibet contentio siue sit in verbis, siue in factis, & magis adhuc accipitur pro ea, quæ est in factis, quod hic patet: licet adhuc posset dici, quod accipiatur iurgium pro contentione, quę est in verbis, & post à verbis veniunt ad realem pugnam. F *De pœna mulierum iurgãtium.*

Primum notatur cum dicitur: si habuerint inter se iurgium, scilicet, contentionem in verbis.

Secundum notatur cum dicitur, & rixari cœperit, quia ex ipsis verbis generatur, ita vt se mutuo percutiant: iurgium tamen proprie accipiendo est contentio verbalis, quã aliqui habent corã iudice cũ iure disceptant: vnde dicitur iurgium, quasi iuris garrium, id est, iure garrire, siue iure disceptare, vt patet extra de verborum significationibus, in cap. forus. *Inter se iurgium viri duo.* Secus est si vna mulier contra aliquem virũ haberet contentionem realem, quia tunc dato, quod apprehenderet mulier virũ per verenda non incurrebat in pœnam huius legis. Et ratio est, quia ista prohibitio est propter magnum dolorem, quem sustinet vir quando apprehenditur per virilia, ita quod nihil facere potest vltra, & posset interim alius vir faciliter eum occidere: si tamen ipsa mulier habeat contentionem cũ viro, seruabit se ab ea vir quantũ potuerit,

A

ne eum ſic apprehendat,& non poterit apprehendere,quod non eſt quando vnus vir contendit cum alio, quia tunc non poteſt cauere à muliere, quæ eum per virilia apprehendere vult. Etiam quia quando mulier contendit contra virum eſt principaliter hoſtis eius: ideo quodcunque malum faciat ei facit quaſi hoſtis:& lex ita imputabit ei quaſi hoſti. Cum autem vnus vir contendit cum alio, vnus eſt principaliter hoſtis alterius,& non fœmina:ideo ſi fœmina apprehendat,debet ei dari maior pœna, quam ſi ipſa principaliter contendens teneat per virilia, nam primo modo dum ipſa fœmina tenet virum per virilia, alius vir poterit occidere hunc virum,qui tenetur: ſi autem ipſa fęmina principaliter contendat,& teneat,dum tenet non poteſt alia mala operari,aut ſaltem non poterit, ita ac ſi vir contra virum pugnaret, & fœmina teneret per virilia.

Idem dicendum eſt ſi duo viri contendant, & vnus teneat alterum per virilia, non tenetur pœna iſtius legis, quia cum aliqui duo ſunt hoſtes, intendunt ſibi peſſimum facere eorum quæ poterunt: quomodocunque ergo ſe habeat vnus hoſtis ad alterum, ſolum debet puniri, tanquam hoſtiliter agens, & non aliqua pœna ſpeciali: etiam quia cum vnus accipit alterum per virilia, non poteſt facere alia mala, ſicut ſi fęmina apprehenderet,& vir percuteret, quia tunc poſſet alterum leuiter occidere, vel quia vnus vir ab alio viro hoſtiliter agente poteſt ſe cuſtodire, quod non poteſt fieri ad fœminam,ſi vir pugnet in virum,& fœmina veniens apprehendat virilia. *Et vnus contra alterum rixari cœperit.* Rixa eſt contentio realis cum vnus alterum percutit,aut vt percutiat punit, & iſta rixa venit, quia primo iurgati ſunt contendendo in verbis, licet in hoc non multum differt,quia ſiue incœperunt in verbis contendere,& poſtea venerint ad facta,ſiue in pugna reali incœperunt, quocunque modo fœmina virum per virilia apprehenderit eſt iſta pœna. *Volenſque vxor alterius.* Vxor vnius eorum, dicitur hic de vxore, quia vxores ſunt, quæ magis ad hoc mouerentur, quam aliquæ aliæ perſonæ vt viros ſuos eruant: ſi tamen aliqua alia perſona agat, eandem pœnam incurrit, vt ſi mater alicuius viri videns eum pugnantem cum altero viro abiens apprehendat alterum per virilia, nam eodem modo manus ei amputabitur, vel ſi filia videns patrem ſimiliter virum cum quo pater contendit, per virilia tenuerit, quia in omnibus his ſequitur idem inconueniens.

Idem dicendum eſt ſi duo viri pugnant, & aliquis volens adiuuare alterum eorum, apprehenderit alium per virilia, nam tunc abſcindetur manus eius, quia eadem inconuenientia ſequuntur, quæ in fœmina apprehendente per virilia, quia dum ille vir apprehendit alium per virilia, ille cum quo pugnabat, irruet in eum, & occidet, magis tamen hoc pertinet ad fęminas,quam ad viros,cum iſta ſit quædam impotentia,qui modus pugnandi eſt conueniens fœminis,quę ſunt deficientes viribus. *Eruere virum ſuum de manu fortioris.* Quaſi dicat, iſta conſueuerunt facere fœminæ cum vident maritos ſuos ſuccumbentes, ne alij occidant eos, apprehendunt per virilia, vt ſic faciant eos ceſſare à pugna, & non noceant viris ſuis, quia tamen etiam ſi hac bona intentione fiat,poterat ſequi magnum ſcandalum, ſcilicet,quod vir qui eruitur de manu alterius, poterit inſurgere in eum qui tenetur per virilia, & occidet eum: ideo licet viro inſurgat, & occidat, tamen quia mulier talia auſa eſt, ex quibus ſequi poterat mors,infligitur ei iſta pœna, ſcilicet, quod abſcinderetur manus,ſi autem ponatur alius caſus,ſcilicet,quod vir & vxor ſimul inſurgant in alium virum,& mulier teneat eum per virilia, & vir occidat,tenebitur vterque mortis reus, quia non facit mulier ſecundum diſpoſitionem huius legis, ſcilicet, quod eruat virum ſuum de manu fortioris, proprie autem mulier virum dicitur de manu fortioris eruere,cum duo viri pugnant, & vnus eorum prævalet contra eum faciens eum ſuccumbere,tunc videtur quod ſit fortior altero,& hoc caſu ſi mulier eum qui ſuccumbit liberat, dicitur eruere virum ſuum de manu fortioris: maior ergo pœna infligetur, cum ambo inſurgunt ſimul in alterum virum (quia non eſt ad eruendum) quam fœmina agit ad eruendum virum ſuum, erat autem iſta pęna mortis,cum ex tali apprehenſione ſecuta fuerit mors. *Miſerit manum ſuam.* Scilicet,ad tenendum verenda ſiue ſit mulier, ſiue vir, vt ſic faciat immobilem eum cuius verenda tenet. *Et apprehenderit verenda.* Vt dolore teſticulorũ non moueatur,& ceſſet à pugna. *Abſcinde manum illius.*

B

Rixa quid ſit.

C

Quid ſit mulierem de manu fortioris virum eruere.

D

An fœmina tenens virum per virilia ex alia cauſa quam ad eruendum virum ſuum puniretur hac pœna.

QVÆSTIO X.

NICOLAVS dicit, quod ſi alio modo, vel cauſa apprehendat alterum virum per virilia, quod à fortiori punietur iſta pœna.

Sed non multum videtur, quod iſta pœna infligitur propter timorem magni periculi: ſi enim mulier per virilia teneat fortiter, tam intenſus eſt dolor virilium (quia ſunt maxime ſenſitiua) quod vir ille etiam ſi videat ſuper ſe gladium venientem moueri non poterit, & ſic leuiter occideret eum alius vir, & propter hoc maxime talis apprehenſio interdicitur. Si autem ex alia cauſa apprehendat, non ſequitur tantum periculum:ideo nec tanta pœna infligi debet.

Et ſi arguas, quod iſta lex eſt contra ius naturale, ſcilicet, quod vir & vxor qui ſunt vna caro, non ſe defendent ad inuicem, ſed in textu dicitur,quod mulier non apprehendit aliquid per virilia intendens defendere virum ſuum.

Reſpondetur, quod permittit lex, quod mulier defendat virum ſuum taliter, quod ab alio non occidatur, ſed non taliter vt alium occidat, tenere autem per virilia eſt aliquem immobilem facere,ita quod aduerſarius leuiter eum occidere poſſit,quod ſi hoſtis ante hoſtem ligatus poneretur, poterit autem mulier defendere virum aliter percutiendo, vel impellendo. *Non flecteris ſuper ea vlla miſericordia.* Hebræi dicunt,quod non abſcindebatur manus, ſed dabatur pretium, pro manu, ſed non videtur verum, quia tunc aliqua miſericordia eſſet,ſcilicet,pecuniarum pœnam pro corporali infligere, quod negat textus. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera.* Excluſa iniuſtitia hic ſtatuitur iuſtitia, & agitur de iuſtitia commutatiua, quæ eſt in contractibus, ſcilicet, emendo, & vendendo & quia in hac debet ſeruari ęqualitas arithmetica, id eſt, quantitatis: debent præcipue homines regulari circa medium ęquans quantitates commutabiles,& illud eſt menſura,vel pondus:ideo prohibet fraudem fieri in iſtis:quia iſtis male ſe habentibus impoſſibile eſt emptionem,vel venditionem iuſtam fieri. *Diuerſa pondera.* Scilicet, vnum ad vendendum,& aliud ad emendum. *Pondus habebis iuſtum.* Id eſt,æquale aliis ponderibus. *Et verum.* Id eſt,publicum,vel approbatũ, vt nõ ſit occaſio mali gerendi. *Et modius æqualis.* Modius enim omnem menſuram cõtinentem liquida, vel arida ſignat hic: licet ſpecialiter ſignat quandam paruam menſuram Iudaicã, quæ non eſt viceſima pars modij noſtri, patet quia Ruth 3.c. dicitur quod ipſa tulit ſuper ſe ſex modios hordei de areis ad ciuitatem. *Abominatur eum qui facit hæc.* Quia iſta peccata ſunt multum damnoſa, quia Deum valde offendunt,& proximũ nimis lædunt, quia ad multos talis communicatio eſt. *Et auerſatur omnem iniuſtitiam.* Id eſt, valde repugnat talia agentibus, quia defraudant pauperum ſubſtantias, & toti communitati, & extraneis damnoſi ſunt. *Memento quid fecerit.* Hic agitur de pœnis extraneorum, ſcilicet, Amalechitarum. *Quid fecerit tibi Amalech.* Scilicet,incępit primo pugnare contra Iſrael quam aliæ gentes,& eis dedit incitamenta pugnandi cõtra Iudæos: ideo dicitur Nu. 24. principium gentium Amalech, id eſt,primus inter omnes gẽtiles qui pugnauerant cõtra Iſrael:de quo Exod.17.ca. *Memento quæ fecerit tibi Amalech.* Deus facit hic memores Iudæos de malis, quæ eis intulit, vt deleant eum de terra, & licet multæ gentes contra Hebræos fuerunt,vt patet de Chananæo rege Arad,vt habetur Nu.21. & in c. 23. de nulla tamen dicitur, ꝙ accederetur ad puniendũ eam delendo totaliter:licet de quibuſdam ponantur quędam pœnę,vt de Ægyptiis,& Idumæis:qui non poterant intrare in eccleſiam Domini vſq; in tertiam generationem, vt patet ſupra 23.ca.& de Moabitis,& Ammonitis: qui non poterant intrare in æternum,in eodem c.meruit tamen iſte populus ſpecialiter hoc fieri contra eum, quia ipſe fuit qui primus Hebræos inuaſit, & cæteris ſpem inuadendi tribuit, & valde crudeliter ſe habuit, vt ſignatur in litera. *Quid fecerit tibi Amalech.* Scilicet, quomodo pugnauerit contra te ſpecialius, quam aliæ gentes: nam non ita cito fuerunt conci-

E

De cõmutatiua iuſtitia.

F

De pœnis Amalechitarum.

tati

A tati Madianitæ contra Iſraelitas tranſeuntes, erant tamen Madianitæ circa tranſitum Iſraelitarum: quod patet, quia Iſraelitæ tranſierunt apud montem Synai cum in eo fuerit data lex, vt patet Exod. 20. & ſupra 4. & 5. c. eſt autem iſte mons circa terram Madian, quod patet, quia Moyſes cuſtodiens oues Ietro ſoceri ſui paſcebat eas in monte Synai, vt patet Exod. 3. cap. Chananæi etiam qui habitabant in Arad, erant ita propinqui loco per quem tranſierunt Iſraelitæ, ſicut Amalechitę, vt patet Numer. 14. cap. cum dicitur nolite aſcendere: non eſt enim Dominus vobiſcum ne cadatis coram inimicis veſtris: Amalechites & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis: & poſtea ſequitur deſcendit Amalechites & Chananæus, qui habitabat in monte percutiens eos: erant etiam propinqui Philiſthin, & Idumæi, & alij qui conturbati ſunt ad introitum Hebræorum in deſertum, vt patet Exod. 15. cap. cum dicitur aſcenderunt populi, & irati ſunt, dolores obtinuerunt habitatores Philiſthin, tunc conturbati ſunt principes Edom, & robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan: nullus tamen de iſtis populis bellum vllum contra Iſraelitas geſſit, antequam gererent Amalechitæ, nam ſi obiiciatur, quod Chananæus rex Arad cum Amalechitis ſimul bellum inierunt contra Iſraelitas, & eos fugauerunt occidendo, vſque Horma: vt patet Numer. decimo quarto capitul. Nec ſi obiiciatur id quod Chananęus rex Arad per ſe egit cum iniit pugnam cum Iſrael, & victor exiſtens accepit prædam de eis, vt patet Numer. 21. cap.

B Reſpondetur quod Amalech primo, quam omnes gentes bellum egit cum Iſrael, ſic dicitur Numer. 24. capit. principium gentium Amalech cuius extrema perdentur, id eſt, prima gens, quæ pugnauit contra Iſraelitas fuit Amalech, aliæ autem gentes poſtea pugnauerunt, cum autem dicitur quod Amalechitæ & Chananæi, ſimul pugnauerunt contra Iſraelitas perſequentes eos vſque Horma: dicendum eſt, quod Amalechitæ bis pugnauerunt contra Iſraelitas in deſerto, primo antequam accederent ad montem Synai, & in hac pugna fuit dux Ioſue, & vicit Iſrael Amalechitas precibus Moyſi, vt patet Exod. 17. cap. ſecundum bellum fuit poſt receſſum de monte Synai, quando quædam pars populi ſine Moyſe, & arca Domini aſcendit in montes, & irruit in eos Amalechites, & in hoc bello non fuit dux Ioſue, nec iuit illuc, de hoc Numer. 14. cap. iſta duo bella fuerunt facta in diuerſis temporibus, quia primum fuit in anno primo exitus de Ægypto menſe ſecundo, quod patet, quia menſe tertio anni primi die prima menſis venerunt Iſraelitę in montem Synai, vt patet Exod. 19. cap. de acceſſu Iſraelitarum ad montem Synai, agitur Exod. 19. ca. ſecundum bellum Amalechitarum cum Iſraelitis fuit anno ſecundo exitus de Ægypto poſtquam intrauerunt in deſertum Pharam circa Cadeſbarne, quod patet, quia fuit cum venerunt exploratores qui miſſi fuerant

C ad explorandum terram Chanaan, & murmurare fecerunt Iſraelitas, & pœnituit eos, quod exiiſſent de Ægypto, & dixerunt conſtituamus ſuper nos ducem, & reuertamur in Ægyptum: deinde Deus iratus protulit ſententiam, quod in deſerto morerentur omnes, & iacerent cadauera eorum: ipſi autem commoti ad hoc dixerunt ſe paratos aſcendere in terram Chanaan, & Moyſe prohibente aſcendere incœperunt, & deſcendens Amalechites de montibus irruit in eos, atque occidit multos, de his patet Numer. 13. & 14. cap. Sunt ergo iſta duo bella diſtincta: primum bellum geſſerunt Amalechitæ ſoli contra Iſraelitas in primo anno menſe ſecundo, & quantum ad hoc vocantur Amalechitæ principium gentium, ſcilicet, pugnantium contra Iſrael. Bellum ſecundum fuit poſt hoc pluſquam per vnum annum, quia fuit ad minus in menſe quarto aut quinto anni ſecũdi, vt patet ex proceſſu libri Numerorum, & in hoc Amalechitæ & Chananæi deſcendentes de montibus pugnauerunt contra Iſrael. Ad aliud quando dicitur, quod Chananæus rex Arad pugnauit, & accepit prædam de Iſrael, vt patet Num. 21. dicendum eſt, quod fuit multo tempore poſt bellum quod fecerunt Amalechitæ cum Iſraelitis, & hæc fere annis 40. nam iſtud bellum fuit factum poſt mortẽ Aaron, vt patet ex proceſſu libri Numerorum: nam Nu. 20. c. in fine fit mentio de morte Aaron, & Num. 21. cap. in principio agitur de bello Chananæi regis Arad contra Iſrael, ſed Aaron fuit mortuus anno 40. exitus de Ægypto menſe 5. die 1. menſis, vt patet Num. 33. cap. ergo bellum Chananęi regis Arad fuit in anno 40. exitus de Ægypto, idem ordo ponendi mortem Aaron, & bellum Chananæi regis Arad tenetur Numer. 33. cap. vbi ponitur catalogus manſionum: manet ergo Amalechitas fuiſſe primos de gentibus qui cõtra Iſraelitas arma mouerunt. *In via.* Dicit Moyſes iſtam pugnam Amalechitarum fuiſſe factam in via, quãdo veniebant Iſraelitæ ad terram Chanaan: & ſic verum eſt, quia quæcunque earum pugnarum accipiatur fuit facta in via: nam prima fuit facta in anno primo menſe ſecundo exitus de Ægypto in tertio, vel quarto, aut quinto menſe intra deſertum Pharam circa Cadeſbarne. Sed videtur iſta dicere Moyſes quaſi non ſtaret in via, alias non diceret memento quid fecerit tibi Amalech in via.

D Dicendum, quod Moyſes loquitur iſta, quaſi iam ſtarent extra viam in termino: quia licet non intraſſet terram Chanaan vltra Iordanem, erant tamen iam partim in terra poſſeſſionis ſuę, quia ſtabant in terra quam obtinuerunt de manu duorũ regum Amorrhæorum in qua moratura erat pars Iſraelitarum, ſcilicet, tribus duæ, & dimidia, vt patet Numer. 32. cap. & ſupra 4. cap. etiam quia erant coniuncti alteri parti terræ Chanaan quæ erat vltra Iordanem, quia iſte locus vbi Moyſes iſta dicebat, erat vltima manſio, quę erat in planioribus locis terræ Moab ſuper Iordanem, vt patet Numer. 33. cap. & erant in valle contra Phanum Phegor, vt patet ſupra tertio cap. cum ergo nulla alia manſio eſſet itineris ſui, poterant iam loqui quaſi exiſtentes extra viam, & ſic loquebatur Moyſes. *Quando egrediebaris de Ægypto.*

E

De quo bello hoc intelligitur, an de primo, vel de ſecundo, quando Amalechitæ pugnauerunt contra Iſraelitas.

QVÆSTIO XI.

CVM probatum ſit, quod Amalechitæ bis pugnauerint contra Iſraelitas, quæritur hoc quod hic dicitur, de qua vice earum intelligatur, an forte intelligatur de vtraque.

Dicendum eſt, quod intelligatur de prima vice: non enim poteſt intelligi de ſecunda, quia dicitur in litera, memento quid fecerit tibi Amalech, quando egrediebaris ex Ægypto, ſed magis dicebatur egredi de Ægypto, quando prima vice cõtra eũ Amalechites pugnauit, q̃ cum pugnauit in ſecunda vice: ergo intelligitur de prima vice, patet hoc: nam cum prima vice pugnauit Amalech contra Iſraelitas, dicebatur eſſe in exitu de Ægypto, tam ratione temporis quam ratione diſtantiæ ſitus locorum: in ſecunda vice vero neutrum horum exiſtebat, patet de ratione temporis, quia quando primo pugnauit Amalech contra Iſrael erat ſecundus menſis anni primi exitus de Ægypto, & ſic ab exitu de Ægypto vſque ad ipſum tempus pugnæ non tranſierat vnus menſis, & dimidius, patet, quia à tempore quo exiuit Iſrael de Ægypto vſq;

F ad diem, quo venit in montem Synai tranſiuit menſis, & dimidius: ſed antequam accederet Iſrael ad montem Synai fuit bellum Amalechitarum, & Iſraelitarum: ergo ante menſem, & dimidium ab exitu de Ægypto fuit factum bellum primum cum Amalechitis: conſequentia eſt vera, antecedens patet in prima parte, quia Iſrael venit in montem Synai prima die menſis tertij, anni primi exitus de Ægypto, vt patet Exod. 19. cap. manebant ergo duo menſes integri à principio anni illius vſque ad diem quo acceſſit Iſrael in montem Synai: ab hoc tempore oportet ſubtrahi 15. dies, menſis primi, quia decimo quinto die, menſis primi exierunt Iſraelitæ de Ægypto, vt patet Exod. 12. cap. cum dicitur, quod exierint die 15. menſis, & in eodem ca. dicitur, menſis iſte principium vobis menſium erit primus in menſibus anni, ſubtractis autem iſtis 15. diebus à duobus menſibus manebit vnus menſis, & dimidius, quod erit tempus, quod tranſiuit inter exitum de Ægypto, & diem quo peruenerunt in montem Synai: alia pars antecedentis patet, ſcil. quod antequam peruenirent Iſraelitę in montem Synai fuit bellum primum Amalechitarum, nam bellum primum Amalechitarum cũ Iſrael fuit factũ in manſione quæ vocatur Raphidin, & iſta eſt ante montem Synai, vt patet ex proceſſu Exod. nam de Raphidin habetur Exod. 17. c. de monte Synai habetur Exod. 19. c. ergo prius venerunt in Raphidin, nec valet ſi dicas, q̃ eſt anticipa-

Bella ab Amalechitis contra Iſraelitas geſta.

tio,

A

tio, nam Numer. 33. cap. vbi est catalogus mansionum, & ponuntur omnes eo ordine quo fuerunt in eis filij Israel, & ibidem ponitur mansio in Raphidin ante montem Synai, manet ergo quod primum bellum Amalechitarum cum Israel fuit antequam fluxisset mensis, & dimidius ab exitu de Ægypto. Secundum autem bellum Amalechitarum cum Israel fuit post exitum de Ægypto plusquam 15. vel 16. mensibus: ergo bellum primum poterat dici in exitu de Ægypto ratione temporis: & non secundum: patet antecedens, scil. quod 16. mensibus ad minus post exitum de Ægypto fuerit secundum bellum Amalechitarum cum Israelitarum gentibus, nam anno secundo ab exitu de Ægypto mense secundo, die 20. mensis secundi recesserunt castra filiorum Israel de monte Synai, vt patet Numer. 10. cap. erat ergo iste mensis 14. ab exitu de Ægypto, cum transiisset vnus annus, & duo menses fere: deinde venerunt in sepulchris concupiscentiæ ambulato itinere dierum trium, & ibi populus Israelitarum desiderauit, & petiuit carnes, & Deus dedit ei carnes mense vno, vt patet Numer. 11. cap. cum dicitur sanctificamini cras, & comedetis carnes: ego enim audiui vos dicere quis dabit nobis escas carnium, bene nobis erat in Ægypto, vt det vobis Dominus escas carnium, & comedatis non die vno, vel duobus, aut quinque, vel 10. nec 20. quidem, sed vsque ad mensem dierum donec vertatur in nauseam, & sequitur ibidem immediate, quomodo Deus dederit carnes: addendo ergo

Quãdo fuit secundũ bellum Amalechitarum.

B

istum mensem ad menses quatuordecim, quos supra habebamus, erunt quindecim menses ab exitu de Ægypto vsque quo Israel venit in sepulchra concupiscentiæ: recedens Israel de sepulchris concupiscentiæ venit in Aseroth, vt patet Numer. 11. cap. vbi percussa est Maria lepra, & manserunt castra diebus septem quousque Maria curata est, vt patet Numer. 12. capitulo, addendo ergo istos dies ad superiores cum diebus quibus ambulabant de mansione vsque ad mansionem erunt quindecim menses, & decem dies, vel amplius: deinde venerunt castra Israel in desertum Pharan, & ambulauerunt per aliquot mansiones, & miserunt exploratores duodecim, vt explorarent terram Chanaan, & morati sunt quadraginta diebus à die quo exierunt ad explorandum vsq; ad diem, quo venerunt, vt patet Numer. 13. & 14. cap. qui si addantur mensibus quindecim superioribus, & diebus decem erunt decem sex menses ab exitu de Ægypto, & dies viginti, præter dies quibus morati sunt in veniendo de Aseroth vsque ad mansionem de qua miserunt exploratores. In eadem autem die qua venerunt exploratores, murmurauit populus, & sequenti die data sententia à Deo, quod morerentur in solitudine omnes viri bellatores à viginti annis supra populus ascendere voluit ad terram promissam, & descendit Amalechites, & Chananæus qui habitabant in montibus persecutique sunt Israelitas cedendo eos vsque in Horma, vt patet Numer. decimo quarto capitulo, & istud fuit secundum bel-

C

lum Amalechitarum cum Israelitis, concluſum est ergo, quod bellum primum Amalechitarum, & Israelitarum fuit ante mensem, & dimidium post exitum de Ægypto, bellum secundum fuit post 16. menses, & amplius, quam viginti dies etiam si subtrahatur ab istis primus medius mensis anni primi qui fluxit antequam exiret Israel de Ægypto: primum bellum Amalechitarum contra Israelitas fuit, quando egrediebantur de Ægypto, & secundum non potest dici, quando egrediebantur de Ægypto. Item patet hoc ratione locorum mansionum, quia bellum primum factum fuit in Raphidin, vt patet Exod. 17. cap. bellum secundum fuit factum in Cadesbarne, siue in Cades deserti Syn, & patet quia in eodem loco in quo exploratores venientes de explorando terram Chanaan repererunt castra, factum fuit bellum secundum cum Amalechitis, sed exploratores inuenerunt castra Israel in Cadesbarne, siue in Cades deserti Syn: ergo in eo loco fuit factum secundum bellum Amalechitarum, patet maior, quia in ea die qua venerunt de explorando terram Chanaan dixerunt terribilia de gentibus terræ illius quam explorauerant, vt patet Numer. 13. capitulo, & in ipsa sequenti nocte, & die sequenti factum est murmur, & planctus in castris Israel, & dixerunt constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum, & Dominus eadem die protulit sententiam contra ipsos, vt morerentur, & iacerent cadauera eorum in solitudine, & filij eorum non intrarent in terram promissam vsque ad annos quadraginta completos, & in eadem die surrexerunt, atque ascendentes in montem expugnati sunt ab Amalechitis, vt patet Numer. decimo quarto capitulo, erat ergo eadem mansio, quia cum de illa recedere pararent, irruerunt super eos Amalechitæ, & Chananæi: minor patet scilicet, quod exploratores venientes de explorando terram Chanaan inuenerunt castra in Cadesbarne, siue in Cades deserti Syn, vt patet Numer. 13. cum dicitur, reuersique exploratores post quadraginta dies omni regione circuita venerunt ad Moysen, & Aaron, & omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharam, quod est in Cades, sed Raphidin est mansio decima in computatione mansionum, Cadesbarne, siue Cades deserti Syn est mansio 32. vt patet in computatione mansionum, de vtroque autem habetur Numer. 33. capitulo, ergo primum bellum Amalechitarum, cum Israelitis potest dici factum in exitu de Ægypto, quia in decima mansione, & non secundum, quia factum fuit in 32. Dicet autem aliquis, quod licet non intelligatur ista litera de secunda pugna Amalechitarum cum Israelitis: solum tamen intelligetur de vtraque, tam de prima quam de secunda: & videtur esse ratio, quia Deus mandat recordari Israelem eorum quæ fecit ei Amalech, quia illa mala fuerunt, sed etiam fuerunt mala illa quæ intulit Amalech Israeli in secunda vice, sicut in prima: ergo intelligetur etiam de secunda, sicut de prima, scilicet, de vtraque simul: consequentia patet, & maior, quia si illa quæ fecit Amalech Israeli non fuissent mala, non man-

E

daret Deus Israel, quod reminisceretur eorum ad inferendum malum: minor patet, scilicet, quod illa quæ Amalechitæ intulerunt in secunda vice Israelitis fuerunt mala, sicut ea quæ in prima; immo adhuc & peiora, quia in prima vice, licet incœperit pugnam Amalech contra Israel, tamen postea constitutus fuit Iosue inducere contra Amalechitas, & occidit magnum partem eorum, cæteros; in fugam vertit, vt patet Exod. cap. 17. in secundo bello econtrario factum est, quia cum Israelitæ ascenderent in montem, irruerunt super eos Chananæus, & Amalechites, ac persecuti sunt eos occidentes de illis vsque Horma, vt patet Num. 14. cap. magis ergo intelligi deberet adhuc de ista secunda vice quam de prima. Dicendum, quod solum intelligitur litera ista de prima pugna Amalechitarum cum Israelitis: nam si non potest intelligi de secunda pugna, nec poterit intelligi de vtraq;: quod non possit intelligi de secũda patuit supra, & magis declaratur infra, cum dicitur, & extremos agminis tui qui lassi residebant cecidit: nã hoc nullo modo potest intelligi de secundo bello Amalechitarum contra Israelitas, vt infra declarabitur: ergo nõ potest intelligi litera hæc, nisi de primo bello. Ad rationem in oppositum respondetur, cum dicitur, quod Deus mandabat meminisse de his quę fecerat Amalech, quia mala erant, sed ea quæ in secundo bello illata fuerunt, erant peiora: ergo magis intelligebatur de illis, minor conceditur, scilicet, quod peiora fuerunt illata in secundo bello quam in

F

primo, ad maiorẽ respondetur, quod licet mandauerit Deus reminisci de his quæ fecerat Amalech, quia mala erant, magis tamen mandauit de his quæ fecit in primo bello quam in secundo: cuius causa est triplex. Prima, quia Amalechitæ in primo bello aggressi sunt Israelitas proditorie, ꝙ patet quia venerunt per partem posteriorẽ sicut hic declaratur, scil. extremos agminis tui qui lassi residebant cecidit, vel vt dicitur in Hebræo decaudauit in te, id est, percussit caudam tuã, scil. eos qui erant in cauda, talis autem inuasio proditoria est magnæ pęnæ, quod etiam patet in singulari pugna, quia si vnus alium per insidias occidit, occiditur, & nõ gaudet aliqua immunitate locorum sacrorum, vt patet Exod. 21. c. cũ dicitur, si quis per insidias, aut per industriã occiderit proximũ suũ, ab altari modo euellas eum vt moriatur, vt patet hoc per iura humana canonica extra, de immunitate Ecclesiarum c. inter alia: in alio genere mortis gaudet occidẽs immunitate sacrorũ locorũ. Secundũ bellũ Amalechitarũ contra Israelitas fuit sine insidiis, quia non insidiati sunt Amalechitæ, sed obuiam exierũt Israelitis euntibus ad loca eorũ, vt patet Nu. 14. c. Secunda causa, & potissima erat, quia primum bellum Amalechitarum contra Israelitas fuit initium omnium bellorũ cõtra eos, quia nulla gens pugnauerat cum eis, quando primo pugnauerunt Amalechitæ, cum autem secunda vice pugnauerunt ipsi contra Israelitas, pugnauit etiam, & Chananæus

populus

populus qui habitabat in Arad: peſſimum ergo fuit bellum iſtud Amalechitarum primum contra Iſraelitas, quia cæteris gentibus fuit exemplum pugnandi contra Iſraelitas, quod autem propter iſtam cauſam aggrauetur nimis iſtud bellum, patet quia cum Deus per Balaam Prophetam prædiceret deſtructionem Amalechitarum dixit Num. 24. ca. principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur, id eſt, quia Amalech fuit principium gentium contra Iſrael pugnantium, perdentur extrema eius, id eſt, deficiet gladio cadens. Tertia cauſa eſt, quia cum primo pugnauerunt Amalechitæ contra Iſraelitas, non habebant aliquam cauſam pugnandi, cum nullo modo nocerent eis Iſraelitæ, ſed in ſecundo bello habuerunt cauſam pugnandi, ergo non tantum peccauerunt: patet hoc, quia cum primo pugnauerunt contra Iſraelitas Amalechitæ non tranſibant Iſraelitæ per terram Amalechitarum, nec aliquid damni eis inferebant, ſed recto curſu tranſibant: in ſecundo autem bello habuerunt Amalechitæ rationem pugnandi contra Iſraelitas, quia tranſire volebant per terram Amalechitarum, vt patet Numer. 14. ca. nam ipſi aſcendebant ad montem ad tranſeundum per illum, & in illo monte morabantur Amalechitę, & Chananęi, ſcilicet, nolite aſcendere: non eſt enim Dominus vobiſcum, ne corruatis coram inimicis veſtris: Amalechites enim, & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis. Et ſequitur poſtea deſcendit Amalechites, & Chananæus qui habitabant in montibus, & percutiens eos, atque concidens perſecutus eſt vſque in Horma: recte ergo propter primam inuaſionem Amalechitæ mala multa merebantur, & non tot propter ſecundam, licet in ſecunda magis nocuerint Iudæis. *Extremos agminis tui qui laſſi reſidebant cecidit.* Id eſt, eos qui erant in poſteriori parte caſtrorum, vel aliqui qui fatigati non poterant ſequi ordinem proceſſus tribus, & familiæ ſuæ, & dicunt Iudæi, quod iſti erant viri peccatores, & infideles Deo, ideo nubes excludebat eos à ſua protectione, quare inualuerunt hoſtes contra eos. In Hebræo habetur. *Decaudauit in te eos qui laſſi reſidebant.*

An dictum turpe Rab. Salom. ſit verum, de inuaſione Amalechitarum in poſteriorem partem agminis Iſraelitarum.

QVÆSTIO XII.

DICIT Rab. Salom. quod Amalechitæ inuadentes eos qui nō poterant ſequi caſtrorum progreſſum oppreſſerunt illos vitio Sodomitico, ideo dicuntur eos decaudaſſe. Sed hoc vile eſt dicere, nec veriſimile eſt conſiderata qualitate eorum qui ſequi non poterant caſtra, quia aliqui miſerrimi, & turpiſſimi eſſent, quod non congruit intentioni agētium taliter. Sed dicuntur decaudaſſe, id eſt, de cauda percuſſiſſe, quia extremos exercitus percuſſerunt ſecundum quod litera noſtra innuit. *Quando tu eras fame, & labore cōfectus.* Erāt enim tunc in Raphidin, vt patet Exod. 17. ca. & laſſi erant labore itineris, & forte fame, quia licet iam manna haberent, vt patet Exod. 16. cap. tamen multi non libenter de eo comedebant, quia nolebant prouocari ad nauſeam. *Et non timuerit Dominum.* Quaſi debuiſſet timere me, qui te dirigebam in columna nubis & ignis, & quia affligtus eras. *Delebis nomen eius de ſub cælo.* Sic dicitur Exod. 17. cap. erit bellum Dei contra Amalech à generatione in generationem, & Numer. 24. cap. dicitur, quod extrema Amalech perdentur, & factum fuit hoc regnante Saule, vt patet 1. Reg. 15. cap. quia tunc omne viuens tam in hominibus quam in brutis gladio periit, & quia de pinguioribus reſeruauit Saul offendit valde Deum. *Et extremos agminis tui.* Quia quando procedebant caſtra, aliqui non poterant ſequi motum caſtrorum, & manebant retro, hos inſurgentes ex inſidiis Amalechitæ occiderunt: ex quo patet, quod non poteſt intelligi de ſecunda inuaſione, aut pugna Amalechitarum contra Iudæos, nam in ſecunda non oppreſſerunt Amalechitæ extremos agminis, ſed primos: nam iſta litera ſignat, quod caſtra Iſrael ſimul procedebant, & aliqui manſerunt retro, qui non potuerunt cum aliis procedere, & hos occiderunt Amalechitæ, in ſecundo non fuit ſic: ſed dixerunt Iſraelitæ, quod parati erant aſcendere in terram Chanaan. Moyſes autem prohibebat eis, quia non erat Dominus cum eis, & tunc manentibus caſtris fixis, & arca Domini in caſtris, multi de Iſraelitis, ſcilicet, viri bellatores aſcenderunt in montem, vbi habitabant Amalechitæ, & Chananæi, & incurrentes iſti ſuper Iſraelitas perſecuti ſunt eos vſque in Horma: non ergo extremos agminis occiderunt, ſed primos, etiam quia dicitur.

Extremos agminis tui. Id eſt, caſtrorum tuorum, ſed hic non erant caſtra in proceſſu, ſed manebant caſtra, & arca Domini, & Moyſes, viri autem bellatores ſolum proceſſerunt contra Amalechitas, & Chananæos.

Item quia dicitur. *Qui laſſi reſidebant.* Id eſt, qui ibant cum aliis omnibus pergentibus in ordine caſtrorum, ſed non potuerunt continuare laborem, & manſerunt extra caſtra paulum refocillantes, & tunc ſuperuenerunt Amalechitæ irruentes in eos atq; occidentes, ſed in ſecundo bello non fuit ſic, quia non manſerunt aliqui non potentes ſequi caſtra; immo omnes viri bellatores perrexerunt contra Amalechitas ad faciendum iter per terram eorum, & Chananæorum, & in eos facta fuit plaga: caſtra autem manſerunt in Cades deſerti Syn, & arca Domini, & Moyſes cum Leuitis, & omnes de populo, tam mulieres quam viri inepti ad bellum: & in hos qui reſidebant plaga nulla facta eſt.

Quando eras fame, & labore confectus. Id eſt, affligtus fame & labore, fames & labor erant in Iudæis: ideo peccatum Amalechitarum magis grauabatur, quia miſeris affligtionem ingerebant: erat autem fames Hebræorum, quia licet haberent manna de cœlo datum, tamen alios cibos deſiderabant, & in comedendo laborabant, quia anima eorum arida erat comedendo manna, ſic dicitur Numer. 11. cap. quis dabit nobis ad veſcendum carnes? in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & allia, & cepe: anima noſtra arida eſt, nihilq; reſpiciunt oculi noſtri, niſi māna: dicitur affligtus labore, ſcilicet, labore itineris, quia forte tunc procedentes de deſerto Syn magno impetu mouebantur iuxta velocitatem nubis motæ, & dirigentis, quouſque peruenirent in Raphidin: ideo quidam non potentes tolerare tantum laborem in velocitate motus manebant confecti labore, & hos Amalechitæ ſuperuenientes ex inſidiis occiderunt.

Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem. Antequam Iudæi intrarent in terram Chanaan, & pacifice poſſiderent eam, non debebant mouere bellum contra Amalechitas: ideo licet in itinere mouerint bellum contra Chananæos habitantes in Arad vouentes ciuitates illas in Anathemate, ſi Deus traderet eas in manus eorum, vt patet Numer. 21. ca. & poſtea deleuerint eas, vt patet eodem ca. & licet pugnauerint contra Madianitas, vt patet Numer. 31. cap. & contra duos Amorrhæorum reges Seon, & Og, vt patet Numer. 21. & ſupra ſecundo, & tertio cap. & deinde contra alias gentes Chananæorum trans Iordanem: tamen nunquam pugnauerunt contra Amalechitas donec fuerunt in pace, & non immediate, vt fuerunt in pace, ſed vſque exactos iudices, & incœpta tempora regum.

Et ſubuerterit tibi cunctas per circuitum nationes. Deus videtur ſubuertere, quia licet iſti pugnarent, & occiderent illas gentes: tamen dabat eis vigorem animi ad aggrediendum, & robur corporis ad exequendum, vt patet ſupra 8. capit. cum dicitur, ne diceres in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ mihi hæc omnia præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum, quod iurauit patribus tuis. *Cunctas per circuitum nationes.* Non vniuerſaliter intelligendo, quia non ſubiectæ fuerunt vnquam omnes nationes Iudæis, nec promiſſæ ſunt eis omnes nationes, licet quidam imperiti Iudæi exiſtiment omnem terram poſſidendam eſſe promiſſam Iudęis: & quod adhuc in futuro poſſidebitur, quod inducunt ex illa litera quæ habetur Geneſ. 49. cum dicitur, donec veniat deſiderium collium æternorum, & in Hebræo dicitur, vſq; ad terminos ſeculi, de quo late diximus Geneſ. 49. cap. ſed vocantur cunctæ per circuitum nationes, id eſt, omnes nationes quæ Iudæis promiſſæ erant, ſcilicet, ſeptem populi Chananæorum: ex quo videtur, quod licet Iudæi habitarent in pace in terra Chanaan, tamen non cogebantur, adhuc bellum facere contra Amalechitas, quia non ſubiectæ erant cūctæ ciuitates in circuitu, hoc autem fuit toto tempore Ioſue, quia ipſe non ſubiecit totam terram, nec Deus permiſit,

vt totam

A vt totam subiiceret propter peccata Hebræorum, vt patet Iudicum 2.cap.etiam toto tempore iudicum Israel,quia licet multi iudices fuerint, & diuersa prœlia fecerint, tamen non potuerunt subiicere totam terram, quia nec Dominus hoc volebat, vt patet Exod.23.cap. scilicet, non poteris eos delere simul, aut in anno vno, sed paulisper, atque per partes, ne forte redigatur terra in solitudinem, & crescant contra te bestiæ, non obligabantur ergo tempore Iudicum Israelitæ pugnare contra Amalechitas, & quia ista tota terrâ, nunquam fuit subiecta Iudæis vsque ad tempus Salomonis, qui omnes relictos de gentibus illis fecit tributarios, vt patet 2. Paralip. 8. cap. non obligabantur pugnare contra Amalech, nisi Deus mandauisset, ideo nunquam pugnauerant contra eos,vsquequo Deus mandauit Sauli primo regi Israelitarum per Samuelem Prophetam, vt patet 1.Reg.15.ca. & tunc fuerunt obligati ire propter obedientiam debitam Deo, & iuerunt atq; deleuerunt Amalechitas in ore gladij. *In terra quam tibi Dominus pollicitus est.* Hic declarat id quod supra positum fuit, scilicet, & subiecerit tibi cunctas per circuitum nationes, quia istæ nationes non intelligebantur respectu omnium terrarum, sed solum in terra quæ possidenda promissa fuit Israelitis,& ista est terra Chanaan. *Delebis nomen eius de sub cœlo.* Id est,facies diligenter,vt nemo de Amalechitis maneat siue vir, siue fœmina, siue magnus, siue paruus in quo possit manere nomen Amalechitarum, & sic est factum, quia etiam pecora omnia, & iumenta in ore gladij perierunt,& hoc est delere nomen eius de sub cœlo, id est, facere, quod non maneat sub cœlo, sed sub terra per tumulationem. *Caue ne obliuiscaris.* Hic hortatur diligenter hoc debere compleri ne aliquo modo,scilicet,ne aliqua ratione maneat hoc inexpletum facto aliquo pacto cum Amalechis, aut si forte non feceris pactum reliqueris tamen hanc executionem, ita quod non facias:caue ne obliuiscaris, sed semper recordare ad infligendum pœnam debitam.

B

Caput XXVI.

CVMQVE intraueris terram quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in illa: tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, &c.

C *Vmque.* Supra 12. cap. vsque nunc posuit legislator præcepta determinatiua modorum obseruandi præcepta decalogi ordinando hominem specialiter in Deum per cæremonialia,& specialiter in proximum per iudicialia:hic ponitur conclusio quam intendebat legislator in omnibus istis præceptis, scilicet, quod homo reddat gratias Deo de beneficiis acceptis. Et ex hoc subdatur cunctis mandatis eius. Et tanguntur duo. Primo per oblationes gratitudinis verbalis professio. Secundo mandatorum Dei actualis obseruatio. Secunda ibi. *Hodie Dominus Deus tuus.* Prima in duas. Primo de professione gratitudinis in solutione primitiarum. Secundo in solutione decimarum ibi. *Quando compleueris. Cumque intraueris in terram.*

C

An tenerentur dare decimas, & primitias ante introitum terræ promissæ.

Qvæstio I.

QVIA non tenebantur ad reddendum decimas, vel primitias ante introitum terræ promissionis, quia in deserto non ferebant, nec metebant: ideo nec aliquas decimas soluere poterant, & ratio quia non poterant ferere, vel metere,cum castrametationes essent incertæ:expectabant enim quando moueretur nubes,vt habetur Num.9.cap.Item non indigebant, quia Deus dabat eis de cœlo manna, vt patet Exod.16.cap.ideo non comederunt panem in deserto,vt patet infra 29.c. *Et obtinueris eam & habitaueris in illa.* Etiam non obligabantur ad dandas decimas, & oblationes immediate post ingressum terræ promissionis, sed postquam acquisiuissent,& possedissent eam pacifice,quia vrgentibus bellis tempore inter medio modicum poterant ferere,vel colligere, licet iam manna defecisset, vt patet Iosue 5.cap. ponuntur hic tria, scilicet,intraueris,& obtinueris,& habitaueris,& donec ista essent simul, non tenebantur: Iudæi intrantes in terram Chanaan non tenebantur ad primitias, & alia iura sacerdotalia, donec eam secure intrantes tenerent, quia antequam intrarent in eam, incedebant per desertum in quo nihil seminare,aut metere valebant:immo nec sacrificia quę aliquo modo pertinebant ad iura sacerdotalia, quia de eis aliquo modo concrescebant redditus sacerdotales,vt patet Numer. 18.cap. & supra 18. secundum verbum erat, & obtinueris, id est, & acquisiueris,nam licet intrarent in terram Chanaan,si tamen non acquisiuissent eam, non obligabantur aliquid horum soluere,quia non poterant nec habebant, vt cum introierunt vltra Iordanem,& fixerunt castra in Galgalis:nam ibi erat terra Chanaan, & tamen nondum seruauerant, nec quid meterent habebant: requirebatur ergo, quod acquisiuissent terram, scilicet, quod eam ab inhabitatoribus antiquis qui iam eam iniuste detinebant, liberarent. Tertium erat,quod habitarent in illa,quia si non habitarent in ea,dato quod acquisiuissent ab hostibus, non possent dare decimas, & primitias aut alia iura, nam habitatio dicit firmam mansionem, poterant autem Israelitæ acquisiuisse terram Chanaan,vel introisse in eam,& non habere quid ferant,aut metant,si essent intenti bellis, aut nondum pacifice possideant, quia tunc modicum ferebant, aut metebant, vt possent exinde iura Deo persolui, non ergo debuerunt obligari ad soluendum decimas, vel alias primitias, aut pertinentias donec essent homines in terra Chanaan securi, non habentes quotidianum bellum,quia tunc poterant seminare, & metere,& omnia alia agere,& sic erat tunc possessio terræ illius, quia in pace detinebant illam,& in hac omnia crescunt: tria ergo ista requirebantur ad hoc,quod tenerentur offerre iura hic contenta Iudæi. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias.* Non nominantur hic omnia de quibus dabantur decimæ, & primitiæ, quia vt vult Rab. Sal. octo erant de quibus primitiæ dabantur,quæ ponuntur supra 8.ca.& non solum de illis,sed etiam de lana,vt patet supra 14.c. soluebant etiam de minutis herbis quas in hortis plantabant,de quibus aliquos redditus habebant,scilicet,de menta,aneto,aniso, quæ ipsi Pharisæi decimabant, vt patet Matth. 23. cap. & hoc Christus approbat dicens, oportebat hæc facere, & illa non omittere, non erat tamen in tanta necessitate solutio primitiarum in istis, sicut in aliis, & sic procedit argumentum Christi cõtra Pharisæos. *Et pones in cartallo.* Cartalium vas est de lignis complexũ quasi canistrum, vel signat omnem mensuram frugum, & in illa ferebant fruges, vel fructus, siue quicquid ferendum erat. *Perges ad locum.* Hoc intelligitur de vicinis loco in quo esset Sanctuarium: alij autem vendebant illa redigentes in pecuniis, & offerebant in loco Sanctuarij, vt fiebat de secũdis decimis patet supra 14.ca. *Quem Dominus Deus tuus elegit.* Quia in multis locis fuit tabernaculum Domini, & ad illa oportebat illis temporibus ascendere: deinde fuit locus sanctificationis in Ierusalem,& ibi mansit Dei cultus vsque ad passionem redemptoris Iesu: Deus diuersa loca eligebat, vt habitaret nomen eius ibi: erat tamen locus semper vnus in quo colebatur, quia nec in multis locis poterat fieri tabernaculum, nec arca testimonij, & quod maius est non poterant in diuersis locis facere altaria ad offerendum victimas, sic dicitur supra 12.cap. scil. caue ne offeras victimas tuas in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus: ideo quando filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse redeuntes de vltra Iordanem, vbi cũ aliis tribubus manserant, fecerunt altare nimiæ magnitudinis apud cumulos Iordanis,alię tribus nouem,& dimidia scientes hoc parabant se ad pugnandum contra duas tribus & dimidiam, vt patet Iosue 22.capit. vsquequo agnoscentes causam iustam cessauerunt, fuit autem iste locus vnus semper, in quo omnia pertinentia ad Deum tam cæremonialia quam iudicialia fierent, præcipue cæremonialia, nam de iudicialibus paucissima pertinebant ad Deum, nisi sint aliqua quæ erant mixta ex cæremoniali, & iudiciali, sicut erat de muliere de qua vir conceperat spiritum zelotipiæ, vt patet Numer.5. capit. quia ad petitionem viri adducebatur ad Sanctuarium, & ibi fiebant experientiæ de quibus eodem cap.

D

Cartalũ quid sit.

E

F

De locis in quibus arca, & Sanctuarium ſteterunt à ſuo principio vſque ad conſummationem, ſiue ſimul ſteterint, ſiue diuiſa.

QVÆST II.

FVIT autem iſtud primum Sanctuarium in Sylo poſtquã intrauit in terram Chanaan, nam poſtquam facta fuit arca, & Sanctuarium in deſerto factum, ambulauit arca, & caſtrametabatur in medio caſtrorum cum Sanctuario, deinde ambulauit per omnes caſtrametationes Sanctuarium cum ipſis caſtris Iſrael in medio caſtrorum, vt patet Numeri 2. c. & 10. cum autem introierunt in terram Chanaan fuit caſtrametatio in Galgalis, vt patet Ioſue 5. cap. & ibi manſit arca: deinde cum Iſraelitæ aliqua loca cœpiſſent, cõgregati ſunt, vt adducerent arcam Domini in Sylo, & duxerunt eam, vt patet Ioſue 18. c. durauit autem ibi Sanctuarium, & arca vſque ad tempus Heli ſacerdotis, quia tunc ducta fuit arca ad bellum, & fugatis Hebræis cœperunt omnia Philiſthini, & duxerunt in terram ſuam, vt patet 1. Regum c. 4. & 5. manſit autem arca Domini in terra illa ſeptem menſibus, vt patet 1. Regum c. 6. deinde reducta de terra Chanaan venit in agrum Bethſamitarum in tempore meſſis, & quia quidam Bethſamitarum voluerũt curioſe videre arcam, mortui ſunt quinquaginta mille viri de plebe, & ſeptuaginta viri de populo ſuo, vt patet 1. Reg. 6. c. deinde fuit adducta arca Domini in Cariathiarim, ſiue Gabaa in domum Aminadab, & Eleazarus filius eius cõſtitutus eſt, vt ſeruaret arcam Domini, vt patet 1. Regum 7. deinde portauit Dauid in principio regni ſui arcam Domini de domo Aminadab in Gabaa, & parauit eam ducere in domum ſuam, ſed propter mortem Oza ſacerdotis qui tangens arcam mortuus eſt, vt patet Reg. 2. capit. 6. declinauit arca in domũ Obethedon Gethæi, & manſit ibi menſes tres, & multiplicauit Dominus bona Obethedon propter arcam quæ ibi erat, deinde fuit translata arca Domini in ciuitatem Dauid in loco quem parauerat ei, deinde Salomon diſpoſito templo introduxit eam in illud. de primo habetur 2. Regum 6. c. de ſecundo habetur 2. Paralipom. 1. cap. tabernaculum autem quod vocatur totum, quod Moyſes fabricauit in deſerto præter arcam, erat cum arca, dum manſit in Sylo, deinde diſiuncta ſunt, & quia Deus repulit tabernaculũ Sylo propter mala quæ ibi fiebant, quia filij Heli dormiebant cum mulieribus quæ excubabant ad oſtia Sanctuarij vt patet 1. Regum cap. 2. & ſicut arca inde educta in bello capta eſt, ita & tabernaculum inde eductum eſt, & portatum in Nobe ciuitatem, cuius ſignum habetur, quia quando Dauid fugiebat à facie Saulis, tranſiuit per ciuitatem Nobe, & reperit ſacerdotem magnũ Achimelech, qui dedit ei de panibus propoſitionis, ſed iſti panes nunquam erant, niſi in Sanctuario, ſcilicet intra tabernaculum, ergo in ciuitate Nobe erat tunc Sanctuarium, & quia rex Saul mandauit deſtrui ciuitatem, vt patet 1. Regum 22. cap. mutatum fuit tabernaculum in Gabaon, cuius ſignum eſt, quia cum Salomon voluiſſet adducere altare holocauſtorum, quod erat pars potiſſima Sanctuarij in templum, quod conſtruxerat, duxit illud de Gabaon, vt patet 2. Paralipom. 1. ca. & poſtea introductum fuit in templum Salomonis, & coniuncta fuerunt arca, & ſanctuarium ſicut fuerant à diebus antiquis, in hoc loco manſit vtrunque vſque ad captiuitatem Babylonicam, & tunc arca cum altari thimiamatum ducta eſt in montem ad ſpeluncam in qua erat ſepultus Moyſes, & ibidem clauſa ſũt. hæc omnia fecit Hieremias, vt patet Machab. 2. cap. 3. tabernaculum tamen quod conſiſtebat in cortinis manſit maiori tempore quam arca, quia vſque ad tempus captiuitatis factæ per Romanos anno 42. poſt mortem Chriſti: nam quando mortuus eſt dicitur Matth. 27. cap. velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, ſed velum pertinebat ad interiorem partem Sanctuarij, ſ. ad Sancta Sanctorum: ergo tempore Chriſti exiſtebat Sanctuarium. manſerunt autem iſta in eodem tenore vſque ad diem quo per Titum Imperatorem Romanum capta eſt vrbs Ieruſalem, tunc templum combuſtum eſt, & omnia hæc abolita ſunt. Deus ergo multoties accipiebat diuerſa loca ad honorem ſuum, vt de ſe nullum certum habere vellet pro ſemper: ſed nunc dicit, quod in diuerſis locis Deus volebat honorari. *Vt inuocetur nomen eius ibi.* Eligebat Deus iſtum locum, vt ibi fieret ſibi ſpecialis cultus exterior, ſcilicet in oblationibus, & ſacrificijs, & maxima celebratione feſtorum, & præcipua doctrina legis: in alijs autem locis ſolum interior cultus, ſcilicet oratio, & fides exhibebatur, & aliqualis prædicatio legis. *Accedeſque ad ſacerdotem.* Scilicet ad ſacerdotem magnum, & patet, quia dicitur qui fuerit in diebus illis, ſi autem de minoribus intelligeretur, ſemper erant multi ſed hic de vno ſolo præſidente loquitur. *Profiteor hodie.* Nõ ſolum ſolui oportebat primitias, ſed etiam in ſolutione alta voce Dei beneficia profiteri, & ſe gratum ei verbo, & opere demonſtrare, quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, vt patet ad Ro. 10. c. & iſta profeſſio fiebat quandocunque primitiæ ſoluerentur. *Ingreſſus ſum terram.* Hoc magnum beneficium Dei erat pro quo gratiarum actio debebatur. *Pro qua iurauit patribus noſtris.* Iſtud iuramentum dicitur factum ad patriarchas: quibus primo promiſſio de multiplicatione ſeminis, & de poſſeſſione terræ Chanaan facta eſt, in reliquis autem promiſſa patrum priorum ſub eadem forma obſeruata ſunt.

Promiſſio multiplicationis atque poſſeſſionis, & iuramenti confirmatorij differunt, quæ à Deo facta fuerunt Hebræis.

QVÆST. III.

EST tamen differentia inter promiſſionem multiplicationis atque poſſeſſionis terræ, & iuramenti confirmatorij ſuper eadem. nam promiſſio omnibus facta eſt, & cuilibet trium patriarcharum, ſcilicet Abraham, Iſaac, & Iacob ſpecialiter, & per ſe, de Abraham patet Gen. 13. & 15. & 17. cap. de Iſaac habetur Gen. 26. de Iacob Gen. 28. & 35. iuramentum autem non factum eſt cuilibet iſtorum, ſed ſoli Abrahæ, vt patet Gen. 22. c. cum dicitur per memetipſum iuraui dicit dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercifti filio tuo vnigenito propter me, multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris, & in ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ: alijs autem duobus patriarchis, ſ. Iſaac, & Iacob non fuit facta promiſſio cum iuramẽto, ſed ſimpliciter, vt patet inquirendo totũ proceſſum libri Geneſ. ſed referebat ſe in promiſſionib. factis ad iſtos ad iuramentum factum in promiſſione Abrahę, ſic habetur Gen. 26. c. cum dicitur ad Iſaac à Deo: tibi & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has complens iuramentum, q̃ ſpopondi Abrahã patri tuo, & hoc modo licet Deus ſoli Abrahæ iuraſſet dare terram illam, & multiplicare ſemen cum omnibus alijs patriarchis, & populo iudaico, iurabat dare eam inquantum promittebat, q̃ daret eis illam ſecundum formam promiſſionis, quam fecerat ad Abraham, veluti ſi quis iuraret alicui obedire in omnibus, quæ mandaret, ſi immediate ſub illo iuramẽto mandaretur aliquid, tenebatur obedire, alias incurreret periurium, ſic ſi poſt aliquot dies dicatur, ſub pœna iuramenti à te præſtiti, iniungo tibi hoc facere, licet tunc non iuraret illud facere ſubditus, tamen ſi non faceret periurium incurrebat. ſic ſi iudex exigat ab aliquo iuramẽtum, vt reſpondeat ad inquiſita de quibus nouerit, & præſtito iuramento petat aliquid iudex, & reſpondeat alius contra id quod animo gerit, aut eſt in re, periurij reus eſt, & ſi in alio die quærat iudex aliquid ab eodem dicens, ſub iuramento à te præſtito quæritur, an noueris aliquid in tali cauſa, vel tali: tunc licet is à quo tale petitur non iuret reſpondere quæ nouit, tamen ſi tacuerit, aut falſum expreſſerit, eandem periurij labem incurrit, quam incurreret ſi ſuper eadem re de veritate dicenda iuraſſet, quia interrogatio, & reſponſio iſta ad præcedentem iurationem extẽduntur: ita cum Deus diceret Iſaac, ego promitto dare tibi terram hanc, ſicut iuraui patri, vel ſub iuramento, quod iuraui patri tuo, ſi forte frangens promiſſionem factam Abrahæ eſſet pro illa periurus, ita ſi præuaricaretur factam Iſaac, & ſic de cæteris, quibus ſub eodem vinculo iuramenti promiſit, licet ſpecialiter non iurauerit, & ſic intelligẽdum eſt, quod iurauerit Deus patribus iſtorum Iſraelitarum dare terram Chanaan, licet vni ſoli expreſſe iurauerit.

Vt daret eam nobis. Id eſt non iurauit patribus noſtris, vt daret eam eis, ſed iurauit eis, vt daret illam nobis: illis autem promiſſio facta eſt, & in nos venit promiſſionis adimpletio. nam

illi nunquam eam tenuerunt, ſed omnes peregrinati ſunt in ea,& ſic in proceſſu Gene.cum agitur de Abraham, Iſaac, & Iacob, raro dicitur, quod habitauerint in aliquo loco, ſed quod peregrinati fuerint,ſic declarat Apoſtolus ad Hebr. 11. c.& B.Stephanus Actu.7.& ob hoc valde laudantur iſti,quia non viderunt aliquam impletionem,tamen in fide illius ambulabant.

Suſcipiens ſacerdos cartallum de manu eius. Quia licet populares offerrent iſta domino,tamen non poterant ipſi ſuper altare offerre,quia hoc ad ſacerdotes attinebat, immo nec Leuitæ hoc poterant, & ſi quis hoc facere attentaret moreretur, ſic dicitur Numeri 1.capit.ſi quis extraneus acceſſerit occidetur, & Numeri 18. quod patet in rege Ozia,qui quia obtulit thus coram domino,percuſſus fuit lepra in fronte, & manſit in ea vſque ad mortem ſuam,&regio caruit honore,quia immediate filius eius Ioathan ſucceſſit ei, vt patet 4.Regum, cap. 15.

Ponet ante altare. Scilicet eleuando,& deprimendo ſurſum, & deorſum,& ſiniſtrorſum:ad ſignandum,quod Deus cui illa offeruntur,omnium quæ ſunt ad quaſcunque differentias poſitionis dominus eſt:& iſte primitiæ non cremabantur in altari,ſed deuoluebantur ad vſus ſacerdotum, vt patet Numeri 18.& ſupra 12.capit.nec ex hoc minus ſanctificatæ erant res illæ quæ offerebantur,aut ille qui offerebat erat minoris meriti, quam ſi res ab eo oblatæ in altari adolerentur, quia quicquid offerebatur,ſolo Dei intuitu,&mandato offerebatur,& meritum offerentis erat in hoc, quia Deo mandanti aliquid dari parebat,aut ex deuotione aliquid Deo dare volebat.ſi autem hoc poſtea combureretur in altari,vel cederet ſacerdotibus,nihil ad offerentem, quia iſta pretioſa ſunt ad meritum:ideo nihil augent, aut minuunt de ratione meriti, & quantitate,ſicut ſi aliquis domino temporali offerret aliquid comeſtibile,in offerendo ei obligabat eum ſibi, quia erat beneficium. ſi autem poſtea ille dominus cibum illum comederet,aut famulis ſuis erogaret,nihil attineret ad meritum tribuentis, æqualiter enim vtrobiq; eſſet obligatus ille qui beneficium receperat:ſic enim eſt in Deo, quia Deus habebat famulos,ſcilicet Leuitas omnes,ſiue ſacerdotes eſſent, ſiue non,qui continue miniſtrabant ei,aut omnes ſimul, aut aliquota pars eorum,& his ipſe Deus dare debebat neceſſaria ad vitam,quia ipſi non poterant acquirere occupati miniſterijs Sanctuarij, etiam quia inter cæteros Iſraelitas ſortem non recipiebant, vt patet Numeri 3.& 18.& 34. dabat ergo Deus iſtis ea quæ ei dabantur à populo,ſicut Domini habentes famulos eos de redditibus ſuis ſuſtentant. Deus autem aliquid comedere dicebatur,aut pro ſe aſſumere, quia ea quæ offerebantur in ſacrificio,erant odor ſuauiſſimus Dei, vt patet Exo.29.& Leuit.1.ca.& Deus menſam habere dicebatur, tanquam ſi comederet:non quidem menſam propoſitionis, quia panes ibi poſiti à ſacerdotibus comedi debebant,&non cremabantur.de quo Leui.22.& 2.Reg.21.& Matt 12.c.ſed erat alia menſa quæ proprie vocabatur menſa Dei, & ea quæ ſuper ponebantur, non comedebantur ab aliquo homine, ſed vorabantur ab igne,tanquam Deus illa acciperet: de hoc Malach.1.c.dicitur:vos polluiſtis nomen Domini in eo,quod dicitis menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuper ponitur contemptibile eſt cum igne qui illud deuorat: non ergo magis Deo placebant quæ in altari cremabantur, quam quæ in ſacerdotum iura cedebant,cum ab eo iura hęc forent conſtituta,& omnia ei offerebantur.

Et loqueris in conſpectu Domini Dei tui. Illa quæ coram altari holocauſtorum fiebant,aut dicebantur,dicebantur fieri coram Deo,quia licet vbique Deus ſit,ibi tamen eum magis eſſe denominat ſcriptura,vbi magis magnitudinis aut bonitatis eius mõſtrantur inſignia, & ſic dicebatur eſſe in cœlo empyreo,quia ibi ſe ipſum præbet ad viſionem beatificam:dicebatur etiam eſſe in ſancto ſanctorum,quia ibi loquebatur de medio Cherubin ſuper propitiatorium,& peccata remittere dicebatur,aut vbi ei aliquis ſpecialis cultus impenditur,& ſic erat ſuper altare holocauſtorum, quia in loco illo ſolo ei offerebantur ſacrificia.cum ergo hæc quæ ſubiiciuntur dici deberent coram altari holocauſtorum ſuper quod hæc munera offerebantur,dicebatur quod coram Domino dicerentur,& iſta verba nõ debebat dicere ſacerdos qui offerebat ſuper altare. ſed Iſraelita qui duceret iſta ad offerendum, vt patet ex continuatione literæ, quia de ſacerdotibus fit hic mentio in tertia perſona,de Iſraelitis autẽ offerentibus in ſecunda,quia ad eos dirigitur ſermo,vt patet ex principio c.ergo iſtud verbum loqueris,ꝙ in ſecunda perſona eſt,ad Iſraelitam laicum offerentem refertur:etiam quia iſta quæ dicuntur ſunt quædam cauſæ quare iſta munera quæ offeruntur, Deo debita eſſent.ergo ſolum pertinebat expromere tales cauſas ad eũ qui munera offerebat,& non ad ſacerdotem qui ſolum erat miniſter:dicebat autem iſte laicus Iſraelita hæc in cõſpectu Dei, quia intrabat in Sanctuarium, ſcilicet in atrium,& profitebatur hæc coram altari holocauſtorum. nam licet intra tabernaculum nullus præter ſacerdotes intrare poſſet,tamen in atrium omnes tam Leuitæ,quam non Leuitæ poterant ad offerendum intrare:alias autem non intrabant populares in atrium,ſed in circuitu atrij ſtantes per reticulatas cortinas proſpiciebant ſacrificia cum fierent. *Syrus perſequebatur patrẽ meum.* Hic narrantur labores continui,& liberatio ab eis,& ad vltimum multiplicatio eorum,& introductio in terram promiſſam. *Syrus perſequebatur.* Hoc eſt principium laborum, quia Iacob fuit caput immediatum omnium Iſraelitarum qui in ſe, & filijs ſuis multos labores ſuſtinuit,& primus labor poſtquã habuit filios,fuit perſecutio Laban,qui vocatur Syrus: quia habitabat in Meſopotamia Syriæ,vt patet Gen.27.c.fugiente enim Iacob cum vxoribus,& filijs,& tota ſubſtantia ſua, perſecutus fuit eum Laban vſque in montem Galaad occidere volens,niſi Deus vetuiſſet,vt patet Gen.31.c.

Qui deſcendit in Aegyptum. Poſt perſecutionem Laban manſit in terra Chanaan peregrinando aliquanto tempore: deinde vrgente fame deſcendit in Ægyptum,vt patet Gen.46. ca. *Peregrinatus eſt in pauciſſimo numero.* Scilicet cum ſeptuaginta animabus quæ egreſſæ fuerant de femore eius. *Creuitque in gentem magnam in AEgypto.* Quia licet multum affligerentur laboribus duris,& occiſione paruulorum,tamen creuerunt,ita quod in exitu de Ægypto erant ſexcenta millia peditum abſque mulieribus,&paruis,qui non attigerant 20.annos,vt patet Exo.12.c.& licet ibi ponantur ſolum ferme ſexcenta millia peditum, tamen valde plures erant, quia etiam dempta tota tribu Leuitarum erant pedites Iſraelitarum in exitu de Ægypto plures quàm ſexcenti mille,vt patet Numer.1.capit. vbi computantur per omnes tribus omnes viri potentes procedere ad bellum ab anno 20.vſque ad 60.& reperti ſunt ſexcenti mille quingenti quinquaginta, & tamen Leuitæ non ſunt computati cum eis, vt ſubditur immediate ibidem, ſcilicet Leuitæ autem in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis: nec valet ſi dicas,quod quando exierunt de Ægypto omnes Iſraelitæ,tam Leuitæ quàm nõ Leuitæ,ſimul ſumpti non accedebant ad ſexcenta millia, ſed poſtea creuerunt in deſerto,ita quod in numeratione de qua habetur Numeri 1. c. eſſent de ſolis Iſraelitis popularibus abſque Leuitarum tribu ſexcenta millia quingenta,&quinquaginta:falſum eſt enim,quia inter tempus quo de Ægypto exierunt,& dicebantur eſſe ferme ſexcenta millia peditum,& numerationem de qua habetur Num. 1. cap. non fuit tantum tempus in quo tantum potuiſſent creſcere Iſraelitæ. nam non fuit annus & dimidius,ſed ſolum vnus annus,&menſis dimidius,quod ſic patet,quia Iſraelitæ egreſſi ſunt de Ægypto die 15. menſis primi,vt patet Exodi 12.& Numeri 33. cap.deinde in anno ſecũdo,menſe ſecundo,anni die prima fuit incœpta computatio de qua habetur Numer.1.cap.vt ibidem habetur:ergo ſolum fuit intermedius vnus annus,& dimidius menſis.in tam paruo tempore non poterant tantum augeri,vt tota tribus Leuitica excederet ſuper numerum, quem ante faciebat totus Iſrael, & adhuc reliquus Iſrael ſine Leuitis excedebat ad numerum,quem antea omnes ſimul faciebant, quia ante dicebantur eſſe ſexcenta millia peditum ferme, vt patet Exod.12. nunc autem ſolæ aliæ tribus ſine Leuitis faciebant ſexcenta millia,& quingenta,& quinquaginta. *Afflixerunt nos Aegyptii.* Cogendo facere lateres,& non dando paleas; deinde flagellis nos cædendo,vt patet Exodi primo,& 5.ca. *Qui reſpexit noſtram humilitatem.* Id eſt humiliationem, quia humiliauerant nos Ægyptij,id eſt deſpectibiles fecerant cogendo ad opera vilia,ſ.ad expurgationem ſtercoris de locis platearum. *Et laborem.* In conficiendis lateribus,& ſtipulis congregandis,vt patet Exodi 5.c. *Atq; angustias.* Quia anguſtiabatur valde cor noſtrũ,cum videremus paruulos noſtros occidi. *In manu forti &*

brachio

A

brachio extento..Id est in fortitudine sua faciendo signa terribilia in Ægypto,& mari rubro. *Et ingenti pauore.* Quia Ægyptij percutiebantur pauore magno , dum tenerent captiuum Israel videntes horrenda somnia,& terribiles visiones , vt habetur supra 4.c.& Sapientiæ 12. cap. vel quia ad exitum filiorum Israel per mare rubrum omnes in circuitu gentes expauerunt audientes talia mirabilia fieri, de quo cantauit Moyses Exodi 15.c.de hoc etiam Iosue 2.cap.vbi loquitur Raab ad exploratores. *In signis.* Scilicet,quæ faciebant Aaron, & Moyses ad indicandum se fuisse à Deo missos,vel ad demonstrandum veritatem eorum quæ dicebant,vt mutatio virgæ in colubrum,vt patet Exodi 7.c. *Et portentis.* Scilicet magnis mirabilibus,quæ Deus faciebat demonstrans suam magnitudinẽ, & puniens Ægyptios,vel liberans Israel. *Et idcirco nunc offero.* Scilicet pro omnibus istis beneficijs demonstrans gratitudinem. *Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui.* Scilic. ante altare, quia nihil de eis comedebat offerens , sed integraliter cedebant in vsus omnium sacerdotum.

Et epulaberis in omnibus bonis. Deus volebat incitare gentem istam ad bonum,& quia adhuc carnalis erat,volebat quod in oblationibus,& sacrificijs comederent splendide,& lętarentur,vt ex delectatione illa incitarentur ad frequentandum illos actus,& tunc epulabantur de sacrificijs pacificis, quæ offerebant,de quibus maior pars carnium veniebat offerentibus,vt colligitur Leui.7.c.vel etiam si non offerrent , ferebãt secum abundantem pecuniam ad cibos de decimis secundis, & ad hoc inuitabantur aduenæ,& Leuitæ.

B

Et epulaberis. Dicit hic , quod quilibet de populo qui istas primitias offerebat,introibat coram Domino, scilicet coram altari holocaustorum,& facta ista professione secundum quã confitebatur se teneri ad dandum illa Deo pro receptis beneficijs,adorabat Dominum , s. humiliando se coram altari, & faciendo orationem,vt Deus eum dirigeret in bono , quæ omnia in honorem diuinum cedebant , & tunc epulabatur cum tota domo sua intra atrium Sanctuarij si aliquid obtulisset de victimis pacificis : alioquin comedebat de his quæ apportauerat,& erant non consecrata Deo.

Et epulaberis. Id est comedes splendide , quia epulæ sunt solennes cibi. *In omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Id est ibi comedes de omnibus bonis quæ Deus dederit tibi, siue de ouibus,siue de bobus, vel capris, sicera, aut vino, & sic de omnibus alijs bonis comestilibus , quæ generarentur in terra promissionis,quia volebat Deus illos perfecte lætari,vt iterum desiderarent ad similia festinare.

C

Quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Quia ista quæ sunt in fructibus terræ,licet per culturam,& laborem acquirantur, tamen Deus est qui illi dat,quia vt ait Apostolus qui rigat , aut qui plantat nihil est , sed Deus qui incrementum dat , & ista dabat Dominus Deus tuus,quasi dicat,nõ dabat aliquis alius Deus,sicut putauerunt gentiles,qui cuilibet rei Deum vnum assignabant,& alicui dabant quandoq; multos , vt iugis Deũ iugatiuum , valloniam autem vallibus præfecerunt ; ruribus autem,id est agris deam Rusinam,segetibus autem Segetiam deam , & Laturnum atque Nodotum pro diuersis temporibus assignauerunt,de quibus & plurimis alijs qui trecentorũ numerum excedant secundum Marcum Varronem,August. de ciui.Dei,li.6.hoc autem quantum ad rustica numina est, sunt autem,& præter hos selecti dij,id est seorsum electi qui præcipui sunt,& cœlestes inter quos Ceres dea est quę omnibus segetibus prælecta est,de qua Oui.Meta.lib.5.in fine. hos autem Deos,s.Rusinam Segetiam,Laturnum, Nodotum, & Cererem fatua gẽtilitas pro frugibus exorabat , cumq; fames aliqua accidisset offensos Deos istos induxisse extimabant, vnde eos sacrificiis,& ludis suasu dæmonum placandos ducebant , sic in Græcia in qualibet æstate ludi solennes in ciuitate Elensi celebrabantur,quia eam placatam fruges multas effundere autumabant,de quo Seneca in tragœdia decima, quę dicitur Hercules Etheus. Deus ergo volebat,quod isti Iudæi intelligerent,quod non dabat eis fruges aut bona terrę aliquis alius Deus,sed ipse. *Et domui tuæ.* Ea quæ Deus dat alicui dat domui suæ,vocatur hic domus familia domestica,& non habitaculum,& quando alicui viro patri familias Deus bona elargitur sibi , & domui suæ, id est toti familiæ tribuit , in his ergo bonis quæ sibi,& domui suæ tributa sunt , debet gaudere cũ sacrificia fiebant,licet nõ sit virtus aliqua splendide cõedere,aut delectari in his bonis corporeis , sed erant data ad lenimentum imperfectorum, vt per hæc alliciantur ad bonũ. Si tamen aliquis vir bonus,& non curans delectationem quę in his est tempore illo, cum sacrificaret,aut offerret primitias, lætaretur atque epularetur splendide coram Domino Deo suo solum,quia Deus dicebat esse lætandum,& epulandum, merebatur , tanquam si ageret aliquem actum durum , qui pertineret ad fortitudinem aut temperantiam,quia solũ desiderium obediendi Deo inducebat ad hoc. *Et Leuites.* Erant Leuitæ pauperes,quia interdum non sufficiebant redditus isti ad sustentandum eos,quia multi erant,& redditus nõ magni,& nullam terram ipsi ad serendum aut plantandum habebant,sed sola suburbia ad alendos greges de quo Numeri 35.c. *Et aduena qui tecum est.* Dicitur aduena ille qui de gentilitate ad iudaismum conuersus est, isti autem , vt in plurimum pauperes erant,quia venientes ad iudaismum deserebant cognationem suam,& terram natiuitatis suæ,& ea quę possidebant,ideo hos misericorditer foueri oportebat,vt alii ad conuertendum se ad iudaismum incitarentur. etiam dicebatur hoc,quia Iudæi erant valde crudi non habentes viscera pietatis maxime ad extraneos,si ergo non iuberetur eis,& frequẽtibus monitionibus ducerentur,vt conuersos diligerent, eos exosos haberent,atque nimium eis molesti essent, quod valde vitandum erat. *Quando compleueris decimam.* Hic ponitur secundum de decimarum solutione,hic loquitur textus de decima tertia quæ fiebat tertio anno.

De decimarũ solutione.

D

Quod decimæ fiebant apud Iudæos. Et quomodo distribuebantur.

E

QVÆSTIO IV.

FIEBANT enim tres decimæ, scilicet vna quæ totaliter dabatur Leuitis.Alia quæ sumebatur in cibos euntium,& redeuntium de Ierusalem , & quando ibi starent,vt inuitarent ad epulas Leuitas,aduenas,& pauperes. Tertia decima dabatur pauperibus,Peregrinis,& Leuitis.Et duæ primæ dabantur in quolibet anno. tertia autem fiebat de triennio in triennium,& non deducebatur in locum Sanctuarii, sed dimittebatur in singulis ciuitatibus, vt venirent pro ea pauperes,viduæ,aduenæ,pupilli, & Leuitæ. Nicolaus dicit, quod secunda istarum confecta est,sed supr. 14.c. demonstrauimus eam ex textu esse necessariam. De veritate autem harum decimarum,& quomodo se habeant latius diximus 12.& 14.ca. vide ibi plene. *Quando compleueris decimam cunctarum frugũ tuarum.* Scilicet decimam primam quæ erat pro Leuitis , & erat maior,quia fiebat de aceruis non decimatis , & decimam secundam ad cibos offerentium,& conuiuia pauperum,& Leuitarum in loco Sancto,quia istæ primo sumebantur.vltimo sumebatur decima pro pauperibus , & ista erat minor , quia fiebat de rebus bis decimatis. *Anno tertio decimarum.* Id est in anno tertio in quo soluebantur omnes decimæ. quia in quolibet aliorum annorum solũ duæ decimę soluebantur,in hoc autem tres,ideo iste annus per excellẽtiam vocabatur annus decimarum. *Et dabis Leuitæ.* Secundum Nicolaum intelligitur hoc de prima decima quę dabatur in solidum Leuitis. *Et aduenæ,& pupillo.* Scil. aliam decimam,sed ista expositio non multum consonat literæ.Primo quia dicitur supra. *Quando compleueris decimam.* Ergo ista quæ sequuntur debent fieri completa decima,& sic etiã secundum suam opinionem debet esse iam data decima prima quę est Leuitarum,id ergo,quod post decimatur pertinet ad secundam,vel tertiam decimam.Itẽ quia dicitur infra. *Vt comedant intra portas tuas.* Hoc autem de tertia decima intelligitur,vt patet supra 14.c.quia ista reseruabatur in vrbibus , & sic ipse vult , sed hoc comedere refertur simul ad Leuitam,pupillum,aduenam,& viduam , qui tertiam decimam comedebant,vt patet supra 14.c.& sic dicas , quod ly. *Leuitæ.* Non coniungitur cum ly. *Pupillo,aduenæ,& viduæ.* Tunc dabis , quod Leuita non comedebat de tertia decima cuius oppositum patet supr.14.c.Dicendum ergo, quod solum intelligitur litera ista de decima tertia,& est sensus. *Dabis Leuitæ, aduenæ,& pupillo.* Id est, quod completis aliis duabus decimis dabis tertiam decimam in vrbibus tuis pro Leuitis , pauperibus,& aduenis,& viduis simul. *Vt comedant intra portas tuas.* Id est intra portas ciuitatum tuarũ , quia hic loquitur ad totum

Opinio Nicol.

F

Doctoris expositio.

A

Israel,& non dabantur ista in conuiuijs, sed distribuebantur personis supradictis,& sic melius,& diuturnius eis vtebãtur: si enim ista in conuiuijs factis simul expenderentur, faciliter finirentur,magis autem proficiebant personis singulis distributa. *Loqueris in conspectu Domini Dei tui.* Post quam colligebantur messes in anno tertio, separabantur istæ tres decimæ secundum ordinem ante enarratum,& deinde veniebant Leuitæ pro sua decima prima. Secunda decima assumebatur in tribus temporibus anni ad eundum in Ierusalem, & comedendum ibi.tertia decima distribuebatur successiue in tribus annis pauperibus,& Leuitis, & quando ascendebat in Ierusalem ille qui decimabat,loquebatur coram domino ista,quę sequuntur excusans se,quod non præterierit mandatum domini de separandis decimis. *In conspectu Domini Dei tui.* Id est coram sacerootibus in atrio tabernaculi. *Attuli, quod sanctificatum est de domo mea.* Id est adduxi ad te ea quæ sanctificari mãdabas.in Hebræo habetur. *Separaui de domo mea.* Et ista est melior litera,& significat,quod omnia quæ mandauit Deus sanctificari,id est applicari ad cultum suum,ego separaui de domo mea,id est à rebus meis quibus vtor,scilicet tres decimas, & primitias,& credo,quod litera nostra corrupta sit vitio scriptorum à principio,qui posuerunt. *Attuli.* Pro. *Abstuli.* Quæ faciliter fieri posset propter similitudinem literarum, & si dicamus abstuli signat,idem quod litera Hebraica.Sed nec in hoc multum curandum est, quia ad eundem sensum pertinent abstuli,& attuli:nam licet ista duo verba secundum se ipsa signent opposita,tamen tota complexio redit ad eundem sensum, quia id quod signat istud verbum attuli per modum termini à quo, signat istud verbum abstuli per modum termini ad quem.erat autem sensus huius literæ,quod iste dicebat se consecrasse domino omnia quæ mandabat sanctificari sibi,hæc autem quæ sanctificabantur,habebant hæc duo.

B

Litera expositio propria,in qua D. Hiero laudatur.

Primo, quod applicabantur ad cultum Dei. Secundum quod separabantur à rebus eius qui sanctificabat eas Deo. primum enim inducit iste terminus sanctificare, id est applicare ad cultum diuinum.Secundum est, quod postquam aliquis res suas domino tradebat non habebat vlterius potestatem super illas,tanquam si nunquam fuissent suæ,quia res sacræ ad prophanos vsus conuerti non debent: pro primo facit istud verbum attuli,id est ego attuli ad te Deus meus de domo mea omnia quæ mandasti adduci, & cõsecrari tibi applicando ad res tuas.pro secundo facit verbum abstuli,aut separaui,ſ.q̃ res quas mandasti tibi dari non tenui cũ rebus meis, sed eas abstuli,siue separaui à domo mea,i. à reb⁹ meis,vt pro te solo essent.nihil igitur magis vnum quam reliquũ differt, & quia expedit concordare dicta dictis,emendare autem,aut aliquid damnare cauendum est, nisi cum necessitas id exposcat. hic autem, ita conuenienter ponitur attuli sicut abstuli,vt patet ex dictis: ergo non est dicendum, quod errauerint scriptores, aut quod nunc in litera nostra aliqua corruptio sit, sicut quidam ad pauca attendentes vbi non possunt literam intelligere confingunt eam, aut à priore translatore, aut à posterioribus scriptoribus fuisse corruptam. hic autem

C

necessitas nulla est dicendi eam fuisse corruptam, aut à Hieronym. quod absit, aut cuiuslibet alterius imperitia scriptoris.Et si obiicias,quod deuiat litera nostra ab Hebraica si dicat attuli.

Respondetur,quod non tantum litera nostra attendit literam Hebraicam quantum sensum eius,quia litera Hebraica in plerisque rusticano more impolita est,& intricata.litera autem Hieronymi eam, licet interdum mirabiliter exponit, vt quamplurimi Hebræorum Bibliam nostram,quasi expositionem literæ suæ asserant, cum tamen in verbis à litera sua non superabundet,in qua magna B.Hierony. solertia, & ingenij acumen attendenda sunt.

Et dedi illud aduenæ,pupillo,& Leuitæ. Intelligitur de tertia decima quæ dabatur istis personis,& in hac faciliter errari poterat ex eo,quod tenebatur in domo per tres annos,vt successiue distribueretur supra dictis,ideo poterat interdum aliquid de illa sumere in vsus suos,& sic peccare.

Non præteriui mandata tua. Licet hoc posset intelligi de omnibus quæ Deus mandauit : tamen melius intelligitur de separatione decimarum, scilicet, quod separaui alias duas decimas,sicut mandasti mihi,& patet,quia præcedens litera loquitur de his,& sequens etiam.

Non sum oblitus imperii tui. Quia hoc valde commendauit, vt nunquam obliuisceremur mandatorum eius : sed ambulantes, quiescentes, dormientes, & surgentes meditarentur illa, vt essent iugiter ante oculos nostros,vt patet supra 6.capit. & 11.

D

Non comedi ex eis in luctu meo. Id est in necessitate mea secundum quod vult litera Hebraica,& est sensus ego tenebam in domo mea istam decimam separatam,sed etiam si aliquando essem in necessitate, non comedi ex ea, si tamen fuisset magna necessitas licitum erat comedere ex ea:sicut Dauid,& famuli sui comederũt de panibus propositionis,vt patet 1. Regum 21.c.& Matt.12.sed solum sacerdotibus licebat comedere de his panibus,ergo à fortiori in decima quæ non erat tantum Domino applicata,sed de nullõ existente in ciuitate aliqua tanta necessitas præsumi potest.

Collige quam grande peccatum sit expendere decimas, & bona Ecclesiæ meretricibus, &c.

Nec separaui eam in qualibet immunditia. Licet peccatum esset absolute comedere de decimis separatis, magis tamen erat applicare ad aliquem vsum immundum,ſ.dando fornicatoribus, vel meretricibus, quando aliquis colligebat fruges, aut alios fructus, de quibus dabantur decimæ ex illis fructibus,& erant obligatæ omnes partes illorum fructuum ad decimas,& primitias: non quidem, vt specialiter obligata esset aliqua pars fructuum ad istam solutionem, quia tunc debitor nunquam liberaretur,nisi dando illam partem,sed falsum est,quia dando aliquam earum quamcunque,dum tamen esset decima pars liberabatur,& non solum dando aliquam de istis,sed etiam dando aliquam de quibuscunq; partibus, aut fructibus,& sic antequam separata esset decima, poterat ille, qui erat dominus vti illis fructibus ad quemcunq; vsum vellet.postquam tamen specialiter separabat aliquas partes Deo pro decimis,aut primitiis,erãt illæ partes specialiter Deo cõsecratæ & debitæ,& sic forte acciperet de illis ad aliquem vsum,contractabat rem alienam,maxime quæ sacra erat, ideo peccabat,nec satisfaciebat,dato q̃ tantundem tribueret,quia adhuc peccatum manebat scilicet applicasse rem sacram ad prophanos vsus,nam sicut si quispiam voueret ouem,aut bouem,vel capram,si esset tale animal,quod immolari deceret, nec quicquam impediret ex cõditione indiuidui,aut speciei, non poterat mutari,etiam si daretur pro eo aliud valde melius,vt patet Leui.vlt.c.quia illud specialiter Deo obligatum erat per votum, quia erat consecratum, ita hic,quia decimæ postquam erant separatæ erant obligatæ specialiter Deo, & consecratæ, cum voluntas dantis determinauerit se ad istos fructus dandos in decimis,& dederit eos, atque dando à se abdicauerit,& Deus illas immediate acceptauerit: quomodocunq; postea acceperit de illis applicãdo ad vsus suos peccat,quia conuertit rem sacrã ad prophanos vsus.Ideo dans istam decimam excusat se de omnibus istis,q̃ non cõmiserit aliquid eorum,& generale est,q̃ accipere de istis decimis separatis malũ erat,sed secundum ea ad quæ accipiebatur, erat peius,aut minus malum,& prius excusat se, q̃ non acceperit de illis in luctu suo,quia ea quæ dantur Deo pertinent ad lætitiam,& ipsi offerentes,quando offerebant, debebant epulari,& lætari coram Domino Deo suo,vt patet supra 12.& 14. & 16.& in multis locis:conuertere ergo hæc ad tẽpora plangendi,erat totaliter oppositũ,ideo magis peccatum quam si conuertisset ad tempora gaudiorum,sicut ad nuptias,& conuiuia,aliaq; gaudia:excusat se etiam de immunditia, vt si fieret de illis fructibus aliquid turpe, vtpote si de eis darentur cibi canibus,& iumentis:nam licet peccatum esset,quod homines comederent de illis,maius tamen erat, quando conuertebantur in turpitudinem,sicut hic, quia vilipendebatur eorũ sanctitas:nam si forte eueniret aliqua necessitas in qua de illis oporteret assumi ad cibũ,debebant cũ magna reuerẽtia assumi faciendo differentiã de illis cibis ad alios cibos, tãquam si assumerentur cibi sancti,sicut cum Dauid,& sui pueri deberent comedere de panibus propositionum,quos solis sacerdotibus edere licebat,etiam in tẽpore necessitatis,quæsiuit ab eis vtrũ mundi essent à mulieribus maxime, & à quibusdam alijs turpitudinibus,vt sic comederent, nec eis quicquã dare voluit,donec Dauid dixit se,& pueros à mulieribus mundos esse,quasi dicat,si forte confessi fuissent se cum mulieribus paulo ante fuisse maculatos,etiam si necessitas quædã esset,non daret eis quippiã.ita erat hic,quia licet istæ decimæ nõ essent,ita specialiter separatæ,tamẽ erãt aliquo modo

E

F

A

ſeparatæ ad cultum Dei: non ergo ſine magna mũditia, & reuerentia in neceſſitatis tempore ſumi debebant. Non licebat autem dare de his gentilibus ad comedendum, quia & hoc adhuc maius peccatum erat, nam ſicut de agno Paſchali, quia erat ritus iudaicus, & ſacrificium Domini, vt patet Numeri 9. cap. non poterant comedere aliqui gentiles, donec circunciderentur, vt patet Exodi 12. cap. ita videtur eſſe de his quæ domino conſecrata erant, quod non liceret comedere, niſi Iudæis, cum adhuc omnibus Iudeis hoc non liceret. non licebat etiam vendere iſtos fructus dominis qui pertinebant, & ſeparati erant ad decimam, quod ſi venderent, peccatum magnum erat propter duo.

Primo, quia vendebant rem alienam, vendere autem rem alienam, vel quomodocunque contractare animo lucrandi furtum, & illicitum eſt.

Secundo, quia hic vendebatur res ſacra, res autem ſacræ extimationem non recipiũt, vnde ſi aliquis vellet emere carnes alicuius arietis immolati, aut alterius animalis in holocauſtum, vt ipſe comederet, vel ad alios vſus: non poterat vendi etiam ſi daret pro eis omnia quæ poſſideret, aut mille arietes, vel talia quęcunq; animalia, quia illud, quod domino immolatum erat, iam erat conſecratum ei: etiam excuſat ſe, quod non expenderit aliquid iſtorum in re funebri, i. in officio funeris, vocatur funus exequiarum officium, & in hoc nihil expendi debebat de re ſacra, ne cætera commacularentur ex huiuſmodi applicatione, etiam quia iſta quæ Deo dabantur, pertinebant ad exaltationem offerentium, & laudem Dei in iubilo, ſi quis autem iſta ad res planctus applicaret, ſ. fructus qui pro decimis dandi erant, applicabat rem ſanctam ad contaminationem potius, quàm ſi ad aliquid gaudij applicaret. *Nec expendi ex eis quicquam in re funebri.* Id eſt in planctu mortuorum, in quo ſiunt aliqua conuiuia, & ibi nihil dari debebat de re ſacra, quia omnia accedentia ad funus polluebantur, & ipſi plangentes, & omnia quæ ſtabant in domo in qua aliquis moriebatur, vt patet Num. 19. c. ideo ſacerdotes, & omnes res ſacræ à funere ſegregabantur, vt habetur Leuit. 21. ca. vel quia non placent Deo ſacrificia cum triſtitia, & ita dixit Aaron excuſans ſe quare nõ comediſſet ſacrificium pro peccato dicẽs; quomodo potui placere domino mente lugubri? vt patet Leui. 10. c. *Obediui voci.* Replicatio eiuſdem ſententiæ eſt. *Reſpice de Sanctuario tuo.* Poſita obedientia mandatorum ponitur imprecatio bonorum à Deo pro obedientia.

B

Duob. in locis Deus ſpecialiter erat.

C

Reſpice de Sanctuario tuo. Quicunque reſpiciendo dicitur reſpicere de loco in quo eſt. Deus autem vbiq; præſens eſt cum omnia impleat, ſed ſpecialiter in aliquibus locis eſt quantum ad aliquos effectus, cum eſſe ſuum eodem modo vbique ſit, & ponuntur hic duo loca in quibus Deus ſpecialiter erat. Primo in Sanctuario, quia gloria domini erat ſuper arcam inter Cherubin, & in columna ſuper tabernaculũ, de qua frequenter loquebatur Deus Moyſi, vt patet Num. 12. c. & 16. & Exo. 29. ideo de loco illo reſpicere dicebatur, & contra locum illũ reſpiciebant omnes orantes in Iſrael, de quo 3. Reg. 8. ca. ideo, & Daniel ſtans in Babylone apertis feneſtris domus orabat contra Ieruſalem, vt patet Dan. 6. cap. Secundus locus in quo Deus ſpecialiter eſt, cœlum empyreum eſt in quo ſe beatis animabus oſtendens eas beatas efficit, ideo etiam de hoc loco Deus reſpicere dicitur. *De excelſo cœlorum habitaculo.* Vocatur excelſum habitaculum propter duo, vel quia illud cœlũ empyreum ſuper omnes cœlos eſt, vel ad differẽtiam habitaculi terreni, ſcilicet tabernaculi in quo habitare dicitur. *Et benedic populo tuo Iſrael.* Multiplicando eum in omnibus bonis, ſiue terrenis, ſiue ſpiritualibus: benedictio enim vbicunque ponitur multiplicationem importat. *Et terræ quam dediſti.* Concedendo in terræ naſcentibus vbertatem. *Hodie dominus.* Hic ponitur ſecundum, ſ. mandatorum obedientia, & obſeruatio.

Mãdatorum obediẽtia, & obſeruatio.

Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi. Quia licet iſta præcepta alias dicta fuiſſent, ſed nunquam ita plane, & coniunctim, ſicut die, qua Moyſes iſta locutus eſt dicta fuerunt, ideo quaſi tunc nouiter Deus iſta mandare videbatur. *Vel præcepit hodie.* Id eſt quotidie, ſicut dicitur Pſal. 2. ego hodie genui te, id eſt ſemper genui, & gigno, ſic quotidie nobis Deus iſta mandat, quia quotidie nos inſtigat ad hęc faciendum, ſed prima expoſitio eſt magis literalis. *Vt facias mandata hæc.* Scilicet moralia. ſ. præcepta decalogi, & præcepta cæremonialia. *Iudicia.* Id eſt præcepta iudicialia. *Vt cuſtodias.* Scilicet in mẽte tua ea voluẽdo aſſidue, vt patet ſupr. 6. c. *Et impleas.* Actualiter operando. *Ex toto corde tuo.* Id eſt affectuoſe, quia maledictus qui facit opꝰ Dei negligenter: debent enim mandata Dei cum magno amore obſeruari, quia licet cuſtodiendo mandata ſine charitate, excuſetur aliquis à peccato, quod incurreret ſi ea non cuſtodiret, tamen nihil magis meretur quam ſi non ageret, quia radix merendi Charitas eſt, & Deus magis reſpicit mentem quam opus. *Et ex tota anima tua.* Iſta magis expoſita fuerunt ſupr. 5. c. *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus.* Id eſt vt habeas eum in Deum, eum mente, & opere coldo, & mandatis eius obediendo, & dicuntur elegiſſe hodie, quia ſicut in monte Synai populus recipiens præcepta Dei elegit eum in Deum primo, ita nunc recitata tota lege de nouo, & multis ſuperadditis populus conſenſit obedire ei, & colere eum.

D

Quomodo Iſrael in Deum elegit Dominum Deum ſuum.

QVÆST V.

COnſiderandum circa hoc quomodo Iſrael elegerit Dominum Deum in Deum ſuum, quia videtur, quod non elegerint: nam eligere libertatem dicit, vbi autem non eſt libertas, ſed eſt homo obligatus ſpecialiter ad aliquid, non dicitur proprie eligere, in his autẽ quæ poſſumus facere, vel nõ facere, eligere dicimur, ſic eſt de voto. quia votũ eſt promiſſio facta de his quæ bona ſunt, ad quæ aſtricti non tenemur. vnde non eſt verum, quod aliquis voueret ſe nõ fornicaturum, aut non occiſurum quempiam iniuſte, quia ad hoc tenetur, ſed ad colendum Deum verum qui erat Deus Hebræorum, omnes tenentur, vt declarat Apoſtolus ad Rom. 1. ca. dicens inexcuſabiles illos qui prætextu alicuius ignorantiæ Deum verum non coluerunt ad idola declinantes, cũ poſſent Deum naturaliter cognoſcere, & iſto modo dicuntur obligati ad præcepta decalogi, quia ſunt præcepta iuris naturalis etiam ſi non dentur nobis, ſi tunc non fuerunt data gentilibus, ſed innata ſunt eis, quia vt ait Apoſtolus ad Ro. 2. c. gentes quæ legẽ non habent, naturaliter eam quæ ſunt legis faciunt dictãte eis conſciẽtia. erant ergo omnes homines naturaliter obligati ad colendum Deum verum, quem colunt Hebræi, quia ipſe Deus verus erat, alioquin aliæ gentes non peccarent non colendo Deum, vel colẽdo idola. Sed de hoc arguuntur omnes gentes tanquam peccantes: ergo obligatæ erant ad colẽdum Deum etiam nulla lege impoſita. Quomodo igitur poterant Hebræi eligere accipere Deum in Deum, & Dominum, cum non eſſet eis liberum, ſed neceſſarium alioquin peccarent? Reſpondetur, quod Iudæi, & omnes gentes tenentur impendere Deo vero cultum latriæ qui conſiſtit in actu interiori, ſ. in ſpe, fide, & charitate, ſic ait Aug. fide, & ſpe, & charitate colitur Deus, in Enchiridio, & Ioa. 4. ca. ſpiritus eſt Deus, & eos qui eum colunt, oportet in ſpiritu ambulare, præter iſtũ cultum interiorem non obligantur ad alium cultum exteriorem determinate, quia natura non determinat aliquid vlterius nec laudes nec ſacrificia, nec adorationes caput inclinando, aut genu flectendo, & ſic de cæteris, quantum ergo ad iſta de quibus non eſt ſpecialis determinatio in ratione, nec obligatio, poteſt aliquis ſe voluntarie obligare, aut vouere, aut ſine voto recipere, & iſto modo eſt lex à Deo data, quia continentur in ea quædam cæremoniæ ſpeciales non determinatæ à ratione, ſicut ſunt in ſacrificijs, & omnibus alijs ritibus ſpecialibus, & legibus iudicantibus de quibus nulli obligati eramus, niſi noſipſi nos obligemus, & quãtum ad hoc eſt in poteſtate noſtra eligere Deum, & ſic dicitur hic de Iſrael. *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus.* Id eſt tu elegiſti hodie colere Dominum Deum tuum ſpecialibus pręceptis obediendo, & cæremonias obſeruando, ſed non elegiſti hodie Deum Dominum quaſi antea non eſſes obligatus ſeruire Deo, & nunc voluntarie fuiſſes obligatus ad tenendum eum, vt Deum, & colendum eum, & ſic votum poteſt de accipiendo Deum verum pro Deo fieri: nam licet omnes teneamur hunc verum Deum pro Deo tenere, tamẽ Iacob vouit habere Deũ verum in Deum ſi daret ei neceſſaria. Et ſic fuit votum cõditionale, vt patet Gen. 28. ca. cum dicitur; vouit etiam votum dicens, ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſq; fuero proſpere ad domum patris

Votũ quid ſit.

E

F

A

mei,erit mihi Dominus in Deum. ecce quod vouit accipere Deum verum in Deum.Reſpondetur,quod non vouit accipere Deum verum in Deum,quia ad hoc obligatus erat, ſed hunc Deum verum non erat obligatus colere quibuſdã ſpecialibus cæremonijs, & ad has ſe aſtrinxit Iacob, vt ex litera patet in eodem loco cum dicitur,erit mihi Dominus in Deũ, & lapis iſte quem erexi in titulum vocabitur domus, id eſt ego fabricabo hic domum ad honorem Dei.hæc autem ædificatio ſpecialis cæremonia erat, ad quam aſtringebantur ſoli qui vouiſſent,ergo Iacob tunc cũ vouit erat liber,poſtea autẽ per votum ſe aſtrinxit. etiam ſecundo Iacob vouit aliquid ſpeciale quantum ad oblationes cum dicitur,cunctorum que quæ dederis mihi decimas,reddam tibi, i.faciam tibi cultum iſtum ſpecialem qui eſt dare decimas ad quas non tenebar. Quæritur etiam quomodo dicatur hic Iſraeli, elegiſti Dominum Deum tuum hodie,quia videtur,quod ante hoc elegerant:nam cum legem ſuſceperunt in monte Oreb, obligauerunt ſe obedire mandatis eius,& Deus accepit eum in populum peculiarem,vt patet Exo. 19.c.quæcunq; ergo leges darentur, poſtea erant firmæ ex priori conſenſu, quia ipſi tunc dixerunt cum loqueretur eis Deus in voce tubæ, & terribili clangore,ꝙ loqueretur eis Moyſes,&non Deus,ne forte morerentur,& ꝙ obedirent omnibus mandatis Dei,| cũ dicitur tu autem magis accede,& audi,quæcunq; loquatur Domin⁹ Deus noſter ubi,loqueriſq; ad nos,& nos audientes ea faciemus:ergo ad omnia erant obligati quæcunque erant poſtea mandanda,cum Deus præciperet. Et ſi forte dicas, quod illa obligatio non tenuit,quia Deus non acceptauit illam, & ad hoc,quod valida ſit, requiritur, quod non ſolum voluerit ſe aliquis obligare alteri,ſed etiam ea quæ dixerit obligans rata habeat,& acceptet ille,cuius fauore fit obligatio.Reſpondetur,quod Deus acceptauit obligationem illam,cum dixit ſupra 5.cap.poſt verba ipſorum Iſraelitarum audiui vocem verborum populi huius,quæ locuti ſunt,bene omnia ſunt locuti,in quo conſentiebat dictis eorum approbando ea. Ad hoc dupliciter reſponderi poteſt:vno modo,quod licet ex vi verborum ſuorum obligati eſſent Iſraelitæ ad obſeruandas leges quaſcunque Deus daret,forte tamen quando eas daret, viderentur eis graues,& cum tædio eas acciperent, volebat ergo Deus,vt eſſet pleniſſimus conſenſus in quamlibet legẽ, vt non haberent aliquam occaſionem ſaltem apparentem ad infringendum eam,& quia non poteſt aliquis conſentire niſi in ea quæ cognoſcit, & quanto magis cognoſcit, plenius conſentit,vel diſſentit,requirebatur pleniſſima cognitio. Eſt autem pleniſſima cognitio, quando quælibet res in ſe ipſa cognoſcitur, iſta autem cognitio eſt cognoſcere quamlibet rem particulariter, cum autem res in vniuerſali cognoſcuntur,i.quod cognoſcatur vniuerſale aliquod in quo multa cõtineantur ſingularia,non eſt plena cognitio,quia non eſt cognitio cuiuslibet rei in ſe, & interdum concedit aliquis vniuerſale aliquod,cuius particularia ſi explicarentur multa eorum non concederet,& ob hoc venit regula iuris in ſexto, ꝙ in generali conceſſione non veniunt ea quæ non eſſet aliquis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. licet ergo aliquis ad vniuerſale ſit voluntarius,quando explicantur particularia eius, ad aliqua eorum non eſt ſingulariter voluntarius, quia ante cum permitterentur, non credebat permittens talia ſe permittere.& ob hoc licet in die qua receperunt Iudæi legem in montem Sinai,dixerint, quod omnia quæ mandaret Dominus facerent,vt patet ſupra 5.c.& ante hoc etiam promiſerãt, vt patet Exod.19.c.tamẽ in eadem die Deus dans leges Moyſi in monte quæ continentur Exod. 20. cap.in fine, & 21. & 22. atque 23. cap. cum Moyſes deſcendiſſet ad populum, vt recitaret eas,mandauit vt peteret ab eis conſenſum,ſcilicet vtrum vellent accipere illas,& antequam ipſi conſentirent Moyſes non ſcripſit eas,habito autem conſenſu eorum ſcripſit,& confirmauit ſequenti die in ſanguine,vt patet Exo.24. cap.ſic ergo licet ad leges iſtas quas nunc dabat Moyſes, eſſent obligati ex verbis ſuis quæ dixerant in mõte Oreb, tamẽ quia Deus volebat maiorem eorum libertatem in recipiendo legem mandabat,vt quando proferretur lex, quæreretur cõſenſus eorum,& tunc recepta illa lege dicerentur elegiſſe dominum,non quidem,ꝙ eligerent eum ſimpliciter ad colendum,quia obligabantur ad cultum eius naturaliter, vt ſupra dictum eſt,ſed quod accipiebant eum ad colendum iſto modo,ſcilicet per hanc legem ſpecialem per quam ante non coluerant,& ſic recepta qualibet lege data à Deo in qua peteretur conſenſus eorum,dicebantur tunc eligere Deum,quia eũ eligebant colere illo modo.Alio modo reſponderi poteſt, ꝙ licet Iudæi permiſiſſent ſe recepturos quæcunque mandaret Deus,tamen extendebatur hoc quantũ ad illud fœdus,quod inierat cum eis in monte Oreb, & non ad aliquod alterum, nunc autem fiebat aliud fœdus,ideo oportebat nouum conſenſum accedere eorum,qui obligari debebant:nam Deus in primo anno quo Iſraelitę exierunt de Ægypto dedit eis leges in Oreb,quando ſteterunt ibi,& non ſolum dedit ibi decem præcepta quæ continebantur in tabulis,& primo in voce tubæ exprompta ſunt,de quibus Exo.20.& ſupra 5.c. ſed etiam præcepta cæremonialia,& iudicialia quæ habentur Exod. 21. & 22.& 23.c.quia in ſequenti die poſt legis dationem in voce tubæ iſta populo denunciata,& confirmata ſunt,ea etiã quæ habentur à 25.c.Exodi vſq; ad finem de fabricatione ſanctuarij in monte Synai recepta ſunt,vt patet Exo. 24. vbi dicitur, quòd Moyſes aſcendit ad audiendum iſta,& poſtea 23.c.eiuſdem libri dicitur quomodo deſcenderit Moyſes de monte poſtquam audiuit iſta,ea autem quæ in toto Leuitico dicuntur in monte Sinai data ſunt,vt patet Leui.vlt.ca. in fine,cum dicitur:hæc ſunt præcepta quę mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sinai,de his autem quæ habentur in libro Numerorum eodem modo dicendum eſt,quod ea quæ habentur à principio libri Numerorum vſque ad cap.10.fuerint facta in monte Synai,quia in monte Synai, vt in eodem cap.10.declaratur ab eodem loco vſque ad 20.cap.rara mandata ponuntur,ſed maior pars eſt hiſtoria,ea autem quæ ponuntur præceptiue,vt in c.15.& 17.& 18.atq; 19. dicuntur accidiſſe in monte Synai, vt declaratum eſt in eiſdem locis, ea autem quæ habentur à 20.cap. Numeri vſque ad finem eiuſdem libri acciderunt in anno 40. exitus de Ægypto, vt patet in eodem 20.cap.ex quo infertur,quod cum ab illo loco totus liber Numerorum pertineat ad annum 40. & totus iſte Deuteronomius ad finem anni 40.ſcilicet ad menſem vndecimum eiuſdem, vt patet ſupra 1. cap. in principio, quod in anno ſolo primo,& 40.data fuerint præcepta Iſraelitis. medium autem tempus ſine præceptis fuit, & iſta eſt ſententia Rabbi Abraham AbenEzra ſupra 1. c. licet nihil de hoc ipſe probet.erit ergo ſic, quod illa quæ in primo anno mandata fuerunt,pertineant ad vnum fœdus,deinde interpoſitis annis 39.ea quæ in anno 40.præcepta ſunt ad aliud fœdus,& ſic requireturnouus conſenſus ad hæc.erat ergo in voluntate ſua conſentire an non, & ſi conſentirent eligere dicebantur Deum,ergo illa die eligebant qua ei ſe nouiter ſeruituros, & ſpecialiter offerebant accipientes leges tales, ad quas antea obligati non erant, quod autem iſtud, quod in hoc libro mandatum eſt ſit aliud fœdus ab eo, quod in monte Synai datum eſt patet infra 29.capit.cum dicitur:hæc ſunt verba fęderis, quod præcepit Dominus Moyſi,vt feriret cum filijs Iſrael, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Oreb. *Vt ambules in viis eius.* Id eſt ſequendo eum quocunque ire mandauerit,& declarat quæ ſunt iſtæ viæ, ſcilicet. *Vt cuſtodias cæremonias eius.* Quæ conſiſtunt in modo ſpeciali colendi Deum, ſcilicet ſacrificijs,oblationibus,& purificationibus, & feſtorum obſeruationibus, de quibus per totum Leuiticum, & partim in alijs libris. *Et mandata eius.* Scilicet præcepta decalogi. *En Dominus elegit te hodie.* Quia ſicut populus eligebat Deum ad eum colendum,ita Deus eligebat populum ad eum exaltandum, & protegendum, & ſicut populus in monte Synai Deum elegit,& hic:ita Deus in monte Synai,& hic populum ſibi fecit peculiarem.de prima electione patet Exodi 19. cap. *Vt ſis ei populus peculiaris.* Id eſt popul⁹ theſauri, ſicut in Hebræo habetur.quia ſicut theſaurum multum cuſtodimus,ita Deus quaſi cum magna ſollicitudine populum cuſtodiebat, quia qui vos tangit me tangit, & hæc quando populus Deo ſubditus erat,ſi autem ad idololatriam diuerteret, vel Dei mandata non cuſtodiret,veniebant ſuper eum omnia mala abũdantius quàm ſuper gentes alias,de quibus Leuit.26. & infra 28.& 29.c. *Et faciat te excelſiorem cunctis gentibus.* Apud Deũ,quia aliæ gentes à Deo reprobatæ erant,populus aũt Iudaicus electus,& valde acceptabilis.fecit excelſiorem in fama,quia alię gentes videntes ritus Iudæorum,& leges dicebant,iſta eſt gẽs ſapiens,& populus intelligens nec eſt alia natio tam grand is

B

C

D

E

F

Rab. Abrahã Aben Ezra opin.

Quæ ſit veriſſima cognitio rei.

vt patet,

A vt patet supra 4. cap. fecit eos in potentia excelsiores, quia in tempore Salomonis omnes reges vicini dabant ei tributum, vt habetur 3. Regum. 4. c. & continuata fuisset ista potestas in regibus, si semper Deo seruiuissent: fuit tamen completum ad literam in Christo qui fuit gloria Israel, vt habetur Luc. 2. ca. cuius regnum fuit lapis cadens de monte sine manibus, & comminuit totam statuam præcedentium regnorum, & factum est regnum eius regnum ecclesiæ, quod non auferetur: de quo Dan. 2. c.

Deus qũo omnia creata propter se creauerit.

Quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam. Deus enim omnia quæ creauit, propter se creauit: non quia eis indigeret, sed quia summe bonus est, & bonum sui ipsius communicatiuum est, & diffusiuum. & sic cuncta causata sunt, vt bonitatem suam Deus eis communicaret, & ideo tot species, & rerũ diuersitates se gradualiter excedentes fecit, vt infinita sapientia in ordinando, & immensa potentia in creando, & amor sine inuidia in bonitatem suam tot rerum gradibus communicando monstraretur, & hæc est gloria Dei, in communicãdo diuersimode bonitatem suam. & hęc est prima ex qua surgit laus, quia intellectualis substantia rerum ordinem, & bonitatem considerans, vsque in magnum creatorem deuenit eum cognoscendo à magnitudine rerum creatarum, vt patet Sap. 13. c. quo cognito assurgit in laudem, quod est secũdum. Ex hoc autem nomẽ venit, quia sapientes cognoscentes magnalia Dei laudant factorem istorum coram populis, ex quo populares magnitudinem Dei pro capacitate intellectus cõcipiunt, & crescit fama Dei in omnes, & hæc vocatur nomen, quia fama nihil aliud est quam laudabilis nominis diuulgatio, vel celebratio. *Vt sit populus sanctus.* Id est applicitus Deo specialiter quàm aliæ gentes, per veram fidem, & rectas leges. *Sicut locutus est.* Quia ipse promisit te accipere in populum peculiarem, vt patet Exod. 19. & frequenter.

B *Fama quid sit.*

CAP. XXVII.

Iosu. 4.

Præcepit autem Moyses, & Seniores populo Israel, dicentes. Custodite omne mandatum, quod præcipio vobis hodie. Cumque transieris Iordanem in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos, &c.

Connexio capit. Diuisio eiusdem.

Præcepit. Hic ponit legislator tertiam partem principalem, scilicet inductio ad obseruationem legis per imprecationem benedictionum, in qua primo ponit maledictiones. Secundo benedictiones, scilicet in cap. sequenti. prima in duas, quia primo ponit modum, & ordinem maledicendi, & benedicendi. Secundo ponit ipsas maledictiones ibi. *Et pronunciabunt Leuita. Præcepit Moyses, & seniores.* In præcedenti cap. Moyses compleuerat recitationem totius legis, deinde conuocatis specialiter senioribus populi dixit eis, quod Deus volebat, vt cum transirent Iordanem, darent benedictionem obseruantibus legem, & maledictionem non obseruantibus. deinde ipse cum senioribus dixerunt reliquo populo, quòd ista facturi essent. *Custodite omne mandatum, quod præcipio vobis hodie.* Potest referri ad præcedentia, & est sensus, quod ex quo Moyses erat dicturus quædam alia, quæ non erant mandata legis, finitis mandatis legis voluit commendare memoriæ in vniuersali ea quæ dixerat, scilicet. *Custodite mandata quæ præcipio hodie.* Id est mementote, quod custodiatis omnia mandata quæ supra dicta sunt, vel potest referri ad inferiora, quia dicturus erat de cęremonijs benedicendi, & maledicendi, prius commendauit in vniuersali, quod ista custodirentur, scilicet. *Custodite omne mandatum.* Scilicet de modo benedicendi, & maledicendi, quod ego mando tibi hodie. *Cum transieris Iordanem.* Quia benedictiones, & maledictiones non debebant dari extra terram promissionis ad signandum, quod in terra illa venturæ essent benedictiones si obseruarent legem, vel maledictiones si non obseruarent. *Eriges ingentes lapides.* Erant lapides isti magni, quia multa sculptura fieri debebat, scilicet totum Deuteronomium, & non erant isti lapides de quibus fiebat altare, sed erant isti magni lapides sculpti, & prope eos altare ad sacrificandum.

C *Quis est sensus huius literæ, iuxta præcedentia*

Et calce leuigabis eos. Id est complanabis, quia illi lapides sumebantur informes, quales exibant de lapidicina, ideo non poterat in eis quicquam sculpi nisi ipsi polirentur reducendo ad aliquam figuram planam, vel liniendo eos calce, æquarentur partes eminentes, & depressæ. & sic plani fierent, nõ erat autem licitum polire eos, vt patet Exo. 20. c. ideo oportebat calce læuigare. *Vt posis in eis scribere omnia verba legis huius.*

D

An in istis lapidibus fuerint scripta decem præcepta solum, vel omnia quæ in istis quinque libris Moysi sunt.

QVÆST. I.

ALIQVI volunt, quod solum decem præcepta ibi scripta fuerunt, quæ vocantur lex, & sic dicimus esse duas tabulas legis, & tamen illæ non continebant nisi decem præcepta, vt patet sup. 10. c. & ratio horum, quia in lapidibus non poterat scribi tanta scriptura. Alij volunt, quod in lapidibus illis solum scriptæ fuerunt benedictiones, & maledictiones quæ infra ponuntur.

Aliorũ secũda opi. Iudæorũ tertia op.

Alij volunt, vt multi Iudæi communiter, quod scripta fuerunt ibi omnia præcepta quæ sunt in tota lege affirmatiua, & negatiua, quæ sunt in vniuerso sexcenta, & tredecim, & ratio horum est sicut priorum, quia in libro isto multa scriptura continetur, illa autem præcepta sic, vt nunc ipsi habent, non tenent tantum quantum quinta pars huius libri.

Sed istæ positiones non multum valent, prima quia licet decem præcepta sint lex, non tamen sunt omnia verba legis, sed hic mandat scribi omnia verba legis. Et si dicas, quòd decem præcepta sunt omnia verba legis decalogi, adhuc non valet, quia hic dicitur. *Omnia verba legis huius.* Ista autem lex distinguitur contra primam legem, quæ data fuit in monte Synai, vt patet infra 29. c. vbi dicitur; hæc sunt verba fœderis quę præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filijs Israel in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Oreb, sed decem præcepta pertinent ad legem quæ data fuit in monte Oreb, vt habetur Exo. 20. ergo oportebat hic alia verba poni. Nec valet secunda positio, quia maledictiones, & benedictiones non sunt verba legis, quia lex aut mandat, aut prohibet, illæ autem sunt quædam imprecationes boni, & mali. Nec valet tertia positio quam tenet Abenezra: quia non sunt in tabulis, quas ipsi ponunt de præceptis omnibus affirmatiuis, & negatiuis, omnes exhortationes, vel beneficiorum narrationes, vel pœnarum inflictiones, vel malorum, & bonorũ imprecationes, immo nihil de his ponitur ibi, quæ ponuntur in hoc libro, ergo non ponuntur ibi omnia verba legis huius, quæ Moyses mandauit scribi. Item quia nihil magis scriptum fuit in lapidibus illis quàm id, quod mãdauit Moyses, scilicet verba legis huius, vt patet Iosue 8. c. vbi ista facta sunt, scilicet in tabulis illis multa scripta sunt quæ non ponũtur in isto Deuteronomio, quia multa præcepta de fabricatione tabernaculi, & de alijs cæremonijs scripta sunt in Exodo, quæ non sunt in hoc libro, & multa de sacrificijs in Leuitico quę non sunt hic, & sic de lib. Numerorũ, sed omnia tam affirmatiua quàm negatiua præcepta sunt breuiter scripta in illis tabulis suis, ergo non fuerunt illa in lapidibus scripta. Itẽ dato, quod solum continerent illæ tabulæ præcepta istius libri, tamen nondum bene diceretur, quod ista fuerunt scripta in lapidibus, quia quando aliquis extrahit flores alicuius libri, vel facit tabulationem, siue Repertorium, non vocantur ista opera eodem nomine quo principalis liber, nec sunt idẽ, vt decretum, & repertorium decreti, vel abbreuiatio decreti, sed illa præcepta quæ sunt in suis tabulis fuerunt extracta, & abbreuiata de 4. libris legis, ergo non vocantur nomine alicuius istorum librorum, sed in lapidibus illis fuit descriptus Deutero. Moysi, vt patet Iosue 8. c. ergo non erant illa præcepta quæ isti fabulantur. Dicendum ergo, quod super illos lapides fuit scriptus totus Deuteronomius, sicut Moyses illum recitauit, vt dicitur Iosue 8. c. vbi dicitur, & scripsit super lapides Deuteronomiũ legis Moysi quemadmodum ille digessit coram filijs Israel, id est sicut Moyses totum Deuteronomium declarauit distincte, & per partes, quod est digerere, ita scriptus fuit super lapides. Et non obstat ratio illorum, scilicet, quod tanta scriptura in lapidibus sculpi non posset, quia ad hoc iuuant duo.

E *Improbatio prima opinionis. Quod omnia præcepta cõtenta in 5. libris Moysi sunt 613.*

Primum, quod illi lapides erant ingentes, sicut dicit textus, id est valde magni, vt in eis multa scriptura caperetur.

F *Doct. opi.*

A Secundum, quia illi lapides læuigabantur calce bene temperata, ita quod sculptura non fiebat immediate in lapide, sed in calce, in qua tenerius Scriptura imprimeretur, & fierent literę paruę, ideo non esset magna difficultas: non erant tamen literæ ita paruæ, quod plane, & distincte legi non possent, vt patet infra. *Iordane transmisso.* Id est pertransito, & non in elligas, quod immediate transito Iordane ista fecerint, quia prius destruxerunt vrbem Hiericho, deinde vrbem Haim. post venerunt ad montem Hebal, & Garizin vbi ista facta sunt, hoc patet ex processu libri Iosue vsque ad finem 8. cap.

Sicut iurauit patribus tuis. Scilicet Abraham, vt patet Gen. 13. & 15. cap. de Isaac habetur Gen. 26. cap. de Iacob patet Genes. 35. cap. *In monte Hebal.* Mons Hebal, & Garizin sunt duo parua cacumina montium sibi vicina, & sunt vltra Iordanem in campestrib. contra Sichem, & circa ilicem Mambre apud quam habitauit Abraham, de quo magis diximus supra 11. capit. circa finem. *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo.* Ad offerendum holocausta, & hostias pacificas in solennitate illa, quando imprecabantur maledictiones, & benedictiones. Et ex hoc patet, quod illi lapides in quibus scribebatur Deuteronomium, non erant de altari, quia primo dicit de illis lapidibus magnis, & læuigatione cum calce, deinde de lapidibus altaris, si autem idem fuisset non fieret replicatio, sed diceretur, quod super illos ingentes lapides calce læuigatos ponerentur holocausta.

B *De lapidibus quos ferrum non tetigit.* Scilicet dolando eos ad læuigandum quadrando, vel rotundando, siue aliam figuram inducendo, sed bene permittebantur, quod tangeret eos ferrum in extrahēdo eos de lapidicina, & præcidendo eos à magna mole lapidea, quia in hoc adhuc manebāt lapides informes, nec reducebantur ad aliquam distinctam figuram.

Sed de saxis informibus, & impolitis. Dicuntur saxa informia quæ non sunt reducta per sculpturam, & dolationem ad certam figuram communiter notam opere artificum. Dicuntur impolita, id est non complanata, & ratio huius est, quia dicitur Exo. 20. c. altare de terra facietis mihi, quod si altare lapideū feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus, quia Deus multum intendebat eos remouere ab idololatria, quæ stabat principaliter in adoratione statuarum formatarum de lapide, vel ligno, siue metallo opere artificum, maximè autē de ladidibus: ideo non vult, quòd lapides poliant quadrādo, vel rotundando, ne ex hoc inducantur ad poliēdum lapides ad faciendas statuas, & ne ipsi offerentes ante altare videntes lapides formatos ad aliquam figuram cognitam, adorarent eos sicut adorarent statuam hominis, vel canis, & pecorum, & anserum, & magis prohibebatur poliri lapides altaris, quàm domorum, murorum, vel templi, quia etiam templum Salomonis de sectis lapidibus fabricatum est, & ratio est, quia in altare, ante quod veniebant ad adorandum) quia putabant omnes res ibi existentes sanctas esse) si aliqua figura lapidis politi ibi esset, adorarent eum populares, lapides autem murorum, & domorum, erant aliquid prophanum, ideo non erat in eis, periculum idololatriæ: lapides antem templi dolati erant cooperti lignis cedrinis, vt patet 3. Reg. 6. c. sed ab aliqua parte exterius videbantur, vt patet Marci 13. ca. vbi dixerunt discipuli Christo, magister aspice quales lapides, & quales structuræ templi, sed etiam in hoc nullum periculum erat quia illi lapides coniuncti domus formam faciebant, nec gerebant aliam distinctam figuram.

C *Et offeres super eo holocausta.* Ad solennitatem publicationis maledictionum, & benedictionum, & licet tunc super altare illud holocausta oblata fuerint, nunquam tamen post licuit offerri, quia mandatum fuerat Leuitici 17. & supr. 12. c. quòd nullus erat atrium tabernaculi offerret sub pœna mortis. Sed in isto casu Deus dispensauit expresse, nec hoc repugnat legibus supra ab eo datis, quia ille ad quem pertinet legem condere, pertinet eam interpretari, & dispensare cum lex illa dependeat ex voluntate condentis eam. Mansit ergo illud altare in futuras generationes ad memoriam rei gestæ, & non ad vsus sacrificiorum. Sic enim alia altaria ad signandum aliquid facta sunt, & non ad aliquem vsum sacrificiorum, sicut patet de altari quod construxerunt duæ tribus, & dimidia, scilicet Ruben, & Gad, & dimidia pars Manasse, quia cum recessissent ab alijs nouem tribubus, & dimidia, quę manebant vltra Iordanem in terra Chanaan, quia in illa tabernaculum Domini erat, scilicet in Sylo, & ibi maior pars gentis Israeliticæ, putauerunt, quòd cum diuiderentur illæ duæ terræ Iordane interfluente, quod post aliquot generationes pertransitas esset obliuio in posteris, quod istæ tribus duæ, & dimidia pertinerent ad Israelitas, & filij eorum, scil. nouem tribuum, & dimidiæ qud habitabant vltra Iordanem, existimarent tanquam alienos filios duarum tribuum, & dimidiæ, & quod non pertinerent ad Deum Israel. ne ergo hæc ambiguitas suboriri posset pertransito Iordane diuidente vtramque terram, ex parte sua circa tumulos Iordanis construxerunt altare nimiæ magnitudinis, vt patet Iosue 22. c. & cum aliæ tribus nouem, & dimidia vellent contra eos pugnare tanquam idololatras recedentes à lege, responderunt se nō fecisse hoc altare ad sacrificandum, sed ad istud signandum, quod dictū est in futuras generationes. Mansit igitur altare illud, quod construxit Moyses ad istam solennitatem celebrandā in memoriam posterorū, sed si quis postea sacrificasset in illo, reus mortis esset, nec esset aliquis vir sanctus qui moueretur à Deo ad sacrificandum ibi, de quo non esset dubium, quod moueret eum Deus, sicut de Helia qui sacrificauit in monte Carmeli, vt redargueret Prophetas Baal: nam hoc valde cedebat in laudem Dei, de quo 3. Regum 18. cap.

Et immolabis hostias pacificas. Quia non solum holocusta ad solam laudem Dei facta sunt, sed etiam pacificę hostiæ, vt cōederet de eis populus, & lætaretur, cum maior pars de sacrificio pacifico pertineat ad offerentes. E

Epulaberis coram Domino Deo tuo. Id est coram altari, vbi ista sacrificia fiebant in quo dicebatur esse Deus, quia in illo specialiter colebatur, vel quia ibi miraculose ignem detinebat, ita quod non extingueretur aqua, nec vento. *Et scribes super lapides.* Replicat hic quæ ante dixerat. *Super lapides.* Non sunt isti lapides altaris, quia si poneret ignis super lapides calce litos dissolueretur litura calcis, & scriptura obliteraretur, vel obscuraretur agente igne, ideo dicatur, quod alij lapides erant, vt supr. diximus. *Plane ac lucide.* Vt omnes volentes legere possint, quia hoc manebat ad memoriam futurorum.

Dixeruntque Moyses, & Sacerdotes. Supra in positione huius mandati loquebantur Moyses, & seniores populi ad totam multitudinem, nunc Moyses, & sacerdotes replicant prouocando populum, vt attendat mandata Dei. conuenienter aūt sacerdotes cum Moyse ad populum locuti sunt, vt custodiret mandata Dei, quia exhortatio est actus prædicandi, prædicatio autem non pertinet ad laicos, sed magis ad sacerdotes legis, quia sacerdotes tenentur esse sapientes in lege, alij autem non vacant studio legis, sed operibus suis, & habent sacerdotes, vt doctores, & directores, vt patet Mala. 2. c. labia sacerdotis custodient scientiam, & legem exquirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, ex hoc etiam sacerdotes quasi sacra docentes aut dicentes appellati sunt.

Leuitici generis. Hoc videtur positum quasi ex superabundāti, quia in nulla alia tribu fuit vnquam sacerdos, nisi in tribu Leuitica, quia omnes aliæ fuerunt propter peccatum idololatriæ in adoratione vituli abominabiles factæ, & reprobatæ, & tribus Leui pro primogenitis omnium aliarum tribuū fuit electa, vt patet Num. 3. c. scriptura tamen aliquando ponit aliquid ex superabundanti, quæ licet sit determinatio, tamen non est necessaria, sic dicitur supr. 17. c. ibis ad sacerdotes Leuitici generis, posset tamē dici, quod accipitur sacerdos Leuitici generis ad differentiam aliorum sacerdotum, quia erant alij sacerdotes in alijs qui non sacrificabant, sed vocabātur sacerdotes, id est domini, vel viri potentes. nam istud nomen sacerdos æquiuocum est ad sacerdotem in altari ministrantem, & ad virum potentem, de isto secundo significato habetur exemplum 2. Reg. 8. c. scilicet filij autem Dauid erāt sacerdotes, id est principes, constat enim, quod non poterāt esse sacerdotes ministrantes in altari, quia morerentur, aut percuterentur à Deo, sicut rex Ozias de quo quarto Regum 15. quod fuit percussus lepra in fronte, & mansit tota vita sua leprosus, quia vsurpauit sibi ministerium sacerdotale thurificando, de hoc etiam Apostolus ad Hebr. septimo cap. quod de tribu Iuda nullus vnquam sacerdos fuit. *Attende.* Corde præcipiendo. F

Et audi. Auribus auscultando. *Hodie factus es populus Domini Dei tui.* Quia hodie nouiter te accepit in populum peculiarē, quia pepigisti cum eo hoc fœdus legis, sicut in monte Synai

primo te elegerat, quia accepit aliam legem, scilicet decem præceptorum.

Audies vocem eius. Mente audiendo. *Et facies mandata, atq; iustitias.* Hoc refertur ad ea quæ in toto hoc libro dicta sunt, & non solum ad ista præcepta de benedicendo, & maledicendo, quia istud præceptum cęremoniale fuit, ibi autem dicitur de mandatis generaliter, scilicet de moralibus, & cęremonialibus, & de iustitijs, id est præceptis iudicialibus.

Hi stabunt ad benedicendum Deum. Tanguntur hic personæ benedicentes, & ponuntur ad benedicendum tribus natæ de dominabus, s. de Lia, & Rachel, & ad maledicendum tribus natæ de ancillis, s. de Zelpha, & Bala, sed quia filij dominarũ sunt octo, s. duo filij Rachel, & sex filij Liæ, & filij ancillarum sunt quatuor, ponuntur duæ tribus de filijs Lyæ ad maledicẽdum, scilicet Ruben, & Zabulon, de his patet Gen. 29. & 30. c. *Ioseph & Beniamin.* Hic diuidit benedicentes, & maledicentes, & ponuntur 12. tribus, sex ad maledicendum, & sex ad benedicendum.

Quare ista enumeratio tribuum variat ab aliis.

QVÆST II.

SED in enumeratione ista tribuum variat ab alijs locis, nam Leui non solet computari, vt tribus, quia tribus diuiduntur per diuersas sortes, id est partes hæreditatis, sed Leuitæ non acceperunt partem inter fratres suos de alijs tribubus, vt patet Numer. 18. & 34. & supra 18. ideo non computabantur tanquam tribus vna Israel.

Item in alijs locis solet computari vna tribus Ephraim, & alia tribus Manasse, qui ambo erant filij Ioseph, & istum modum diuidendi tenet tota scriptura, de hoc patet exemplum Numeri 1. cap. vbi computantur viri bellatores omnium tribuum, & Numeri secundo, vbi ponitur modus, & ordo castrametationis; & Numeri septimo vbi ponuntur principes duodecim tribuum ad offerẽdum in die dedicationis tabernaculi, & ratio huius cõputationis est, quia Ephraim & Manasse filij Ioseph duas tribus faciunt, & duas sortes receperũt, sicut omnes alij filij Iacob, vt patet Gene. 48. c. cum dicitur Ephraim, & Manasse duo filij tui, quos genuisti antequam venirem ad te, mei erunt, & sicut Simeon, & Leui reputabũtur mihi, hic autem computatur pater eorum Ioseph pro vna tribu, ita q; illæ duæ tribus in vnam cõueniant. causa huius mutationis videtur esse, quia siue numeretur Leui inter tribus, siue non numeretur, nunquam debent esse vltra duodecim, sed si Leui computaretur, vt vna tribus, & computarentur isti duo filij Ioseph, vt duæ tribus, essent tredecim tribus, ideo quando computatur Leui necesse est, vt Ioseph pro vna tribu cõputetur, & non exprimatur aliquis de filijs suis tãquam tribus, sed quod computetur Leui, vt vna tribus, vel non dependet ex hoc, quia aut computantur filij Iacob quantũ ad aliquid, q; sit temporale, & terrenum, & tunc non ponitur Leui, vt tribus, quia erat separatus in cultum Dei, & abstrahebatur ab omnibus secularibus negocijs, sed ponuntur Manasse, & Beniamin, & diuiditur tunc Ioseph in duas tribus, sic ponitur Num. 1. c. quia ibi computantur viri bellatores. bellare autem erat actio terrena, quę ad Leuitas non pertinebat, & in designatione castrametationum non computatur Leui, vt tribus, quia in circuitu tabernaculi manebat, aliæ autem erãt castrametantes in ordine suo, & ideo Manasse, & Ephrain computantur ibi, vt duæ tribus, vt patet Num. 2. c. & in diuisione sortium, quia erat aliquid seculare non computatur Leui, vt tribus. sed Ephrain, & Manasse, vt patet Num. 34. c. quãdo autem aliquid erat spirituale pertinens ad Israelitas non solum pertinebat ad populares, sed etiam ad Leuitas, ideo computabatur Leui, vt vna de tribubus 12. & Ioseph erat alia tribus, hic autem sic erat, quia maledicere non obseruantes, & benedicere obseruantes erat approbare legem, approbatio autem aliquid spirituale est, ideo Leuitæ, vt tribus vna cõputandi erant. simile habetur Apoc. 7. c. vbi enumerat Apostolus Ioannes conuertendos de omnibus tribubus Israel, & quia ista conuersio erat aliquid spirituale computatur Leui, vt tribus, & Ioseph, vt alia tribus.

Sed tunc dubitatur cum non sit aliqua vna tribus quæ nominetur tribus Ioseph, sed duæ tribus, scil. Ephraim, & Manasse quomodo accipiatur vna tribus Ioseph ad ponendum cum alijs: nam si ponerentur tribus Ephraim, & Manasse essent septem tribus ex parte illa, vbi ponerentur istæ.

Diceret autem aliquis, quod vt solum essent ex qualibet parte sex tribus tam in benedicentibus quam maledicentib⁹, quod deberet vna de his duabus tribubus accipi loco tribus Ioseph. Et si quæratur quæ illarum duarum esset.

Responderetur, quod tribus Ephraim, quia ista dignior erat, sicut prænunciauerat Iacob auus eorum, vt habetur Gen. 48. cap. cum dicitur, & hic quidem in populos multiplicabitur, sed frater eius iunior maior illo erit, & semen eius crescet in gentes: nam postea venerunt reges de tribu Ephraim etiam quia in castrametatione Ephraim maior erat, cum Manasse castrametaretur sub vexillo Ephraim, vt patet Num. 2. c. conuenienter, ergo videretur dicendum, quod tribus Ephraim acciperetur pro Ioseph. respondetur dicendum esse, quod vtraq; tribus Manasse, & Ephraim acciperetur pro vna tribu Ioseph: nam si forte mandaretur, quod de tribu Ioseph acciperetur solum ad faciendum aliquid, quia ille non poterat esse de vtraque tribu debebat accipi de tribu Ephraim tanquã de principali, cum tamen mandatur accipi tribus Ioseph debet accipi vtraque tribus, scilicet Ephraim, & Manasse: nam licet inter se essent duæ tribus distinctæ, sicut Simeon, & Ruben, vt patet Gen. 48. propter possessiones quæ recipiebantur ab eis tanquam à duabus tribubus tamen respectu ipsius Ioseph patris sui non erant duæ tribus, sed vna, sicut enim omnes filij Iudæ faciebant vnam tribuum, licet constituerent diuersas familias sub eadem tribu, ita Ephraim, & Manasse respectu Ioseph faciũt vnam tribuum, ideo appellatione tribus Ioseph continentur ambæ tribus simul.

Et ad argumentum in contrarium, quando dicitur, quod acciperetur vna tribus loco Ioseph dicendum, quod non sufficit, quia vna earum non dicitur tribus Ioseph, sed familia Ioseph: ambæ autem simul faciunt vnam tribum Ioseph, ideo cum mandetur accipi tribus Ioseph oportet vtramque simul accipi. *Et è regione.* Id est è contrario: sunt duæ partes è regione. e, est præpositio, & signat ex, regio signat aliquam partem positionis. vnde dicitur è regione, id est ex oppositа parte, vel à fronte, & sunt Hebal, & Garizim duo monticuli prominentes inter quos est patua vallis in qua stabant 12. tribus ad respondendum benedictionibus, & maledictionibus. *Et pronũciabunt Leuitæ.* Hic ponitur secundum scilicet maledictionum promulgatio.

An totus populus ascenderet ad benedicendum super montem Garizim, & rursus ascendebant ad maledicendum super montem Hebal.

QVÆST. III.

DE ordinatione, & modo maledicendi, dicunt aliqui, quod Leuitæ, & totus populus ascendebant in mõtem Garizim ad benedicendum, deinde perfecta benedictione ascendebant simul super montem Hebal, & ibi maledicebant. Sed hoc non stat, quia sex tribus esse debebant in Hebal, & sex in Garizim. Item quia tunc omnes tribus simul benedicerent, & maledicerent, sed in textu mandatur, quod sex tribus benedicant, & sex maledicant. Et respondent isti, quod tribus Leui ascendebat super vtrunque montem ad benedicendum, & maledicendum, sed solum computatur inter benedicentes, quia Leuitæ erant rectores in spiritualibus, ad rectores autem benedicere proprie pertinet, maledicere autem per accidens, sed hoc nihil valet: quia non respondent de alijs quinque tribubus quæ solum ponuntur ad benedicendum, & non ad maledicendum, nec erant rectores: etiam rectores aliquando maledicunt, vt cum excommunicant subditos rebelles, anathematizantes eos. Alij dicunt, quod sex tribus ascendebant super montem Hebal, & sex super montem Garizim, & sacerdotes stabant in valle inter duos montes, & conuertebant faciem suam ad montẽ Garizim, & benedicebant, & deinde conuertebant faciem ad montem Hebal, & maledicebant, respondentibus Amen ad quamlibet benedictionem tribubus existentibus in Garizim, & respondentibus Amen ad maledictiones tribubus stantib. in Hebal. Posset etiam dici, & vere, vt supra diximus, quod aliqui Le-

uitæ

A uitæ ascendebant summitatem montis Garizim,& benedicebant respondentib.Amen sex tribubus stantibus in ascensu montis Garizim:deinde Leuitæ ascēdebant cacumen mōtis Hebal pronunciantes maledictiones, respondentibus Amen sex tribubus stantibus in ascensu montis Hebal.Et si objiciatur,quia dicitur in litera,q̄ sex tribus stabunt super montem Garizim,& sex super montem Hebal.Respōdetur,quod non oportebat,q̄ starent in summitatibus montium,sed satis erat,q̄ starent in ascensu,& dicuntur stare super montem, id est in monte,& ratio quia trecenta millia hominū pugnatorum,qui erant in sex tribubus præter paruulos, & vxores, & vulgus promiscuum infinitæ multitudinis,vt patet Exo.12.c. non possent capi in summitate alicuius montis,maxime quia illi montes erant parui:& dato quod possent capi, tamen nō congrue posset tota multitudo ascendere super montiū vertices,& patet hoc manifeste Iosue 8.cap.vbi dicitur,q̄ media pars Israel stabat iuxta montem Garizim,& pars media iuxta montem Hebal cum aduenis suis, ideo opinio illa secunda, quæ est Rab.Sal.quā videtur tenere Nicolaus non stat in veritate,licet potest sustineri si respiciatur litera Iosue 8.ca. Et si arguas,q̄ non benedicebāt Leuitæ,quia sex tribus stabant ad benedicendum,& sex ad maledicendū.Respondetur,q̄ non benedicebant populares,sed Leuitę,dicuntur tamen stare ad benedicendum,i.ad respondendū benedictionibus,& sic de B maledicentibus dicitur.Et si arguas,q̄ Leuitæ per se non benedicebant,&maledicebant,quia tribus Leui cōputatur vna de stantib.in monte Garizim ad benedicendū solummodo. Rñdet Rab.Sal. q̄ Leuitæ vtrunq; faciebant,& tamen tribus Ioseph erat diuisa in duas,s.in Ephraim,& Manasse, & sic erunt sex tribus benedicentes præter Leui : sed hoc inconueniens est,quia cū Leui computetur inter benedicentes, si Ioseph diuidatur in duas tribus,erunt septem tribus benedicētes,nisi forte dicat,q̄ etiam Leuitæ ponebantur cū maledicētibus,licet non fiat hic mentio de maledictione eorum. Sed melius videtur dicendum,q̄ tribus Leui erat vna de benedicentibus,& tribus Ioseph cōputatur pro vna,licet essent duæ, quia sæpe hoc reperitur in veteri,& nouo testam. patet Gen. 49.c.quia postquā Iacob Gen.28.dederat duas sortes duob⁹ filijs Ioseph,& cōputauit eos in duas tribus in c.49.rursus cōputauit Leui in vnam tribuū, & Ioseph in vnam, & si dicatur qūo ergo Leuitæ proferebant maledictiones, & benedictiones:respōdetur q̄ tribus Leui tota ponebatur cum alijs quinque tribubus ad benedicendum,sed aliqui de sacerdotibus, vel de ipsis Leuitis ascendebant super montes ad benedicēdū,& maledicendū,nec tota tribus ascendere debebat, quia si multi homines simul clamarent, cum sint voces dissonæ, quædā graues,quædam acutæ, & quædam multū sonantes, quædā paucum,non sonaret vox distincta,sed murmur confusum.Dominus autem mandauerat,quod totus Israel audiret,& intelligeret,ergo non clamat tota tribus. *Maledictus homo qui facit sculptile.*i.aliquā statuam occultam,i. cauatam, vel dolatam,& politā ad adorandū, quia idololatria maximum C peccatorum est de se,cum magis repugnat Deo intelligēdo, sicut declarauimus sup.5.c.ideo prima maledictio ponit de ea,vt maxime caueatur.Et dicit Rab. Salo. q̄ sacerdotes, vel Leuitæ stantes inter duos montes conuertebant vultū suum ad Garizim,& benedicebant dicentes, benedictus qui non facit sculptile.deinde conuertebant vultum ad Hebal, & dicebant maledictus homo qui facit sculptile,& sic in omnib. alijs,primo ponentes benedictionem,deinde maledictionē, & non exprimuntur, quia vna intelligitur cum solum differat benedictio à maledictione per solam negationē.Ista positio quantū ad hoc,quod est Leuitas stetisse ad benedicendū inter montem Hebal,& Garizim satis videtur, vt supra diximus,sed quantum ad hoc,q̄ est stetisse sex tribus super vnū montem,& sex super alium falsa est:quantum ad hoc, quod est sacerdotes primo benedicere versus Garizim,deinde maledicere contrario non contra Hebal,non potest stare secundum positionem tertiam quam.sed adhuc concessa positione Rab.Sal.non videtur hoc verisimile, quia si sic factū fuisset, non oportebat ponere benedictiones per se, & maledictiones per se inscriptis,sed scribendo maledictiones intelligerentur benedictiones, in textu tamen ponuntur maledictiones,& deinde benedictiones. Item quia etiam si scriberentur benedictiones non deberent scribi illæ quæ sunt contrariæ istis maledictionibus,sed aliæ dispositæ,sed sc.q.c.positis benedictionibus adiunguntur contrariæ maledictiones. Dicendum ergo,quod Leuitæ,siue steterint super montium cacumina, siue inter montes ad benedicendum,& maledicendum,tamen prius dixerunt benedictiones , deinde omnes maledictiones,vt patet Iosue 8.c. Et iste modus conuenientior est ad intelligendum, quam alius in quo miscentur maledictiones benedictionibus , quia cum benedictiones moueant ad lætitiam,& maledictiones ad tristitiam, si simul mixtim proponantur,nunquam magna immutatio fiet ad vnam passionem,quantum enim mouemur ex benedictione ad vnam partem,tātum subito abstrahimur per maledictionem ad aliam partem,&sic neutri manemus,si autem omnes benedictiones simul ad magnam lætitiam subleuant, & desiderium implendi mandata, cum autem omnes maledictiones simul proponuntur, ad magnum terrorem concitant, & fugam peccati. Et si dicas,quod etiam cum deducti fuerimus ad magnam lætitiam per benedictiones,si proponantur post maledictiones,cessabit illa lætitia, vel timor non infligetur per maledictiones. Respondetur,quod quando facta est fortis impressio passionalis, & deinde fiat alia fortis,si non sunt totaliter contrariæ vtraque manebit, si autem sint totaliter contrariæ neutra manebit , vel saltem modicum de maiori: benedictiones autem, & maledictiones hic datæ licet in verbis contrariæ sint,non sunt tamen totaliter contrariæ, quia benedictiones diriguntur ad obseruatores legis, maledictiones vero ad transgressores,quando autem paruæ impressiones fiunt , siue sint totaliter contrariæ, siue non, nunquam manebit aliqua, quia requiritur totalis attentio ad quamlibet: ideo cum ad vnam totaliter attendatur , alia quæ parua erat deletur, patet de illo qui addiscit duas scientias disparatas simul, quia cum magna difficultate, vel raro habet aliquam earum,nisi sit magna subiecti capacitas,si autem vna prius imprimatur fortiter, alia adueniente etiamsi ad eam totaliter attendatur,non cessabit prima. *Et conflatile.* id est idolum metallinum,quod non per sculpturam,sed cōflationem ignis, & opere fusorio fit. *Abominationem Domini.* Quia Deus ista valde abominatur. *Opus manuum artificum.* Id est qui non sunt veri dij, sed aliquid factum opere humano. *Ponetque illud in abscondito.* Istæ maledictiones sunt quædam comminationes de malo infligendo à Deo solum, & sunt ad peccata occulta,quia de peccatis publicis iudices secundum legem iudicare,& punire poterant: occulta autem solum diuino iudicio reseruantur,si enim aliquis publice vellet colere idola,si esset vnus, vel pauci, ponitur pœna eorum supra 17. cap. scilicet lapidatio, si autem esset vna ciuitas, ponitur pœna eius supra decimo tertio capitulo,scilicet totalis delectio.cum autem aliquis in occulto idola coleret, solus Deus vindicabat, & sic est de omnibus maledictionibus positis in hoc cap.quia omnia occulte fieri possunt. *Et dicet amen.* Aduerbium confirmandi est apud Hebræos,& nos in eodē sensu accipimus. *Maledictus qui non honorat patrem.* In Hebræo habetur. *Maledictus qui vilipendit.* Et hoc durius peccatum est, quia non honorare est temporibus requisitis honorem, vel subsidium non præstare,& hoc fit per solam subtractionem boni requisiti,vilipensio autem est alicuius iniuriæ illatio,vel derisio , siue diffamatio vel bonorum posse sorum ablatio. *Maledictus qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus Amen.* Ita quod defraudet eum accipiendo aliquid de possessione eius,si tamen aliquis mutaret terminos, vt daret proximo suo de terra non sua,non erat maledictus , sed rarissime fit sic. *Maledictus qui facit errare cæcum in via.* Quia poterit præcipitari de aliquo loco,& morietur.qui autem videt,non potest ita periclitari, ideo dicitur Leuit. 19. cap. non maledicas surdo,nec ponas offendiculum coram cæco.Potest etiam intelligi de his qui rudes in fide errare faciunt , quia damnabilior est error in via morum , quam in via pedum. Et credo, quod inter peccata maximum est voluntarie aliquem infidelem facere:est enim de peccatis in Spiritum sanctum, scilicet inuidentia boni fraterni, ideo credo,quod maxime damnati sunt qui plures in fide errare fecerunt, inter quos Mahometum,& Antichristum maxime damnatos credo, deinde Arrium, & Sabellium, & consequenter alios hæreticos: magis enim istos in inferno cruciari crederem , quàm Iudam Christi venditorem , quia iste ex quadam auaritiæ impetuositate

D *Docto. opinio.*

E

F

Occulta solo diuino iudicio reseruatur.

Inter omnes mancipatos pœnis inferni Mahometus & Arrius, & cæteri hæretici duriora tolerant tormēta.

Docto. responsio vera.

egit,

egit,quia fur erat,& loculos habebat,ceſſante tamen illa paſſione doluit,de malo licet infructuoſe.

Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ,& pupilli. Peruertere iudicium in quacunque perſona vitium eſt,ſed magis in cauſa iſtorum;quia ſunt miſerabiles perſonæ, nec habent adiutorem.

Maledictus qui dormit cum vxore patris ſui. Id eſt cum nouerca, & non vocatur vxor patris mater : quia non voluit ponere Deus talem legem : quia erat infamare genus humanum, quòd aliquis coiret cum matre ſua : licet Semiramis regina Babylonis accepit filium ſuum in virum, vt eſſet regina:nam ſi filius aliam accepiſſet vxorem, mater non eſſet regina. de hoc Paulus Oroſius primo libro de Ormeſta mundi. Etiam maledictus eſt qui dormit cum vxore fratris ſui Iudæi, id eſt proximi ſui : ſed non ponitur hic, quia ſolum hic innuuntur ea, quæ occulte fiunt, & de quibus ſuſpicio non poteſt haberi faciliter,ſicut non poteſt haberi ſuſpicio de coitu præuigni cum nouerca : quia in domo conuerſantur : & de fratre & ſorore,& de genero,& ſocru: eſt enim familiaritas magna inter tales perſonas: nec aliquis iudicare poterit inter eos: ſi tamẽ aliquis multum communicaret familiariter vxori proximi ſui,ſuſpicio eſſet de illicito concubitu: ideo ibi homines per legem veritatem ſcire poſſunt.

Et reuelat operimentum lectuli eius. Id eſt diſcooperit lectum patris ad coeundum cum nouerca : quia in hoc magnam facit patri iniuriam , vt Ruben qui dormiuit cum Bala nouerca ſua : & maledictus fuit à patre ſuo,vt patet Geneſ. 49.cap.

Maledictus qui dormit cum omni iumento. Id eſt cum aliquo de iumentis : quodcumque enim ſit iumentum , mortem meretur qui coit cum illo : & mulier ſi ſuccumbit alicui bruto,vt patet Leui.20.c.nemo enim poteſt cum omni iumento coire.

Maledictus qui dormit cum ſorore ſua filia patris ſui,vel matris ſuæ. Id eſt ſiue ſint fratres ſolum ex parte matris,vel ſolum ex parte patris:quia forte aliquis putaret,quod coire cum ſorore ex matre & patre peccatum eſt:ſi autem ſit ex patre ſolum , vel matre ſolum,quod non eſſet peccatum.

Maledictus qui clam. Id eſt occultè percuſſit proximum ſuum : ſi enim in manifeſto percuteret iudices cum punirent, vt patet Numer.35.& ſupra decimonono capitul. qui autem in occulto percutiebat,ſolum Deum vltorem habebat:tamen quando mortuus aliquis inueniretur, iudices faciebant inquiſitionem cum quibuſdam cæremonijs, de quibus ſupra 21. cap.

Maledictus qui recipit munera vt percutiat animam innocentis. Id eſt vt deleat vitam innocentis,vt ſi aliquis malitioſe innocentem ad mortem accuſet, & det iudici pecunias, vt proferat ſententiam mortis contra innocentem : quod enim iudex munera recipiat malum eſt, quia in lege prohibitum eſt , vt patet Exod.23.& ſupra 16.cap.non recipias munera quæ excæcant oculos ſapientium,& mutant verba iuſtorum. habet etiam ſpeciem mali ſiue petere ſiue recipere, vt habetur extra de vita & ho.clerico.cap.cum ab omni. licet iura permittunt eſculentum & poculentum , quod paucis diebus conſumi poſſit : in hoc tamen multæ fraudes committuntur. peius tamen eſt quod iudex recipiat munera in cauſa ciuili, vel pecuniaria à parte quam ſcit iniquam fouere litem , vt pro ea ſententiet: peſſimum tamen eſt in cauſa criminali capitali accipere munera à parte aliqua, vt alia iniuſte condemnetur ad mortem.

Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius. Scilic.perſeuerando in fide recta vnius veri Dei non declinando ad idololatriam.

Nec perficiat eos opere,& dicet populus amen. Scilicet actualiter faciendo ea quæ mandantur in præceptis affirmatiuis,& recedendo ab eis quæ prohibentur in negatiuis.

):(

CAP. XXVIII.

SI autem audieris vocem Domini Dei tui,vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie : faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra,&c..

SI autem. Supra poſuit Legislator quaſdam maledictiones, hic agitur de benedictionibus.Et tanguntur duo , ſcilicet primum benedictionum imprecatio ſuper cuſtodientes legem. Secundo maledictionum promulgatio ſuper legem tranſgredientes ibi. *Quod ſi audire volueris.* Prima rurſus diuiditur in quatuor partes.Primo de temporalium proſperatione. Secundo de hoſtium depreſſione ibi. *Dabit Dominus inimicos tuos qui.* Tertio de famæ celebratione ibi.*Suſcitabit te Dominus.* Quarto de honoris ſublimatione ibi.*Conſtituet te.Si audieris vocem Dei tui.*

De temporalium proſperatione , quæ quadrifariam diuidi poſſunt , Hebræis obſeruantibus mandata Dei, promiſſa.

QVÆST. I.

IN audiendo ſolum non meremur, quia audire paſſio eſt partis auditiuæ:& naturaliter fit, ſed inquantum iſti actus reducuntur ad regulationem rectæ rationis , & bonam electionem voluntatis,meritorij ſunt,ideo ſubditur. *Vt ſcias atque cuſtodias omnia mandata eius.* Id eſt ſi tu volueris audire vocem Dei,vt ſcias quid mandat tibi, & illud opere cõpleas.

Faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus. Hic ponuntur omnes benedictiones in vniuerſali: quia iſta celſitudo non ſolum dicit honorem quæ eſt vna de benedictionibus,ſed dicit quendam exceſſum vel ſtatum altum humanæ conditionis,qui conſiſtit in aggregatione omnium bonorum temporalium,quæ poſſumus colligere in quatuor partitiones, ſcilicet in rerum temporalium abundantiam,& proſperationem, hoſtium fugam, & ſubiectionem : famæ concelebrationem, honoris ſublimationem.*Cunctis gentibus.* Quia nulla gens erat in tota terra quę iſtas benedictiones haberet ſicut Iudæi,quãdo Dei præcepta obſeruabant:ideo vocabatur populus beatus,vt habetur Pſalm.141.Beatum dixerunt populum,cui hęc ſunt:& benedictus Dominus Deus eius. omnes benedictiones iſtæ quæ ſequuntur infra.

Si tamen præcepta eius audieris. Id eſt non intelligas abſolutè quod iſtæ benedictiones aduenient tibi,niſi cuſtodieris mandata non venient,immo oppoſitis maledictionibus repleberis.*Benedictus tu in ciuitate.* Primo ponuntur bona temporalia in abundantia,ſcilicet bona vrbana vt domus,& ſuppellectilia,pecunia:& talia. *Benedictus in ciuitate.* Id eſt bona tua erunt multiplicata in ciuitate.*Benedictus in agro.* Id eſt multiplicaberis in bonis ruſticanis,quæ ſunt in agro:ſcilicet, quia poſſidebis agros multos:vel quia fructus agrorum tuorum multiplicabuntur *Benedictus fructus ventris tui.* Id eſt multiplicaberis in poſteris:quia multos filios gignes.*Et fructus terræ tuæ.* Id eſt fructus de arboribus.*Fructus iumentorum tuorum.* Quia multiplicaberis in equis,& aſinis,& camelis quæ vocantur iumenta: quia iuuant neceſſitates humanas in ferendo pondera , & muli etiam : ſed apud Iudæos rari erant : quia generantur æquiuoce , & tales generationes vetuerat Deus fieri in terra promiſſionis,vt patet Leui.19 c.

Et greges armentorum tuorum. Id eſt congregationes armentorum : diſtinguuntur greges, & armenta : quia greges ſunt congregationes minorum pecorum,ſcilicet ouium , caprarũ: armenta dicuntur congregationes magnorum pecorum, vt boues ſunt, & bubali: porci autem gregem faciunt,vt patet Marci 5.c.aliquando grex accipitur generaliter pro omni cõgregatione pecorum quorumcunque,& iſta differentia multum obſeruatur in Leuitico.

Et caulæ ouium tuarum. Quia replebuntur caulæ. ſunt caulæ loca in quibus oues congregantur,propter metum luporum.

A

Benedicta horrea tua. Quia replebuntur frumento, & non putrefieret, nec deterioraretur, & comedes vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis, vt patet Leui. 26. cap.

Benedicta reliquiæ tuæ. Id est ea quæ superabundabunt tibi multiplicabuntur, vt sufficiant pauperibus, & benedicat tibi anima sua: & quia ista bona vtilia nihil prosunt nisi ad vsum, & distributionem hominis: ideo oportet esse ad horum completionem corporis incolumitatem, vt ista læte sumantur, & læte distribuantur: ideo subditur.

Benedictus tu ingrediens & egrediens. Id est Dominus benedicet tibi dando corporis sanitatem, & custodiendo à cunctis nociuis, siue cum intraueris domum: siue cum exieris, scilicet omni tempore.

Hostiũ subiectio est propter duo maximũ bonum.

Dabit Dominus inimicos. Hic ponitur secundum de hostium depressione. bona enim temporalia, siue possessiones, siue salus corporis, possunt tolli per hostes: ideo desiderant homines eorum subiectionem: inter maxima bona computabatur hostium subiectio, & hæc propter duo, scilicet propter vtilitatem, & propter honorem: vtilitas autem maxima est, quia si aliquis hostes habet, quos subiicere non potest aut resistere ei, destruent eum, & bona eius diripient, nec erit ei vlla pax aut quies: honor enim magnus est in vincendo: & videtur aliquo modo pertinere ad actus fortitudinis, scilicet ad inuadendum confidenter & resistendum viriliter. antiqui igitur

B

inter maxima bona hostium victoriam putauerunt: quia propter hoc extendebatur nomen, & corroborabatur persona, & diuitiæ ampliabantur: videntur autem multa alia bona de his, quæ homines carnales desiderant cum victoria prouenire: quæ describit sub pulchra metaphora Gualtherus Alexãdreidis libro quarto, vbi aptissimè collocat palatium victoriæ: desiderabant ergo valde antiqui victoriam hostium: & quando alicui bona inprecabantur, hoc ponebatur tanquam potissimum, vt patet Gen. 24. c. cum tota cognatio Rebeccæ benediceret ei recedenti in terram Chanaan, dicebant, soror nostra es crescas in millia: & possideat semen tuum portas inimicorum suorum: & non solum homines inter se ista imprecabantur, sed etiam Deus consentiens humanæ locutioni, cum benedicat aliquem, ponebat super eum hanc benedictionem, vt patet Gen. 22. c. quando Deus benedixit Abraham: quia fuit paratus ad mandatum eius obedire, & immolare filium suum cum dicitur. per memetipsum iuraui dicit Dominus: quia fecisti rem hanc & non pepercisti filio tuo vnigenito, multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris, & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

Corruentes in conspectu tuo. Quia quando Iudæi Domini præcepta seruabant hostes insurgentes sine magno labore eorũ consumebantur, vt patet in bello contra Madianitas: vbi occiderunt quinque reges, & vastauerunt totam terram: & nec vnus ex eis mortuus est, vt patet Num. 31. ca. & quando Iosue pugnabat contra multos reges, & Deus misit lapides grandinis magnos & durissimos, & mortui sunt plurimi, vt patet Iosue 10. capit. sic pugnante Gedeone contra Madianitas ipsi se suis gladijs trucidarunt nihil agente Gedeone, vt patet Iud. 7. c.

C

Per vnam viam venient contra te. Scilicet congregati vt te deleant. *Et per septem fugient à facie tua.* Id est per multas: quia numerus septenarius vniuersitatem notat: quia omnia voluuntur in septem. *A facie tua.* Id est timentes faciem tuam: tantus enim erat timor quod non se expectabant fugientes: sed quilibet per quem locum poterat, fugiebat abscondens se in scissuris petrarum, & in cauernis terræ, vt patet de quinque regibus contra quos pugnauit Iosue, qui latuerunt in vna spelunca: & eos inde extractos suspendit Iosue in patibulis, vt patet Iosue quinto capitulo, destructis hostibus cum res in pace agantur, solet magna abundantia in rebus esse: ideo subditur.

Emittet Deus benedictionem super cellaria tua. Id est prosperabetis in cunctis quæ inceperis: tempore enim belli solet ciborum contingere inopia ex duabus causis. Prima quia in bello multa hostes deuastant: vel ipsi bellatores de terra illa multa comedunt, & consumunt magis quam alias facerent. Secunda causa, quia homines dediti bello cessant ab agricultura: cum autem pax redeat, ablatis istis duabus occasionibus, fertilitas redit, & sic dicuntur benedicti, id est multiplicari homines in fructibus terræ post bellum.

D

De fama celebritate.

Suscitabit te Dominus. Hic ponitur tertia, scil. de famę celebratione. generosus est enim animus hominis & cupidus laudis, ideo desiderat nomen suum dilatari: ponuntur ergo aliqua quæ faciunt ad famæ diuulgationem.

Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum sicut iurauit tibi. Id est faciet te Deus sibi populum esse sanctificatum, id est sibi applicatum tanquam populum peculiarem: de quo magnam sollicitudinem habeat tanquam de filiis suis. Et hoc iurauit patribus eorum, scilicet quod acciperet eos in populum & hæreditatem, vel aliter.

Suscitabit te in populum sanctum. Id est faciet te sibi applicatũ per gratiam si custodieris eius mandata, ita q̃ custodia mandatorum promereatur maiorem gratiam nobis apponi. & sic erimus sanctificati, id est valde applicati Deo: & sic dicit Augustinus quod charitas apposita per operationem meretur augeri, & deinde aucta meretur perfici, & Ioan. primo capit. de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, id est pro gratia quę est principium bonæ operationis meremur gratiam augmentationis, & confirmationis in bono, omnia tamen gratuite veniunt, quia fundamentum primum bene agendi pure gratuitum est, vt patet ad Rom. 10. capit. & ista sanctitas quomodocunque assumatur erat causa magnæ laudis Iudæis: quia aliæ gentes videntes eorum ritus & leges laudabant eos, vt patet supra quarto capit. vel videntes quomodo Deus Iudæorum applicabat eos sibi defendendo ab aduersarijs, laudabant Deum, & gentem, quæ talem Deum habebat. *Si obseruaueritis mandata eius.* Non transgrediendo ea. *Et ambulaueritis in viis eius.* Exercendo vos multum in mandatis.

E

Quo possunt cognoscere homines manifeste quod aliquis homo iuuatur à Deo.

Videbuntque omnes terrarum populi. Deus faciebat tanta pro Iudæis, quod omnes aliæ gentes hoc videntes dubitare non poterant, quin hoc esset à Deo specialiter: quando enim homo iuuatur à Deo, si iuuamen illud non sit excessiuum, putant homines esse per industriam eius, qui operatur: cum tamen tanta per hominem fiunt ad quanta non sufficit humana prouidentia, aut potentia, dicunt homines esse factum à Deo: & sic dicitur Gen. 39. cap. de Ioseph quod Dominus eius Putiphar bene nouerat Deum esse cum eo, & omnia quæ agebat dirigebãtur in manu eius, ita etiam de istis Iudæis cum viderent tanta pro eis fieri, iudicabant manifestè Deum operari pro eis: sic patet Exod. 14. cap. vbi cum Ægyptij viderent commoueri rotas curruum suorum in profundo Rubri maris, & quod percuterentur per columnam ignis, & nubis, dixerunt fugiamus Israelem: quia Deus pugnat pro eis contra nos: sic etiam cum Chananæi habitantes vltra Iordanem, vidissent ea quæ fecerat Deus pro eis ad introitum maris Rubri, & in toto deserto, & in duobus regibus Amorrhæorum Og & Seon quos occideret, conterriti sunt, & non mansit in eis spiritus, vt patet Iosue 2. cap. & sic de omnibus alijs mirabilibus quæ tanta erant, vt nullo modo occultari possent, quin hæc Deus ageret: vt de casu muro rum Hierico. Iosue 7. cap. & de statu solis per magnum spacium quousq; Israel vindicaret se de hostibus suis: & quod pluerit lapides magnos grandinis super totum exercitum hostilem, ita vt plures ibi quàm in bello mortui fuerint, vt patet Ios. 10. c.

F

Omnes terrarum populi. Hyperbole est: quia licet in vna terra fiant mirabilia, non sciuntur in omnibus alijs terris: quia quędam gentes sunt ad quas itineris difficultas adimit accessum: aliæ quæ ita moribus aut lingua diuersæ sunt, vt nullum inter eas commercium siue communicatio sit, vt fama rerum gestarum alibi in eas peruagari possit: vt ait Boetius de consola. li. 2. prosa 7.

Miraculum de ſtatione ſolis non poterat eſſe notum in tota terra directe, ſed in ſolo hemiſphærio in quo ſol ſtabat. Et de Eclipſi viſa in paſſione Domini noſtri. Et de retrogradatione ſolis tempore Ezechielis.

QVÆST. II.

QVÆDAM tamen erant miracula, quæ licet non eſſet cognitum propter quam gentem fierent, tamen erant nota omnibus gentibus eſſe, & miracula eſſe: vt ſtatio ſolis tempore Ioſue: neceſſe enim erat in omni horizonte vbicunque homines eſſent, videri diuerſitatem in die illa, & omnibus aliis. nam cum illud fiebat quæreretur de quolibet horizonte, an ſol eſſet ſuper horizõtem illum cum fiebat ſtatus ſolis miraculoſus, ſi ſtabat ſuper horizontem, neceſſarium erat, vt videretur, quomodo ſol erat immotus ſuper horizontem quod ab æterno nunquam fuerat: & ſic mirarentur. Si autem dicatur quod eſſet ſol tunc in horizonte, ita quod eſſet nox, ſicut directè ſentiebat miraculum in terra ſuper cuius horizontem tunc erat ſol, ita indirecte videretur miraculum in terra ſub cuius horizonte ſol erat, quia eſſet nox dupla ad noctes alias præcedẽtes & ſubſequentes: vel magis quam dupla: ideo neceſſario experirentur miraculum. Alia autem miracula erant, quæ non videbantur, nec audiebantur in omni terra, ſicut erant bella quæ faciebant Iſraelitæ contra gentes Chananæorum: de quibus in lib. Ioſue in quibus adiuuabantur à Deo: vt fuit quod Deus plueret ſuper hoſtes lapides grandinis, & occiderit multos ex illis plures quam fuerant mortui per manum Iſraelitarum, vt patet Ioſue cap. 10. hæc autem non publicarentur in omni terra ex cauſis ſupra aſſignatis. Miraculum autem illud de quo dicebamus, ſcilicet ſtatio ſolis ſuper Gabaon, quod fuit commune toti mundo: quia omnes gentes expertæ ſunt mutationem curſus naturæ: licet patuerit eſſe miraculum, tamen neſciebatur propter quid eſſet, ſcilicet an Deus egiſſet illud pro Hebræis vel aliis gentibus: vel quomodo aliter accidiſſet: ſed quælibet gens vbi erat admirabatur quid illud erat: quia nunquam tale quid ſenſerant, ex qua tamen cauſa oriretur neſciebant: ſicut accidit ſimplicibus in conſideratione rerum naturalium quarum cauſas ignorant, quæ eis interdum admirabiles videtur, vt patet de eclypſibus lunaribus, & ſolaribus: & de immutabilitate arcturi exiſtentis circa polum, ſcilicet quare videatur immutabilis ex tarditate ſua. de his Boetius de conſola. lib. 4. in metro 5. ſcilicet,

Siquis arcturi ſydera neſcit
Propinqua ſummo cardine labi.
Cur legat tardus plauſtra Bootes,
Mergat ſeras æquore flammas:
Cur nimis celeres explicet ortus.
Legem ſtupebit ætheris alti.
Palleant plenæ cornua lunæ.
Infecta metis noctis opacæ,
Quoque fulgenti texerat ore:
Confuſa Phœbe detegat aſtra.
Commouet gentes publicus error.
Laxantq; crebris pulſibus æra.

Et ſicut mirantur ſimplices de iſtis quæ ſunt naturalia, ita mirantur ſapientes qui aliquando vident mirabilia, quorum cauſæ ſunt ſupra naturam, & ipſi eas ſcire non poſſunt, ſicut cum facta fuit eclypſis per tres horas, ab hora 6. vſque ad nonam, vt patet Matth. 27. cap. & fuit hoc contra naturam: quia quando fuit mortuus Chriſtus, erat paſcha Iudęorum, & erat dies quinta decima menſis, cum præcedenti die ad veſperam quæ erat dies quarta decima menſis primi, fecerunt immolationem paſchalis agni: ſicut mãdatur Exod. 12. c. eclypſis tamẽ ſolis quæ tunc facta eſt, nõ poteſt fieri niſi in coniũctione ſolis & lunæ, cũ veniũt ad caput vel caudã draconis: ideo Aſtrologi magni videntes hoc admirati ſunt ſicut fuit in diebus illis peritiſſimus vir Dionyſius Areopagita quondã Athenienſium philoſophorum decus: poſtea vero clementia Dei Pauli diſcipulus, & nouiſſime Parthen. epiſcopus, atque vltimate martyrio laureatus, qui dixiſſe fertur conſpecta tali innaturali eclypſi: aut Deus naturæ patitur, aut tota rerũ machina diſſoluitur. neſciunt tamen certe ex quo iſta eclypſis accidiſſet, an ex morte alicuius viri, vel errore naturæ: & ipſimet Iudæi atque gentiles qui crucifixo Domino aſtabant, cauſam huius ignorauerunt: ſed quidam totius aſtrologiæ ignari eam naturaliter accidiſſe putauerunt: alij autem videtes Chriſtum virum ſanctum iniuſte paſſum, & tunc actualiter patientem arbitrati ſunt eum huius eclypſis cauſam fuiſſe. Sed hoc non erat ſcire, quin potius quoddam leue opinari. Sic enim quondam cum Atreus rex Mycenarum in Græcia filios Thieſtis fratris ſui doloſe vlciſcendi inceſtus cauſa occidiſſet, aſſatasque carnes eorum patri vorandas tradidiſſet, eorumque cruorem rubeo vino mixtum epotandum tradidiſſet: atque infœlix ille Thieſtes viſcera ſua auide atque epulentiſſime tantę fraudis calamitatisque inſcius deuoraſſet, ſolarem eclypſim tunc fieri naturaliter contigit, quam vulgares huius rei ignari, magnique facinoris Atrei regis conſcii putauerunt, ad totius mundi euerſionem in huius ſceleris vltionem à dijs traditam fuiſſe, ſe miſerrimos in quos fines ſeculorum deueniſſent acclamantes, vt ait Seneca in tragœdia ſecunda, quæ dicitur Thieſtes carmine 5. quod incipit. Quo terrarum ſuper viaque parens, in quo metro poſtquam chorus cõqueritur de peruerſione omnium ſignorum zodiaci atque aſtrorum, conſtellationumque cœli, vltimo concludit, quod mundus vult perire propter hoc facinus. Vos è tanto viſi populò digni premeret, quos euerſo cardine mundus in nos ætas vltima venit: ô nos dura ſorte creatos: ſeu perdidimus ſolẽ miſeri: ſiue expulimus, abeant queſtus, diſcede timor vitæ: eſt auidus quiſquis non vult mundo ſecum pereunte mori.

Sapientes etiam aliquando talia videntes valde commouentur, neſciunt tamen vnde talia ſint. vnde licet in tempore hoc totus mundus conſpexiſſet hoc inſigne miraculum, tamen non attribuebatur hoc Deo Hebræorum, nec ſciebatur à gentibus propter Iudęos factum niſi forte ab illis Iudęis, qui hoc audierant à Ioſue petente. Accidit autem ſimile iterum in Iudæis cum infirmaretur rex Ezechias, & Eſaias propheta mandato Dei dixerit ei, diſpone domui tuæ, quia morieris & non viues: qui conuerſus ad parietem fleuit amare: dimiſitque ei Deus peccatum: atque quindecim vitæ annos addidit, quod ei Eſaias à Deo admonitus renunciauit, antequam de atrio eius exiret: & ad ſignum huius promiſſionis petiuit Ezechias à Deo miraculum, ſcilicet, vt ſol retrocederet in horologio per lineas ſiue gradus decem, vt patet 4. Reg. 20. cap. & Eſa. 38. cumque hoc etiam compertum foret in omni terra, ſciebatur quod miraculum erat: ſed cauſa ignorabatur. Vnde Chaldæi qui in aſtronomia maxime temporibus illis vigebant, de hoc valde admirati miſerunt Hieroſolymam hoc inquiri, ſi ſciretur quid cauſæ in hoc fuiſſet. ſciebant ergo omnes populi mirabilia hæc: ſed non omnes ſciebant facta eſſe à Deo Hebræorum vel propter Hebræos. *Quod nomen Domini inuocatum ſit ſuper te.* Id eſt quod tu vocaris ſpecialiter populus Dei, & non alia gens, ſicut ſerui alicuius Domini habent nomen illius Domini inuocatum ſuper ſe, ſcilicet, quod vocantur ab illo Domino, à quo non vocantur alii homines: ſic erat de Hebræis: quia ipſi denominabantur cultores Dei cœli: & nulla gens vocabatur hoc modo, & non erat hoc aliquid magnum, ſcilicet, quod denominarentur Iudęi ab illo Deo cœli: ſed quod ad eorum petitionem ipſe faceret mirabilia pro eis, de quibus gentes ſtupebant videntes quod nulla gens erat, quæ tales deos haberet: & hoc etiam ſignat iſta litera, ſcilicet, quod inuocatum ſit nomen Domini ſuper te, id eſt, ita præſto habes Deum ad omnia quę vis, quaſi ſibi ſoli conueniat denominatio iſta ab illo Deo: & aliæ gentes extraneæ ſint ab eo. *Quod nomen Dei tui inuocatum ſit ſuper te.* Id eſt quod tu voceris populus Dei & ſis, quod cognoſcent aliæ gentes videntes beneficia ſingularia, quod Deus pro vobis agit in pugnando, & dando vbertatem, & corporum ſanitatem. *Et timebunt te.* Non audebunt pugnare contra te putantes quod Deus deleat eos. *Abundare te faciet Deus.* Replicatio eſt ſuperioris ad magis mouendum, ſicut faciunt prędicatores, vel concionatores, qui ea quæ vident auditores, mouere, ſępius replicãt. *Aperiet Deus theſaurum ſuum.* Hic ponit

A

principium instrumentale omnium istorum bonorum vestrorum, scilicet, cælum. *Aperiet Dominus thesaurum.* Id est cælum: tunc enim cælum aperiri dicitur, cum pluuiam emittit: tunc claudi dicitur cum non emittit. Et accipitur hic cælum pro cælo aereo, de quo fiunt pluuię & aliæ impressiones metheoro. vel pro corporibus cælestibus, per quorum motus & figurationes disponitur aer, & alia inferiora corpora ad omnia quæ fiunt: Et vocat cælum thesaurum, quia omnia naturalia quæ in nostrum vsum non veniunt, vocantur thesauri: quia sicut thesaurus reconditus est, & non venit in quotidianas expensas: sic ista à Deo disposita fuerunt, vt nos immediatè eis vti non possemus, licet aliquo modo inde vtilitas nobis venit: ideo abyssus aquarum, qui nobis inscrutabilis est, vocatur thesaurus Dei, vt habetur Psalm. 34. congregans sicut in vtre aquas maris: & ponens in thesauris abyssos: sic etiam regiones separatæ ad extremitates mundi versus sphæræ angustias, de quibus venti gignuntur, dicuntur thesauri Dei, vt patet Psalm. 134. qui producit ventos de thesauris suis: sic vocatur cœlum thesaurus: quia ad illum hominibus accessus non est, & vocat thesaurum optimum: quia inter omnia corpora naturę quę Deus egit inanimata, nullum in substantia & figura ita perfectum & decorum est, nec in operatione ita vtile: quia secundum philosophum primo de generatione & corruptione propter accessum & recessum solis in circulo obliquo fiunt omnes generationes & corruptiones in terra. Aliter vocatur cælum thesaurus, quia thesaurus dicitur repositorium auri, & thesis quod est positio & aurum: vbi ergo ponuntur magnæ diuitię pecuniarum vel massarum preciosarum in metallis vt in auro & argenteo, thesaurus nuncupatur: & de illo thesauro educuntur omnes copiæ diuitiarum: sic conuenienter inter res naturales ea res, quæ in se magnitudinem virtutis ad efficiendum gignendumque continet, vocatur thesaurus si omnia alia recipiant ab illa. sic est inter omnia naturalia cœlum. nam tota radix influentię naturalis generationis & corruptionis, augmentationis, & diminutionis, atque alterationis est in cælo: ideo enim sic elementa disponuntur, quia sic vel sic influit cælum super ea. Terra enim nihil gignit nisi eam cælum fecundet: & aer totus desiccatur atque pestifer redditur, nisi cœli humiditate temperetur: flumina etiam deficient nisi cœlum pluuias dederit: totum ergo principium boni naturalis est in cœlo: & sic vocatur conuenienter thesaurus, vnde extrahantur omnia bona quæ in tota natura sunt. si enim omnes fructus nati quolibet anno, & omnes aliæ res quæ sunt animatæ, vel non animatæ educerentur de vno loco sic in actu facta & consistentia, vocaretur locus ille thesaurus naturæ, ita cum omnia ista sint in virtute cœli: quia per actionem eius omnia producuntur, vocabitur cœlum thesaurus optimus: & quia non est cœlum thesaurus, id est locus repositorius continens in actu diuitias naturæ, sed in virtute influxiua, ponit quæ sunt ista, per quę cœlum contineat, & sic causa omnium naturaliū cum dicit. *Vt tribuat pluuiam terræ tuæ.* Ista est metaphora, quia secundum veritatem cælum non diuiditur, cum corpora supra cælestia non patiantur peregrinas impressiones: qualis est in diuidendo aliquid, quia corrumpitur: sed sicut si in aliquo vase contineretur aqua, & non posset fluere, nūquam fluet donec aperiatur, ita cum in virtute cœli contineatur pluuia emittenda, cum illam emittit aperiri dicitur, quasi de intra substantiam suam illud faciat: & ponitur hoc quia cœlum ponitur principium influens in omnia naturalia entia per motum suum, & astrorum figurationes, id est aspectus varios: & quia non potest immediate per se influere, dantur duo instrumenta huius actionis, scilicet calor & humiditas. nam ex harmonia horum omnia naturalia producuntur, sicut ait Ouidius in primo Metamorph. calor autem est per motum solis, humiditas reperitur in aqua siue pluuia cadente de cælo: quouiam vero ista duo contemperate à cælo fiūt, aperiri dicitur thesaurus Dei: & vtrunque est æque necessarium: nec quia calor sine humore, nec humor sine calore quicquam agere potest: non ponit tamen de calore, quia calor causatur per motum solis: iste autem morus est inuariabilis: ideo calor influxus à sole est quasi inuariabilis: quia necesse est quolibet anno equales ardores vigere, cum sol æqualiter quolibet anno ascendat super quemlibet locum versus perpendicularem, aut descendat, nisi obstet aliqua turbatio temporis causata per influentiam septentrionalem, scilicet pluuiarum inundatio, aut gelu, caligines, & nebulæ, atque immania frigora. nullus ergo vnquam calorem à Deo petit, licet ita necessarius sit vt aquea humiditas. Secundum erat necessarium humiditas, qualis reperitur in aqua. ista autem licet non sit magis necessaria quam calor, tamen magis eam petimus quam calorem: quia calor est inuariabiliter veniens quasi, humiditas autem aquea valde mutatur, ita quod aliquando transeant multa tempora, in quibus non pluant tam naturaliter quàm ex punitione Dei: ideo tota cæli benedictio videtur consistere in effusione pluuiarum: & sic in scriptura quandocunque fit mentio de bono quod à cælo habemus, subditur de pluuiis veniētibus: sic patet supra 11. cap. & Oseæ 2. cap. dicitur exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet vinum, & triticum, & oleum: & Esai. capitul. 55. dicitur de vtilitate cæli quantum ad aquam, & quomodo descendit imber, & nix de cælo: & illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram, & infundit, & germinare eam facit: & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, & c. recte ergo aqua sola ponitur hic tanquam id quod de thesauro cæli à nobis petitur. *Tribuet pluuiam terræ tuæ.* Quia per hoc terra tua replebitur omibus bonis in terræ nascentibns: & dicit specialiter terræ tuæ, quasi dicat terra tua his indiget, & per hæc abundabit: quia terra illa non est sicut Ægyptus in qua iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguę: sed campestris & montuosa expectans de cælo pluuias, vt patet supra 11. capit. quasi dicat si non daret pluuias Ægypto Deus, non multum Ægyptiis dolendum esset: quia omnia necessaria sine aquis in Ægypto haberi possunt. dico autem de aquis pluuialibus quæ non sunt in Ægypto: nec necessariæ sunt: secus autem de aquis simpliciter ductis. nam sine aquis impossibile erat aliquid gigni: sed quia in Ægypto aqua fluuialis Niliaca, & aliorum fluminum non inundantium ducitur artificiose ad rigandum, dicitur non indigere Ægyptus aquis, scilicet, imbribus: si tamen Deus non daret imbres terræ Chanaan illa periret: quia erat montuosa & campestris de cælo expectans pluuias, vt patet supra 11. capit. *In tempore suo.* Scilicet temporaneam & serotinam. Primo ad terræ fecundationem. Secundo ad granorum & fructuum ingrossationem. *Et benedicet cunctis operibus manuum tuarum.* Id est prosperaberis in cunctis operibus siue in agro siue in ciuitate. *Et fœneraberis gentibus multis.* Id est habebis pecunias multas & cibos ad mutuandum multis, ita eris diues quod non solum sufficies tibi, sed etiam aliis. *Et à nullo fenus recipies.* Id est non indigebis quod aliquæ gentes tibi mutuent: hoc fuit magis expositum supra 15. c.

Constituet te Dominus. Hic ponitur quartum, scilicet, de honoris sublimatione: quia hunc maxime desiderant homines terreni, & multi de his qui virtuosi sunt, vt patet primo Ethi. & solus honor politicum bonum vocatur, quasi maximum inter bona, & hoc bonum ponit vltimate quasi omnium bonorum completiuum & decoratiuum.

In caput, & non in caudam. Id est vt domineris alijs gentibus & nemo dominetur tibi, vt habetur supra 15. caput inter alias partes obtinet principatum tam situ quam dignitate: situ quia super omnes est: dignitate, quia ab eo cæteris partibus corporis deriuatur sensus, & motus: quæ omnia valde conueniunt rectoribus. cauda in omnibus animalibus vltima pars est: quia in ea terminatur extremitas spinæ & spondilium, quæ à capite vsq; ad caudam mutuis cōnexibus deriuātur. *Et eris semper supra & non subter.* Expositio prioris est. *Si tamē audieris mandata Domini Dei tui.* Hæ benedictiones non absolute, sed conditionaliter venturæ erant: & si aliquando istas benedictiones vel aliquas istarum populus haberet, si ad idola declinarent, vel alia mandata transgrederentur, perdebant eas. *Si tamen audieris.* Id est mente conceperis ad obediendum & operandum. *Non declinabis ad dextram nec ad sinistram.* Id est custodiendo ea aliter quam ego vobis mando. *Vel non declinabis ad dextram.* Id est nunquam declines ab istis mandatis vt eas in dexteram partem quæ est prosperitas temporalitatis. *Nec in sinistram.* Id est etiam non declinabis propter aduersitates mundanas quæ sunt sinistra. *Nec secutus fueris deos alienos.* Quærendo ab eis responsa per res necromanticas. *Et colueris eos.* Faciendo eis sacrificia vel thurificando.

Quare cælum vocatur thesaurus Dei.

Principium totius boni naturalis est in cælo

Ex caloris & humiditatis harmonia omnia producuntur.

De honoris sublimatione.

A

De impositione maledictionum contra legem transgredientes.

Quod si audire nolueris. Hic ponitur secundum principale, scilicet, de impositione maledictionum, vel promulgatione contra legem transgredientes, & sicut supra cum benedicerentur positæ fuerunt omnes partitiones bonorum temporalium: ita hic ponuntur omnia mala cumulata, quę homines in vita abhorrere solet, & magis se explicat Legislator in maledictionibus quam in benedictionibus: licet Deus in bona operatione remuneret vltra merita, & in malis actibus punit citra demerita, tamen mala magis explicantur: quia lex vetus erat lex timoris: maledictio autem ad timorem pertinet: benedictio vero ad amorem : magis ergo maledictionibus quam bendictionibus debuit admonere. Item quia ipsi audientes erant adhuc rudes, & citius mouebantur ad maledictiones auditas quam ad benedictiones : debebat ergo lex conformari dispositioni audientium, vt bona esset, sicut regula latomorum in Lesbia conformatur lapidi, quia lapis regulæ non valet bene conformari, vt patet 5. Ethi. in c. de Epijceya. Et tanguntur hic quinque secundum quinque partitiones eorum quæ homines abominantur & fugiunt: primum est domus & rerum domesticarum indispositio. Secundum est inimicis suis subiugatio ibi. *Tradat te Dominus.* Tertium est propriæ personæ infamatio ibi. *Et eris perditus.* Quartum est ab inferioribus sibi facta humiliatio ibi. *Aduena qui tecum.* Quintum est hostilis obsessio ibi. *Adducet super te. Quod si audire nolueris vocem Dei vt custodias.*

B

Quare multi carnales retrahunt se ab audientia prædicationum & communicatione sanctorum virorum.

QVÆST. III.

ALIQVI enim in delectationibus mundanis & desideriis suis viuentes, & scientes illud esse contra legem Dei, & timent quod si audiant legem Dei, quod abducentur ab illis delectationibus: ideo audire nolunt prædicatores, nec legere libros deuotos, timentes quod compuncti delectabile perdant: sed volunt audire fabulas, & aliqua amatoria, & delectabilia, vt patet 2. ad Tim. 4. cap. erit autem tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus : & à veritate quidem auditum auertent, & ad fabulas conuertentur: & istud horribile peccatum est, scilicet repugnare gratiæ spiritus sancti, & laborare ne in nos veniat, iuxta illud qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus Iob 21. cap. & multi tales erant tempore Esaiæ, qui dixerunt ei, quod non diceret eis, quæ Deus mandabat : sed prædicaret quæ eis placebant, vt patet Esaiæ.

Vt custodias & facias mandata eius. Id est propter hoc non vis audire, vt non facias mandata eius: quia nec vis scire nec facere: omnes maledictiones istæ quæ sequuntur & plures quæ non sunt hic scriptæ.

C

Et apprehendet te. Id est tenebunt te diuturnè.

Maledictus eris in ciuitate. Id est bona tua quę habes in ciuitate perdentur vel valde minuentur.

Maledictus in agro. Id est fructus agrorum tuorum erugine, vento, locusta consumentur, & bruco: vel terræ sterilitas intra viscera sua claudet.

Maledictum horreum tuum. Quia etiam si illud impleueris cito euacuabitur: vel intra se computrescet, vt nulli proficiat.

Maledictæ reliquiæ tuæ. Id est, diminuentur reliquiæ tuæ: quia non erunt sicut ante esse consueuerant, quoniam tibi non sufficies : & sicut benedictio rerum importat multiplicationem, ita maledictio diminutionem.

Maledictus fructus ventris tui. Id est diminuetur quia non multiplicaberis in filiis, vt fueras ante multiplicatus: vel maledicentur filii tui, quia infirmi & deformes nascentur : vel fortes eorum peste consumentur. *Et fructus terræ tuæ.* Quia paucus erit & sanitatis corruptiuus propter intemperiem.

Armenta boum tuarum, & greges ouium. Peste simul peribunt, vel paulatim deficient fame, & siccitate consumpta : & hic ponitur proprie armentum & grex.

Maledictus eris ingrediens & egrediens. Id est ad ingressum & egressum domus tuæ maledicteris: quia ibi irruet tibi timor & tremor: & omnia mala tibi obuiabunt. *Mittet Dominus super te famem.* Id est non solum erit ista maledictio in terræ nascentibus aliquis defectus paruus, sed totalis indigentia ; & non venient ista pure naturaliter, sed Deus illam mittet ; & sicut bona quæ Deus specialiter nobis immittit maiora sunt, quàm bona pure naturalia: ità mala quæ Deus per se infligit duriora sunt quam mala à natura contingentia, vt patet in plagis Ægyptiorum: quia nunquam grando ità magna visa fuit in Ægypto: & sic de tenebris, & morte primogenitorum, & omnibus aliis, vt patet Exod. 8. & 9. & 10. capit. *Famem.* Id est defectum victualium. *Et esuriem.* Id est magnum desiderium comedendi. Et istud desiderium non erit naturale: sed à Deo inflictum in pœnam, vt durius crucientur: quia fames sine esurie vel è contrario non tantum cruciant: potest tamen in tempore famis maior comedendi inesse naturaliter appetitus sola opinione hoc faciente: quia dum homo res deficere videt, tunc magis eas desiderat: cum autem copia adest, sola copia releuat appetitum.

Et increpationem in omnia opera tua. Id est detestationem vel abominationem, vt cum aliquid iam feceris, illud abominetis increpando illud, id est iudicando esse malum cum quadam magna furia, & illud deleas, & sic nihil in operibus tuis proficies.

Donec conterat te. Id est destruat omnia bona tua per famem in qua omnia consumi & deficere solent, & per increpationem: ita quod tu destruas opera tua.

Et perdat velociter. Quia tanta mala homines diuturne ferre non possunt : oportet enim eos vel releuari, vel cito succumbere.

Propter adinuentiones tuas. Id est propter peccata tua: potest signare adinuentio omnia peccata generaliter: quia peccare est quædam adinuentio , id est quidam modus viuendi inuentus ab homine, quem Deus non statuit, sic dicitur Oseæ 13. c. perditio tua ex te Israel, id est peccata tua propter quæ perdi mereris ex te solum sunt. potest etiam assumi specialiter ad inuentio pro quibusdam specialibus iniquitatibus, quę communiter non fiunt: sed malitia hominum eas excogitando inuenit: & ista sunt grauia peccata: ideo valde puniuntur. *In quibus reliquisti Deum.* Per quodlibet peccatum Deus deseritur: cui nunquam sine bonis operibus placere valemus. *Adiungat tibi pestilentiam.* Id est aeris corruptionem per quem subito moriaris tu, & omnia quæ ad te pertinent. *Vt consumat te terra.* Alia mala diutius cruciant: pestilentia autem subito eradicat, donec redigat terram in solitudinem. *Egestate.* Id est magna paupertate: ita quod nihil ad cibum, vel ad alias necessitates possideas. *Febre.* Cuius multæ sunt species. *Frigore & ardore.* Id est febre quæ est mixta cum frigore & ardore propter frigidum circumstans calidum & comprimens, & per antiparistasin fortificans. *Aestu.* Id est excessiuo calore non in tempore sed in corpore, & est iste calor intensior quam communes febres: ideo cito hominem deficcabit consumendo naturalem humiditatem, in qua fundatur membrorum harmonia, & vita animalis. *Et aere corrupto.* Id est pestilentia quæ superueniat omnibus istis malis ad facilius consumendum. in Hebræo habetur. *Et ense.* Sed ratio est vocationis in termino ad ensem & aerem corruptum: est mutatio punitorum. *Atque rubigine.* Rubigo dicitur quædam deprauatio segetum ad malum calorem & putredinem, quæ generatur in eis ante granorum fœcundationem per corruptionem aeris circunstantis, & marcescunt segetes , vel putrefactis radicibus cadunt ante tempora messis. *Sit cœlum quod supra te est æneum.* Id est cœlum aereum, de quo pluuię deorsum mittuntur, ita sit siccum & durum sicut æs, id est, calibs, de quo nulla humiditas elici potest: vel accipiatur pro cœlo æthereo quod sit durum quasi æs , ita quod non disponat aerem nec inferiora ad pluuiarum effusionem.

Et terra quam calcas ferrea. In duobus consistit rerum comestibilium fertilitas, scilicet, in superiore aeris dispositione, & in terræ congrua susceptione: cum autem aliquid horum deficit, sterilitas contingit. ideo ponitur hic durities in cœlo emittente, & in terra suscipiente, vt in vtroque indispositio assignetur. *Dominus det imbrem terræ tuæ puluerem.* Id est loco imbrium fœcundantium, & humectantium terram, veniat puluis desiccans & consumens: puluis enim valde desiccatiuæ naturę est : quia puluis est partes minutissimę terræ quæ di-

D

E

Adinuentio pro peccato ponitur.

F

Rubigo quid sit in segetibus.

In duobus comestibilium rerum fertilitas cõsistit.

A continuantur propter humiditatis defectum : ideo puluis valde deficcat.

Cinis est rerũ omniũ minutissimus.

De cœlo descendat super te cinis. Est enim cinis in vltimo gradu deficcatiuo ex magna siccitate: quia cum sit vltima resolutio corporis combusti per actionem perfectam ignis, totalis humiditas inde educitur sola siccitate manente, & signum est: quia cinis omnium rerum minutissimus est : fit enim continuatio propter humidum tenax, cum autem illud fuerit totaliter exhaustum discontinuatur res vsque ad minimas partes naturæ , ita quod licet ex continuitate vltra diuisibile esset , tamen nullum agens est quod vltra diuidere valeat : patet etiam quia si in vase pleno aqua cinis mittatur, totam aquam cito consumet: est etiam naturæ valde calidæ: quia manet ibi virtus ignis resoluentis illum vsque ad vltimã resolutionem actualem.

Descendat de cœlo super te cinis. Non potest talis metheorologica impressio naturaliter causari: quia secundum quod patet in libris metheororum sæpe omnis impressio fit ex vapore, & exhalatione : nulla autem exhalatio vel vapor tam siccus esse potest aut tam solidus: quia si id quod eleuatur à terra calidum & siccum est, per compressionem frigidi circumstantis inflammabitur, vt patet in impressionibus ignitis: si autem humidum est à frigido circumstante condensabitur vsque ad aliquem gradum : nulla tamen est materia ita sicca & calida

B metheorologica, quia materia impressionum gracilis est , & bene passibilis: materia autem ex qua cinis fieri deberet multum solida & compactissima esset. si ergo aliquando cinis de cœlo veniat non naturaliter est, sed à Deo mittitur sicut diximus de manna: & tunc iste cinis ex excedenti caliditate consumptiuus est nimis, & vlcerum causatiuus, patet Exod. 8. capit. quia quando misit Moyses cinerem de camino, facta sunt vesicæ turgentes & vlcera mittente Deo cinerem de cœlo in omni terra Ægypti : quia cinis quem Moyses misit non attingebat totam terram Ægypti, etiam dato quod attigisset non erat tantæ caliditatis quod vesicas gigneret. *Donec conteraris.* Quia talis cinis de cœlo veniens totam terram desiccaret: & fructus agrorum tolleret.

Inimicis suis subiugatio.

Tradat te Dominus. Hic ponitur secundum, scilicet inimicis suis subiugatio. *Corruentem ante hostes tuos.* Id est quod tu iudicio cadas & ipsis nihil agentibus vincaris: & sic quando Iudęi legem Dei præuaricabantur, aliæ gentes etiam si paruæ potestatis essent , subigebant eos seruituti, & diripiebant bona eorum.

Quare maxima omnium maledictionum sit ab hostibus vinci.

C

QVÆST. IV.

PONIT Deus in hoc magnam maledictionem : quia sicut victoria de hostibus erat de maximis bonis quæ olim homines appetebant, vt patet Gen. 24. cum dicunt cognati Rebeccæ imprecantes ei prospera , soror nostra es crescas in millia : & possideat semen tuum portas inimicorum suorum: & Deus hunc modum secutus in maxima benedictione , quam dedit Abrahæ cum voluit immolare filium suum, dixit ei tanquam pro magna benedictione: & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: sicut ergo bonum valde magnum erat vincere hostes , ita erat extremum malorum ab hostibus vinci.

Primo quia inter bona ciuilia maximum existimatur esse honor, vnde viri actiui & valde virtuosi ciuiliter hunc vitæ actiuæ politicæ finem putant, vt ait Aristot. primo Ethic. sed vincere est honor, vinci vero è contrario magnum dedecus. ergo valde magnum malum est vinci, vel corruere ante hostes. Item sicut libertas est de maximis bonis extra quam de bonis ciuilibus nullum manere videtur: sed per hoc quod est vinci ab hostibus incurrunt homines seruitutem: ergo vinci est de maximis malis. Item nullum maius malum est morte, cum ipsa sit vltimum terribilium, vt ait Aristot. in 3. Ethic. sed per vinci ab hostibus incurrunt homines mortem naturalem, quæ est separatio animæ à corpore , & ciuilem quæ est per seruitutem; ergo malum valde est vinci ab hostibus. Item omnia mala quæ homines iucurrunt per alias, incurrunt per istam solam plagam : sed omnes alię simul sumptæ sunt pessimæ: & quælibet per se est mala : ergo vinci ab hostibus est malum : quia in hoc quod est vinci ab hostibus incurrit homo pestem: quia percussionibus hostilibus citius cadunt homines quam peste : & sicut fames esurieque est vna de istis plagis, ita hostilis inuasio causat cõtinuam famem opprimendo totam terram in quam insurgunt, & vastando fructus tam existentes in agris quam redactos in grano, aut fractos. Inuasio etiam hostilis inducit omnia mala, quæ inducunt plagæ superius positæ, sed differt: quia illæ ponuntur explicite, scilicet, quod malum quodlibet explicitum est in eis: mala tamen quæ sequuntur ad istam plagam non sunt ita explicita : est etiam malum in hoc: quia cum aliquis vincitur aut moritur in bello, dat de se gaudium inimicis, quod cuilibet homini valde dolorosum est: sed visa maxima calamitate quę est, cum aliquis corruit coram hostibus suis aut victus est, gaudent hostes sui: ergo est valde sibi tristabile corruere coram hostibus : ex quo sequitur interdum quod præeligeret aliquis mori & pati durissima non videntibus & scientibus hostibus, quam videntibus eis pati minora cruciamina, ne consolentur super eum hostes sui: sic patet de rege Saule qui cum iussset in bellum contra Philistin, & esset percussus, videns totum pondus belli ingrauari super eum, timens ne venientes Philistin illuderent ei : mandauit cuidam de Hebræis sibi assistenti, vt irrueret in eum atque occideret, & sic factum est: quia iuuenis ille filius viri Amalechitæ irruit super Saul, & occidit eum, vt patet 2. Reg. primo cap.

Item cum Dauid erudiret ad planctum filios Israel super mortem Saulis & Ionathæ, mandauit caute fieri planctum, ne forte audiretur à gentilibus, & ipsi lætarentur. 2. Reg. 1. ca. cum dicitur nolite annunciare in Geth , nec annuncietis in compitis filiæ Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philistin , & exultent filiæ incircuncisorum: ex hoc etiam sequitur, quod si interdum contingat aliquem virum valde animosum contristari magis cur patitur coram hostibus quod coram illis patiatur quam simpliciter cum patitur: dicendo quod ibi sumitur proprie vindicta de ipso, & non in pœna cum infligitur, aut homo incidit in eam absentibus hostibus.

Per vnam viam. Exponatur sicut supra, & sic factum est quãdo rex Israel & Iuda, scilicet Achab & Iosaphat pugnauerunt contra regem Syriæ pro Ramoth Galaad: dixit Michæas propheta, vidi cunctum Israel dispersum in montibus quasi oues sine pastore, patet 3. Reg. 22. c.

Et dispergaris per omnia regna terræ. Quia quando ducti sunt in Babylonem, forte aliqui eorum deducti sunt in multas alias terras : quia multi de eis transierunt in Ægyptum tunc, & ibi postea habitauerunt: nec vnquam reducti fuerunt in Iudęam: quia etiam post in tempore Machabæorum quod fuit quasi per ducentos annos post, morabantur in Ægypto: vnde Iudas Machabęus & alii Iudæi miserunt eis literas de obseruatione duorum festorum, vt patet 2. Mach. 1. c. tempore autẽ Romanæ captiuitatis dispersi sunt per vniuersum mundum: & sic manebunt vsque in sæculum.

Sit cadauer tuum. Postquam mortuus fueris ab hostibus.

In escam cunctis volatilibus. Id est maneas insepultus.

Et non sit qui abigat. Id est qui remoueat eas inde ductus naturali pietate illa comminatur, quæ homines vt pœnalia iudicant.

Secundum veritatem corpus hominis post mortem non sentit infortunia nec eufortunia: nec iam corpus humanum est: quia anima per quam corpus fit in aliqua specie non est in eo: sed solum secundum humanam opinionem qui viuentes de corpore suo cogitant post mortem aliter quam sit: ideo curant cum viuũt de sepultura post mortem, & si illa careãt, infortunatos se esse putant: sic ponit Seneca in libro de remediis fortuitorum, & etiam secundum consuetudinem ecclesiæ corpora sepeliri debent: & opus pietatis est in sepeliendis illis: quia fuerunt corpora proximorum nostrorum. Et quia resurrectura sunt, & quia carnis nostræ imaginem gerunt: ideo ea despicere non debemus. recte quidem dicitur ista fuisse corpora proximorum & iam non esse: quia corpora humana non sunt: vnde inter cętera opera pietatis nullum est opus

quod

A

Opera omnia charitatis sunt ad proximum.

u od minus dicatur opus pietatis, vel magis indirecte quàm hoc. Nam omnia opera charitatis sunt ad proximũ: sed istud nõ fit ad proximũ: qa qui mortuus est nõ est ꝓximus: nã homo solus est nobis ꝓximus, sed qui mortu⁹ est, nõ est homo: immo si homo esset mortuus, non esset: alia autem fiunt hominibus viuentibus vt corporalia, vt cibare, potare, colligere, redimere, visitare, tegere. Et si sint spiritualia vt consulere, remittere, castigare, solari, sufferre, & orare. Nam homines cibamus, homines potamus, hominibus consulimus, remittimus: & sic de alijs: homines tamen non sepelimus: non ergo fit sic directe ad proximum istud opus misericordiæ quod est sepelire, sicut cætera opera misericordiæ. Dicet tamen aliquis quòd est opus misericordiæ: quia fit parti proximi nostri, scilicet corpori illi, quia illud est corpus quod habuit proximus noster: sed etiam hoc falsum est: quia non est idem corpus viuens, & mortuum: nam illa, quæ differunt in specie & in genere, non sunt idem numero, cum maior differentia semper præsupponat minorem: sed corpus viuens differt à corpore non viuente secundum genus subalternum, ergo necessario differt numero: si ergo aliquis homo viuens habuit corpus, illud fuit viuens; cum vero moritur manet cadauer, quod est corpus quoddam sed est mortuum: ideo differt in gignere ab illo, quod erat antea corpus illius hominis: & sic necessario differt numero: corpus ergo quod sepelitur non est idem corpus numero cum corpore, quod erat hominis viuentis: & fundamentũ huius est: quia materia secundũ se non accipit speciẽ, sed habet speciem à formâ quæ perficit, & denominat dando esse: cum ergo diuersæ formæ sint necessario materiæ quæ sub illis sunt, in diuersis speciebus reponentur: cum ergo corpus hoc quòd est corpus hominis viuẽtis, sit sub anima rationali perficiente & denominante, vocabitur corpus humanum: cum vero sit sub forma cadaueris, recipit hæc materia esse cadaueris; & est necessario in altero genere, & non erunt idem numero. Occasiò autem deceptionis est propter identitatem symbolorum; dicit enim Aristot. in secundo de generatione, & corruptione quod symbola manent in generato & in corrupto: vocantur symbola qualitates similes manentes idem numero in diuersis speciebus corporum, vt color, vtpote vt si aliquis homo viuens erat niger, & post mortem manebit nigredo in corpore & figura: quia si antea erat corpus rotundum, vel quadratum, simile manebit in mortuo: & in quantitate, quia si ante erat septem palmorum, & postea erit septem palmorum: & identidas loci, scilicet quòd in eodem loco erit corpus mortuum in quo erat ante viuum: & ista non solum sunt idem in specie, sed etiam in numero: quia non solum est nigredo in mortuo & viuente, sed etiam eadem nigredo numero, quę erat in corpore viuente erit in mortuo: & eadem figura numero: & sic de cæteris accidentibus. Et hoc est quia fundamentum omnium similium accidentium est quantitas. Cum ergo quantitas maneat eadem numero, & manebunt istæ dispositiones accidentales numero: & hoc est quia ista accidentia non fundantur in substantia rei, sed in quãtitate eius: si enim fundarentur in esse rei, cum res distinctæ in genere, essent id quod est ante corruptionem & post corruptionem: necesse erat accidentia manentia differre in specie & genere sed quia id est subiectum primum, scilicet quantitas & corpus & non esse rei: ideo mutatur identitas numeralis rei non mutantibus accidentibus quantum ad identitatem suam. Non est ergo idem corpus hominis viuentis & mortui, licet vocetur ab aliquibus idem ab identitate symbolorum: sed non bene dicitur: quia sicut non suscipit aliqua substantia esse à suis symbolis, ita nec suscipit identitatem aut diuersitatem ab illis, dicitur tamen istud corpus pertinere ad proximum nostrum, quia istud cadauer quod nunc habet ista accidentia: habuit eadem accidentia quando erat viuens: licet nunc non sit idem corpus quod erat viuens, gerit tamen quandam similitudinem illius corporis viuentis in symbolis.

Corpus mortuum nõ est idẽ quod viuũ.

B

Symbola quid.

C

Vlcus Aegypti quid.

Percutiat te Dominus vlcere Aegypti. De quò patet Exod. 9. capit. quia iacto per Moysen cinere de camino contra cælum natæ sunt vesicæ tumentes in cute, tam in hominibus quam in iumentis: & cum ad maturitatem cito venirent, præ nimia caliditate decorticabatur cutis, & manebat apertura tabe fluens, qui vlcus vocabatur: & ista vlcera cum magno dolore fiebant. *Et partem corporis per quam stercora egeruntur.* Id est emittuntur, & ista infirmitas vocatur Hemorrhois: est enim quædam tumefactio in parte secretiori in extremitate venarum, per quam certis mensibus vel temporibus anni sanguis emittitur: & si aliquis eas præscindi faciat & sanari, non fluet sanguis, sed faciliter fiet maniacus, vel horribilem tristitiam incurret temporib. quibus sanguis per hemorrhoidas purgari debebat. Vel potest accipi ista infirmitas non pro hemorrhoide, sed pro emissione & putrefactione extaliũ per secretam partem natum sicut accidit Philistinis, vt patet 1. Regum 5. & Psalm. 77. & ista grauior infirmitas est, & vocatur plaga mortis in prædicto c. *Scabie quoque.* Quæ fit cum per deficcationem cutis, & carnis putridæ venenum latebat.

D

Et prurigine ita vt curari nequeas. Id est scabie sicca quæ vocatur serpigo siue serapion, quæ carnem cooperit, & rubei coloris est ex ardore.

Percutiat te Dominus amentia. Id est magna stultitia.

Cæcitate ac furore mentis. Posset intelligi quòd amentia & furor referantur ad animam, & cæcitas ad oculos, ita quòd Moyses imprecetur hic malos fieri cœcos: sed magis consonat literæ quòd ista tria, scilicet amentia, cœcitas, & furor referantur, & signent vnam rem: quia infra dicitur.

Vt palpes in meridie sicut cæcus in tenebris. Si autem Moyses imprecaretur eis cœcitatem corporalem non compararet eos cœcis: quia idem non comparatur sibi ipsi. Item quia si cœci essent, nihil magis esset eis palpare in meridie quàm in tenebris: ideo est sensus quòd isti corporaliter viderent: sed tanta amentia id est carentia mentis siue recti iudicij, & cœcitate quod idem est: quia transfertur de cœcitate corporali ad cœcitatem intellectus, qui est quidam oculus analogice.

E

Et tanto furore. Id est impetuositate passionis consequente iudicium distortum, percutiantur isti quo videntes clare in meridie putent se non videre, & palpent manibus quasi cœci non videntes.

Et non dirigas vias. Id est non ambules per vias planas & bonas: sed mentis turbatione captus per præcipitia cadas: fit hic comparatio in non dirigendo vias de illis qui visu carent ad eos qui quouis modo carent recto iudicio: qui enim cœci sunt, nesciunt quo vadant: ideo in quæcunque aspera & prærupta cadent nisi ab illis videntibus ducantur: si autem cœcus ducat cœcum ambo in foueam prolabuntur: quia cœcus nescit dirigere vias suas: ita qui percussi sunt amentia & furore, ita quòd pars phantastica eorum est læsa, non tendũt recto tramite, sed in quæcunque præcipitia protinus cadent: sic enim sunt ebrij qui percussi sunt cœcitate spirituali dum intelligentia eorum mero absorpta est. Hi namque etiam in plana via exorbitantes præcipitantur: quia quæ plana sunt eis prærupta & suffossa videntur, vt patet Proueib. 25. c. sc. cui væ, cuius patri væ, cui foueæ, cui rixæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & student calicib. epotandis? huic autem dicit esse foueas: quia tota terra, quæ nunc plana est, si ambulet aliquis ebrius per eam, videbitur sibi plena foueis.

F

Omni tempore. Ponit oppressionem factam ab alijs.

Calumniam sustineas. Id est alij diripiant tibi bona tua per fraudes & cauillationes.

Et opprimaris violentia. Sc. quòd publicè tollantur tibi bona ex nulla causa vel colorata occasione, sed sola violentia, & sunt isti duo modi tollendi bona alicuius iniuste.

Vxorem accipias & alius dormiat cum ea. Præcordialis dolor est quòd aliquis habeat vxorẽ, & sciat quod alius dormiat cum ea: & hunc vocauerunt dolorem iustum leges super omnes alios dolores, vt patet ff. de adulterijs in l. Gracchus, sed hoc sæpissime contingit in bellis, quòd hostes accipiant vxores & filias hostium, & vtantur eis ad libitum suum.

A

Quare pœna ista vxorum adulterantium sit valde dura viris.

QVÆST. V.

ISTA maledictio hic posita est valde dura, sc. quod vnus accipiet vxorem, & alius dormiat cum ea. Amant enim viri valde vxores suas habentes ad eas zelum, qui est amor nolens habere consortium in amato: cum enim cætera bona secundum virtutem communicabilia sint, hoc solum bonum esse cerno incommunicabile, sc. vxor, quia omni virtuti repugnat talis communicatio, & est inhonestissima faciēs liberos imperfectos quantum ad nobilitatem: quia non possunt accedere ad cognitionem perfectā patrum, cum aliqua mulier à diuersis viris cognoscitur. Iob vero cum imprecaretur sibi maledictionem, si concupiuisset alterius vxorem ait 31. c. si deceptum est cor meum super mulierem: & si ad ostium inimici mei insidiatus sum scortum, sit alterius vxor mea, & super illam incurruentur alij, & ponuntur istæ maledictiones ad exaggerandum malum, quod id malum pœnæ inflictum iuste appareat esse inflictum. Et non est sensus, quod aliqui Israelitæ desiderarent ista mala superuentura alijs: sed prænunciabant eis pœnas futuras. Et non solum est pœna, quod aliquis accipiat vxorem. Et alius dormiat cum ea: sed etiam dolor magnus est, cum quis accipit aliquam in sponsam, & moritur antequam eam carnaliter cognoscat, & postea alius eam carnaliter cognoscat: ideo tales mandabat Deus recedere de bello, vt patet supr. vigesimo capit. ne doleat de morte quam expectatet & incumbat sibi anxietas illius facti propter non fuisse potitum delectabili quod expectabat in vxore sua, & hæc tristitia laxabat corda bellantum, vt nullo modo apti essent ad bellum, & compellabantur sic celerius in fugam. *Domum ædifices & non habites in ea.* Vel quia in bello moneris, vel quia ab hostibus extra terram tuam captiuus duceris, sicut contigit eis postea quando translati sunt in Assyrios, & deinde quando tribus Iuda ducta fuit in Babylonem, quia domos pulchras reliquerunt hostibus habitandas. *Plantes vineam & non vindemies eam.* Multis illorum in captiuitatibus & bellicis cladibus sic accidit, & ponuntur hic ista tria, quia pro magnis infortunijs habebantur, & ideo non ibant isti ad bellum, vt patet supra vigesimo capit. *Bos tuus immoletur coram te,* Id est occidatur ab hostibus ad comedendum: immolari aliquando signat occidere animalia ad reuerentiam Dei, sicut accipitur in omnibus libris superioribus: aliquando signat immolari, id est occidere solum, & sic ad quemcunque vsum animalia occidantur immolari dicuntur. *Et non comedas ex eo.* Et iste erat maior dolor: multa aliqui patiuntur in rebus suis, vel in persona sua permittens illa, quia parte quadam damni participant, quod si non participarent nullo modo paterentur: si enim bos istius coram eo occideretur, & detur ei famelico de carnibus bouis licet tristaretur, quia contra præceptum eius de boue suo aliquid factum fuisset, tamen non totaliter tristaretur, sed si nihil accepit de boue suo immolato coram eo tristatur valde, & quia voluntas huius non eligit à principio bouem immolari, & quia damno facto nullam inde consequitur vtilitatem aut delectationem. Et sic iura interdum cōsentiunt grauamina aliquorum, quia in hoc aliqua vtilitas erat ipsorum damnificatorum, & sic habetur instituta de statu personarum in fine cum dicitur, quòd maior annis 20. potest permittere se venundari, quia participando precium aliqua vtilitas est, & non participādo nulla vtilitas est. *Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo.* Per violentam deprædationem: magis enim dolent homines de rapina bonorum suorum, quæ fit videntibus suis, quàm de furto rerum suarum, quòd clandestine committitur, & ratio quia in rapina sunt duo, scil. damnum ex perditione rei ablatæ, & contemptus ex iniuria possidentis, quia coram ipso fit. in furto autem solum damnum rei ablatæ est: quia non contemnitur persona cum ipsa non vidente fiat. *Et non sit qui te adiuuet.* Ad maiorem dolorem: quia quādo homo habet aliquem adiutorem confidit se posse recuperare res, ideo non tantum tristatur: cum autem adiutoribus caret, desperatio eum valde cruciat. *Tradantur alteri populo.* Iste de maximis doloribus vnus est, quod patres videāt filios suos venundari in exteras nationes propter amorem & pietatem. Affectio enim patris ad filium inenarrabilis est: diligit enim pater filium tenerrime quasi viscera sua, ideo discessio eorum in perpetuum omnium malorum mæstissima est, etiam propter pietatem: cum enim filius sit quædam carnis particula de substantia patris abscissa, quando eum pati videt dolet, sicut de seipso, & forte affectuosius, licet non ita sensibiliter: quia filium teneriorem videt. *Videntibus oculis tuis & deficientibus.* In destructione bonorum possessorum, licet videamus eam fieri, non deficiunt oculi nostri, quia illa bona extra nos sunt: in perditione autem filiorum, quia sunt viscera nostra se non sustinent. *Et non sit fortitudo in manu tua.* Scilicet ad eripiendum eos de manu hostium. *Fructus terræ tuæ.* Scilicet quos producit terra te non laborante, sicut sunt herba & fructus multarum arborum. *Et omnes labores tuos.* Id est omnes fructus quos acquiris per culturam, vel ea quæ in negotiationibus, vel aliàs habes. *Comedet populus quem ignoras.* Quia Assyrij & Caldæi, qui captiuarunt Israel & Iudam, erant gentes ignotæ eis, & veniebant de longinquis terris. *Sis semper calumniam sustinens.* Supra expositum est. *Et stupens ad terrorem eorum quæ videbant oculi tui.* Videbant enim occasiones terribiles in suis, & horribilitatem hostium, vt describit Ioel secundo capit. ex quibus reddebātur stupidi, id est quasi non potentes loqui, nec sufficientes tanta admirari. *Percutiat te Dominus vlcere pessimo.* Sunt enim quædam vlcera causantia magnum dolorem. *In genibus.* Magnus dolor est ibi in vlceribus propter vertibilitatem partium coniunctarum: non autem est tantus dolor in membris, quæ sunt continua, & recta, vbi non est connexio diuersorum. *Et in suris.* Suræ sunt partes crurum ex coxa vsque ad talos, & vocantur tibiæ. *A planta pedis vsque ad verticem tuum.* Non refertur ad vlcera, quia illa solum ponuntur in genibus & suris: aliæ autem partes corporis percuti debent alia infirmitate, & patet quia si totum corpus repleri deberet, frustra poneretur in genibus & suris: sed potest satis bene dici, quod intelligatur repletio vlcerum non solum in istis partibus, sed in toto corpore: sed ponuntur istæ partes, quia forte in istis rarius eueniunt vlcera. *Ducet te Dominus & regem tuum quem constitues.* Licet contra voluntatem Dei esset, quod constituerent regem, tamen sciebat eos facturos: ideo prædicit quid euenturum sit eis cum rege suo, scil. quod ducentur in alias gentes: patet de Osee rege Israel, qui ductus fuit cum vndecim tribubus in terram Medorum per Salmanasar regem, vt patet 4. Reg. 17. c. & Ioachim rex Iuda ductus fuit in Babylonem cum viris nobilioribus, & sapientioribus in omni arte in regno suo, vt patet 4. Reg. 24. c. Et Sedechias priuatus oculis ductus fuit in Babylonem, vt habetur 4. Regum 25. cap. *Et seruies ibi diis alienis ligno, & lapidi.* Hoc non dicitur imperatiue: sed per modum prophetię: quia propter peccata sua dabatur eis in pœnam, quod ducerentur in tales gentes à quibus cogerentur adorare Deos: ideo Hieremias misit quandam epistolam Iudæis existentibus in captiuitate Babylonis, ne inducerentur ex aliqua causa ad colendum idola, & est ista epistola c. 6. libri Baruch. *Et eris perditus.* Hic ponitur tertiam, sc. propriæ personæ infamatio. *Et eris perditus.* Id est in nulla reputatione teneberis apud alias gentes. *In prouerbium & in fabulam.* Id est quòd omnes gentes loquentur de te dicentes quomodo Deus contriuerit te: prouerbium dicitur moralis instructio, & notabilis, sicut dicim⁹ prouerbia Salomonis, id est quædam propositiones veræ & notabiles de directione vitæ humanæ, & dicuntur prouerbia quasi procul à verbo, id est quia non sunt sicut verba, quæ communiter loquimur, quæ paucam doctrinam pariunt: ista autem doctrinæ moralis plena sunt: fabula dicitur argumentum de rebus, quæ non sunt veræ nec verisimiles, sed tamen pulchram habent connexionem, ita quòd si esse possent sic essent vt fabulę poetarum: hic autem non accipitur sic: sed fabula dicitur historia rei gestæ quæ communiter narratur: ideo à fando fabula dicitur, & vtrumque accidit quando alicui magnæ personæ, vel vni genti magna calamitas contigit, scil. quod illa calamitas apud multos cōtinue narratur, & sic vocatur fabula: accipiuntur etiam ex illa re gesta aliqua documenta moralia vniuersalia, & illa prouerbia dicūtur quæ multum differunt à narratione. *Sementem multam iacies & modicum congregabis.* Hoc etiam maledictionem populi notat, quia ista propter peccata infliguntur, maxime Iudæis quibus si in mādatis Dei ambularent bona terræ promittebantur, patet Esa.

B

C

D

E

F

In rapina duo sunt.

Propria personæ infamatio.

primo

primo cap. *Quia locusta deuorabunt omnia.* Ista plaga minor est quam hostilis destructio, ideo communiter præcedebat bella, licet hic postponatur, vt probauimus Leu. 26. cap. de hoc Iohel 1. cap. *Quoniam vastabitur vermibus.* Vermes vinearum sunt partui ex aeris intemperie generati, qui folijs propaginū inuoluti ea totaliter deficcant, & consumunt, ideo erucæ quasi vrucæ vocantur, quia totam vineæ viredinem exurunt: brucus etiam vineas consumit vniuersa comedens & deuastans. *Oliuas habebis in omnibus terminis tuis.* In terra promissionis oliuę multum abundant, in tantum quod dicebantur vngere pedes in oleo, & hoc maxime in tribu Aser, vt patet infra 33. cap. *Quia defluent & peribunt.* Ante maturitatis aduentum temporis intemperie de arboribus fluent. *Filios generabis & non frueris eis.* Id est non delectaberis in communicatione cum illis: quia ducentur captiui in tertas hostiles, vt amplius non videas eos, frui non accipitur hic totaliter proprie, quia est ad res quæ propter se vltimate amantur, & sic res sunt tres quibus fruimur, scilicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus, alijs autem rebus non debemus frui, vt ponit August. & habetur primo Sententiarum per magistrum distinctione prima, tamen secundum modum loquēdi Philosophorum qui post vitam moralem communicationem nostram ad Deum non credebant, fruitio aliter ponitur: quia omnia illa fruibilia dicuntur, quæcunque propter aliud non appetuntur, vt actu virtutis, & ipsa virtute fruimur, & amicis, & similibus: & distinguunt isti fruibilia contra vtilia: sunt autem vtilia quæ ad aliud totaliter ordinant, vt diuitias, & quædam alia bona, secundum modum vulgarem omnibus rebus frui possumus: quia inordinatus homo in quacunque re finem sibi præstituere potest: ideo aliqui corporalil us delitijs fruuntur, quia eas propter se accipiunt, & sic dicebat Thamar vide quid mihi dabis, vt fruaris concubitu meo: alij autem pecunijs, & isti inordinatissime agunt, quia nulla res minus habet de ratione finis quam pecuniæ, quia secundum suam naturam sunt medium communicandi, vt patet 5. Ethic. ideo vtiles sunt: filijs autem quia amor eorum propter nihil aliud est, & ponitur in genere honestorum, sicut amor parentum, amicorum, patriæ & virtutis etiam secundum positionem philosophorum, tamen secundum veritatem omnia ista amori Dei subordinari debent: ideo magis vtilia quam fruibilia sunt, Scriptura tamen sacra aliquando loquitur modo vulgari. *Rubigo consumet.* Rubigo aeris intemperie causatur in fructibus & frugibus, vt vermibus interius corrodantur, & marcentes ante debitum tempus deficiant.

Aduena qui tecum. Hic ponitur quartum, scilicet ab inferioribus suis & seruis facta humiliatio. *Aduenæ qui tecum versatur.* Aduenæ, id est gentiles conuersi ad Iudaismum, vt communiter pauperes erant, quia inter filios Israel hæreditatem non accipiebant, & quia in terra sua hæreditates suas immobiles reliquerant: cum ergo isti ditarentur, & dominarētur Iudæis magna calamitas erat eis. Erat enim valde repugnans intentioni Hebræorum, quia aduenæ de gentilitate conuersi inter eos exaltarentur, & essent honoratiores Hebræis, nam Hebræi valde erant inuidi, & in alterutrum inuidebant, quanto magis quantum ad illos qui erant de alienigenis, & non habebant contra eos viscera charitatis, licet Deus sæpe ad hoc admoneret, vt diligerent eos, & non contristarent eos, vt patet Exod. 22. cap. & supra 11. cap. Deus tamen vt aliqualiter concederet locum duricie Iudæorum, quia in illo statu legis imperfectæ omnia vitia eorum corrigere nolebat, nec oportebat, fecit vt non gauderent eisdem priuilegijs conuersi de gentilitate qui vocantur aduenæ & filij conuersorum, quibus gaudebant Iudæi à progenie Iacob descendentes. Nam inter Iudæos erat annus septimus quilibet annus remissionis, scilicet quod si aliquis debebat aliquid alteri, & accedebat ad annum illum non soluebat, sed remittebatur debitum ipso iure, & dato quod creditor vellet repetere debitorem conueniendo eum in iudicio, non dabatur ei actio, quia erat exceptio ex lege remittente debitum, vt patet supr. 15. cap. cum dicitur septimo anno facies remissionem, quæ hoc ritu celebrabitur: cui debetur aliquid ab amico, aut proximo, vel fratre repetere non poteris: etiam in isto anno ille qui erat seruus de Hebræis liberabatur à seruitute, vt patet in eod. c. cum dicitur cum fuerit tibi venditus frater tuus Hebræus, aut Hebræa sex annis seruiet tibi, & in septimo anno dimittes eum liberum, & si forte ex aliqua causa, vtpote quia habebat seruus vxorem quam dederat ei Dominus, & filios susceperat, nolebat exire donec educeret secum vxorem & filios, manebat vsque ad annum Iubileum, qui fiebat de 50. in 50. annis, de quo Exod. 21. & Leuit. 25. & supra 15. ca. & tunc exibat liber cum vxore & filijs suis, vt patet Leuit. 25. Item si aliquis vendidisset alicui aliquam possessionem, non manebat illa vendita in æternum, sed in anno Iubilei redibat quælibet possessio ad eum, qui possederat, vel ad hæredes eius: de hoc Leuit. 25. cap. de his non seruabatur aliquid ad aduenas, qui sunt gentiles nati, & postea conuersi ad Iudaismum, vel nati de conuersis.

Primum namque de remissione debitorum non habebat locum ad aduenas, vt patet supra 15. cap. cum dicitur cui aliquid debetur ab amico, & proximo, & fratre suo repetere non poteris: quia annus remissionis est, ab aduena & peregrino repetere poteris: ciuem autem repetendi licentiam non habebis.

De secundo quod erat liberatio à seruitute in anno septimo, aut in anno Iubilei, satis patet, quod non extendatur ad Iudæos conuersos de gentilitate, nam supra 15. cap. & Exod. 21. vbi ponitur lex de remissione seruorum in septimo, dicitur hoc tenere quando vendebatur aliquis Iudæus, qui erat frater, id est qui erat de genere Hebræorum, & per hoc vocabatur frater cuiuslibet alterius Hebræi: de aduenis ergo non intelligebatur.

Item quia Leuit. 25. capit. dicitur, quod de aduenis debebant esse serui in perpetuum, qui non liberarentur lege Iubilei, vel aliqua alia conditione, scilicet seruus & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra homines habebitis in seruos, & hæreditario iure trāsmittetis ad posteros atque possidebitis in æternum: de tertio scilicet de liberatione possessionum venditarum in Iubileo, non pertinebat quippiam ad aduenas: quia Leu. 25. cap. vbi datur lex de liberatione ista possessionum; ponitur in principio legis, si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam. Fratres autem soli Hebræi inter se vocantur, ergo ad solos eos lex hæc extendi debet: ex his autē oriebantur quædam inuidiæ inter Iudæos à progenie & Iudæos conuersos ex gentilitate, nam Iudæi à progenie habent exosos aduenas, & aduenæ quando aliquos Hebræos in seruos accipiebant, eos valde premebant, vt patet Leuit. 25. cap. vbi hortatur Deus, quod quando aliquis de Iudæis ex genere fuerit venditus alicui de aduenis, quod alij de cognatione eius laborent eum liberare, ne affligat eum in conspectu Israelitarum, cum ergo inualescebant aduenæ apud Iudæos, ait vt dominarentur eorum, vel saltem essent magis honorati propter diuitias & potentiam, valde desecabantur Iudæi ex progenie cordib. suis, veluti si hostili subderentur seruituti: infligit igitur Deus hoc eis pro maledictione, vt cum mali fuerint incuruentur ipsi, & exaltentur aduenæ eorum. *Ipse fœnerabitur tibi.* Id est accommodabit tibi, quia ipse abundabit. *Et tu non fœneraberis ei*, id est non poteris fœnerari ei, quia pauper eris.

Quid sit frui & quibus fruendū sit.

Ab inferioribus suis, ac seruis facta humiliatio.

Multa priuilegia dabantur Iudæis ex genere quæ nō dabantur conuersis.

Fœnerari quot modis accipitur.

QVÆST. VI.

ACcipi potest fœnerari hic dupliciter. Vno modo pro mutuare simpliciter. Alio modo pro fœnerari, siue mutuare ad vsuram. Accipiendo primo modo tu efficieris pauper, ita quod egeas, vt alius tibi accommodet, & non poteris cuiquā cōmodare, & aduena efficietur diues, ita ꝙ possit cōmodare tibi habendo multas pecunias, si voluerit, & nō indigebit, vt tu ei accommodes, & tunc est dupliciter maledictio. Primo, quia Israelitæ depauperantur, ita quod nihil possideant, & egeant, vt alij eis mutuent, quod est directe infortunium. Secundo indirecte maledicuntur, quia efficiūtur diuites aduenæ, & per hoc sunt maiores Iudæis, quod rursus erat magna afflictio Iudæis, & iste modus loquendi seruatur supra 15. cap. scilicet fœneraberis gentibus multis, & à nulla earū fœnus recipies, id est si tu facies ea, quæ mādantur, Deus dabit tibi pecunias multas, ita quod possis multis gentibus

mutuum dare, & non egeas, vt aliqua earum tibi fœnus tribuat mutuando. Alio modo potest accipi fænerari, id est dare ad vsuram, & sic etiam accipi potest conuenienter hic: quia licet Iudæi non possent inter se dare ad vsuram, vt patet Leuit. 25. & 23. capit. poterant tamen Iudæi dare ad vsuram alienis, & vocantur alieni omnes qui non sunt fratres, cum dicat litera supra 23. cap. non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri tuo autem absque vsura, id quo indiget commodabis: sed fratres solum vocantur Iudæi ex genere inter se: ergo poterat dari ad vsuram eis qui non erant Iudæi à linea Iacob descendentes, antecedens patet, quia supra 15. cap. dicitur cum venditus fuerit tibi frater tuus, qui est Hebræus, aut Hebræa, & sic patet Leuit. 25. cap. vbi manifeste soli fratres sunt Iudæi descendentes ex genere Iacob, conuersi autem non vocantur fratres, ergo poterant eis dare ad vsuram alij Iudæi, sicut dabant gentilibus manentibus in gentilitate, & sicut Iudæi dabant licite alijs ad vsuram, ita & conuersi poterant dare ad vsuram Iudæis, de quibus diximus supra 23. capit. ponendo fundamenta horum, & ibi vide, & secundum istum modum est sensus aduenæ, qui morantur inter vos efficientur diuites, & vos efficiemini pauperes, & sic. *Non poteritis vos fœnari eis.* Id est dare ad vsuram, licet vobis per legem concessum sit: ipsi autem poterunt vobis dare ad vsuram, quia diuites erũt, & cogemini vos ab eis sub vsuris accipere, & sic subijciemini potestati eorum. *Ipse erit in caput & tu in caudam.* Ita quod non solum aduenæ superarent eos in diuitijs, sed etiam in honoribus & dignitatibus: sed hoc magis abominabile erat, quia alienigenæ non deberent assumi in principes vel rectores, vt diximus supra 23. cap. In hoc enim differentia erat, quia quidam alienigenæ erant, qui non prohibebantur expresse habere principatus & dignitates in ecclesia Hebræorum, id est in populo eorum, qui vocatur ecclesia licet eis non darentur, quia quicunque esset conuersus nouiter ad fidem, non erat dispositus, vt esset adhuc prælatus, quia erat suspectus de instabilitate, & de aliquibus alijs, ideoque mandabat Apostolus 1. ad Timoth. 3. capit. quod oportet Episcopum non esse neophitum, id est nouiter conuersum. Aliqui erant conuersi, qui expresse excludebantur ab introitu, & istud dupliciter, quia quidam excludebantur in æternum; alij autem ad tempus. In æternum excludebantur duæ gentes, scilicet Ammonitæ, & Moabitæ, qui in æternum non intrabant in Ecclesiam Dei, vt patet supra 23. cap. cuius causæ ibi explicantur in litera: aliæ gentes erant quæ excludebantur ad tempus, scilicet Ægyptij, & Idumęi quia conuersi ex eis in tertia generatione intrabant Ecclesiam Dei, vt patet sup. 23. c. ante vero non intrabant. *Et venient super te omnes maledictiones istæ.* Id est super te cõsummabuntur omnes istæ maledictiones, & plures aliæ quæ non sunt hic scriptæ: dicuntur venire super te, id est super caput tuum, quia super te omnes grauabuntur. *Et persequentes apprehendent te.* Hic fit metaphora de istis maledictionibus fingendo quasi ipsæ sint quidam hostes, qui enim hostes sunt, persequuntur eos qui sunt hostes sui inquirentes eos, vt occidant: & cum sciuerint qui sunt, persequuntur eos, donec tradiderint in manus hostium, id est in manus suas qui sunt hostes, quod est apprehendere eos: ita est in maledictionibus hominis quas hic ponit: quia si Iudæi non complerent mandata, veniebant super eos istæ maledictiones, & antequam venirent, videbantur persequi eos, in quibus manere debebant tanquam currentes post illos, & ad vltimum apprehendebant eos tenentes eos, sicut qui velociter currendo aliquem attingit, & fortiter detinet. *Donec intereas.* Id est istæ maledictiones venient super te, & non dimittent te donec intereas, id est donec moriaris, nisi forte in peccatũ relapseris, quia tunc ipsæ dimittent te.

Quia non seruasti mandata eius. Moralia & iudicialia. *Et cæremonias.* Id est præcepta cæremonialia. *Et erunt in te signa.* Id est aliqua mala, quæ comprobẽt te malum egisse contra Deum. *Et prodigia.* Id est aliqua maiora, & horribiliora mala. Et signant adhuc in futurum maiora mala euentura fore. *Et in semine tuo vsque in sempiternum.* Id est in magno tempore, quia sempiternum & æternum non significant semper temporis indeficientiam, sed aliquando modicum tempus circa 50. annos, vt patet supra 15. cap. vbi dicitur de Iubileo. Et sic fuit captiuitas Babylonica sempiterna, licet solum 70. annis durauerit: potest tamen accipi hic sempiternum proprie, & tũc non extenditur simpliciter ad omnia peccata Iudæorum, quia non steterunt pro quolibet eorum in sempiternum sub signis & prodigijs: sed solum conuenit hoc duobus peccatis, scilicet peccato, quod fecerunt vndecim tribus, pro quo vsque hoc detinentur in terra Medorum intra Caspios montes, & manebunt nunquam redituræ in Iudæam ad habitandum, & peccato tribus Iudę pro quo cum Leuitis suis à Romanis in æternum captiuata est: sed potest intelligi sempiternum extendendo ad omne peccatum conditionaliter, sicut textus vult, scilicet quod pro quolibet peccato daretur punitio sempiterna, vt conuerterentur ad Deum in toto corde suo, & quia in omnibus alijs pœnis pro peccatis prioribus conuertebantur ad Deum, durabant pœnæ temporaliter, nunc autem quoniam indurati sunt, perpetuo sic manebunt. *In gaudio cordis tui, & lætitia.* Id est quia noluisti seruire Deo tuo, dum habebas gaudium & lætitiam in abundantia omnium rerum. *In gaudio & lætitia propter omnium rerum abundantiam.* Id est debuisset populus Hebraicus valde seruire Deo in lætitia & exultatione, & hoc propter rerum omnium abundantiam, id est quia habes omnia ad abundantiam & voluntatem tuam: nihil enim tibi deest, & bonorum cumulo vndique sufficiens es, quæ ad magnam gratitudinem homines inclinare deberent: si enim aliquis magna paupertate, & aduersitate deserat Deum conuersus ad idola aliquo modo bonum sit, siue non ita malum, sicut si ista omnia habens conuerteretur ad idololatriam: Iudæi tamen omnia ista habentes conuertebantur ad idola, ergo merebantur magnam pœnam, & subiungitur, scilicet. *Seruies inimico tuo.* Etiam si nolis imo nolendo, quia nullus libenter hostibus subijcitur. *Quem immittet Dominus.* Istæ pœnæ infliguntur à Deo conuenientes sceleribus tuis, scilicet vt qui non vult bonus esse in gaudio, fit malus in tristitia, & sic de cæteris oppositis, quæ ponuntur in litera, scilicet in paupertate, & abundantia rerum. *Seruies inimico tuo in fame & siti.* Id est cum fame, ita quod non solum sufficiet tibi, quod fame & siti vsque ad interitum crucieris: sed etiam quod seruias hostibus, in qua seruitute homines pati solent ista mala, & plura alia. *Et omni penuria.* Id est siue quantum ad cibum vel potum, vestitum, & omnem humanam consolationem.

Adducet Dominus super te gentem de longinquo. Hic ponitur quintum, scilicet hostilis obsessio, in qua hominib. malorum extrema aduenium, scilicet mors, & diuersa genera terribilium, sicut Seguntinis in ciuitate, quæ Seguntum dicitur in terra Hispanorum accidit, quod obsessione præmente ne fidem Romanis infringerent de amicitia data, se omnes cum rebus suis flammis iniecerunt, vt deplorat Augustin. 3. de ciuit. Dei cap. 20. *De extremis terræ finibus.* Scilicet Assyrios primo, deinde Chaldæos de Babylone, & sunt gentes istæ satis remotæ à terra promissionis: sunt enim secundum longitudinem magis Orientales, & secundum latitudinem sunt declinantes ad Septentrionem. *In similitudinem aquilæ volantis,* id est, quod istæ gentes ita velociter venerunt contra Israel, quod eis resisti non poterat, sicut aquilæ cum impetu volanti. *Cuius linguam intelligere non possis.* Quia multum differunt idiomata Israelitarum ab idiomatibus Assyriorum, & Chaldæorum, & hoc ad malorum cumulum est, quia hostes non possent condolere eis patientibus, cum verba dolorem indicantia intelligere non valerent, nec possent cum eis aliquas facere compactiones: aliqui tamen erant inter Iudæos, qui linguas istas intelligebant, sed pauci, vt patet 4. Regum 18. capit. vbi legati regis Assyriorum locuti sunt Hebraice ad præpositos Ezechiæ regis, & isti rogabunt illos, vt loquerentur Syriace: quia bene intelligebant linguam, ne totus populus intelligeret. *Gentem procacissimam.* Id est cum indignatione & iniurijs loquentem: accipitur etiam procacissima, id est valde abundans in verbis. *Quæ non deferat seni.* Id est reuereatur ei propter ætatem & sapientiam. *Nec misereatur paruuli.* Propter defectum virium & ætatis: sed omnes destruat & capiat, sine differentia ætatis & sexus. *Et deuoret fructum iumentorum tuorum.* i. filios equorũ, asinorũ, & camelorũ, quos deuorabit nõ illos comedendo, sed in ore gladij destruẽdo, vel tibi rapiẽdo illos ad vsum suũ. *Donec intereas.* Fame nõ habẽs alimẽta. *Et nõ relinquãt tibi triticũ.* Ista omnia fiunt in obsedione, quia omnia quę extra sũt, hostes demoliũrur, donec eos qui intra muros sunt,

Hostilis inuasio.

fame

fame affectos in captiuitatem recipiant. *Donec te disperdat in cunctis vrbibus tuis.* Id est, donec faciat te fame & desperatione perire existentem intra vrbes tuas. *Et destruentur muri tui.* Hoc est quod sequitur ad continuam & longam obsidionem, scilicet, quod per quotidianos hostium impulsus ad vltimũ muri corruant. *Firmi atque sublimes.* Ista duo pertinent ad bonitatem murorum, quod firmi sint, scilicet bene grossi, & de materia forti, vt lapidibus sectis, vel latere bitumine lito. Secundum quod sint sublimes, id est, alti ne faciliter hostes supra ascendere valeant. *In quibus habebatis fiduciam in omni terra.* Et hoc erat quædam causa destructionis eorum, quia magis adiutorio humano quam diuino nitebantur. *Et comedes fructũ vteri tui.* Id est filios tuos præ famis angustia, sicut factum fuit tempore Ioram regis, vt patet 4. Reg. 6. cap. quia duæ mulieres comederunt filium vnius, & fuit de hoc quæstio coram rege. sic etiam narrat contigisse Iosephus in obsidione Ierusalem per Romanos, in qua ipse captus fuit, & Romam adductus, vt habetur in libro eiusdem de Iudaico bello, & hoc omnium horribilium horribilius est: sed ad omnium malorum consummationem ista eueniebant, & dicitur hoc tam ad patrem quam ad matrem, quia filius est fructus vteri matris, quia in eo formatur & partem substantiæ spermaticæ matris suscipit, & dicitur de vtero patris, quia principalis portio seminis de lumbis paternis effluit, omnia autem interiora vterus vocantur: ideo filius natus de lumbis patris de vtero eius nasci dicitur. *Et vastitate.* Id est, angustiæ magnitudine. vastitas enim signare potest multa: vno modo vastitas, id est, angustiæ magnitudo, & hoc modo accipitur hic, quia in maxima angustiarũ essent isti miseri Iudæi, cum cogerentur auide manducare carnes filiorum suorum, in quo licet ab vtroque infelices sint, infeliciores tñ eos arbitror in eo ꝙ agunt, q̃ in eo, ꝙ patiuntur, famẽ patiuntur, filios deuorant: famẽ enim & alia fortunæ aduersantia perpeti doloroſum quidem, sed virile est: filios aũt ore nephando manducare viscera nostra iterato in viscera regerentes omnium turpissimum atq; infandissimum: infelix enim qui quacunque fame adigente ad execrandos cibos ora vertit. melius est enim fortiter mori quam infelicibus epulis maculari, quia vt ait Aristotel. tertio Ethicorum, ad quædam autem fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima. Alio modo vastitas accipitur pro solitudine, hoc modo non potest hic accipi. 3. modo accipitur vastitas pro destructione, & hoc modo dicitur à vastando, & sic etiam potest sumi in proposito. *Homo delicatus.* Ex carnis teneritudine. *Et luxuriosus.* Id est, valde fruens cibis delectabilibus: nec accipitur luxuriosus solũ pro eo, qui actum venereum valde exercet, sed pro quocunque, qui in accipiendo delectabilia cibi & potus, vel actuum venereorum valde excedit. hic autem solum accipit luxuriosum pro excedente in delectationibus gustus: & hoc ponit ad maiorem mali expressionem, quia comedere carnes filiorum cuilibet homini inenarrabiliter horribile est, sed magis eis, qui cibis delicatissimis fruebantur. *Et vxori quæ cubat in sinu suo.* Id est, inter brachia sua: spacium contentum inter brachia circumplexa sinus dicitur. *Ne det eis de carnibus filiorum suorum quas comedet.* Quia eas sibi totas reseruare volet fame valida perurgente. *Quia vastauerunt te inimici intra portas tuas.* Id est fecerunt quod tu obsessus intra portas ciuitatis tuæ nihil haberes ad corporis alimenta. *Tenera mulier.* Ex naturali carnis dispositione. *Et delicata.* Propter dissuetudinem laborum, quia etiam si carnes naturaliter duræ sint alicui, si tamen totaliter se ocio tradit, mollicies in eo inducitur, maxime si cibos teneros sumat: quia partes teneræ cibatiuæ adhærentes cuti eam teneram faciunt, nisi per laborem excitato calore euaporentur & deficiant, & tunc manebunt partes solidæ carnis: ideo dicit Philosophus 2. Ethicorum, quod oportet multum cibum sumere, & multos labores sustinere ad causandum robur corporis. *Quæ super terram ingredi non valebat.* Scilicet, ambulando super terram nudam, sed semper erat in tapetibus, & alijs mollibus stramentis. *Nec pedis vestigium figere.* Id est, initi super pedes, quia in compressione carnis tam teneræ dolor causatur, sicut cum aliquid mittitur super carnem tumentem, vel vulneratam. *Et illuuie secundinarum.* Id est, tantum fames coarctabit, quod mulieres delicatissimę comedent filios suos nouiter natos, & sanguinem fœdissimum, in quo fœtus nascitur inuolutus, & quia viri earum, & alij propinqui astãtes partui rapient ista ad comedendum, ipsa inuidebit eis. *Illuuies.* Dicitur immunditia fluens, & solum competit rebus valde humidis, sicut sunt secundinæ, & dicuntur secundinæ quædam pelliculæ de sanguine coagulato, in quibus fœtus in matrice latebat, de quibus cibatur dum in matrice est, dicũtur secundinæ quasi fęcundinæ, quia in eis fœtus inuoluitur, & in exitu de vtero rumpuntur. *Quæ egrediuntur de medio feminum eius.* Id est, de vase genitali muliebri: femen idem est quod femur, & est pars vltima cruris, vbi crus ventri coniungitur. *Comedent eos clam.* Id est, occulte ne alia rapiat carnes illas ad comedendum, quia vir inuidet vxori ne comedat, & vxor viro, vt supra patuit. *Propter rerum omnium penuriam.* Hoc determinat ly comedent, scilicet, quod deficientibus omnibus alimentis conuertebantur ad comedendum carnes filiorum, & non determinat ly clam, quia tunc esset sensus, quod propter hoc comedebant in abscondito, quia non habebant alios cibos, sed hoc nihil ad propositum. *Omnia verba legis, quæ scripta sunt in hoc volumine.* Id est in Deuteronomio.

Vastitas multa significat.

Illuuies quid sit.

Secundina quid sit.

An Iudæi obligabantur solum ad præcepta huius libri, vel etiam ad præcepta aliorum 4. librorum Moysi.

QVÆST. VII.

QVIA non obligabantur Iudæi ad faciendum alia quam quæ sunt in hoc volumine, licet omnes quinque libri Moysi lex vocentur, & ibi sint multa quæ non sunt in hoc libro, tamẽ solum quæ in libro isto sunt obligant, quia quæ dicuntur in alijs libris, aut sunt historialia, vt in tota Genesi, & ista non sunt præceptiua, sed rei gestæ enunciatiua sub assertione: ideo nihil de Genesi reperitur in isto libro cum totus sit historicus: sic sunt multa in Exodo, in Leuitico autem pauca, in libro Numerorum multa, quare non replicantur. Aut sunt præceptiua, & tunc ista præcepta, aut sunt ad semper, aut ad semel. si ad semel non replicantur hic, sed iam facta sunt, vt multa quæ mandantur in Exodo de factione tabernaculi, & pertinentium ad illud, quia illa Moyses semel iam fecerat, nec erat vltra necessarium tale præceptum, quia nullum actum dirigere debebat. Si autem præceptum esset ad semel, & tamen nondum erat adimpletum, replicabatur, sicut præceptum de separatione ciuitatum pro fugitiuis, de quibus Numeror. trigesimo quinto capitulo, & replicantur hic quinto capitul. & decimo nono. Si autem præcepta erant ad semper, aut dirigebantur ad omnes de populo, aut ad aliqua genera personarum specialiter: si autem specialia iura essent non replicantur; sicut in Leuitico multa dicuntur de cæremonijs sacrificiorum, & de ritu purgationum immundorum, quæ quia pertinebant ad solos sacerdotes non replicantur hic. si autem pertineant ad populares omnia replicantur, vt ponebantur in alijs libris, vel intelliguntur in aliquibus quæ hic scribuntur. Et patet veritas huius, quia si respiciantur omnia moralia iudicialia, aut cæremonialia, quæ pertinent ad populum, & reperiuntur in Exodo, Leuitico, & Numero plene inuenientur hic, & multa super addita, & sic nullus Iudæus obligabatur ad alia quam ad ea, quæ hic scripta sunt, ideo mandabatur supra 17. capitulo, quod rex haberet Deuteronomiũ in domo sua, vt in hoc instrueretur in tota lege, nec mandatur ibi de aliquo alio libro. Aliqua erant alia præcepta, quæ erant ad totum populum & durauerunt multo tempore: tamen quia id quod dirigebat non erat perpetuum, non durabant præcepta in perpetuum, nec replicantur hic, sicut præcepta de manna, scilicet, quantum quilibet colligeret, & qua die colligeret, & sic de cæteris quæ habentur Exo. 16. capit. quia manna non erat semper duraturum.

Iudæi populares solũ obligabantur ad obseruandum ea, quæ continentur in Deuteron.

Et si arguas quare non replicat Moyses ista mandata de obseruationibus circa manna, quia licet non esset semper duraturum, tamen tempore quo Moyses ista verba libri huius dixit, durabat, & postea aliquot diebus durauit. nam ista dixit Moyses anno 40. exitus de Ægypto mense vndecimo in principio. durauit autem toto ipso anno, & in principio sequentis anni, qui erat annus 41. & hoc vsque ad 15. diem mensis primi, in quo fecerunt pascha, & tunc comederunt de

A panibus terræ illius,& ceſſauit manna,vt patet Ioſue 5. capit. nec venit vltra. fuit igitur poſt mortem Moyſi duratio man quaſi duobus menſibus & dimidio. Reſpondetur ꝙ Moyſes non replicuit legem de obſeruationis modo circa manna propter duo.

Primo quia licet non ceſſaret tunc manna, tamen ſciebat Moyſes,quod immediate ceſſaturum eſſet.nam ſolum dabatur manna ad ſupplendam indigentiam panis, qui non poterat haberi in deſerto: ſed confeſtim intraturi erant in terram Chanaan vltra Iordanem, in qua haberent panes ad comedendum , quia erant nunc in vltima manſione circa Iordanem, ergo pro tam pauco tempore non oportebat replicari legem illam. Secunda cauſa erat,quia iſta obſeruatio de modo ſe habendi circa manna, ita erat aſſueta propter eſſe quotidianum,quod non indigebat replicatione, aut exhortatione:de alijs autem præceptis non erat ſic, quia in deſerto rara præcepta obſeruabantur,& ſic per deſuetudinem in obliuionem abiebant:ideo neceſſe erat ea repeti,vt rurſus memoriæ firmarentur:patet antecedens ſupra 12. cap. cum dicitur non facietis ibi, id eſt, in terra promiſſionis, quod nos hodie hic facimus ſinguli, quod ſibi rectum videtur:nec enim vſque in præſens tempus veniſtis ad requiem & poſſeſſionẽ, quam Dominus Deus daturus eſt vobis.

Doct. Opin.

B Tenendum igitur,quod in hoc libro de preceptis aliorum librorum ſolum replicantur ea, quę manſura erant poſt tranſitum in terram Chanaan, quæ autem iam finitum vſum habebant, aut prope erat eorum abolitio, non repetebantur, quia eſſet inutilis confirmatio. Alio modo exponi poſſet iſta litera,ſcilicet,quod Deus induceret plagas has, niſi obſeruarent verba voluminis huius, ſcilicet Deuteronom. & non fit hic mentio de aliquo alio : non quidem ꝙ non ſint obligati obſeruare ea,quæ in alijs libris cõtinentur,licet rariſſima ſunt in alijs libris præcepta,quæ hic non ponantur ſecundum modum diſtinguendi, quem ante fecimus: ſi tñ aliqua ſint illa obſeruari neceſſe eſt. Et ſi dicas quomodo ergo punietur ille qui peccauerit in alijs præceptis poſitis in alijs libris, & nõ repetitis hic? Dicet forte aliquis ꝙ punietur pœnis hic cõtentis. Reſpondetur ꝙ quantum eſt ex forma verborum non poterat puniri peccans in alijs hic non ſcriptis,per pœnas hic ſpecialiter contentas: quia hic dicitur, quod iſtæ maledictiones veniẽt ſuper eos,qui non cuſtodierint verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine , ergo non arctabantur in alijs quæ non erant hic ſcripta, quia non erat impoſita pro eis talis pœna. Dicendũ quod Deus,qui cognoſcit animos peccantiũ & quantitates peccatorum , dat vt vult pœnas pro peccatis iuxta exigentiam demeritorum , etiam ſi illas pœnas nunquam in lege ſcripſerit , vel in aliquo fœdere confirmauerit: poterat ergo punire peccantes contra præcepta quæ non ſunt hic ſcripta,pœnis quæ hic ſcriptæ ſunt, quia aliqua de nõ ſcriptis erant ita grauia ſicut peccata in hoc libro ſcripta,ſicut patet de vitijs carnis nephandiſſimis,quæ ponuntur Leuit.18.& 20.& de multis alijs in eodem loco,ſed adhuc præter hoc dicendum eſt, quod ſic Deus fecit hic ſpecialiter pactum cum Iſrael, vt obſeruarent omnia quæ in hoc libro ſcripta ſunt, & poſuit ſpeciales pœnas, ita in alijs præceptis quæ habentur in alijs libris dantur ſpeciales pœnæ, vt patet Leuitic. 26. vbi eſt catalogus pœnarum infligendarum pro fractione preceptorum in alijs libris poſitorum, ſicut hic eſt maledictionum catalogus pro frangentibus præcepta in hoc libro deſcripta.

C Sed quæres quare non fecit hic Moyſes mentionem de præceptis contentis in alijs libris quod infligerentur iſtæ pœnæ fractoribus etiam præceptorum illorum.

Reſpondetur quod duæ fuerunt leges ſiue fœdera, vnum fœdus quod factum eſt in monte Synai,& ibidem confirmatum,vt patet Exodi 19& 20.atque 24.aliud fœdus,vel lex eſt, quod Moyſes pepigit hic cum filijs Iſrael, ſcilicet, in campeſtribus Moab.diſtinctæ autem leges & fœdera diſtinctis confirmationibus & pœnarum inflictionibus egent:ſi autem fuiſſet tota vna lex,quando ponerentur hic pœnæ, non referrentur ſpecialiter ad fractores huiuſmodi præceptorum quæ in hoc libro continentur: ſed ad fractores legis quomodocunque infringerent,ſiue quęcunque præcepta infringerent. quod autẽ ſint iſtæ duæ legiſlationes & fœdera patet in principio 16.capit.ſcilicet, hæc ſunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moyſi,vt feriret cum filijs Iſrael in terra Moab præter illud fœdus,quod cum eis pepigit in Oreb. *Et timueris nomen eius.* Quia ante facere præcepta Dei eſt timere Deum. *Terribile & glorioſum.* Scilicet, nomen Dei ineffabile, quod proprie Deo conuenit, quia alia nomina Dei in Hebræo dicuntur de Deo,& temporalibus dominis,vt patet ſæpe in Geneſ. & Exo.& illud eſt nomen tetragrãmaton, & eſt ſenſus quod audito nomine Dei homo timeat illud,& horreat facere mala propter reuerentiam & timorem Dei. Vocatur terribile, quia audito illo terreri debemus magis quam audito quocunque alio nomine, ita quod magis propter timorem Dei, quam cuiuſcunque alterius rei vitemus mala:vocatur glorioſum,quia ſignat rem excellentiſſimam, qua nihil maius, nec melius excogitari poteſt. *Hoc eſt Deum tuum.* Id eſt,hoc nomen Deus tuus eſt nomen terribile & glorioſum. dicit hæc ad differentiam aliarum gentium quæ idola ſua vocabant deos nomine proprijſſimo Dei: cum autem dicitur Deus tuus,ſolum ſignatur Deus Hebræorum qui eſt verus Deus. *Augebit Dominus plagas tuas.* Ponebat ſupra mala multa quodlibet eorum per ſe declarando : hic autem ponit multa ſub cumulo non declarando ſpecialiter,ſed ſub nomine augmenti. *Augebit Dominus plagas tuas.* Id eſt faciet eas multas, quia infligendo omnes quæ hic ponuntur,ſatis ſunt multæ, vel aliter & melius. *Augebit Dominus plagas tuas.* Id eſt, non ſolum inferet iſtas quæ hic ſcriptæ ſunt:ſed etiam multas alias,vt patet infra: etiam quia hic vult Deus demonſtrare grauem punitionem peccatorum,& hoc notat in duobus,ſcilicet,in numero pœnarum,& in atrocitate earum : numerus pœnarum ponitur hic , quia dicitur augebit Dominus plagas tuas : atrocitas, aut ſeueritas pœnarum apparet infra cum dicitur plagas magnas , & perſeuerantes infirmitates peſſimas, & perpetuas.

Qui primo peccat meretur ſimplicem pœnã.

Iſta augmentatio pœnarum eſt,cum eſt pertinacia in peccatis:nam qui primo peccat meretur ſimplicem pœnam : qui autem continuat,meretur pœnam multiplicatam,hoc habetur clare Leuit. vigeſimo ſexto capitulo, vbi ponitur modus puniendi Dei, & primo ponit aliquam pœnam ſimpliciter, deinde ſi quis reſiſtit, dicit ſe illaturum centuplum, & iterum ſi reſiſtit aliud ſeptupli ſeptuplum , donec adhuc peccator, aut corrigatur,cũ dicitur, ſi aũt nec ſic obedieritis mihi addam correctiones veſtras ſeptuplũ propter peccata veſtra, & conteram duritiem ſuperbiæ veſtræ, & hanc ſententiam multotiens in eodem cap.replicat. *Et plagas ſeminis tui.* Id eſt, plagas filiorum tuorum,quia non ſolum te puniet, ſed etiam filios tuos. hoc enim commune erat, quod patres & filij ſimul punirentur,nam aut peccabant filij,ſicut patres: & tunc manifeſtum eſt,quod filij punirentur, non quidem quia erãt filij talium patrum, ſed quia ipſi egerant propter quæ pati merebantur : ſi autem non peccauerant cum patribus ſuis puniebantur propter peccata patrum, vt ſic patres in eis punirentur,vt patet Exodi 34.cap.& ſupra 5.& ſæpius repetitur: ſic enim dicitur Numeror.decimo quarto capitul. dum proferretur ſententia Dei contra murmuratores Iſraëlitas , qui dixerunt Deum odire eos , quos eduxerat de Ægypto , & quod vellent illuc reuerti , ſubiungitur veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine: filij veſtri erunt vagi in deſerto annis 40. & portabunt fornicationem veſtram , donec conſumantur cadauera veſtra. *Plagas magnas,& perſeuerantes infirmitates.* Dicitur hic plaga pœna inflicta ab extra , ſiue in perſona ſiue in rebus:infirmitas dicitur ægritudo innata in corpore quæ non eſt ab extra. *Et conuertet in te omnes plagas Aegypt.* Scilicet, decem plagas quæ inflictæ fuerunt Ægyptijs, vt patet Exo.c.7. vſque 12.& iſtæ non leguntur ſimul accidiſſe Iudæis, ſicut Ægyptijs euenerunt, tamen forte particulatim illis multæ earum euenerunt & peiores:cum multas alias plagas Deus poſuerit,nouiſſime ponit has plagas Ægypti tanquam duriſſimas, & veriſſime ſic erant ſi conſiderentur ea quæ habentur Exod. 8. cap.& vſque ad 12.incluſiue, & licet forte aliquæ maiores inter has erant , quæ ſupra promulgatæ ſunt, tamen Deus iſtas fecit proferri in vltimo tanquam magis timendas Hebræis: cuius ratio erat, quia magis timentur ea quæ videntur, quam ea quæ ſolum audiuntur, vt ſi aliquis viderit alium hominem ſubire aliquod genus mortis, cum poſtea audierit nominari illud genus mortis , horribilius ſibi apparebit quam ſi nunquam audiuiſſet, vel quam alia quæ ſecundum veritatem

D E F

A grauiora: ipſe tamen ea infligi nunquam vidit: ſic etiam erat de Hebræis, quod ipſi viderant infligi pœnas illas duriſſimas Ægyptiorum, ideo videbantur eis atrociſſimæ, & non videbãt infligi alias, de quibus hic dicitur: neceſſe ergo erat, quod has magis formidarent, & ſicut iſtas maxime timebant infligendas, ita pro maxima gratia habebant ne eis infligerentur, ideo Deus cum primo dedit eis præcepta atque iudicia, quod fuit in Marath, vt patet Exod. decimo quinto, quaſi maxime alliciens eos ad cuſtodiendum, dixit quod ſi cuſtodirent tũc mandata Dei, non venirent ſuper eos infirmitates Ægypti, ſcilicet, ſi audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris omnia præcepta eius, cunctum languorem quem poſui in Ægypto, non ponam ſuper te ego Dominus ſanator tuus. *Quas timuiſti.* Id eſt, hic ponitur confirmatio prædictorum, ſcilicet, quod ideo Deus ſpecialiter nominari fecit palgas Ægypti, quia Iudæi valde timuerunt eas; nam cum vidiſſent eas infligi Ægyptijs, & eos atrociſſime torqueri intra ſe reformidabant ne tale malum incurrerent: auferre autem eis hanc mali formidinem erat magnum eis beneficium, & hoc eos induceret ad obſeruandum verba legis huius: ſic enim fuerunt inducti ad obſeruandum prima præcepta, quæ data ſunt in Marath, vt patet Exod. 15. cap. *Et adhærebunt tibi.* Scilicet, diuturne permanentes. *Vniuerſos languores.* Languor ab intra eſt ſicut infirmitas. *Et plagas quæ non ſunt ſcriptæ in volumine legis huius.* Plures enim plagæ venerunt ſuper Iudæos male agentes quam hic ſcriptæ ſint: quia particularia non poſſunt totaliter deſcribi, & dicunt Iudæi, quod hoc verificatur in exoculatione Sedechiæ regis, vt patet 4. Reg. 25. de quo nihil eſt hic ſcriptum, & non ſolum eſt hoc, ſed vt multa alia, vt templi expoliatio, cõbuſtio, & ruina de qua nihil hic. *Et remanebitis pauci in numero.* Quia multi gladio, multi fame peribunt. *Qui fueratis ſicut aſtra cœli.* Scilicet innumerabiles, vt patet ſupra primo cap. quia ſic promiſerat Deus Abrahæ, vt habetur Geneſ. 15. & 22. capitul. *Sic lætabitur diſperdens vos atque ſubuertens.* Non lætatur Deus, nec triſtatur de bono vel malo veſtro, quia non accreſcit ei aliquid ex vobis, cum ipſe ſolus ſit ſibi gaudium indeficiens: ſed dicitur lætari in his quæ bene fiunt, & quia recte fit quod bene agentes remunerentur, & male agentes puniantur, vt ſicut meritum ordinatur per præmium, ita demeritum ordinatur per pœnam: ideo ſicut Deus gaudere dicitur nos pro bona operatione remunerans, ita gaudere dicetur nos pro peccato puniens. *Et ſicut ante lætatus eſt dominus ſuper vos.* Id eſt de vobis. *Bene vobis faciens.* Scilicet dans vobis excellentiam in honore, & abundantiam temporalis proſperitatis ſuper omnes alias gentes. *Vos q; multiplicans.* In faciendo vos eſſe magnum populum, & multos viros habentem. *Sic lætabitur diſperdens vos.* Id eſt, non putetis, quod obſeruabit vobis aliquem fauorem dolendo quod puniamini, vel non puniendo vos cum peccatis, eo quod vos diligat: ſed in vtroque gaudebit, eo quod iuſtum eſt ſiue honores, ſiue pœnas, lucra, & damna diſtribuere.

Traditorum confirmatio.

B

Quod neceſſarium eſt Deum eſſe ſemper ſumme gaudioſum etiam in punitione malorum, & quod impoſsibile eſt eum magis vno tempore quam alio delectari.

C

QVÆST. VIII.

DEvs enim ſumme gaudioſus eſt, vt ait Ariſtotel. 12. Metaphy. & eſt vna de paſſionibus quas ibi probat de Deo. Et patet quia delectatio cauſatur in orperatione naturali perfecta non impedita, vt ait Ariſtotel. 7. Ethic. capitu. de delectatione. etiam dicimus, quod delectatio cauſatur in cõiunctione obiecti perfecti ad potentiam diſpoſitam, ſed in Deo reperitur vtrunque perfectiſſime, quia eſt ibi obiectum ſumme bonum, ſcilicet, intelligibile ſumme perfectum, & ſumme bonum, & potentia optime diſpoſita, ſcil. intellectus diſpoſitiſſimus nulla fęce terrenæ labis inquinatus, & voluntas nulla diſtorſione deprauata, & quia iſta ſemper præſentia ſibi ipſis ſunt, immo idem ſemper ſunt, ideo neceſſe eſt ſemper in Deo delectationem eſſe. Et quia augmentata bonitate obiecti eſt magis delectatiuum quam ante erat, & augmentata diſpoſitione patientis: ſed cum in Deo idem ſit intellectus, & quod intelligitur, & cætera quæ ad accipientem pertinent, & iſte intellectus diuinus non eſt maior vel minor, perfectior, aut imperfectior vno tempore quam alio: nec igitur ipſum intelligibile quod eſt eſſentia vno tempore eſt maius, quam alio, cum Deus non augeatur, nec decreſcat: ergo impoſſibile eſt magis vno tempore delectari quam alio, & neceſſe eſt eum ſemper delectari. Hoc eſt quod ait Ariſtot. 7. Ethic. in fine, quod Deus gaudet vnica & ſimplici delectatione, quia natura diuina eſt ſimpliciſſima, natura autem noſtra nõ eſt eadem nec epiebres, id eſt, iuſta vel bene ſe habens. eſt enim natura diuina totaliter carens compoſitione, quia nec componitur ex materia, & ex forma, ſicut res naturales: nec ex genere & differentia, ſicut collocantur abſtracta accidentium, vt albedo & rubedo, quorum quælibet eſt compoſita ex genere & differentia, quia licet albedo non habeat materiam & formam, cum ſit totaliter forma, tamen reperitur in ea differentia, quia ſecundum aliquid reperitur in albedine ratio generis, id eſt, entitatis vniuerſalis indeterminate; reperitur etiam ratio magis ſpecifica determinatiua cuiuſlibet, & ab iſta ſumitur ratio differentiæ, quæ duæ rationes licet ſint idem realiter, tamen non eſt eadem ratio vtriuſque, ſc. ratio albi ſecundum colorem, & ratio albi ſecundum quod eſt diſgregatiuũ. Nec etiam cõponitur ex actu & potentia eſſentia diuina, quia actus & potentia conſiderantur in re ſecundũ id ꝙ eſt, & id quod eſſe poteſt. ens enim de actu proprie dicitur, de potentia autem ſecundario, ſi autem accipiamus hominem, aut quamlibet rem naturalem, reperiemus in ea actũ & potentiam: homo enim homo eſt, & ſecundum ꝙ homo non eſt potentia, ſed actus: quia homo eſt actu homo, & non eſt in potentia ad eſſe hominem: ideo actus in homine vocatur ipſa humanitas, ſiue ipſum ſuppoſitum humanum, quia ſicut iſte homo non eſt in potentia ad humanitatem, ita nec eſt in potentia ad eſſe iſtum hominem: quodcunq; ergo iſtorum poteſt dici in ſorte actus: eſt etiam ſortes in potentia ad eſſe album, ad eſſe muſicum, ad eſſe ſapientem, & ſic de cæteris perfectionibus, & non habet eas in actu, ergo ſecundum iſta accipiuntur in qualibet re creata duo hæc, ſcilicet, actus & potentia: actus enim accipitur ab eo quod res eſt, & potentia ab eo ꝙ res eſſe poteſt. Dicẽdum ergo ꝙ in qualibet re creata vocatur actus ipſa ſubſtantia rei, ſiue accipiatur abſtractiue, ſiue concretiue, vniuerſaliter aut particulariter, & iſto modo in angelis eſt compoſitio ex actu & potentia, quia angeli non ſunt quicquid eſſe poſſunt, ſed aliud poſſunt eſſe, quod adhuc non eſt: nam ſi angelus eſſet quicquid eſſe poſſet, non reciperet fœlicitatem per viſionem beatificam Dei, quia ad quodcunque ab extra recipimus in potentia ſumus, cum non ſit nobis innatum: ſed ipſi ab extra eam recipiunt, ergo ſunt in potentia, Etiam ſi non eſſet in potentia, ceſſarent actus Hierarchici tres, quos ponit Dionyſius in libro de angelica Hierarchia, ſcilicet, perficere, purgare, & illuminare: nam inferiores purgantur, perficiuntur, & illuminantur à ſuperioribus, & per iſtos actus acquirunt aliquam perfectionẽ, quam antea non habebant: alioquin eſſent fruſtatorij iſti actus, quod non eſt ponendum in illa congregatione Hierarchica. Si autem acquirunt aliquam perfectionem, neceſſariũ eſt, quod eſſent in potentia ad recipiendum, alioquin non reciperent: vocabitur ergo actus in angelis id, quod ſunt ipſi angeli, quod ſimul eſt ſubſtantia ſuppoſitalis, & ſpecifica vocatur potentia quædam receptiuitas alicuius, quod eis non ineſt: eodem enim modo in alijs rebus ponenda ſunt actus & potentia. In Deo autem non reperitur iſta compoſitio, quia Deus non eſt in potentia ad eſſe meliorem, ad eſſe ſapientiorem, & perfectiorem, & ſic de cæteris: ſed quicquid eſſe poterat eſt, & hoc quia infinitus eſt: nam ſi eſſet ad aliquid in potentia, nondum eſſet perfectus: infinitum autem non eſt imperfectum: etiam quia extra infinitum nihil eſt: ſi enim bonitas Dei infinita eſt, ſapientia Dei infinita eſt, & ſic de cæteris attributis, impoſſibile eſt Deum eſſe in potentia ad aliquid, quia extra aliquam bonitatem infinitam non eſt alia bonitas, quia tunc illa infinita non eſſet, & extra ſapientiam infinitam non eſt alia ſapientia, & ſic de cæteris attributis: neceſſarium eſt igitur id, quod eſt infinitum non eſſe in potentia, ſed Deum infinitum confitemur, ergo nec eſt in potentia ad aliquid, licet non conuertitur, quia poteſt aliquid non eſſe potentia ad aliquid tamen eſſe finitũ. Sic Ariſtotel. de Deo loquitur dicens eum eſſe ſine potentia

D

E

F

Tres actus hic Hierarchici.

Actus & potentia in Deo non reperiuntur.

ad ali-

A

ad aliquid, vt patet in 12. Meta. tamen dicit eum esse finitum, sicut colligitur ex 8. Physi. & 2. de cœlo, & mundo, vbi ponit nullam esse infinitam potentiam: est igitur Deus carens compositione quæ est ex actu & potentia, ex quo sequitur id quod communiter dicitur, scilicet, quod Deus sit purus actus, quia quicquid est diuiditur in actum & potentiam: sed in Deo non reperitur potentia, id est potentialitas, quia non est in potentia ad aliquid, ergo solum reperietur actus: sed nihil aliud est purus actus, nisi actus qui non est admixtus potentialitati: ergo Deus dicitur purus actus. Et vocatur purus actus ad differentiam aliarum rerum: quia quælibet alia res cõponitur ex actu & potentia: ergo in qualibet re est actus & potentia, & sic quælibet res aliquo modo est actus & aliquo modo potentia: nulla tamen est simpliciter, vel purus actus: vocatur ergo homo actus, sed non purus actus. Deus autem purus actus dicitur. Est quarta & vltima compositio ex esse & essentia, & ab hac etiam Deus absolutus est: vocatur autem in qualibet re esse natura rei siue quidditas, vocatur esse ipsum subsistere: ista autem distincta sunt in rebus creatis, & patet quia essentia cuiuslibet rei est composita in naturalibus, quia habet duo prædicata primi modi, quæ dicunt duo principia essentialia componentia: humanitas enim compacta est, quia includit animal & corporale: sed nullius rei esse est compositum, cum esse sit actus signatus per istud verbum sum, vel subsisto: ergo esse & essentia distinguuntur. Item quidditas vel esse rei non est esse, quia essentia est aliquid pertinens ad prædicata primi modi: esse autem aliquid accidentale, siue modus extrinsecus, & non pertinet ad aliquem modum perfectatis.

Compositio ex esse & essentia nullo modo potest esse in Deo.

Item essentia non mensuratur secundum se tempore aut successione, esse tamen mensuratur successione, quia omnia creata quæ sunt, habent esse succedens, & essentiæ suæ non competit successio: ergo non sunt idem: idem est in angelis, in quibus esse est ipsa natura sua, & esse est suum permanere: essentia autem non habet mensuram: sed permanere suum habet mensuram æuiternitatis: quod ergo in qualibet re naturali sit successio in esse, & non in esse, vel compositio in essentia, & non in esse, facit esse distincta realiter esse & essentiam: inter ea autem quare aliter distinguũtur si in eodem sunt, vel faciunt vnum aliquid, compositio aliqua est necessario: in Deo autem non est aliqua talis compositio, quia ibi nõ potest argui ista esse distincta: quia essentia est composita, & esse non est compositum, sicut arguebatur in rebus naturalibus, quia in Deo nulla de præcedentibus compositionibus reperitur, nec etiam hoc argui potest, quia essentia pertinet ad primum modum perfectatis, & esse non pertinet ad aliquem modum, quia in Deo non reperitur alius modus perfectatis proprie dictæ, quia ibi non est aliqua constitutio vel compositio: non ergo magis pertinet essentia Dei ad aliquem modum, quam esse.

B

Item si esse & essentia in Deo differrent sicut in nobis, sequeretur quod essent in Deo duo distincta realiter, & non sunt personæ, & tũc necesse erit dare duas deitates, aut quod aliquid sit in Deo quod non sit Deus: quorum vtrumque repugnat infinitati Dei in perfectione.

C

Item cum essentia sit actus primus, & esse sit actus secundus, & actus secundus sit magis actus quam actus primus, cũ magis recedat à natura potentialitatis, si in Deo dinstingueretur esse & essentia, daretur necessario aliquid, quod magis actus, & minus actus in Deo, & magis perfectum, & minus perfectum: hoc autem repugnat infinitati Dei: quia in Deo quicquid est, est infinitum. repugnat autem infinito magis, & minus, cum sint passiones quantitatis finitæ.

Item non potest dici distingui esse & essentia in Deo, quia essentia non mensuratur successione, & esse mensuratur successione: nam permanentia vel duratio Dei quæ est suum esse, sicut in qualibet re permanentia, siue existentia dicitur esse eius, non est successiua, quia duratio Dei æternitate mensuratur, scilicet, quod sicut esse nostrum mensuratur tempore, & duratio angeli æuiternitate mensuratur, ita duratio Dei æternitas est: est aũt ęternitas interminabilis vitę simul tota & perfecta possessio, vt ait Boet. de consli. 5. prosa vlt. repugnat aũt Deo q̃ suum esse sit in successione aut temporis, aut æuiternitatis ex parte infinitatis. nam infinito nihil abest nihilque adjici potest, alioquin iam ex ea parte finitum est: si autem esse Dei esset in successione, haberet nũc aliquam partem, quam non habuit pridem, & aliquam habiturus esset quam nondum habuisset, & sic aliquid infinito abesset, & aliquid deperderetur, ex quo sequeretur etiam quod non esset summũ bonum, quia maius bonum est illud quod habet suum esse totum simul, nec quicquã ei aduenit, aut recedit: patet antecedens, quia cum esse hominis sit in successione: pars aliqua ei aduenit, scilicet pueritia, partem aliquam nunc agit, scilic. iuuentutem, partem aliquam expectat, scilicet senectutem, in Deo autem quia tale quid assignari non potest, non potest poni distincta essentia & esse. Apparet ergo euidentissime ex prædictis, quod in Deo nulla sit compositionis species, sed omnimoda simplicitas, cum soli illi 4. modi compositionis assignentur, de quibus nullus est in Deo, vt probatum est: ad præsens autem non curando de alijs modis, quia solum vnus nobis sufficit, scilicet, tertius qui est compositio ex actu & potentia, cum probatum sit, quod in Deo non sit compositio ex actu & potentia, non distinguuntur in eo id quod est, & quod esse potest: ergo Deus nunquam recipit aliquid de nouo, sed quicquid nunc habet, & habuit ab æterno, & præter id quod nunc habet, in æternum nihil est habiturus: necesse est ergo, quod aut nunc sit tristis, aut quod semper habuit, & habet eandem delectationem, & patet consequentia, quia Deus aut est tristis, aut cum delectatione: non est enim dare medium, cum substantia intelligens & volens semper habeat aliquid horum: Deum autem esse tristem omnes abominantur, quia tunc non esset summum bonum, imò nec videretur esse bonum, cum semper triste fuisset & futurum esset: si autem in delectatione est, cum non possit aliquid recipere, nec vnquam potuerit, necesse est, vt delectationem quã habuit ab æterno, nunc haberet, & eandem necessario habiturus sit, & sic concluditur quod ait Arist. in fine 7. Ethicor. scilicet, quod delectatio Dei est simplicissima, quia semper est vna, quæ nec aliquo tempore recipit, aut claudenda, & vno tempore non est intensior quam in alio. quia igitur nulla mutatio in ea fit aut compositio, est simplicissima, & ista non est delectatio Dei tanquam aliud sit natura Dei, & aliud delectatio Dei, sed id quod natura est, & delectatio est: in nobis autem non est eadem delectatio propter naturam nostram non esse vnam: nec epielrem. nam vt supra declarauimus in nobis reperiuntur omnia genera compositionis, sicut in omnibus rebus naturalibus: sed nunc solum sufficit vnus modus compositionis, scilicet ex actu & potentia: aliud enim est quod sumus, & aliud quod esse possumus, & cum multa esse possumus, necesse est, vt delectatio nostra multiplex sit: possumus enim esse sapientes, esse boni, esse honorati, esse potentes, & sic de cæteris, quæ nobis aduenire possunt: in quolibet autem istorum secundum quod reperitur ratio boni, est quædam delectatio: ergo necessariũ est delectationem nostram esse multiplicem, hoc quidem propter naturam nõ esse vnam: dicit etiam Arist. in eodem 7. Ethic. quod non est eadem delectatio propter non esse naturam epielrem, id est, bonam vel bene se habentem, nam dato quod sit natura nostra multiplex, tamen si esset epielres, id est, bene ordinata secundum virtutem, licet inclinaretur ad multa ad quæ est in potentia, tamen desertis illis ad solum illud quod est verum bonum, secundum habitum virtutis se flecteret: accipiendo ergo proprie Deus, semper gaudet, quia vt ait Arist. in 12. Met. vna de proprietatibus Dei est, semper esse gaudiosum, & sicut impossibile est Deum non esse Deum, ita impossibile est Deũ non lætari semper: licet ista lætitia Dei non est de bono nostro, aut malo, sed de essentia sua, quæ est summum bonũ, qua ipse fruitur, immo ipsa lætitia est ipsa essentia: in ista autem essentia est præscientia, & prædestinatio Dei æterna, & prouidentia omnium rerum, & cum ista prædestinatio, præscientia, & prouidentia sint idem cum essentia, sicut essentia est delectatio Dei, & præscientia, atque prouidentia, sunt delectatio Dei non quidem res præscitæ, prædestinatæ, aut prouisæ, quia istæ extra Deum sunt: nec assecutio boni prædestinatio, aut præscitæ pœnæ, vel prouisi ventus, quia ista idem à Deo extranea sunt, & lætitia sua non est de extrinsecis, sed de seipso, cum autem dicitur hic, q̃ sicut Deus lætatus est multiplicans Israëlitas, ita lætabitur disperdens eos: est sensus, quod Deus disposuit ex mera libertate, & gratia Iudæos multiplicare eis multa alia bona faciendo, ita disposuit eos

D

Esse hominis est in successione.

Correlarium

E

Necesse est delectationem nostrã esse multiplicem sed in Deo simplicissimam.

F

disper-

A

Quomodo in punitione malorum delectatur Deus.

disperdere, cum male egissent, & dispositio de multiplicatione hebræorum est Dei essentia, ita & dispositio de eorum punitione est Dei prouidentia, & essentia: si ergo Deus lætatur in essentia sua, necesse est eum lætari in ista præordinatione: in executione autem horum, scilicet in actuali multiplicatione, & in actuali destructione non lætatur Deus, quia extra eũ ista sunt, sed inquantum ista in executione habent quandam relationem ad prædestinationem Dei, & præordinationem æternam, per modum similitudinis dicuntur esse isti effectus tales in quibus secundum conuenientiam rei Deus delectari debet, quia sic illud fieri vult, licet in his non delectetur, nisi secundum quod instituit, & sic delectatur in sua essentia, quę est idem cum prouidentia, prædestinatione, & præscientia: sunt tamen isti modi loquendi vulgares, scilicet, quod Deus delectetur in aliquo, aut tristetur, quia illam rem fieri vult, & res illa talis est, in qua iuste gaudium suscipi potest: Deus aũt quia ex mera liberalitate disposuerat ab æterno multiplicare Hebræos, quando multiplicabat eos dicebatur lætari, & quia disposuerat ab æterno eos punire cum peccarent, dicebatur lætari cum actualiter puniret, inquantum ista sunt conuenientia dispositioni, & voluntati suæ in quibus ipse delectatur.

Dispersio Iudæorũ completa per Christum.

Disperget te Dominus in omnes populos. Hoc completum fuit in passione Christi, quia tunc per Titum, & Vespasianum expugnati occisi multi fuerunt, reliqui autem quasi sine precio venditi fuerunt, quasi ad omnes mundi partes, sicut hodierna indicat dies: nec accidit hoc in captiuitate Assyriorum, quia tunc vndecim tribus in terra Medorum sunt deductæ apud flumen Gozam in ciuitatibus Medorum: nec ad alias gentes dispersæ sunt, vt patet 4. Reg. 17. capitul. Nec etiam sic contigit in Babylonica captiuitate, quia non fuerunt ad multas terras, sed in terra Chaldæorum, de qua captiuitate qui voluerunt venerunt post in Iudæam, sed tempore Christi sola tribus Iuda, & Beniamin, quæ manserant cum Leuitica, quæ non computatur in tribus per Romanos in totum orbẽ dispersi sunt: ideo omnes Iudæi qui inter nos sunt, aut de tribu Iuda, aut de Beniamin, aut de Leuitis sunt. *A summitate terræ.* Id est à principio, scilicet, ab Oriente. *Vsque ad terminos eius.* Id est, vsque ad fines terræ, scilicet, ad occidentem, austrum, & boream. *Seruies ibi dijs alienis.* Supra in isto cap. expositum est. *In gentibus quoque illis non quiescens.* Quia domini temporales aliquando eos persequuntur deprimentes valde, & eijcientes de vno loco in alium. *Nec erit requies vestigio pedis tui.* Quia semper sunt in motu secundum mandatum dominorum suorũ, ita quod non quiescant pedes eorum. *Dabit enim tibi Dominus cor pauidum.* Istam maledictionem nunc Iudæi habent: nec mirandum de eis, quod timidi sint, cum Deus eis in hoc pœnam inflixerit. Et adhuc facit nimis nutritio à puero, quia à tenera ætate timere discunt, cum Christiani eos adhuc teneros persequi incipiant, diripere, & percutere.

B

Cor pauidum quid sit. Et quod melius sit educare pueros, ita vt generetur in eis cor nobile, & generosum.

C

QVÆST. IX.

COR pauidum est cor fractum, quod omni mandato cedit, nec vnquam animositates suas exercere permittitur: sunt enim hominibus, & bestijs quædam animositates, quæ pertinent ad passionem iracundiæ, secundum quas aliquis audet fortia aggredi, & resistere duris: cum autem cor nostrũ à tenera ætate disciplinæ seruili mancipatur, ita quod nullo modo agere permittatur secundum suam inclinationem, efficimur timidi cordis, ad omnem duritiem pauentes, cum semper assueti fuerimus cedere, & nunquã superare, & hoc verum sit, nisi sint homines virtuosi valde, qui agentes contra inclinationem, aut impressionem suam, ex apprehensione, & intentione boni finis, aggrediantur fortia ad quæ nõ inclinantur: si autem homines moderentur circa passiones iracundiæ disciplina liberali, scilicet, quod non comprimatur in omnibus, & erudiatur ad timorem fracti animi, sed interdum castigetur, ne accensa iracundiæ passione totaliter insoleſcat, & interdum secundum inclinationem passionalem agere permittatur, ne animositas frangatur, & non insurgat ad aggressionem aliquorum difficilium, aut resistentiam in duris, sed totaliter subiaciat omni motui: & ista sunt ignobilia corda ad omne bonum prorsus inepta, maxime ad bona ciuilia defensanda: non oportet ergo erudientem pueros à tenera ætate eos totaliter frangere disciplina seruili attonitos faciendo, maxime quantum ad passionem animositatis, sed aliquid eis permittere ex proprio motu agere, vt agnosceretur in eis nobile cor. Iudæi autem à tenera ætate, immo à progenitoribus suis ab antiquissimis in timore, & castigatione seruili mancipati sunt: ideo causantur in eis fracti animi, ita vt ad nullum durum, & difficile audiant, & ista est vna de causis, quare Deus gentem illam Hebræorum quam de Ægypto eduxit, in vasta solitudine mori fecit. nam licet peccata sua hoc promeruissent, tamen Deus qui ipsa mala ordinat, ad hanc vtilitatem reduxit, vt oriretur alius populus durus & indomitus, qui hostibus non crederet. Nam illi qui de Ægypto exierunt, semper Ægyptiaca captiuitate depressi fuerant, & durissimo iugo, quia nunc in nouissimis diebus seruitutis ingrauauerat super eos Pharao iugum suum, ita vt vitam suam exosam haberent, nec auderent caput attollere. isti ergo non haberent aliquam animositatem ad inuadendum turbas hostiles, aut ad sustinendum impetum earum: vnde cum primo irruerunt super eos Amalechitæ occiderunt eos, qui erant in fine castrorum, vt patet supra vigesimo sexto capitulo, & postea misso Iosue in ducem contra ipsos cum bellatoribus viris, superabantur Iudæi ab Amalechitis, nisi Moyses oratione præualuisset: quia cum eleuaret manus superabat Israel: cum vero deprimeret eas, superabant Amalechitæ, vt patet Exod. 17. cap. Et in secundo bello iterum in secundo anno, quando erant in Cadesbarne castra filiorum Israel, & ascenderent Israelitæ in montem vbi erant Amalechitæ, & Chananæi, qui irruerunt in Iudęos: Iudęi autem fugientes cæsi sunt ab Amalechitis, & Chananæis, vsque in Hor: nam vt patet Num. 14. cap. & supra primo, & sicut erant isti Iudæi egredientes de Ægyptiaca seruitute pauidi cordis contra alias: ita erant contra Ægyptios, & potissime, quia semper cognouerant eos, vt dominos, & vultum eorum formidabant: nam & Leones domitorum sui, cuius ferulæ assueti sunt, vultum expauent: alios autem homines non timent: ideo cum ante transitum maris rubri venientes Ægyptios super se conspexerunt, timore valido pauitantes desperare cœperunt murmurantes contra Moysen atque dicentes: nunquid deerant sepulchra in Ægypto? ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine, quid hoc facere voluisti, vt educeres nos de Ægypto? nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto dicentes, recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs: multo enim melius est eis seruire, quam mori in solitudine, vt patet Exod. 14. cap. & non solum hostes præsentes fugiebant, sed etiam absentes valde formidabant, vt patet quando venerunt exploratores de terra Chanaan, & dixerunt ibi esse vrbes munitissimas, & monstra quædam filiorum Enachin, quibus comparati videbantur locustæ. Audientes hæc Israelitæ planxerunt planctu magno tanquam paruuli ferulam formidantes: & dixerunt constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum, vt patet Num. 13. & 14. cap. non ergo erat ista gens conueniens ad bellum: omnes ergo viri bellatores Iudæorum, qui de Ægypto egressi sunt, scilicet, à 20. annis, & supra mortui sunt in deserto, antequam accederent ad terram, vbi eis daretur occasio pugnandi. Nani prima pugnandi occasio fuit cum gentibus Amorrhæorum, scilicet, duorum regum Seon regis Esbeõ, & Og regis Basan, qui erant domini illius terrę Chananæorum, quæ erat ante transitum Iordanis, licet cum alijs habuerunt occasionaliter, & incidentaliter quædam parua bella, sed nõ acceperunt ab eis aliquam terram, scilicet, primo pugnauerunt cum Amalechitis, vt patet Exod. 17. cap.

Secundo pugnauerunt cum Amalechitis, & Chananęis simul, vt patet Numer. 14. capitul. deinde pugnauerunt cum Chananæo rege Arad, vt patet Num. 22. c. sed hæc parui momenti bella fuerunt, & in his erant partim bellatores egressi de Ægypto, partim nati in deserto. cum vero inceperunt pugnare cum Amorrhæis duobus regibus mortui erant omnes viri bellatores, qui exierant de Ægypto potentes pugnare, sc. à 20. annis, & sup. vt patet supra 2. c. ex ordine literæ, quia Israelitæ venientes per desertum prius venerunt ad torrentem nomine Zareth: deinde ad confinia terræ Moab ad ciuitatẽ

E

Iudæi, qui exierunt de Ægypto erant semper pauidi corde, quare oportuit aliã generationem fortiorem suscitare in deserto.

F

nomine Ar, & postea ad terram regis Seon, & Og, sed antequam accessissent ad torrentem Zareth mortui erant omnes viri bellatores exeuntes de Ægypto: ergo non accessit aliquis de illis ad terram duorum regum Amorrhæorum ad pugnandum cum eis, quod patet supra 2. capit. cum dicitur tempus autem quo ambulauimus de Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zareth. 38. annorum fuit, donec consumeretur generatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Dominus. cuius manus fuit, vt interirent de castrorũ medio: postquam autem vniuersi ceciderunt pugnatores, locutus est Dominus ad me, dicens tu transibis hodie terminos filiorum Ammon vrbem nomine Ar, &c. non decuit ergo istos ire ad aliqua bella fortia, ne corde pauitantes Amorrhęorum populis, qui erant fortissimi pugnatores, terga verterent, sed dum isti interirent in deserto spatio annorum 40. de filijs istorum, qui in deserto nati sunt, & de his qui in parua ætate de Ægypto exierant, ita vt non essent assueti seruituti, factus est quidam alius populus fortis viribus, & corde indomitus, vtpote qui in toto 40. annorum tempore in deserto nullum temporalem dominum cognouerant, & isti conuenienter bella gerebant cum Chananæis. *Et deficientes oculos.* Quando visis aliquibus tristibus & terribilibus dolere, & deplorare non sufficimus, & sic oculi ex nimio fletu caligant, & à naturali humiditate deficiunt, quia lachrymarum materia ardore suo omnia consumit, & aciem visus hebetat: vnde qui in vnum lachrymas fundunt, post modicum tempus nihil vident. *Et animam consumptam mœrore.* Mœrere dicit interiorẽ tristitiam sine lachrymis: flere dicit lachrymarum emissiones. & iste mœror consumit animam, id est vitam, quia cura, & mœror hominem deficcat ad senium cito perducens, quia animus gaudens floridam facit ætatem, spiritus tristis deficcat ossa.

Erit vita tua quasi pendens ante te. Id est, quod tu complectaberis semper vitam tuam quasi sub periculo mortis positam. *Timebis nocte & die.* Id est, omni tempore.

Non credes vitæ tuæ. Id est, non confides de vita tua, quia tantum timebis, quod putabis te viuere non posse etiam de mane vsque ad vesperam. *Et mane dices, quis mihe det vesperum.* In qualibet hora timebis, & quia non putans te posse viuere per totam diem desiderabis noctem, vt euadas timorem diurnum. Et cum fueris in nocte timens nocturna, non cõfidens vitæ tuæ desiderabis diem, & sic eris miserabilis vita tua semper in pendulo posita. *Propter cordis tui formidinem.* Potest hoc referri ad noctem, in qua homines magis pauent, quia terribilis est nox, maxime si Deus demonstraret eis aliquas horribiles visiones, sicut demonstrabat Ægyptijs, vt patet supra cap. 4. *Et propter ea quæ tuis videbis oculis.* Potest referri ad diem in qua mala multa videre poterant, quæ timorem incuterent. Vel potest vtrunque referri ad diem, ita quod formido cordis causaretur ex his, quæ videbat oculis in die.

Reducet te Dominus classibus in Aegyptum. In destructione Ierusalem per Titum & Vespasianum capta quasi innumerabili multitudine Iudæorum multi per mercatores classibus in Alexandriam ciuitatem magnam Ægypti deducti sunt, vbi vix habuerunt emptores, vt ait Iosephus in libro de Iudaico bello, & hoc erat valde abominabile Iudæis, quia Deus mandauerat eis ne vnquam amplius redirent in Ægyptum, vt patet supra 17. capitulo. Causa autem huius mandati Dei fuit, ne beneficium liberationis de terra illa paruum videretur, si ipsi voluntate illuc redirent: Iudæi etiam fuerunt in Ægyptũ ducti alias, non quidem quod ipsi ducti fuerint ab alijs, sed quia ipsi timore bellorum, & inopiæ recesserunt in Ægyptum tempore Hieremiæ prophetæ facta captiuitate Iudæorũ per Babylonios, & desolatione vrbis, & templi per Nabuchodonosor, & Nabuzardan, & istis scribebant alij Iudæi, qui post captiuitatem Babylonicam, & reditum de illa erant in Iudæa, scilicet, tempore Machabæorum, vt patet secundo Machabæorum capitulo primo, in principio cum dicitur in salutatione epistolari fratribus, qui sunt in Ægypto Iudæis fratres, qui in Iudæa salutem. per aliqua etiam bella illuc transierant aliqui de Iudæis, & facti fuerant serui Ægyptiorum, vnde postea Ptolomæus rex Ægypti, qui Bibliam in græcum idioma fecit transferri, apud Alexandriam per septuaginta interpretes Iudæorum missos ab Eleazaro sacerdote magno Iudæorum, dedit plures, quam centum mille Iudæos, qui erant captiui in Ægypto in seruitute, dato pretio dominis suis pro quolibet eorum, vt ait Iosephus in libr. Antiquitatum. licet ergo maior fuerit strages, & dispersio Iudæorum per omnia mundi climata in destructione Titi & Vespasiani, quam in Babylonica, aut Assyriorum: tamen quantum ad reductionem in Ægyptum etiam fuerunt ducti alias. *Per viam de qua dixit tibi ne amplius videres eum.* Supra 17. capit. mandatum fuit ne rex multiplicaret equos, ne reduceret populum in Ægyptum equitatus numero subleuatus: præsertim cum præceperit dominus ne amplius per eandem viam redeant. *Ibi venderis inimicis tuis in seruos & ancillas.* Id est, Ægyptijs qui oppresserant eos in Ægypto, & ita Iudæi reputabant eos inimicos suos, licet Deus mandauerit, quod non abominarentur Ægyptios, vt patet supra 23. cap. de quo magis late ibi. *Et non erit qui emat.* Quia omnes te vilipendent.

Iudæi vix habuerũt emptores.

Susceptionis causa motiua siue ratio.

CAPIT. XXIX.

HAEC sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filijs Israel in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Oreb. Vocauit q; Moyses omnem Israel, & dixit ad eos. &c.

HÆc *sunt.* Promulgatis supra maledictionibus, & benedictionibus super transgressores, & obseruatores legis: hic consequenter ponitur supra dictorum facta susceptio ab eis, quia sicut in monte Synai post dationem legis confirmatio subsecuta fuit, vt patet Exod. 24. aspergendo populum sanguine, & altare in signum facti fœderis: ita hic posita supra secunda lege, & maledictionibus, & benedictionibus, ponitur hic populus eandem recipiens cum eisdem conditionibus, & tanguntur tria. Primum susceptionis causa motiua, siue ratio. Secundo ipsa susceptio ibi, *Vos statis hodie.* Tertio transgressorum punitio ibi. *Vos enim nostis. Hæc sunt verba fœderis.* Id est, ista quæ prædicta sunt à principio libri huius vsq; nunc sunt verba fœderis, id est legis, siue compositionis, vel conuentionis. *Quæ præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filijs Israel.* Id est, quod Deus mandauit Moysi, quod conueniret cum filijs Israël, quod obseruarent hæc, & est locutio ista ad modum antiquorum qui in conuentionibus, vt firmiores essent, ferebant fœdus, id est, occidebãt aliquod animal, ad notandum quod factores conuentionis sic puniri deberẽt. *In terra Moab.* Non quod locus in quo erant castra quando Moyses ista dixit, pertineret ad regnum Moabitarum, sed quia erat quædã vallis contra phanum Phegor, id est, contra montem altum in quo terminabatur terra Moabitarum, & campestria, & plana descendentia à monte illo vocantur campestria Moab, vt patet Num. 33. cap. sed tamen terra erat de dominio regis Seon, quem ipsi occiderant, & hoc clare patet supra 3. & 4. ca. in fine cuiuslibet illorum. *Præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Oreb.* Et sic vocatur ista alia lex ab illa, quæ continetur in Exodo, & Leuitico, & Numero, & sic vocatur lex secunda, vel duplicata, supra 17. cap. secundum litteram Hebraicam, quia vbi nos dicimus describet sibi Deuteronomium legis huius, habent ipsi. *Misue thora.* Id est, lex secunda, vel duplicata: non est tamen ista totaliter distincta à prima, ita quod proprie duæ leges dicantur, quia isti quinque libri vocantur. *Thora.* Hebraice, id est, lex non plures, sed vna. vocatur tamen iste liber secunda lex, quia id quod primo dictũ fuit in alijs libris, repetitur, & aliqua noua super adduntur, & quantum ad ista super addita dicitur.

(?)

An lex data in Oreb, & in Moab sint vna lex, vel duæ. Et in quo proprie consistat vnitas legis.

QVÆST. I.

AD videndum autem vtrum lex quæ data fuit in Oreb, & lex quæ fuit hic data in valle terrę Moab fuerint duæ leges: considerandum est in quo consistit proprie vnitas legis. Et sciẽdum, quod sic est de lege, sicut de scientia: est enim scientia habitus, & est de obiecto, & accepit esse ab obiecto specifice: & sicut accepit esse, ita accepit distinctionem & vnitatem, quia vnitas immediate consequitur ens, & patet hoc per Aristot. in 3. de anima, vbi ait, secantur scientiæ quemadmodum ea ex quibus fiunt, id est distinguuntur scientiæ secundum distinctionem obiectorum de quibus fiunt, ista obiecta habent diuersas particulas quibus competunt diuersæ passiones, quæ demonstrantur de eis: de qualibet autem propositionum demonstratarum est vna scientia, cum scientia sit habitus conclusionis demonstratæ, & conclusiones istæ sunt diuersæ: ita oportet esse diuersas scientias, & hoc est accipere scientiam strictissime. Alio modo est scientia large sumpta vna quæ est de vno genere obiecti, & sic cum homo sit vnum genus obiecti habens partes & proprietates, consideratio de homine faciet vnam scientiam, & omnes habitus conclusionum demonstratarum de homine facient vnam scientiam, quæ non sit vnus habitus secundum rem, sed secundum aggregationem. Alio modo accipitur generalius adhuc vna scientia, quando accipitur vnum obiectum valde commune, & ab vnitate illius scientia dicitur vna, licet multę conclusiones sint, & multę partes subiecti illius, imo multa subiecta distinctarum rationum conuenientia in illa ratione vniuersali obiecti alicuius, quod est commune, sicut scientia de homine, & de capra, & de lapide, & ferro, & anima, atq; arbore, cæteriſq; sim ilibus est vna, licet ista obiecta diuersa sint, quia conueniunt in vnitate corporis naturalis, cum omnia hæc sint corpora naturalia: habitus tamen hic multi sunt, & valde diuersi: tamen sicut sunt vna scientia, ita sunt vnus habitus, sed vnus habitus sunt per valde magnã aggregationem. Ita Philosophia naturalis, quæ considerat de omnibus his, & de plurimis sub vna ratione communi, s. corporis naturalis, est vna scientia vnitate valde larga, quia non est ita proprie vna sicut scientia, quæ est de homine, & à fortiori non est vna sicut scientia, quæ est habitus vnius conclusionis solum: de lege autem dicendum est, quod lex non est aliquis actus intellectus, aut volũtatis: nec est aliquis habitus speculatiuus, aut practicus, quia habitus non est cõplexus, sed quędam simplex qualitas: lex autem complexa est, quia lex prohibet, aut præcipit, vel permittit, vt ait Isidor. Etym. lib. 5. sed non pertinet ad incomplexum: hoc est igitur lex quędam oratio imperatiua, vel quasi imperatiua, & non solum est lex oratio, sed oratio habitualiter manẽs, licet ista lex aliter manet habitualiter in mente principis, aliter in mente subditi: nam in intellectu principis, lex est quædam conceptio determinata ab intellectu politico directa ad regulationem subditorum, & est lex tãquam actus intellectus principis, vel potius aliquid causatum per intellectum principis, & non dirigitur ad seipsum, ita quod sit regula ipsius principis, sed potius est regulata ab intellectu principis, cum intellectus politicus eius disputet de equitate, vel iniquitate legis huius, & secũdum iudicium habitus prudentialis politici est directio legis, & consideratio vtrum iusta an iniusta sit: lex autem in intellectu subditorum ponitur loco habitus prudentialis, vel cum ipsa prudentia: licet ipsa lex si perfecta est supplet totaliter locum prudentiæ in subdito: sicait Arist. in 3. Polit. quod habita perfecta legis latione non est necessaria prudentia: est igitur in eis lex tanquã quædam propositio, aut potius imperatiua oratio directiua actus subditorum in quibus est, & determinans super necessitate actiones eorum ad certum modum operandi. Et non est ibi lex aliquid causatum ab intellectu eorum, sed aliquid directiuum actus intellectus, & voluntatis. Habet se igitur lex contrario modo in intellectu principis, & subditorum, quia in intellectu principis est, vt directa, & causata, in intellectu subditorum est tanquam dirigens & coarctans: ideo lex prout est in intellectu principis, non est proprie lex, prout autem est in intellectu subditorum est proprie lex, cuius causa est, quia actus proprius legis est regulare, cum sit præceptiua, & prohibitiua, sed vt in intellectu principis existit, non est præceptiua; quia non præcipit ei, nec coarctat actiones suas ad certum modum, sicut coarctat actiones subditorum: ergo subditis proprie consistit lex in modo legis, non autẽ in principe. Nunc autem considerãdum circa vnitatem legum: quia cum quælibet lex sit formaliter præceptũ, permissio, aut prohibitio, sicut sunt multæ prohibitiones, præcepta, & permissiones: ita necessarium est dari diuersas leges, & quia in qualibet oratione præceptiua est præceptum, quot sunt orationes præceptiuæ tot sunt præcepta, & quia in istis libris Moysi sunt plura quam sexcenta præcepta: ergo necessarium est esse plures quã sexcentas leges, sicut sexcenti habitus conclusionum sunt sexcentæ scientiæ distinctæ accipiendo vnitatem scientiæ stricte, & hoc modo non solum ista lex, quæ fuit data in terra Moab, & lex data in mõte Synai est vna lex: sed plures quam 40. quia plura quam 40. præcepta data sunt, imo plura quã 300. aut 400. cõsiderando omnia, quę habentur in Exo. ex ca. 20. vsq; ad finem, & totum Leuit. & maiorẽ partem præceptorum lib. Num. omnia enim hæc data sunt in monte Synai, vt probauimus sup. 26. c. & lex, quæ data est hic in terra Moab non est vna, sed valde multæ, quia multa præcepta comprehenduntur in hoc libro. Alio modo potest cõsiderari vnitas, aut diuersitas legum per comparationem ad Legislatorem concedentem, & ad subditum recipientem: nam sicut in scientia est, quod si sint habitus circa obiecta distincta necesse est esse plures scientias distinctas, ita in lege populus, vel subditi cui datur lex, sunt aliquo modo tãquam obiectum: ideo quando multæ, & diuersæ congregationes subditorum sunt, necesse est leges illis datas esse diuersas, non tamen conuertitur consequentia, quia licet necesse sit diuersorum subditorum leges esse diuersas; tamen non est necessarium eorundem subditorum leges esse easdem, quia aliæ sunt non identitatis causæ, & isto modo non sunt istæ leges diuersæ, scilic. quæ data est in monte Synai, & quæ data est in terra Moab, quia idem populus est cui data est vtraque legislatio. Considerantur etiam leges eædem, vel diuersæ respectu Legislatoris à quo sunt: nam necesse est leges à diuersis Legislatoribus datas esse diuersas, & est de legibus, sicut de scientia: nam sicut se habent scientiæ ad intellectum, à quo causantur: ita se habent leges ad principem, à quo causantur, & in cuius intellectu sunt, necesse est enim habitus in diuersis potentijs existentes esse diuersos, vt habitus in intellectu existẽtes, & in voluntate sunt necessario differentes, non tamen conuertitur, quod si sunt aliqui habitus in eadem potentia, quod sit idem habitus, quia diuersitatis causæ aliæ sunt multæ, ita de lege si sint leges factæ à diuersis conditoribus necesse est esse diuersas, non tamen conuertitur quod leges causatæ ab eodem principe sunt eædem, quia possunt esse diuersæ ex alijs causis, vtpote ex diuersitate subditorum, & quantum ad istum modum eædem leges erant istæ & illæ, quia Deus, qui illam legẽ dedit in Oreb, dedit hanc in campestrib. Moab Nec obstat, si dicas, quod illa, quæ data fuit in Oreb, fuit lex Dei: ea autem quæ fuit data in campestribus Moab fuit lex Moysi, quia infra 33. ca. dicitur legem prȩcepit nobis Moyses. Et non potest intelligi nisi de ista, quæ in hoc libro continetur: ergo sunt à duobus actoribus & legislatoribus.

Respondetur quod non sunt diuersi legislatores: Deus enim dedit legem illam in Oreb, & ipsemet dedit hanc in campestribus Moab, & patet hic in litera cum dicitur, hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Deus Moysi, vt feriret cũ Israel: Deus igitur dedit cũ ipse mãdauerit Moysi, vt publicaret hęc, & componeret cum Israelitis, sic patet supra 26. cap. vbi de hac lege agitur, & dicitur hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc: Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & custodias mandata eius, & cæremonias. Et obedias eius imperio, en Dominus elegit te hodie, vt sis populus peculiaris, sicut locutus est est tibi: ergo manifestum est, quod Deus hanc legem dederit, cum ista dicantur præcepta & cæremoniæ eius, & propter obseruationem horum Deus diceretur eos accipere, vt populum peculiarem.

Et si dicas, quod Moyses protulit istam legem populo, nihil differt, quia non est magis, quod Moyses protulerit quam

Lex quomodo intellecta principis & quomodo in subditis se habeat.

Legislatio accipit vnitatem ex conditore.

A quod Deus: quia Moyſes non protulit quaſi à ſe proferret, ſed vt miniſter Dei,& ſic alia lex in monte Synai prolata eſt miniſterio angelorum,& non per ipſum Deum immediate: ſic ait Apoſtol.ad Gal.3.ca.lex data per angelos in manu mediatoris,ſicut ibi angeli protulerunt & nō Deus,ita hic Moyſes & non Deus,&ſi deberet vocari iſta lex Moyſi,quia Moyſes eam protulit,& non lex Dei,ita deberet vocari lex data in Oreb lex angelorum, & non Dei: quia angeli protulerunt eam: ſed illud eſt falſum,ergo & hoc,eſt igitut iſta lex eadem illi quantum ad legislatorem.

Alio modo poteſt conſiderari vnitas legis aut diuerſitas quantum ad tempus prolationis legis,ita quod præcepta quę in vno tempore prolata ſunt,vocantur vna lex, vel vna legiſlatio proprius,quæ autem in diuerſis temporib.prolatæ ſunt, dicantur diuerſæ leges,vel diuerſæ legislationes, & non accipitur tempus ſtrictè: quia impoſſibile eſt in eodem tempore eundem hominem proferre duas leges,ſed vnam prius profert: aliam vero poſterius, ſed accipitur large tempus pro vna continuata mora menſurante vnum actum continuum, vel quaſi continuum,& ſic ſi legislator det leges vna die & altera atque alijs ſequentibus,omnes leges datæ in iſtis diebus, dicentur datæ in eodem tempore, & dicentur eadem legislatio.Si autem nunc dentur aliquæ leges, & poſtea vſque ad vnum annum,vel duos non dentur aliæ leges,dicentur illæ leges aliæ,& in alio tempore datæ, licet enim iſte modus identitatis aut diuerſitatis legum vſitatus ſit in modo loquendi, B tamen non ita eſt diuerſitas legum, aut identitas per iſtum modum,ſicut per alios duos:quia alij duo faciunt diſtinctionem aut identitatem per aliquid,quod eſt legi eſſentiale: iſte autem tertius modus eſt per aliquid extrinſecum, ſ. per tempus. Accipiendo ergo iſto modo identitatem aut diuerſitatē legislationis dicendum, quod iſta lex vel fœdus, & lex quæ data eſt in Oreb ſunt diuerſæ leges vel fœdera, quia in diuerſis temporibus datæ ſunt,ſcil. vna in primo anno ab exitu de Ægypto,& alia in anno 40.exitus de Ægypto.

Senſus litera. Et iſto modo loquitur hic litera dicens,quod iſtud eſt aliud fœdus præter id quod datum fuit in Oreb, ſcilicet quod in diuerſis temporibus datæ ſunt hæ leges. *Præter id quod pepigit in Oreb.* Id eſt quod multa quæ hic dicta ſunt non fuerunt ibi dicta:ex quo concluditur quod ſolum leges fuerunt datæ in duobus locis,ſcil.in monte Synai, & in valle contra Phanum Phegor.Nam ſuperflue poneretur hic præter,ſi Deus in alijs locis quam in his duobus leges dediſſet: niſi forte dicatur,quod leges datæ hic & in Oreb dicuntur fœdus, & leges datæ in alijs locis non dicantur fœdus: ſed hoc irrationabile eſt: ideo dicendum quod omnes leges,quæ continentur in toto Exodo & toto Leuitico vſque ad 27.ca.Numer. excluſiue de filiabus Salphaad fuerunt datæ in monte Synai, & omnes leges quæ habentur a.27.ca.Num. incluſiue, & in toto C iſto libro datæ fuerunt in valle contra phanum Phegor. Et patet hoc,quia præcepta,quæ ſunt in Exodo dicta ſunt Moyſi,quando ſtetit cum Domino in monte,& ibi mandauit fabricari tabernaculum,& ibidem fabricatum eſt,&in hoc terminatur Exodus,cum autem de Synai receſſerunt, iam erat factum tabernaculū, quia portabatur à Leuitis,vt patet Numer.10.c.etiam ea quæ continentur in Leuitico dicta ſunt in monte Synai,vt patet Leu.vlt.c.vbi dicitur hęc verba locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Synai:de his quę dicuntur in li.Num.à princ.vſque ad 10.ca. ſatis patet, quia ibi in decimo ca.dicitur quomodo caſtra mutata fuerunt de monte Synai ex ca.10.Num.vſq; 27. ca.non ponitur aliqua lex,vt in 15. & 16.& 17.& 18.& 19.ca.in alijs autem ſola narratur hiſtoria. In illis autem c.dictum fuit quomodo illa mandata fuerunt in monte Synai.Ea autem quæ continentur ex 27. c. Numerorum incluſiue, vſq; huc dicta ſunt in valle contra phanum Phegor,& patet,quia in ca. 25. Num. dicitur quod filij Iſrael morabantur in Sethin, ſed Sethin, ſiue Belſethin eſt vltima manſio filiorum Iſrael,vt patet Num.33.ca.ergo ea quæ poſt dicta ſunt poſt illud non dicta fuerunt in aliqua alia manſione Et ex hoc infertur id quod aliqui communiter dicunt,ſcilicet quod nunquam dicta ſunt aliqua præcepta Moyſi, niſi in primo anno exitus de Ægypto,& in 40. *Vocauit Moyſes vniuerſum Iſraelem.* Dicitur nunc vocaſſe omnem Iſrael, quia forte dictis maledictionibus, & benedictionibus ſupra poſitis facta fuit aliqua pauſatio, ita quod totus populus reuertere-

tur in caſtra ſua ad ſumendum cibum, vel aliquid aliud, & D rurſus vocauit eos Moyſes per nuncios, vel tubas: ſicut dicitur Num.10.ca.pulſando ambas tubas non clangendo conciſe,& prolixe in vocibus minutiſſimis, ſed in ſimplici ſono. Vel forte iſta quæ ſupra dicta ſunt, non audiebant omnes de Iſrael,ſed maiores eorum:nunc autem quando ad iſtum punctum confirmationis deuentum eſt, fecit Moyſes vocari totum Iſrael, id eſt omnes alios qui ibi non erant.

Sed non eſt iſta ſecunda expoſitio multum rationalis ſcilicet,quod ad audiēdas leges non ſtaret totus populus,& quod vocaretur poſt ad conſentiendum,& confirmandum legem, quia neſcirent quid non conſentire,vel confirmare deberent cum non audiuiſſent. Item quia contrarium huius expoſitionis aſſeruimus ſupra primo cap.circa principium: prima ergo tenenda eſt. *Vos vidiſtis.* Hic vult ſuadere eis, quod conſentiant in lege quam dat Deus, quia multa bona eis contulit, quæ hic enarrantur,& pro iſtis ingrati eſſe non debent. *Tentationes magnas.* Plagæ inflictæ Ægyptijs tentationes vocantur, quia per eaDeus tentabat Ægyptios,vt dimitterent populum ſuum, vel vocantur tentationes, id eſt aliquæ experientiæ pœnales ad notificādum malitiam cordis Ægyptiorum, quia ſicut Deus ſciebat voluntatem Abrahæ, quia erat ſancta, & perfecta cum eo,tamen eum voluit ſic tentare ad notificandum alijs bonitatem Abrahæ: ita in Ægyptijs ſciebat quid eorum mala voluntas eligeret,ſed eos ſic tentare voluit, vt alię gentes Ægyptiorum duritiam cernerent. *Signa illa.* Id eſt quædam oſtenſiones factæ ad probandum,quod Deus miſerat Moyſen, ſcilicet conuerſio virgæ in ſerpentem, & è contrario,vt patet Exod.7.cap.& mutatio manus non leproſæ in leproſam,&è contrario coram ſeniorib.Iſrael,vt patet Exod. cap.4.in fine,licet ibi implicite ponitur dictum. *Portenta, ingentia.* Dicuntur portenta magna miracula, quæ in punitionem aliquorum diriguntur,ſicut fuerunt omnes plagæ. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens.* Id eſt tanta beneficia Deus E contulit, quod ſi vos haberetis cor intelligens,id eſt conſiderans ea, quæ recepiſtis, & reddens gratias ſecundum quod reddi debent,non oporteret me ſuadere vobis, quod reciperetis legem Dei,quia vos gratis eam reciperetis imo peteretis, ex hoc quia inconſiderantes erant poſt tanta beneficia eum totiens offenderunt,vt patet in præcedentibus libris,& habere cor intelligens ad grates reddendum de beneficijs à Deo datis,cum ipſe det omne bonum,ſcilicet velle,& perficere: ideo non dicitur, & non habuiſtis cor intelligens, ſed non dedit vobis Dominus cor intelligens, vt referatur ad Deum qui dare deberet,ſed non dedit, quia forte iſti non ſe diſpoſuerunt quantum naturaliter ex libero arbitrio poterant,quia hoc ſolum vult Deus,vel quia per alia peccata demerebantur cor intelligens ſibi dari,vel ex alijs cauſis occultis,ex quibus Deus ſæpe gratiam intelligentiæ in corde quantum ad agibilia practica,& gratiam rectitudinis in voluntate dare dicitur: ſicut fuit in Apoſtolis qui cum Chriſto per tres annos conuerſati ſunt,& tamen adhuc nec corde intelligentes erant,nec amore feruentes: Philippus enim quaſi à Chriſto nihil didiciſſet petiuit Domine oſtende nobis patrem, de quo Chriſtus quaſi indignando loquitur, tanto tempore vobiſcum ſum,& non me cognouiſtis: Philippe qui videt me, videt & patrem meum, quomodo tu dicis oſtende nobis patrem?de quo Ioann.14.capit.Erant etiam in amore carnales, quia iurgia erant inter eos,& de maioritate contendebant,vt patet Matth.18.Iacobus etiam, & Ioannes paulo ante mortem Chriſti ſedere ad dexteram, & ſiniſtram eius petierunt, vitam æternam carnaliter deſiderantes, vt habetur Matth. 20.cap.Et poſt reſurrectionem ſuam cum de carnali erectione regni Iſrael requirebant dicentes,ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael,vt patet Act. 1. cap. ſed poſt ſuperueniente Spiritu ſancto inenarrabiliter repleti ſunt, vt iam omnibus tranſitorijs contemptis mortem pro Chriſto quaſi dulciſſimam vitam eligerent.

Improbatio expoſitionis ſecundæ.

Oculos videntes,& aures quæ poſſent audire. Bene enim habuerunt oculos,& aures Iſraelitæ,quia viderunt, & audierunt vniuerſa mirabilia,quæ fecit Deus,vt ſupra dicitur: ſed dicuntur oculi videntes.i.attente reſpicientes ad ea quæ videbant, vt inde inſurgerent in laudem creatoris, nec habuerūt aures, vt diligenter audirent,& memoriæ cōmendarent, ſed ſic viderūt quaſi nō vidiſſent,qm̄ cito obliti ſunt benefactoris ſui.

A

Vsque in præsentem diem. Quia ex die qua egressi fuerant de Ægypto vsq; diem illam qua loquebatur Moyses, semper contra Dominum rebelles extiterant, vt patet supra 9. cap. Et in hoc tacite insultabat eis, quod in tãto tempore beneficia Dei non attendissent: *Adduxit vos 40. annis.* Supra induxerat eos ad recipiendum legem, quia Deus eorum mala opera in deserto tolerauerat, nec eos deleuit, hic ponitur alia ratio, scil. de sustentatione & directione in deserto, quia in columna nubis per diem, & ignis per noctem præcedebat eos angelus, nec cessauit columna donec intrauerunt terram promissionis, vt patet Exod. 13. cap. *Adduxit vos 40. annis.* Nondum erant anni 40. completi, quia nunc erat principium mensis vndecimi anni 40. vt patet supra in principio primi cap. sed computat 40. annos, quia annus incœptus pro completo habetur secundum sacram Scripturam, & secundum iura humana: præsertim cum hic complendo 40. anno soli duo menses deficiunt, & postea completi sunt, quia non exierunt de deserto donec completus annus 40. & iam incœptus erat annus 40. quando transierunt Iordanem.

Attendendum autem est, quod in hoc quod dicit Moyses eos adductos fuisse per desertum 46. annis, videtur ponere terminum illum tempore quo mansuri essent Israelitæ in deserto: alioquin si dubium esset vtrum immediate exituri essent an moraturi ibi magno tẽpore, sicut morati sunt in Cadesbarne annis quasi 38. vt patet supra 2. cap. non diceret adduxit nos Deus 40. annis per desertum, quia forte adducerentur 80. annis, sed Moyses sciebat, quod immediate exituri erant desertum, & terram illam, atque transituri Iordanem, & hoc quia sententia data contra Israelitas solum continebat 40. annos quibus manere debebant non transeuntes ad terram possessionis suæ, vt patet Num. 14. cap. & videbat iam Moyses consummatum esse hunc numerum, certe cognouit, quod immediate transituri essent in requiem suam. *Non sunt attrita vestimenta vestra.* Quia à Deo conseruata fuerunt ne nudi essent, de quo magis diximus supra cap. 8. Non est enim dicendum, vt quidam volunt istos portasse tot vestimenta in deserto, vt toto isto tempore suffecerint, quia tunc non videretur esse miraculum: litera tamen ponit hic pro miraculo, quod non fuerunt attrita, sed ad hoc falsum est, quod tot vestimenta portarent, quia ipsi nesciebant se tanto tempore in deserto mansuros, sed mox terram possessionis suæ intraturos: sicut confestim ingressi fuissent, nisi ipsi murmurantes obstaculum præbuissent, & dato, quod sciuissent sibi necessarias esse tot vestes, non erat eis forte facultas ad faciendum tot vestes: potissime quia non habebant in quo portarent tot vestes, cum asini, & iumenta ad subuectionem vxorum, & filiorum, paucarumq; supellectilium vix sufficiebant, quia & super humeros filiorum, & filiarum suarum imposituri erant vestes, & alia supellectilia asportata de Ægypto non sufficientibus iumentis, vt patet Exod. 3. cap. Item dato, quod vellent portare, nescirent talia portare qualia cõueniret portari, quia in deserto multi nati sunt, quibus vestimenta dari oporteret varia secundum ætatum varietates, & secundum corpulentiam diuersam, qualia non posset aliquis homo excogitare in Ægypto: ergo nisi vestes illæ quas de Ægypto attulerant, manssissent diuina virtute non attritæ, necesse erat eos breuiter fuisse nudos: eodem modo de calciamentis dicendum est, quod calciamenta illæsa manebant diuinitus.

B

Quomodo nõ fuerunt attrita vestimenta Iudæorũ in deserto.

C

Quomodo tot paruuli qui nati sunt in deserto tempore quadraginta annorum, vestes, & calciamenta habere poterant.

QVÆST. II.

SEd quæret aliquis dato, quod illi qui de Ægypto exieruht habuerint vestes, & istæ manserint non attritæ 40. annis vsquequo intrauerunt in terram Chanaan: quomodo tamen illi qui nati sunt in deserto vestes habere potuerunt? quia valde magna multitudo in deserto nata est, cum tempore ingressus in terram Chanaan ad transitum Iordanis fuerunt 6000. virorum bellatorum à 20. annis, & supra, & mille septingenti, vt patet Num. 26. ca. Et concluditur de istis in fine. cap. inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Synai: prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine, nullusq; mansit ex eis præter Caleb filius Iephone, & Iosue filius Nun: necesse igitur erat multos de istis natos fuisse in deserto: magna igitur copia vestium aliarum requirebantur pro istis. Aliquis forte respondebit, quod cum transirent per desertum à gentibus vicinis accipiebãt vestes pro his. Sed hoc non potest stare propter duo. Primo, quia Israelitæ per desertum ambulantes timebant omnes gentes, & ab omnibus timebantur: ideo non audebant accedere ad aliquam gentem ad petẽdum ab eis vestes, aut aliquid alterum. Item quia dato, quod aliqua gens daret eis libenter, tamen ipsi declinare non poterant ad aliquas gentes ad petendum hoc, quia ipsi dirigebantur per nubem, & ignem. Et ista columna dirigebat per vastam solitudinem non accedendo ad aliquam gentem. Si igitur aliqui eorum vellent ire ad aliquam gentem accepturi vestes, nescirent ire, aut redire, cum illa terra esset solitudo inuia. Et si arguas de exploratoribus, quod missi sunt 12. exploratores de deserto Pharan in terram Chanaan, & lustrauerant eam 40. diebus, redieruntque in castra: licet nubis columna non præcedebat istos, cum ambularent per terram Chanaan, in qua si columna præcederet eos, cognoscerentur, etiam quia manebat columna in castris.

D

E

Respondetur, quod non eguerunt exploratores aliqua nube dirigente, aut aliquo alio signo, q. dirigeret, quia ambulabant per terram populatam habentẽ vias: in solitudine autem in qua manserunt Israelitę, antequam accederent ad terminos regni regis Seon, & Og. Amorrhæorum, quod fuit anno 40. post mensem quintum anni eiusdem, non erat aliqua via: ideo indigebant columna nubis dirigente. Quod exploratores fuerint missi per terram viarum, quæ populata erat, patet, quia missi sunt de Cadesbarne in deserto Pharan siue in deserto Syn, & Cadesbarne est terminus terræ Chanaan in latere Meridiano, vt patet Num. 34. c. cum dicitur qui circuibunt australem plagam per ascensum scorpionis, ita vt transeant in Senna, & pertueniant in Meridiem vsq; ad Cadesbarne, erat ergo satis propinqua terra populata Chanaan deserto Cadesbarne, ita vt per itinera exituum terrę Chanaan non possent errare vias intrantes confestim in terram Chanaan: in qua non est dubium, quomodo ipsi possent dirigi sine nube dirigente, cum ambularent de loco ad locum, sicut eis voluntas dabat, vt viderent partem potissimam terræ Chanaan. Secunda ratio quare non potest stare, quod ipsi iuerint ad alias gentes ad habendum ista, quia sicut irent pro vestimentis ad gẽtes vicinas pro eis, qui in deserto nascebantur: ita irent pro vestimentis necessarijs alijs qui de Ægypto exierant, & sic non esset necessarium miraculum, quod Deus faciebat de cõseruãdo vestes ne vetustate attererentur: Deus tñ miraculum nunquam facere consueuit, vbi sine miraculo res fieri, & cõseruari posset: item esset iste locus ad tollendum omnia ista miracula, quæ hic ponuntur, s. quod non comederint panẽ, nec vinum biberint: nam si ad alias gentes accedebant, poterant ab eis panẽ, & vinum, cæteraq; vitæ necessaria accipere. Nec est dicẽdum, q. in deserto fierent panni de velleribus ouium, & inde vestes fabricarentur: nam tunc sequebatur inconueniens, quod ante ponebatur, s. quod potuerũt sic per artem lanificij prouidere toti multitudini, & non esset necessarium, vt miracula fierent de duratione vestiũ non attritarum. Item non poterat stare, quod ipsi exercerent artem

F

A

lanificij, quia in lanificio sunt multa ministeria indigentia quiete, & nullo modo possent expediri in motu, qualiter erant Israelitæ quotidie incerti an saltē hora vna maneret columna nubis, sed semper erant excubantes in excubijs Domini, vt patet Num. 9. c. Dicendum vero, quod vestes quas postea induti sunt oēs nati in deserto, de Ægypto venerunt: nec tñ dicendum est, quod duxerint Hebræi tot vestes, quot necessariæ erant, vt supra probatū est: nec rursus dicendum est, q̄ quilibet Hebræorum simplicē vestem de Ægypto adduxerit, sed aliqui duas, alij tres, vel plures, quod patet necessario, quia Exo. 33. c. dicitur, q̄ Deus dixit Israelitis nō ascendam tecū, quia populus duræ ceruicis es, ne forte disperdā te in via, & sequitur audiēs populus sermonē hunc pessimum luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo: ergo necessarium est, q̄ antea habuissent vestes pretiosas, quib. ornarentur, & tūc eas reliquerint, & quia non mandaret Deus, q̄ manerent nudi, necessariū erat, vt alias vestes haberēt, quib. induerentur deposito illo habitu honoris, præsertim cū dixerat Deus in eod. c. iam nunc depone ornatū tuum, vt sciā quid faciam tibi, de istis ergo vestib. duplicibus, aut triplicibus multiplicibusque, quas attulerunt Iudæi de Ægypto, contegebantur illi qui nouiter nascebantur, siue dicamus illas vestes magnas corporib. paruorū coaptari supernaturaliter minoratas ad quantitatē corporis paruuli, & postea cōcrescere corpori paruuli de quo nulla difficultas est, nam sicut constat vestes cōcreuisse, quas indutas de Ægypto plerique Israelitarum adduxerant: ita vestes magnæ supernaturaliter minorarentur ad coaptationem parui corporis infantiū: postea vero crescente corpulētia vestes cōcrescerent, siue dicamus quod vestes illæ, quas non induerant parentes, sed asportauerant de Ægypto, scindebant, suebantq̄;, & coaptabant secundū corporis quantitatem: postea vero cōcrescebant corpori vsq̄; ad terminū crementi vltimati, primus modus tñ conuenientior est, & isto modo sufficiebant vestes pro toto populo eorum qui de Ægypto exierunt, & eorū qui in deserto nati fuerant, etiā quia quando aliquis de Israelitis moriebatur, vestes eius manebant pro illo qui esset successor. De calciamentis autē eodē modo dubitādum est, quomodo sufficerent pro omnibus, quia vt supra dicebatur de vestibus, non potest dici, quod calciamēta sufficientia pro 40. annis ducta sint, quia adhuc hoc difficilius videbatur quā de vestibus: cū valde multa calciamenta necessaria essent pro tot hominibus, vt tanto tempore abundarent: nec etiam potest dici, quod ista calciamenta haberentur de alijs gentibus, quia non poterant accedere ad eas Israelitæ, vt supra probatum est, nec adhuc dici potest, quod de Ægypto adducta fuerint multa paria sotularium, sicut adducebat quilibet vestes duas, aut tres, qui non peterent ab Ægyptijs calciamenta. Sed videtur dicendum, quod pro his qui in deserto nati sunt, fuerint facta aliqualia calciamenta de pellibus pecorum qualitercunque se habentibus, ita vt pedibus coaptari possent, & sicut alia calciamenta non atterebantur vetustate, quæ de Ægypto fuerant adducta, sed Deus conseruabat ea: ita calciamenta quæ qualitercunq̄; fiebant, & coaptabantur corpori, non atterebantur: fuerunt autem omnia ista vetustati illæsa, quia nihil nocebat eis temporis longitudo, aut lator atterens, & fuit ista duratio supernaturaliter inducta quamdiu necessitas erat ex parte Israelitarum, quamdiu enim in deserto fuerunt Hebræi fuit eis necesse habere vestes, quas non poterant habere ab aliqua gente alia: si ergo Deus non suppleret necessitatem conseruando vestes illæsas, & calciamenta, manssissent nudi, & discalciati in deserto: ergo in toto deserto hoc durauit: cum autem intrauerunt in terram Chanaan incæperunt habere opportunitatem aliquam habendi vestes: ergo ibi cessauerunt, scilicet quod intrantibus eis in terram Chanaan incœperunt vestes dirumpi, frangi, & atteri, vt inquirerent immediate alias vestes, & sic de calciamentis fuit, quia durauerunt vsque illuc, & ibi rumpi cœperunt: sic fuit de manna, quod in solitudine semper fuit, cum autem intrauerunt terram Chanaan, & comederunt de panibus terræ illius facientes pascha in Galgalis, cessauit manna, quia incœperant comedere de panibus regionis illius, vt patet Iosue 5. cap. omnia isto modo necessarium fuit destrui, vel cessare adueniente tempore, in quo non erat necessitas eorum, cum ista quæ sunt per miraculum, fiant tandiu quandiu necessarium est ea fieri ad aliquem finem. *Panem non comederis*, id est non sustentati fuistis pane sicut communiter sustentantur omnes homines.

Doct. respon.

B

Dubii de calciamentis.

C

D

An postquam Iudæi exierunt de Aegypto comederint panem aliquo tempore, vel semper manna.

QVÆST. III.

INtelligendum est ab eo die quo manna habere incepe-runt, quia per duos menses, vel quasi comederunt de pane, quem attulerant de Ægypto, vt aliqui volunt, sed solum fuit vnus mensis integer, quia quintadecima die mensis primi exierunt de Ægypto, vt patet Exod. 12. c. Et quintadecima die mensis secundi defecit panis, vt patet Exod. 16. c. Et si dicas, quod Num. 20. ca. Iudæi dixerunt, quod cum transirent per terram Idumæorum, quod emerent ab eis cibos, & sic dixit eis Deus, quod nihil læderent de bonis eorum, sed emerent cibos pecunia, vt patet supra 2. cap.

Respondetur, quod hoc dicebat Deus non mandando, quod aliquid emerent, sed prohibēdo ne acciperent violenter, sed si vellent de cibis terræ comedere, pecunias darent, & quia Israelitæ post viderunt non esse sibi necessarios, non emerunt, sed forte aquam emerunt, nisi Idumæi eis liberaliter aquam concessissent: ideo quando Moyses misit nuncios ad Seon regem petens transitum, & alimenta pro precio, & retulit quomodo se habuerant erga eos Idumæi, non dixit de cibis venditis, sed de transitu per terram eorum. *Vinum & siceram non bibistis.* De hoc magis patet, quam de pane, quod non habuerunt in deserto. *Vt sciretis quoniam ipse est Dominus Deus noster.* Quia in istis, quæ Deus faciebat pro Israelitis demonstrabatur potentia maxima, quæ soli vero Deo conuenit. *Et venistis vsque ad hunc locum.* Hic ponitur tertia ratio inductiua, scilicet, quia eos ab hostibus defendit: erat autem locus iste propinquus Iordani. *Egressus Seon rex Esebon.* Esebon ciuitas metropolis regni Seon quam à Moabitis bello accepit Seon, vt patet Num. 21. cap. de hoc etiam supra 2. ca. *Et Og rex Basan.* De quo supra 3. c. *Et tradidimus possidendam Ruben, & Gad.* Vt habetur Num. 32. ca. & supra 3. cap. *Custodite ergo verba pacti huius.* Hic ponitur conclusio intenta, scilicet, quod reciperent, & conseruarent hoc fœdus, sicut fœdus, quod pepigerunt in Oreb. *Custodite ergo.* Ista conclusio suadetur ex superioribus beneficijs, quæ in litera narrantur, quandocunque enim aliquis ab alio beneficium recipit, tenetur ei naturaliter obligatus, sed hic multa beneficia fecerat Deus Israelitis: ergo tenebantur ad mandatum eius, & persuadet hic ex beneficijs, sicut persuaserat in lege data in monte Synai, & quia istæ erant duæ legislationes, vt declaratur in princip. c. ergo oportebat persuadere ad eas diuersis beneficijs, & sic facit, quia quando illam legem dare voluit, vt patet Exod. 19. cap. ergo oportebat persuadere ad eas diuersis beneficijs, & sic facit, quia quando illam legem dare voluit, vt patet Exod. 19. cap. incepit enarrare beneficia dicens vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi: si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: hic autē volens dare legem, quę data fuit in campestrib. Moab super Iordanem, præposuit beneficia, s. de sustentatione facta in 40. annis venientib. per desertum Israelitis, & de destructione duorum regum Amorrhęorum Seon, & Og, quos occidit Moyses cum populo Israelitarum: illic autem ponuntur alia beneficia, quæ hic non ponuntur, scil. eductio de Ægypto, & percussio decem plagarum in Ægyptios, & in extremo mari rubro absorpta sunt agmina Ægyptiorum & liberata Iudæorum turba.

E

F

Beneficia Iudæis à Deo collata

Fœderis susceptio per Hebræos à Deo quomodo facta sit.

Vos statis. Hic ponitur secundum, s. ipsa fœderis susceptio, scil. congregatio omnium, & approbatio fœderis sub iureiurando. *Vos statis hodie cuncti.* Sic oportebat, vt omnes ad susceptionem legis conuenirent, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & hoc modo condebantur leges Romanæ, scilicet conueniente toto populo quærebat altâ voce senator, vel magistratus, vtrum placeret ab eis talis lex: & tunc ex responsione totius populi pendebat, vtrum approbaretur, vel reprobaretur, vt patet instituta de iure naturali. §. lex est. *Coram Domino Deo vestro.* Id est ante fores tabernaculi extra atrium, quia intra capi non poterant, & ad illum locum conueniebant omnes, quādo aliquid agendum erat, vt patet

A

Numer.10.c. & ideo illuc conueniebant,vt propter reuerentiam loci in agendis,vel consulendis melius se haberẽt. *Principes vestri.* Id est 12. principes 12. tribuum. *Ac tribus.* Id est congregatio illa quæ tribus dicitur,& explicatur magis.

Maiores natu. Id est seniores ętate,& iudicio. *Ac doctores.* Quia inter eos erant aliqui sapientes viri in lege data præter Leuitas,qui doctores populi vocabantur,in hebræo habetur. *Præpositi vestri.* Id est principes constituti ad iudicãdum,& ad idẽ redit, quia isti sapientes esse debebant, vt patet supra 1. c. *Aduenæ qui tecum morantur in castris.* Id est non comprehenduntur sub nomine populus Israel, & erant illi qui de Ægyptijs ascẽderant cum eis videntes mirabilia Dei,& fuerunt isti aduenę valde multi,vt patet Exod. duodecimo cap. sed & vulgus innumerabile ascendit cum eis. *Exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas.* Quia isti exibant ad opera sua necessaria, nec tunc erant in castris , sed ratum habebant quicquid alij faciebant. *Vt transeas in fœdere Domini Dei tui.* Id est, vt efficiaris ei obligatus ad obseruationem legis nunc datæ , quia ante istum consensum non videbantur obligati , & volebat Deus hunc consensum ab eis, vt in hoc ipsi mererentur. Sed etiam si non consentirent obligati erant , quia Deus mandabat,cum teneamur ei ad omnia, quæ aliquo modo possibilia sunt : immo vt absolute loquamur, obligati sumus ad omnia quæ mandauerit, quia quicquid mandauerit nobis, etiam si alias impossibile esset , ipse possibile faciet. *Et in iureiurando.* Quia ista conuentio erat sub iureiurando, scilicet, quòod Israel custodiret mandata Dei,& quòd Deus benefaceret ei,& licet Deus hic non iurauerit , alibi tamen multotiens iurasse legitur, sed non erat necessarium iuramentum eius, quia simplex promissio Dei tantæ firmitatis est, quantæ iuramentum,de populo autem nunquam legitur, quod iurauerit Dei mandata custodire,sed totius populi assertio iuramẽto ęquparatur. *Quod hodie Dominus percutit tecum.* Id est tecũ hodie conuenit,& dicitur percutere, vt refertur ad fœdus, de quo supr. scil. quod animal aliquod percuteretur gladio,& effunderetur sanguis illius ad confirmationem pacti , & quia istud pactum firmum esse debebat, fœdus percuti dicitur. *Vt suscitet te in populum sibi.* Id est quod specialem curam de te habeat,sicut si tu solus esses populus eius. *Et ipse sit Dominus Deus tuus.* Id est Deus demonstrans bonitatem suam,& magnitudinem tibi benefaciendo , & exaltando, & non intelligitur. *Et ipse sit Deus tuus.* Scil. per specialem cultum, quia specialiter Deum colere ad meritum pertinet, & non ad præmium : ideo hoc se tenet ex parte populi : ea autem quæ hic dicta sunt pertinent ad præmium, quod Deus daturus erat pro seruitio sibi specialiter facto. *Sicut iurauit patribus tuis Abraham.* Vt patet Gen.13.& 15.c. *Nec vobis solis hoc fœdus ferio.* Id est non solum facio hanc conuenientiam , vel pactum vobiscum. *Sed etiam cunctis præsentibus, & absentibus.* Vocantur absentes cæsores lignorum,& portitores aquarũ, qui non erant in castris,quando ista dicebantur, vt patet supra, vel vocantur absentes illi qui futuri erant post de semine istorum,qui etiam obligabantur ad custodiendam istam legem , & patres tenebantur docere eos, vt patet supra 6. c. sed melior est prima expositio, quia non proprie dicuntur absentes qui nondum sunt , & hæc fuit ratio quare Hieronymus mutauit de litera hebraica, vbi supra dicitur. *Exceptis lignorum cæsoribus.* In hebræo enim habetur *Etiam lignorum cæsores.* In hebræo enim multoties fit talis mutatio , vt etiam ponatur affirmatio pro negatione, vt habetur supra 20. c. vbi dicitur in litera nostra. *Lignum est & non homo.* In hebræo dicitur. *Quia lignum campi est homo.* Sic etiam dicitur Genes 8.c.de coruo quem misit Noe,quod ibat,& non reuertebatur donec siccarentur aquæ: in hebræo dicitur,ibat & reuertebatur donec siccarẽtur aquę: vbicũque autem Hieronymus fecit aliquas similes mutationes , erat quia videbat rationabiliter sic literã stare non posse, sed cum suppletione aliqua intelligendam fore. Nam cum dicitur hic in hebræo Genes.8. ibat & reuertebatur,videbatur innui quod coruus rediret apportans legationem ad quam eum miserat Noe , sed nihil tale apportabat, quia tunc non oportuisset mitti columbam post eum , sed missa est, vt patet in litera eiusdem text. rationabiliter ergo littera nostra ibi addidit,non,ita vt diceret,ꝙ ibat, & non reuertetetur,& supr.20. ca. Vbi litera nostra dicit, quod lignum est & non homo, & litera hebraica dicit quod lignum campi est homo , rationabiliter mutatum fuit , quia non est ista locutio vera lignum campi est homo, nisi per suppletionem, hic autem cum dicitur. *Præter lignorum cæsores, & hos qui comportant aquas.* Et litera hebraica habet & lignorum cæsores, & qui comportant aquas. Mutatio videtur esse facta hic rationabiliter valde ex duobus. Primo,quia isti portatores aquarum , & cæsores lignorum habent officia,quæ sunt extra castra: ideo habebant occasionem,vt existerent extra castra, quod non erat de aliis qui operabantur in castris. Item quia ista officia erant semper necessaria,semper enim aquæ necessariæ erant,& ligna: si autem interdum quo recitaret Moyses omnia verba libri huius,isti cessarent, non essent aquæ in castris, nec ligna ad necessitates castrorum : ergo semper isti vacabant officio suo, & sic non possent manere in castris audientes verba Moysi. Secundo patet,quia isti qui comportabant aquas, & cædebãt ligna , erant viri inter alios imperfecti , quos non oportebat vocari ad illam concionem, sed satis erat quod postea recitarentur eis ista verba Moysi ab audientibus. Item quia isti qui erant imperfectissimi, & quos ex natura officij sui oportebat manere extra castra, si forte in castris mãsissent audientes sicut cæteri,non oportebat hic specialiter eos nominari , quia mansissẽt in castris:sed intelligerẽtur nomine aliorum. Hic autem exprimuntur cum alijs:ergo dicendum est , quod exprimantur ad excludendum eos ab auditione huius legis, & non ad assertionem,quod cum alijs fuerint,in alijs multis similiter se habet litera hebraica, & mutat Hieronym. Quod cunctũ habenti granũ intellectus videbitur disertissime esse factũ. *Vos enim nostis.* Hic ponitur tertiũ,sc. transgressorũ punitio, & est duplex pœna. Prima est cõsumẽs destructio. Secũda est ab alijs facta derisio ibi. *Dicetq; sequens generatio, vos enim nostis.* Hic valde prohibet idololatriam, & allegat rationem verisimilẽ , quod aliquis eorum potuerit apud se aliquos Deos habere,quos colat,vel forte, quod corda eorum essent inclinata ad Deos gentium, quos viderant, & ad ritus eorum: ideo mandat cauere , vt ex hinc nullus ad talia moueatur, quia magis nunc peccabit,quam ante.

Quomodo habitauerimus in terra Aegypti. In qua poterat aliquis de nobis addiscere idololatriam.

Et quando transierimus per medium nationum. Sc. per Idumæos, vt patet supr. 2.c.& per regum regis Arad,vt habetur Numer. 21.c.& per terram Madianitarum,vt patet Numer.31.c.& per regnum Seon,& Og,vt patet supr. 2.& 3.c. Et omnes hi erant idololatræ.

Ne forte sit inter vos vir aut mulier. Admonebat eos , vt quilibet intra se recederet à cultu idolorum,quia si hoc per iudicem comperiretur,fieret sicut habetur sup 17.c.

Familia aut tribus. Familia est aliqua specialis cognatio sub tribu,& poterat esse vna tota familia corrupta ad hoc,vel tribus inducente aliqua persona, maxime si illa erat magnæ auctoritatis.

Vt vadat & seruiat diis illarum gentium. Id est quod ita habet in corde, quod vult ire ad colendum Deos gentium quas vidit.

Et sit inter vos radix germinans amaritudinem. Id est persuadens tacite aliquos de vobis ad idololatriam, quæ est magna amaritudo animæ. *Cumq; audierit verba iuramenti huius.* Id est verba legis huius quæ pro iurata habetur affirmante Deo & vobis. *Benedicat sibi in corde suo.* Id est promittat sibi securitatem intra se non audens in publico confiteri. *Dicens pax erit mihi & ambulabo in prauitate cordis mei.* Id est etiam si ambulem in prauitate idololatriæ in pace ero, quia Deus non puniet me, nec aliqua mala mihi eueniunt. *Et assumat ebria sitientem.* Id est ille qui ante erat vt ebrius, sc. ignorans quid faceret,nunc assumet sitientem,id est fiet sicut sitiens , scilicet qui non est ebrius, sed scit quid agit, & est sensus,isti qui ꝓmiserint sibi securitatem permanendo in idololatria,erunt sicut ille, qui ante ex ignorantia peccabat, nunc autem peccat ex certa scientia, & hoc detestabilius erit:vel aliter , ebrius dicitur, qui ex vini nimia potione pertubatus mente est; nec scit quid facit , & nihil ex volũtate agit,sed ex animi perturbatione, sciẽs dicitur qui ex desiderio agit. & iste nimis peccat , sic isti si ante idola colerent , ebrij vel ignorantẽs faciunt, si autem post prohibitionem facerent , ex nimio desiderio hoc erit.

D

Mutatio facta in litera.

E

Trãsgressorum punitio.

F

Litteræ sensus.

Litera hebraica.

A

An aliquis possit dici ignoranter colere idola.

QVÆST. IV.

SED nunquid potest aliquis dici ignoranter colere idola?

Respondetur quod non, quia tunc non essent culpabiles sic adorantes, sed falsum: quia omnis idololatra gehennæ reus est: quia naturaliter Deum cognoscere possunt, quantum sufficit ad saluationem, & cultum idolorum fugiendum: si ergo idola colat inexcusabilis est, vt patet ad Rom. 1. c. maxime quia quilibet si se disponit quantum naturaliter ex libero arbitrio potest, immediate à Deo illuminabitur ad salutem animæ, vt patet de Cornelio. Act. 10. c.

Et Dominus non ignoscat. Quando peccata sunt ex ignorantia vel infirmitate (quia ex fragili massa sumus) Deus faciliter ignoscit: quoniã ipse cognouit figmentum nostrum, cum autem peccatum ex pura malitia committitur, non ita faciliter sibi Deus ignoscit, licet semper ignoscit si venia petatur, quantumcunq; peccatum sit.

Sed tunc quam maxime. Id est valde vel fortius.

B

Furor eius sæuiet. Id est pœna à Deo inflicta tunc maior erit, quam si alias crimen committeretur.

Zelus quid sit.

Et zelus contra hominem illum. Zelus est amor priuatus nolens habere consortium in amato, Deus autem singulariter vult adorari, & sibi sacrificari, nec vult, quod iste honor alicui alteri, quam sibi detur: ideo quãdo aliquis colit alium quam Deum ex zelo, quem habet punit talem cultorem.

Vt sedeant super eum omnia maledicta. Id est maledictiones: & dicitur sedeant, quia sedere immobilitatem dicit: istæ autem maledictiones non solum venient super peccantem, sed etiam tenebunt eum donec destruat, vt patet sup. præcedenti c.

Et deleant nomen eius sub cælo. Id est quod moriatur, & non nominetur vltra nomen suum in terra.

Iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius continentur.

Id est præcedenti c. vbi finitur lex: hæc autem non dicuntur de lege, licet aliquo modo pertineant ad legem: & similes maledictiones habentur Leui 26. c.

Ab aliis facta derisio.

Dicetq; sequens generatio. Hic ponitur secundum. Scil. ab alijs facta derisio, quia aliæ gentes videntes pœnas, & miserias inflictas istis deridebant eas, & hoc ad malorum, & pœnarum incrementum est: quia est misero peius derisio quam dolor eius.

Dicetq; sequens generatio. Id est filij, qui nascentur ex his male operantibus.

Et peregrini qui de longe venerunt. Sc. ad habitandum in terra vestra, vel negociandum inter vos, siue vt conuertantur ad iudaicum ritum.

C

Sulphure. Id est pluens super eam sulphur ad fœtorem, & terræ combustionem, quia sulphur naturæ igneæ est.

Et solis ardore. Id est magna, & inconsueta solis caliditate donec reducatur terra in puluerem, & inepta sit ad germinandum.

In exemplum subuersionis Sodomæ. Id est sicut illæ ciuitates subuersæ sunt, & terra illa facta fuit in vtilis ad germinandum, serendum, vel plãtandum: ita fiet terra tua: de hac subuersione habetur Gen. 19. c. Et aliqui dicunt quod quinq; ciuitates subuersę sunt inter quas ponunt Segor: sed non legitur de Segor quod subuersa sit, & patet hic veritas quoniam solum 4. ciuitates ponuntur subuersæ.

Quæ subuertit Dominus in ira, & furore suo. Quia viri sodomitæ valde peccatores erant coram Domino abutentes natura.

Quæ est ira furoris eius immensa. Ex magnitudine pœnæ arguitur magnitudo iræ Dei punientis, & quia ista terra virorum peccatorum erit desolata quasi Sodoma, ideo arguetur ex hoc iram Dei contra terram istam fuisse valde magnam.

Et seruierunt diis alienis. Faciendo, quæ mandabant sacerdotes illorum Deorum: & colebant eos offerendo eis sacrificia & quærendo ab eis responsum.

Et adorauerunt. Faciendo eis reuerentiam.

Quos nescierunt. Quia patres eorum colebant eos ab antiquo, sed ipsi nouiter eos colere inceperunt.

D

Vel quos nescierunt. Id est de quibus non patet eis, quod sint dij, quia non fecerunt aliqua opera mirabilia, per quæ deitatem suam demonstrarent.

Quibus non fuerunt attributi. Id est quibus non fuerunt dati in custodiam, & defensionem, quia dij gentium non custodierunt filios Israel à malis, sed Deus verus.

Et eiecit eos de terra sua. Et sic mansit terra deserta, & munitiones diruti: & vniuersa, quæ visu pulchra erant, consumpta fuerunt, de quo peregrini de longe venientes admirabantur, vt supra patuit.

Sicut hodie comprobatur. Refertur hoc ad tempus in quo ista mala venissent super eos propter peccata sua.

Abscondita à Domino Deo vestro. Refertur ad superiora, quia dicebatur, quia omnia mala inducta fuerant à Deo super gentem peccatricem, hic autem ponit modum huius punitionis, sc.

Abscondita à Domino Deo vestro. Id est omnia peccata aut sunt sunt occulta, aut manifesta, si autem occulta à Domino Deo nostro puniuntur: & hoc dicit.

Abscondita à Domino Deo vestro. Id est abscondita à Deo puniuntur: si autem peccata sint manifesta, puniri debent à iudicibus secundum leges datas, & hoc est quòd dicitur.

E

Quæ manifesta sunt vobis, & filiis vestris. Id est peccata manifesta per vos, & filios vestros, qui iudices sumus, puniri debent vsq; in æternum vt faciamus omnia verba legis huius, id est ista puuitio à Deo, & nobis durabit vsq; in æternum, vt semper custodiamus verba legis, quia timor facit custodire legem, vel aliter.

Abscondita à Domino Deo. Possunt esse ista verba Iudæorum positorum in magnis calamitatibus, & refertur ad immediata: quia dictum fuit, quod omnia mala venerunt super transgressores legis sicut hodie comprobatur: tunc loquuntur Iudæi positi in calamitatibus.

Abscondita à Deo vestro. Id est, quia Deus vester non considerat ita, quòd licet videat vos mala pati auertit oculos dissimulaudo, & non liberando, quæ manifesta sunt vobis.

Et filiis vestris. Id est nos, & filij nostri ista cognoscimus, quia actualiter illa patimur.

Vos enim nostis. Cum semper hoc vitium idololatriæ fuerit potissimum, quod maxime statum legis veteris destruebat: Deus maxime illud intendebat vitare, & ad hoc inducit hic quædam præambula ad probandum verisimiliter, quod ipsi haberent aliquam radicem idololatriæ, & concludit postea, quod eam maxime debeant fugere.

Vos enim nostis quomodo habitauerimus in terra Aegypti. Omnibus hoc notum erat cum adhuc ibi starent plurimi, qui de Ægypto exiuerant. Nam iste erat annus quadragesimus, in quo stabant in deserto post exitum de Ægypto, & erant de illis, qui exierant de Ægypto valde multi, qui toto illo tempore superuixerant. Et si arguas, quod soli Iosue, & Caleb intrauerunt in terram Chanaan de illis, qui exierunt de Ægypto.

F

Respondetur, quod multi alij introierunt, & valde multa millia forte plura quam centum millia: & cum dicitur quod soli Iosue, & Caleb introierunt, verum est quantum ad illos, qui numerati sunt in numero bellatorum. Nam quia murmuraverunt Israelitæ contra Dominum in deserto Pharam tulit Deus sententiam contra eos, vt nullus de viris illis, qui computati fuerant in numero bellatorum à viginti annis supr. intraret in terram Chanaan præter Iosue & Caleb, vt pater Numer. 14. c. & sicut ibi ponitur comminatio huius pœnæ, & verbalis prolatio sententiæ: ita postea ponitur narratio eiusdem inflictæ vt habetur Num. 26. c. vbi facta fuit alia numeratio Israelitarum, & non fuit in illa aliquis de illis, qui in prima numeratione fuerant præter Iosue & Caleb. Item sup. 2. c. ponitur, quod antequam transirent Israelitæ torrentem Zareth, qui est ante confinia terræ Moabitarum, & antequam intrarent in terram Seon regis Esebon, & Og regis Basan, mortui fuerunt omnes viri bellatores, qui computati fuerant, quia manus Domini fuit contra eos, vt disperderet eos de castris. Alij tamen, qui non fuerunt nominati non perierunt, quia non fuit contra eos prolata sententia de non in-

trando in terram promissam: & isti erant, qui non erant 20. annorum, quando fuit facta numeratio ista in 2. anno exitus de Ægypto mense 2. prima die mensis vt patet Num. 1. & sic fuit 13. mensibus post exitum de Ægypto, qui ergo in exitu de Ægypto non erant annorum 19. completorum, ita, quod deficeret eis mensis vnus, & aliquantum plus, non fuerunt cõputati, & contra nullum istorum fuit lata sententia, nec mortui fuerunt in deserto nisi ex aliquo casu euenisset quempiam mori in aliqua murmuratione: alias non erat in tribubus eorum infirmus, sed multi erant paruuli egredientes de Ægypto, & pueri, & adolescentuli, qui non erant annorum 19. completorum, quando exierunt de Ægypto: ergo de istis essent nunc viuente Moyse plurimi, & fere omnes præsentes, qui testificari possent quomodo in Ægypto morati fuissent. Item mulieres hoc cognoscebant, quia ista sententia fuit prolata contra solos viros bellatores, qui erant numerati, sc. à 20. annis & supra, cõtra fœminas aũt non fuit data sentẽtia quãtum est ex forma sentẽtiæ, si aũt forte aliqua mulier peccasset in ista murmuratione sicut viri, puniebatur à Deo sicut puniebatur vir qlibet, tamẽ nõ ferebatur sentẽtia generaliter cõtra fœminas alicuius ætatis sicut ferebatur generaliter contra viros, qui erant computati, sc. qui erant annorum. 20. & vltra quando lata fuit ista sententia. Item leuitę hoc scire poterant, qui prẽsentes erant, quia ista pœna non fuit inflicta contra leuitas, quia in verbis sententię solum fuerunt expressi viri bellatores, satis ergo poterat dicere Moyses vos nostis quomodo habitauerimus in Ægypto, quia plurimi illorum per se in Ægypto, steterant, alij autem erant filij eorum, qui steterant in Ægypto, & clarissime hoc cognoscebant referentibus omnibus alijs. *Quomodo habitauerimus in terra Aegypti.* Hoc ponit ad innuendum, quod aliqui eorũ essent adhuc idololatræ, in Ægypto habebant magnam occasionem ad colendum idola: immo & vere coluerunt, vt declarauimus Exod. 1. c. in fine: hoc autem signat Ezechiel propheta sæpe loquens contra Israelitas dicens fornicatos fuisse eos in Ægypto in adolescẽtia sua, & q ibi confractæ sunt mãmæ pubertatis gentis Iudæorum, & subacta vbera eius: & ista fuit causa quare Deus permittebat afflictiones Ægyptiorum ingrauari super eos. Erat igitur satis probabile, quod illi, qui in Ægypto steterant, & adhuc supererant, & viderãt in Ægypto fieri abominationes idololatriæ, sc. coli bouem, qui vocabatur Apis Deus magnus Ægyptiorum, & Amonẽ, sc. Iouem, qui humana effigie cum arietino capite pingebatur, & cornibus recuruatis, & multos alios Deos in quibus fatua Ægyptus testimonio Lucani abundauit, inclinarentur ad faciendum similia, & sic fecerunt in 1. anno quod de Ægypto exierunt in mẽse 4. eiusdem cum petiuerunt sibi fieri Deos, qui præcederent eos, sc. Deos metallinos habentes virtutem cælestem, ita vt moueri possent coram Hebræis, & monstrare eis viam præcedendo vt dicitur Exod. 32. c. fac nobis Deos, qui non præcedant, id est qui ambulent coram nobis in via, & patet hoc, quia petebant hos Deos in defectum Moysi qui solebat præcedere eos iudicando eis, & faciendo moueri castra, & in omnibus dirigendo, ita volebant nunc loco eius aliquos Deos, qui scirent respondere ad quæsita, & eis viam demonstrarent præcedendo eos: sic enim innuitur Exo. 32. c. cum dicitur vidẽs populus, quod moram faceret Moyses descendendi de monte congregatus est ad Aaron dicens: surgens fac nobis Deos qui nos præcedant: de his valde multa diximus Exo. 32. petebant igitur talem Deum hebræi qualem aliquando in Ægypto viderant, sc. taurum aureum, qui præcederet eos, sicut Apis Deus erat Ægyptiorum, & bos, siue taurus: quia non erat cristatus, & præcedebat Ægyptios canentes atq; saltantes post eum, vt ait Solinus in polyhistor. c. de Ægypto. *Et quomodo transierimus per medium nationum.*

Deus quare Aegyptiorũ afflicti ones ingrauari permittebat.

Transire per medium nationum est duplex.

QVÆST. V.

TRANSIRE per medium nationum stat dupliciter, aut transire per medium terrarum aliquarum nationum, ita quod transeat per confinia duarum nationum, & per nullam terrarum illarum intret, aut transire per medium nationum. Id est per terram ipsarum nationum. Primo modo non accipitur hic, quia tunc non viderent aliquas abominationes, vel idola gentium, cum ad nullam earum accederent: sed hic dicitur, quod viderunt abominationes, & idola: vtroque autem modo transierunt Hebræi per medium nationum; sed hic solum accipitur pro secundo modo: transierunt namque Iudæi per aliquam partem terræ Edom: sed ibi nihil videre poterant, quia non accedebant ad loca, transierunt etiam inter regionem Amalechitarum, & aliarum nationum, sed in terra Amalech nihil viderunt, cum non intrauerint in eam, sed euntes vt ascenderent per mõtem in quo erant Amalechitæ descendentibus illis fugerunt, atque ab illis cæsi sunt, vt patet Num. 14. c. transierunt autem per medium nationis Madianitarum, & hoc fuit accipiendo secundo modo, sc. intrauerunt illam terram vt patet Numeri 31. c. cum ibi occiderint quinque reges Madianitarum, & gentes eorum, vt patet præcedenti ca. trigesimo primo. Num. & ibi potuerunt Israelitæ videre abominationes gentium, transierunt etiam per regnum Chananæi regis Arad, quia cum illa gens feciisset prædam in Iudæis & deuicisset eos, Israelitæ deuouentes illam gentem Domino, si ttaderet eam in manus eorum deleuerunt eam, atque terram eius subuerterunt omnia gladio, & igne vastantes, vt patet Numer. vigesimo primo capit. transierunt per terram Seon & Og regum Amorrhæorum occidentes Amorrhæos illius vt patet Numer. 21. & Deuteronom. 2. & 3. cap. & cum isti intrarent domos illarum gentium ad prædam, & in fana Deorum suorum, videbant omnes Deos lapideos, ligneos, metallinos, quos colebant illę gentes. *Vidistis abominationes & sordes.* Declaratur immediate, quæ sint abominationes, & sordes, & dicitur quod istæ sunt idola facta de lapide, & ligno: omnia nãq; q talia sunt, abominatur Deus, & oẽs qui faciunt ea, & cõfidũt in eis. vocatur sordes, quia sordidum quid est q homo, q creatura rationalis est, subijciat se ad honorandũ tanq Deos hæc, quæ indignissima sunt: & isto modo loquitur Deus supr. 7. c. sculptilia eorũ igni combures, nec concupisces aurum, & argentũ, de quib. facta sunt: nec assumes quicq ex eis, nec offendas: propterea quia abominatio est Domini Dei tui: nec inferes quippiã ex idolo in domum tuã, ne fias anathema sicut, & illud est, quasi spurcitiam detestationis, & velut inquinamentum, & sordes abominationis habebis: quia anathema est. *Ne forte sit inter vos vir aut fœmina.* Incipit adducere paulatim intẽtam conclusionem, sc. vitandam esse debere idololatriam & hoc applicando dicit, quod iste transitus erat eis causa inclinationis ad idololatriam, cum vidissent idola, quæ eos ad colendum allicere possent, & poterat aliquis in corde suo colere idola, & retinens apud se aliqua quæ occulte rapuisset, occultum eis honorem impendere, sicut Rachel furata fuit idola patris sui Laban ignorante Iacob: & tenuit ea abscondita magno tempore, quousque post exitum de ciuitate Sichen, vt venirent in Bethel, Iacob accepit omnia idola quæ erant in familia sua, & infodit ea subter terebintum, quæ est post vrbem Sichen, vt patet Genes. 35. cap. sed hoc faciebat Rachel, quod tenebat idola illa, sed non colebat. *Vir aut fœmina.* In his erat periculum si cor alicuius horum esset alienatum à Deo, vt iret, & coleret Deos alienos, & ad hanc alienationem induceret alios. *Tribus aut familia.* Ista erat valde magna auersio à Deo, quæ celari non poterat; & in qualibet harum cum erat nota, erat certa pœna statuta infligenda vt patet supr 13. & 17. c. *Cuius cor auersum est hodie.* Non dixit, quæ colat Deos alienos, sed cuius cor auersum est hodie à Domino Deo vestro, vt vadat, & seruiat dijs illarum gentium quasi dicat licet nunc actualiter & publice non colat, tam tamen in corde suo concepit vt colat. Nam de cultura actuali ipsi cognoscere poterant, & infligere pœnam. In hac etiam auersione mẽtali solum quæ est in principiũ futuræ auersionis realis, & nũc non

A

Poterat cognosci, ponit Deus comminationem, quod talem habentes destruentur. *Vt vadat & seruiat diis.* Non dicitur, vt vadat & seruiat, quasi solum colere possunt isti idolola eundo ad alias gentes, & cohabitando eis, discendoque eorum mores & colendo Deos eorum. Nam etiam in terra promissionis poterant Israelitæ ire, & colere Deos alienos, & satis patet quod hic intelligatur de cultura idolorum, quam facerent Israelitæ in terra promissionis, & non de ea quam extra facerent, quia hic comminatur Deus pro talibus sceleribus destruendam terram promissionis, sicut fuit destructa Sodoma, & Gomorra: sed si hic acciperetur de illis Iudæis, qui irent ad gentes alias ad colendos Deos earum, non poneretur pœna desolationis terræ promissionis, cum existentes in illa non peccarent, sed ponitur deletio eius, ergo peccatum de quo hic agitur in ea committendum erat, dicitur igitur. *Vt eat & seruiat diis aliarum gentium.* Id est vt recedens à cultu Dei in quo erat, vadat ad Deos alienos, scilicet applicando cor suum illis, & incipiendo eos seruitio honorare. *Diis illarum gentium.* Scilicet dijs gentium per quas transierunt, quia cum non cognouissent quales erant dij aliarum gentium, non inclinarentur ad colendum eos: quia nemo fertur in incognitum: Deos autem gentium harum per quas transierant, cognoscebant cum vidissent eos, hos ergo colere desiderarent.

B

Et sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. Talis auersio mentalis alicuius viri, aut fœminæ, familiæ, vel tribus erat radix germinans amaritudinem, & fel, id est germinans in alijs eandem auersionem, donec crescat per omnes Israelitas. Vocatur ista radix, quia radix occulta est sub terra, & tamen ex ea nutriuntur omnia, quæ foris patent in arbore: ita ex ista occulta auersione procederent omnes exteriores actus cultus idolorum: vel vocatur radix, quia sicut ex vna radice multi rami arboris generantur, ita ex illa auersione in vno viro, aut fœmina, familia, vel tribu in omnibus alijs Israelitis oriretur auersio, ideo autem vocatur radix, quia sicut radix est principium à quo arbor esse recipit, ista mentalis auersio est principiū omnis realis, & publicę auersionis, cæterorumque malorum, quæ postea sequerentur. *Germinans fel, & amaritudinē.* Ista est idololatria, quæ est fel siue amaritudo, faciens amaricare animam eius in quo est, ne aliquod bonum opus ei bene sapiat: vel quia omnibus virtutibus hæc sola quædam amaritudo, & pestiferum venenum est. *Cumque audierit verba iuramenti huius.* Id est verba legis huius iuratæ, dicitur enim iurata lex hæc, quia pactum faciebant cum Domino, vt obseruarent legem hanc sicut legem, quæ data fuit in Oreb: pactum vero iuramento firmatur, aut quibusdam alijs cæremonijs, quæ æquiparantur iuramento, aut maiores forte sunt.

C

Cum audierit verba. Scilicet nunc quando vobis ego recito ea, vel postea quando ponetis maledictiones, & benedictiones huius legis super montem Hebal, & Garizim vt patet supr. 27. c. aut quamdiucunque audierit legem istam, nam de septennio in septennium legitur coram toto Israele conueniente ad locum Sanctuarij in festiuitate tabernaculorum vt patet infr. 31. c. *Benedicat sibi in corde suo.* Benedicere sibi est bonum sibi imprecari, aut bonum sibi prænunciare futurum. Imprecari bonum non est hic aliquid speciale, quia quilibet homo siue malus, siue bonus imprecatur sibi bonum, sed accipitur pro prænunciatione boni futuri, & patet in litera infra cum subditur pax mihi erit, & ambulabo in prauitate cordis mei. *In corde suo.* Id est quando aliquis ista dixerit non dicet publice: quia non audebit cum hoc sit infringere legem, & repugnare veritati eius asserendo non esse sic euenturum, vt ipsa futurum, prænunciat. *Pax mihi erit, & ambulabo in prauitate cordis mei.* Id est ego non timeo, ꝙ veniāt super me ea, quæ continentur in hac lege: quia pax mihi erit id est securitas ab omni nociuo. *Et ambulabo in prauitate cordis mei.* Id est etiam si faciam mala, quæ nunc facio. *Et Dominus non cognoscat ea.* Ista omnia se habent consequenter quasi dicat si aliquis colens idola post istam legem prenunciatam ei, coluerit idola cum desiderio eis adhærens, Deus non miserebitur peccato huius, quia ex magna malitia procedit & cōtemptu Dei. *Sed tunc.* Scilicet quando sic audiens aliquis non curauerit recedere ab illo malo, sed magis dederit sibi magnam spem, quod non veniet ei aduersum, insurgebit ira Dei.

Benedicere sibi quid sit.

Furor eius æstuet. Dicitur furor Dei pœna dura ab eo alicui inflicta, quæ eum valde furibundum valde designare posset, licet non sit, quia talis pœna ab aliquo alio si inferretur, videretur ex furore procedere. *Et zelus contra hominem illum.* Sicut zelus est amor quo aliquis singulariter vult amari, ita zelus quoque est dolor, quod eo neglecto alius ametur, & iste est valde magnus dolor & iustus, quem aliquis compescere non potest, vt leges humanæ protestantur, vt patet digestis de adulterijs in lege gracchus, eodem modo Deus cum dicatur habere zelum id est volūtatem, vt ipse solus colatur, si aliquem alium colere voluerimus, aut actualiter coluerimus, contemnimus eum, & tunc iustissime dolere dicitur, & zelus eius æstuit in nos. *Vt sedeant super illum omnia maledicta.* Id est zelus Dei, & furor eius tantum accendetur contra hominem istum, vt faciat eum premi valde inducendo super eum omnes maledictiones, quæ scriptæ sunt in hoc libro, & dicitur. *Vt sedeant.* Quia sedere signat firmitatem, & immobilitatem. Et est sensus, quod non solum Deus induceret mala ista super eum, qui peccaret: sed faceret quod maneret super eum immobiliter, donec consumerent eum: quia continuata iniquitate ista cordis, Deus continuaret punitionem vsquequo deleret peccantes: vel vsquequo desisterent à peccato, vt patet Leuitic. 26. capitulo. *Omnia maledicta.* Id est omnes maledictiones. *Quæ scripta sunt in hoc volumine.* Et non solum hæc, sed multa alia, quæ non sunt scripta hic, vt dicebatur supra præcedenti capitulo, & deleat nomen eius sub cælo, id est faciat, quòd non nominetur nomen eius sub cælo, scilicet in terra quasi dicat ille, qui taliter peccauerit, à Deo punietur quousque moriatur, & per mortem tolletur de superficie terræ, & nomen quoque eius peribit, quia non nominabitur post mortem. Hæc etiam pœna quædam à Deo inflicta est, vt non maneant nomina mortuorum. Nam mali desiderauerunt dum vixerunt, vt nomina eorum manerēt post mortem: Deus autem totaliter eis aduersans facit, vt nomina quoque post mortem non maneant, quia perit memoria eorum cum sonitu, vt patet Psalm. nono. Et aliquis miser, & pauper moritur, qui quādiu fuit vixit inglotius, post mortem vero famæ eius præconia restant. Impiorum vero nomina tāquam in tenebris sint, à nemine cognoscuntur: & si morientibus ipsis cum strepitu illo ad paucum tempus quædam leuis memoria superstes sit, paulisper tamen facta mutatione tanquam debilis scintilla extinguitur, de his sapientiæ 2. & 4. & 5. capitulis scilicet transieruut hæc tanquam vmbra, & tāquam ventus præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum transierit non est reperire vestigium, aut auis, quę transuolat in aere cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tātum sonitus alarum verberans leuem ventum, commotisq; alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius, aut tanquam sagitta missa in locum destinatum, diuisus aer continuo in se recluſus est, ita vt ignoretur transitus illius.

D

E

Et consumat eum in perditionem. Id est finiat eū perdere quasi dicat quando aliquis modicum peccat, Deus incipit illum perdere, sed si in hoc contumaciter permaneret, Deus finiret punitiouem illius vsq; ad totalem eius extinctionem. *Et omnibus tribubus Israel.*

F

Id est faciet, quòd non sit in aliqua tribu Israel. *Iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius continentur.* Id est Deus consumet talem virum sicut exprimebatur in maledictionibus positis in hoc libro, sunt autem istæ maledictiones positæ pręcedenti capitulo, ibi est catalogus maledictionum, & in capitu. 27. vbi ponebantur maledictiones dādæ super montem Hebal, & quia istud capitulum non est, vbi ponuntur maledictiones facit mentionem de alio tanquam de alio alieno ab hoc.

Dicetq; sequens generatio. Omnia, quæ homines à via dimouere possent, ponit hic Deus, pœnæ namq; faciunt recedere à peccatis: licet iste modus non peccādi imperfectorum est, quodcunque ergo sit quòd rationem pœnæ vllo modo habeat est natum ad exterrendum à peccato: pœnæ autem non sunt tātum in rebus: sed etiā in vocibus, nā verba contumeliosa ita pungunt sicut verbera: immo generosi animi potius paterentur verbera, quam verba, & ista verba non solum affligunt cum in faciem alicuius proferuntur, sed & cum timet sibi esse in futurum dicēda, aut quod post mortē in eū male-

dicta iactabuntur, solentque interdum mali sola maledictorum in eos post mortem expectatione ab aliquibus malis, quæ alias facturi essent, dimoueri: & hoc modo fecit hic Deus, quia cum posuit omnia genera pœnarum realiter infligẽdarum, & corporaliter experiendarum, nouissime posuit pœnas illas, quæ in verborum prolatione sunt, & hoc post mortem peccantium, vt etiam sic aliqualiter de læsione famæ superstitis mouerentur. nam si isti peccarent, & Deus infligens eis istas pœnas deleret eos, & terram eorum destrueret, illi qui postea terram illam viderent, dicerent, quod ideo quia populus iste pessimus fuerat, talia in eum facta sunt: quod erat lędere famam ipsorum. *Dicetq; sequens generatio.* Id est alia generatio, quæ fuerit post eam, quæ nunc est, quæ ei succedet. *Et filij qui nascentur.* Id est, filii istorũ peccatorum punitorum, qui nascentur ex eis siue immediate siue mediate, maxime autem intelligitur de his qui nascuntur mediate, scilicet, de nepotibus, & pronepotibus, qui non viderunt inflictionem plagarum, nec ad eos proxime peruenit notitia, vnde magis admirari possunt tanquam de eo cuius radicem ignorant.

An isti, qui mirari debebant sint filij Iudæorum, vel alij homines.

QVÆSTIO VI.

B DVBITABIT aliquis vtrum isti filii intelligantur esse filii istorum, qui puniuntur immediate, siue per successionem descendentes ab eis, aut sint alij homines, quia omnes qui post inflictiones plagarum nascerentur, vocarentur filii licet non filii istorum: quia secundum morem sacræ scripturæ, & secundum morem poeticum aliquando ista nomina relatiua ponuntur non positis suis correlatiuis, vt in isto nomine filius de quo Cantico. 2. c. dicitur sicut malus inter ligna syluarum sic dilectus meus inter filios, & istud nomen nurus, & sic de cæteris. Ouidius namque in libris de arte amandi, & in alijs libris, cæterique poetæ vocant nurus omnes mulieres vxoratas in respectu ad socrus licet non exprimantur, & sic in cæteris: ita igitur hic vocari poterant filii omnes minores, qui postea nascerentur. Item conueniebat hoc, quia magis poterant homines extranei venientes ad illam terram post destructionem illius admirantes de illa dicere hæc, quæ ponuntur in litera, quam aliquis alius, quia in terra illa natus esset: quia iste cognoscere poterat, quis fuit casus ille, & vnde traxerit originem. Dicendum tamen est, quod accipiuntur hic filii pro veris filiis immediatis, vel mediatis, qui succedentibus parentibus suis post mortem eorum considerantes vltionem, quam Deus exercuisset in hanc terram, dicerent verba quę infr. ponuntur: & patet quod intelligatur de istis quia litera distinguit hic inter filios, & peregrinos: cum dicit filii qui nascentur deinceps, & peregrini, si autem non acciperentur filii pro filiis istorum, qui puniti fuerant, non esset distinctio inter peregrinos & filios, quia peregrini sunt: qui nati extra aliquam regionem postea ad illam veniunt, si autem isti, qui vocantur hic filii non essent eorum, qui in terra ista habitauerant, essent peregrini, quia extra geniti fuissent: & sic non distingueretur inter eos: sed distinguitur, ergo filii proprie accipiuntur pro filiis eorum, qui in terra illa habitabant.

C Item, quia dicitur, & peregrini, qui de longe venerunt, ex quo innuitur, quod alii, de quibus mentio fiebat, non venerant de longe, sed erant nati in terra illa: hoc autem pertinet ad filios proprie dictos. *Et filii, qui nascentur deinceps.* Ponit hoc, quia illi qui iam nati erant, quando istæ pœnæ infligebantur, non poterant dubitare de modo illationis istarum pœnarũ, & de causa propter quam infligebantur, quia temporibus suis cerneret vitia, pro quibus pœnæ istæ infligi deberent: ideo non admirarentur isti, nec dicerent aliquid, quia & ipsi partem pœnarum harum luerent pro patribus suis, filii tamen qui postea nascerentur inflicta plaga, non videntes eam infligi, nec causam inflictionis admirantes dicerent, quæ infra habentur. *Et peregrini qui de longe venerũt.* id est, illi, qui de aliis partibus venirent ad habitandum in terra illa, vel transirent per eam, quia isti habebant maius motiuum ad admirandum, cũ nunquam ad terram illam accessissent, sicut si nunc aliqui de nobis, vel magis adhuc de aliis gentibus sacrarum scripturarũ insciis, iret ad vallem, vbi fuerunt olim Sodoma, & Gomorra & aliæ vrbes, quę sulphure concrematæ ad vltimum euersæ sunt, videns terram illam sic vastatam miraretur, cum tellus ipsa pœnę suæ testis sit, & cuilibet respicienti quædam punitionis, & timoris species incutitur, iuxta illud quod ait Solinus in polyhist. c. 36. de Iudæa, scilicet longo Hierosolyma recessu sinus tristis panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta: & hoc exemplum de ciuitatibus his inducit, infra Deus. *Videntes plagas terræ illius.* Non vocantur hic plagæ terræ, plagæ alicuius populi habitãtis in terra: sed aliquæ forte mutationes factæ in terra diminuentes eam à sua perfectione, quæ in modum plagarum datæ sunt tanquam si darentur rei rationali, & patiẽti: & sunt quędam vastitas terræ, vt combustio arborum, vel agrorum, & fulminatio, & admiranda siccitas, & grando, & locustæ aliędque plagæ à Deo inflictę ad desolandum terram. *Et infirmitates.* Terra vel aliquod irrationabile corpus infirmitates non habet, cum infirmitates sint disproportiones qualitatum animalis facientium ad harmoniam: in rebus autem inanimatis nulla talis reperitur harmonia. possunt autem vocari infirmitates terræ aliquę infirmitates inductę in brutis animalibus, & in hominibus, ita vt morerentur omnia, & quia terra perdebat totum decorem suum perdendo ista indiuidua specierum, sicut ipsa indiuidua perire per infirmitatem dicebantur: ita terra dicebatur infirmari, vel dicitur pati infirmari, quia forte veniebat aliqua calamitas terræ, vt aer corruptus, vel nebula, vel quid huiusmodi. Et ista vltima expositio bona est: quia immediate ponitur expositio eius, scilicet infirmitates quibus eam Deus afflixit sulphure, & solis ardore comburens: istæ ergo sunt infirmitates. nam sicut vnus homo per istos labores frequentatos cito moreretur, ita per istas pœnas inflictas terræ, vocabat Deus infirmitates, quia sicut hominem ægritudo facit debilem, & alienatum à viribus, & ratione, ita istæ plagæ faciebant terram carentem viribus germinandi, sicut dicitur infra, ita vt vltra non seratur, nec virens quippiam germinet in exemplum subuersionis Sodomæ. *Sulphure.* Non misit Deus vnquam sulphur super terram Chanaan tempore quo eam possederunt Iudęi, quia peccata eorum non tantum apud Deum promeruerunt, vt terra sulphure cremaretur: sed erat Deus istam plagam immissurus, si forte peccata Iudęorum tantum incandescerent, sic enim misit super Sodomam & Gomorram ciuitates Pentapolis, quia viri illarum ciuitatum erant nimis peccatores coram Domino, vt patet Gen. 13. cap. & postea sulphure, & igne deleti sunt, vt patet Gen. 19. cap. *Et solis ardore.* Ista erat quædam pœna specialis, quæ etiam non fuit data in terra Iudææ specialiter, & est hoc cum aliquis æstus valde magnus vigeret, ita vt deleret cuncta, quę germinarent in terra. Et talis æstus accidit in Æthiopia, vt tantus calor fuerit, quod videretur sol magis accedere ad terram, & videretur esse tunc maioris caloris, & multa hoc calore noxio peribant penitus, & gentilitas putans in his causam esse id quod in diis suis ponunt, fiuxerunt solem currus suos tradidisse filio suo Phaëtonti. equi vero insolidum pondus agnoscentes per deuia cœli spacia discurrabant, ita vt nunc cælum stellatum petere viderentur, nunc versus Mercurium, & lunam breuiore nobis spacio appropinquarẽt, in qua appropinquatione omnia elementa pene excessiuo calore soluta tabescebant, fontes, & flumina desiccati sunt: & ipsa alma mater tellus rauisonis vocibus summum deorum patrem implorans, conqueſta est. tãdem Phaëton trifido fulmine vulneratus de curru cadens in fluuio Eridano tumulatus est; sic fabulam istam inducit Plato in Thimeo libro primo, & Paulus Orosius libro primo de ormesta mundi. *Ita vt vltra non seratur.* Terra seritur vt semina in ea iactata virtute eius alantur, & formentur in segetes: cum vero virtus germinatiua terræ deperit, non est oportunum eam seri, sic est si tantus calor tertam exuret, quia tunc velut cinis tota humiditate consumpta conuertitur in puram siccitatem, ita & terra tantum siccaretur, quousque tota virtus eius consistens in quadam humiditate grossa penitus solueretur, manentibus partibus terrę discompactis conuersis in cineres, aut in viuas solutis arenas: in quorum neutro vis germinandi est, nec seri prodest. *Nec virens quippiam germinet.* Germinare viride est ex humiditate, vbi autem humiditas illa deficit, non est aliqua virtus

Infirmitates terræ quid sint.

De calore nimio, qui accidit in Æthiopia antiquissimis temporibus omnia pene exussit. Quomodo fuit inuenta fabula Phaetõtis regẽtis currus solis.

germi-

germinatiua: est autem vis germinatiua quædam vis generādi reperta in terra, sicut in quolibet animali reperitur vis generandi secundum suam speciem : & ista fundatur in certa proportione humiditatis, cum vero illa humiditas exhausta est, dato quod postea magna & excellens superfundatur ipsi rei, nihil poterit germinare, quemadmodum est in cineribus, quia per actionem caloris soluta fuit humiditas totaliter, & virtus germinatiua, & licet postea totus cinis operiatur aqua, non propter hoc germinabit quicquam: quia virtus eius germinatiua extincta est, sic patet de seminibus, quæ coquuntur antequam iaciantur in terram, quorum virtus germinatiua exhalat per calorem excludentem, & postea licet iaciantur in terram, & veniat super ea multa aqua impossibile est nasci inde quicquam: in multis autem huiusmodi accidit. *In exemplum subuersionis.* Id est in similitudinem, quasi dicat vt sicut illę subuersæ fuerunt, ita & ista terra subuertatur. erat enim terra Sodomorum scilicet vallis illa, in qua erant quinque ciuitates facientes vocari regionem illam Pentapolim fertilissima inter alias regiones terrę Chanaan, & amœna valde in arboribus, quia tota irrigabatur Iordane, & erat sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor, vt patet Gen. 13. capit. postea vero mutata fuit in effigiem tristem de se monstrans fuisse à Deo percussam: nam arbores ibi poma gignunt, quæ cum visui grata sint, solam intus fatillaceam fuliginem habent in testimonium cœlestis illius ignis adhuc manentis, sicut ait Solinus in Polyhist. cap. 36. de Iudæa. *Sodomæ, & Gomorræ, Adamæ, & Seboym.* Quinq; ciuitates erant in valle, vnde vocabatur pentapolis, vt patet Sapientiæ. 12. cap. & ponuntur hic 4. vltima earum, quæ minor erat vocatur Bala vt patet Gen. 14. cap. siue Segor ab euentu vt patet Genes. 19. nec vt quidam autumant fuerunt omnes deletæ incendio, vt declarauimus super Gen. 19. cap. quod maxime hic cominatur, quia cum posuisset specialiter eas solas. 4. explicat non ponens Segor siue Balam, quæ precibus Loth fuit defensa, vt habetur Gen. 19. cap. *Quas Dominus subuertit in ira, & furore suo.* Ira & furor idem sunt, sed est multiplicatio verborum secundum modum loquendi vulgarem, vel potest distingui inter illa, ita quod ira sit paruus motus ad vindictam, furor sit quædam corporis efferata atque truculenta iactatio ex commotione mentis procedens, & hoc pertinet ad magnam iram: dicitur autem subuertisse Deus has in furore suo quia peccata ciuitatum istarum erant magna nimis, & Deus concitatus contra eas deleuit eas in exemplum æternum.

Et dicent omnes gentes. Hoc est quantum ad Iudæos peccatores, qui punirentur à Domino, & quantum ad terram eorum quæ subuerteretur, nam omnes gentes videntes talem desolationem dicerent ista verba, quæ sequuntur. *Quare sic fecit Dominus terræ huic.* Ista est quæstio non quidem ignorantium, & inquirentium, sed admirantium, quod patet immediate cum ipsimet responsum super hoc dent: sed modus est admirantium de aliquibus sibi notis inquirere mouente eos rei magnitudine. *Quare sic fecit Dominus.* Non dicunt quare sic factum est huic terræ quasi hostes hoc fecissent, vel naturaliter accidisset, sed quare sic fecit Dominus? quasi dicat quod magnitudo huius plagæ tanta erat quod satis liquidum erat à solo Deo inflictam fuisse. *Et quæ est hæc ira furoris eius immensa.* Id est quomodo Deus tantam iram incanduit contra istos, vt sic puniret eos, & terram eorum deleret? nam licet Deus puniat, misericors est, & non obliuiscitur misereri vsque in finem, quia miserationes eius super omnia opera eius, quod ergo tantum punierit, valde admirandum est, & vocatur ira Dei hic immensa, quia ira vt proprie accipitur in animalibus, est motus partis affectiuæ ad vindictam, & cum ista ira sit in ipso animali, & est aliquid spirituale, non potest cognosci in seipsa vtrum magna an parua sit. cognoscitur autem ex effectibus. nam cum ipsa sit ad puniendum, iudicabitur ex quantitate inflictæ pœnæ, si pœna parua, & ira parua fuisse monstratur, magna autem punitio magnam atque incandescentem indicat iram, sic autem erat in punitione Sodomorum, & significabatur futurum in punitione Iudæorum si peccatores contumaciter permanerent. nam fuit illa punitio amara nimis, vel durior infligi ei poterat quam quod ipsi cœlesti igne percussi cum suis ciuitatibus conflagrantes demum ad profunda terræ absorpti fuerint, ciuitatum suarum nullo manente vestigio : vocatur ergo ira maxima inflicta huiusmodi maxima punitione, sed maxima ira est, quæ immensa est, ideo immensa vocatur ista ira Dei. *Et respondebunt, quia dereliquerunt pactum Domini.* Ista responsio est eorum, qui istam quærebant, quia licet scirent, tamen admirabantur, ideo inquirebant, & confestim sibi ipsis respondebant. *Quia dereliquerunt pactum Domini.* Deus pepigerat cum Iudæis, vt eum solum colerent, & obseruarent omnia, quę in hac lege scripta sunt, vt patet supra 26. & 27. cap. & ea quæ scripta erant in lege data in monte Oreb vt patet Exod. 19. cap. & 24. cap. derelinquentes ergo pactum Dei irritam facientes fidem datam maxime puniri digni erant. *Quod pepigit cum patribus eorum.* Ad quod ita tenebantur filij secundum quod patres, quia Deus erat Dominus eorum sicut erat Dominus patrum suorum: præcipue cum Deus vellet etiam successores obligari. *Cum patribus eorum.* Quasi dicat quod istud peccatum, propter quod tanta desolatio veniret, non facerent isti, qui nunc viuebant, & susceperant legem, sed eorum successores, quia isti cum vidissent tanta mirabilia fieri, & punitiones in ipsos, non derelinquerent ita cito pactum Dei: sed successores, qui non recordarentur illorum, quæ Deus fecerat, & sic factum est, quia toto tempore quo vixerunt isti, qui exierunt de deserto introeuntes in terram Chanaan quo tempore rexit Iosue, & post eum alii senes, non peccauerunt filii Israel contra Dominum derelinquendo pactum eius: sed postea multo tempore, vt patet Iud. 2. c. cum dicitur & abierunt filii Israel vnusquisque in possessionem suam, seruieruntque Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo tempore vixerunt post eum : & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel.

Qui eduxit eos de terra Aegypti. Hic rememoratur istud beneficium ad maiorem aggrauationem peccati. nam cum tantū pro eis egisset, non debuissent derelinquere pactum eius. *Et seruierunt diis alienis.* Ponitur id in quo isti violauerunt pactū scilicet in colendo Deos alienos. nam potissimum quod in pacto continebatur erat, vt eum solum colerent ad nullum alium Deum inclinantes. *Et quibus non fuerant attributi.* Id est quibus non fuerunt recommendati: & hoc magis aggrauat peccatum. nam licet esset peccatum colere Deos alienos, scilicet dæmones quocunque modo colantur, tamen si illi qui colerent eos, reciperent ab eis aliquod bonum quod videretur pertinere ad beneficia, quæ à Deo sunt, vtpote, quod ille populus esset quasi commendatus illis diis, & illi facerent pro illo populo, non esset tantum peccatum, sed si illi dii nihil faciant pro aliquo populo & colantur ab illo, est maius malum, cum tunc dæmones siue illi dij per se colantur tanquam aliquid per se bonum habens in se numen. *Idcirco iratus est furor Domini.* Illa erat narratio iniquitatis Israelitarum. hic ponitur conclusio, quam inferrent gentes videntes desolationem istam scilicet. *Quod idcirco.* Id est, quia populus iste tanta patrauerit scelera, Deus iratus eis tantam intulit punitionem. *Iratus est furor Domini.* Ista est locutio ex superabundantia, quia debuisset dicere iratus est Dominus, quia furor non irascitur, cum furor, & ira idem sint. Et idem est furorem irasci, quod furorem incitari, & est inculcatio vocabulorum, vt si dicamus aliquem cæcum visu, quia cum ista dictio cæcus signet carentem visu, si dicatur aliquem esse cæcum visu, ponimus cæcum id est carentem solum, sic iratus est idem, & signat, quod motus fuit furor, vel ira, quia vero furor exprimitur signat iratus est, id est motus est solum.

Contra terram illam. Non fuit Deus principaliter motus contra terram, quia terra nihil omnino peccauit, sed iratus fuit Deus contra habitatores terræ, & puniuit eos, & propter eos pariter terram deleuit inquantum mutationes, & deteriorationes factæ in terra redundabant in damnum, & pœnam habitatorum peccantium, & in exemplum futurorum, vt visa tali punitione omnes futuri arceantur à talibus peccatis: & isto modo terra Sodomorum percussa est propter peccata habitatorum, quia dolebant se perire, & res suas simul : & hoc modo maledicta fuit terra propter peccatum Adæ vt patet Gen. 3. c. cum dicitur maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi, non enim erat in se terra maledicta, sed inquantum suus defectus erat laboriosus homini excolenti eā. quia cū maiori labore nunc fructus datura esset,

In quo Iudæi violarunt pactū.

quam

A quam aliter dediſſet. *Vt induceret ſuper eam omnia maledicta.* Ponitur, vt, id eſt, in tantum exarſit ira eius, quod induxit omnia maledicta ſuper hanc terram. *Quæ in hoc volumine ſcripta ſunt.* Scilicet ſupra 28.cap. & 27. & hic. *Et eiecit eos de terra ſua.*

Faciendo duci in captiuitates, quia tunc manebat terra deſolata abſque habitatore, ſicut fuit in captiuitate Babylonica, quia Nabuchodonoſor tulit omnes Hebræos de Iudæa in Babylonem relictis ſolis viris pauperibus, agricolis, & vinitoribus, qui poſtea occiſo Godolia præpoſito eorum receſſerunt in Ægyptum cum Hieremia Propheta, & manſit terra deſolata toto illo tempore captiuitatis, de quo 4. Regum 25. cap. & iſto tempore gẽtes aliunde venientes poterant dicere hæc, quæ hic dicta ſunt. *In ira, & furore, & indignatione maxima.* Hic ponuntur multa nomina ſignantia idem, quia in vulgari multa nomina ſunt ſignantia iram, & conſueuimus loqui ponentes ea ſimul: poteſt autem aliqualis differentia inter iſta aſſignari, ſcil. quod ira ſit qualiſcunque motus ad vindictam: furor eſt motus ad vindictam, qui magnus eſt, cum turbida, & efferata vultus diſpoſitione: indignatio dicitur ira ſecundum quod nos indignum iudicamus talia fieri, qualia fiunt, vel talia pati qualia patimur.

Proiecit eos in terram alienam. Licet hoſtes venientes ſuper Iudæos eos de terra ſua expellerent, & occiderent, tamen Deus hoc facere dicebatur, quia ipſe incitabat, vt iſta fierent ponendo eis in mentem, & adiuuando hoſtes Hebræorum, vt patet Eſai. 5. cap. vbi Deus vocat Babylonios ad punitionem,

B & captiuitatem Iudæorum, cum dicitur, & leuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ. Et ecce feſtinus, & velociter veniet, etiam dicebatur vocare Aſſyrios, vt venirent ad captiuandum regnum Iſrael, ſcil. decem tribuum, vt patet Eſai. 7. cap. cum dicitur, & erit in die illa ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur: & venient, & requieſcent oẽs in torrentibus vallium: iſti tamen hoſtes Iudæorum quando capiebant eos. & pro libito ſuo lacerabant, putabant in virtute ſua ſola agere, & ſuperbiebãt valde, atque Dominus iraſcebatur eis, patet hoc de rege Salmanaſar quem miſit Dominus contra Samariam, vt captiuaret eam, & putauit ſe feciſſe in robore ſuo, & ſic gloriabatur, vt patet Eſai. cap. 10. cum dicitur: væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe, in manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi, vt auferat ſpolia: ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internetionem gentium non paucarum, dicet enim nunquid non principes mei ſimul ſunt reges: & infra in ſapientia mea intellexi, & in fortitudine manus meæ feci: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprecatus ſum: & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes, & inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, & ſicut colliguntur ouа, quæ relicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui. Ecce modo Nabuchodonoſor captiuauit Iudæos, & deſtruxit ciuitates eorum, putauit-

C que hoc in fortitudine ſua feciſſe, vt patet Abacuch 1. cap. cum dicitur, ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gẽtem amaram, & velocem, ambulantẽ ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula nõ ſua, & infra; Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes fundaſti eum, & infra, totum in hamo ſubleuabit, & traxit illud in ſagena, & congregabit in rete ſuum: ſuper hoc lætabitur, & exultabit, & propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius. *Sicut hodie comprobatur.* Non intelligitur de tempore in quo Moyſes loquebatur Iſraeli iſta ſuper Iordanem, ſed ad tempus in quo Iudæi eſſent in captiuitate: & patet quia iſta nõ ſunt verba Moyſi principaliter, ſed verba gentium videntium terram Iſraelitarum deſolatam eſſe ipſis exiſtentibus in captiuitate: dicerent ergo ipſi videntes deſolationem hanc, quod Deus induxit plagas iſtas ſuper terram illam, ſicut comprobatur hodie, ſcil. nunc quando nos videmus terram deſolatam eſſe. *Abſcondita à Domino Deo noſtro.* Poteſt intelligi referendo ad peccata, propter quæ infligitur iſta punitio: ſcil. quod illa puniri debeant iſto modo, ſcilicet. *Abſcondita à Domino Deo noſtro.* Id eſt, ea quæ abſcondita ſunt de quibus homines non nouerunt, iudicantur à Domino Deo noſtro, & ipſa quæ manifeſta ſunt, ſupple indicantur nobis, & filijs noſtris, id eſt, à nobis, & filijs noſtris: & iſti omnes ſunt iudices, vel. *Abſcondita à Domino Deo noſtro.* Id eſt, pœnæ quas patimur ſunt abſconditæ à Deo noſtro, quaſi dicat, quod apparet Deum non videre illas, cum non eruat nos, & ſunt manifeſtæ nobis, & filijs noſtris, ſcil. quia iſta experimur actualiter patiendo, & ſunt verba Iudæorum poſitorum in magna calamitate. *Vſq; in æternum.* Id eſt, quod durabit iſta punitio vſque in æternum, ſed prima expoſitio melior eſt, quia iſta pars vltima literæ non applicatur bene ſecundæ expoſitioni, quia illi qui in calamitatibus ſunt, non dicunt, quod in eis permanebunt vſque in æternum, niſi deſperarent, & tunc non congruit litera inferior.

Vt faciamus omnia verba legis huius. Quia iſta ſunt verba alicuius ſe ad Deum conuertentis, & non verba deſperantis: maximè quia illi, qui cognoſcunt ſe à Deo iuſte propter peccata puniri, magis veniam petunt, quam deſperent, cum infra promittatur venia, cap. ſeq. Sed forte magis tenenda eſt alia expoſitio, quia nec iſta videtur proprie conuenire, cum enim dicitur. *Abſcondita à Domino Deo noſtro.* Neceſſarium eſt, quod hic fiat mutatio perſonæ loquentis de tertia ad primam, quia antea loquebantur gentes videntes iſtas calamitates, quare Deus ſic fecerit: hic autem fit conuerſio ad ipſos Iudæos, ita quod ipſi loquantur nunc de ſe, & hoc neceſſarium eſt ſecundum quamcunque iſtarum expoſitionum, vt patet ex modo literæ. Iſta autem prima expoſitio non videtur conſonare literæ, quia hic agitur de punitionibus, de quibus gẽtes videntes loquebantur, & non de peccatis, ergo oportet referri ad pœnas, & nõ ad delicta: ſed prima expoſitio ad delicta refert. *Improbatio expoſitionis.* E

Item quia iſta expoſitio eſt quantum ad iudicia pœnarum infligendarum pro culpis, ſcil. quod Deus iudicaret imponendo pœnam in occultis, & homines imponerent pœnam in manifeſtis, ſed iſta litera de iudicijs nihil agit. Item quia ſi teneretur iſta expoſitio, non deberet dici abſcondita à Domino Deo noſtro, ſed quæ abſcondita ſunt, quia ſi ponatur abſcondita ſine relatiuo non intelligitur ibi conuerſio, & eſt ſecunda expoſitio, ſi autem poneretur, quæ abſcondita ſunt, magis ad primam ſententiam pertineret: exponetur autem ſic.

Abſcondita à Domino Deo noſtro. Id eſt, quæ Deus noſter abſcondit nobis, vel quæ abſcondita ſunt ab eo, ſcilicet ne ipſe cognoſcat: non poteſt dici abſcondita, id eſt, quæ Deus nobis abſcondit: quia repugnat litera ſequens, ſcil. quæ ſunt manifeſta nobis, & filijs noſtris, ſed accipitur ſecundo modo, ſcil. quod abſcondita ſunt à Deo noſtro, id eſt, quod Deus noſter non cognoſcit illa, id eſt, videtur non cognoſcere, quia non aduertit diſſimulans, quaſi non videret, & hoc refertur proprie ad ſupra dicta, quia eo tempore quo gentes videntes deſolationem terræ Chanaan, dicerent iſta ſupra dicta Iudæi exiſtentes in terra captiuitatis dicerent hæc quæ hic habentur, ſcil. abſcondita à Deo noſtro, id eſt, nunc quando patimur, abſcondita videntur eſſe à Deo noſtro, quia ita ſe habet quaſi non videat, ſed manifeſta ſunt nobis, & filijs noſtris, id eſt, nobis manifeſta ſunt, quia ea patimur.

Vſq; in æternum. Id eſt, ita nobis ſunt manifeſta hæc, quæ patimur, quod in æternum nõ obliuiſcemur eorum. *Vt faciamus mandata legis huius.* Id eſt, ideo nobis Deus fecit iſta manifeſta, vt faciamus ea quæ continentur in hac lege, in quo innuitur quod iſtas pœnas Deus dabat in recordationem, vt iſti memores quæ ſemel paſſi fuiſſent agentes contra iſtam legem, cauerent vlterius talia cuſtodientes mãdata hæc in æternum. Et quãdo arguitur contra hanc poſitionem, quod non bene applicatur literæ, quia illi qui in calamitatibus ſunt non dicunt, quod permanebunt in eis in æternũ, niſi dicant deſperantes, quod iſti non faciunt. Reſpondetur, quod argumentum iſtud procedit nõ attenta radice huius expoſitionis: nam iſta expoſitio non dicit, quod durabit in æternum talis calamitas, ſed refertur ad illud participium manifeſta, ſcil. quod iſtæ pœnæ ita ſunt duræ, quod non effugient memoriam eorum vſque in æternum, & hoc vt cuſtodiant mandata Dei. F

A

CAPVT XXX.

Vm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio siue maledictio, quā proposui in conspectu tuo, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gētibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad eum, & obedieris eius imperijs: sicut ego hodie præcipio tibi, cum filijs tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua, ac miserebitur tui: & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit, &c.

Vm ergo. Supra posita fuit pro peccantibus pœnarū multiplicatio, hic ponitur pro pœnitentibus earū relaxatio. Et continer duo. Primum ad conuersos miseratio.

Secundo ad impœnitentes continua malorum toleratio ibi. *Si auersum fuerit.* Prima in duas, primo ponitur omnium peccatorum relaxatio.

Omnium peccatorum relaxatio.

Secundo excluditur à custodia legis Dei calumniosa excusatio ibi. *Mandatum hoc. Cum venerint super te omnes sermones isti.* Id est, omnes pœnæ signatæ per hos sermones.

B

Sermo quid significat.

QVÆST. I.

MVLTOTIENS ponitur sermo siue verbum pro ipsa re, quæ sit, vt dicitur 2. Reg. 1. cap. quod est verbum quod factum est in castris, id est, quod factum fuit in castris?

Et ductus pœnitudine cordis tui. Id est, dolore cordis de malo commisso, & solum refertur hoc ad maledictiones, quia de benedictionibus nemo pœnitet: quia ipsæ solum dantur propter bonum.

In vniuersis gentibus in quas disperserit te Dominus. Id est, non putes quod est difficile Deo te reducere de terra longinqua, vel de multis gentibus: quia etiam si in omnes gentes mundi fueris dispersus, & ibi pœnitueris, inde te attrahet Dominus.

Et reuersus fueris ad eum. Scilicet in cordis contritione.

Et obedieris eius imperijs. Vt qui ante idola colebas tunc incipias non colere, & Deo in omnibus mandatis suis obedire illa opere complendo.

Sicut ego hodie præcipio vobis. Id est, quod in terra captiuitatis vestræ compleatis omnia mādata quæ ego recitaui hodie coram vobis.

Et toto corde tuo, & tota anima tua. Id est, quantum tibi possibile fuerit, quia in terra hostili non possunt compleri omnia mandata legis, vt mandata de sacrificijs, quæ non fiebant extra Sanctuarium, vt patet Leuit. 17. & supra 12. cap. sic etiam de obseruatione festorum, & de iubileo, & annis remissionis, & similia, quæ determinabant certum locum, & modum, qui non poterat esse extra terram promissionis. *Reducet te Dominus de captiuitate tua.* Ad terram tuam. *Et miserebitur tui.*

C

Dando tibi multa bona in terra tua scilicet omnium rerum abundantiam. *Si ad cardines cœli.* Locutio metaphorica est, quia cardo dicitur extremitas ianuæ super quam circumgiratur, sic partes extremæ terræ versus partes cœli dicuntur cardines: quia videtur, quod cœlum sit mixtum partibus extremis terræ. Et sic dicuntur 4. cardines. 4. puncta opposita cœli super planiciem terræ habitabilis, scil. Oriens, Occidens, meridies, & septentrio. *Fueris dissipatus.* Id est, valde dispersus, dicitur hoc quia difficilius videtur colligere aliquos de multis populis ad vnum locum, quam existentes congregatos in vno loco transducere ad alium locum, sed Deo nihil magis sic quam sic impossibile est, cum infinitæ potentiæ sit, quæ nō distinguit magnum & paruum. *Et assumet atq; introducet.* Ista locutio est, ac si Deus esset vt vir, & poneret populum iudaicum super humeros suos, & portaret, & tunc diceretur assumere eos quando acciperet, & poneret super humeros suos, & portaret, & postea introduceret scilicet postquam portaret per totam viam super humeros accedens ad terram suam introduceret eos: & est iste modus metaphoræ vsitatus in sacra Scriptura, sic patet Exod. 19. cap. scilicet vos vidistis quid fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum & infra 32. cap. dicitur circumduxit eum, & docuit, & custodiuit sicut pupillam oculi sui, sicut aquila prouocans pullos suos ad volandum, & super eos volitans, expandit alas suas, atque portauit eos, & assumpsit in humeris suis.

Locutio metaphorica.

D

In terram quam possederunt patres tui. Qui fuerunt in ea antequam fieret istud peccatum, propter quod nunc expulsus es de ea.

Et obtinebis eam. Id est, tenebis eam pacifice: quasi dicat nō solum te introducet, sed etiam faciet te firmiter manere in ea si permanseris in iustitia eius, sicut permanserunt patres tui qui eam ante te tenuerunt.

Benedicens tibi. Id est, multiplicans te tam in rebus possessis quam in filijs. *Et faciet te maioris numeri, quam fuerunt patres tui.* Quia quando Deus aliquem puniuit, & post ad bonum restituit, & maiora bona ei concedit, vt in hoc pateat Dei magnificentia, & benignitas, sicut patuit in punitione Iob: quia perdidit omnia, deinde restituta sunt duplicia, vt patet Iob vlt. cap. *Circumcidet Dominus cor tuum.* Tollendo malas cogitationes, & occasiones peccandi, ne iterum cadas, & sic est deterius quam primo.

Et cor seminis tui. Id est, filiorum tuorum, vt ipsi etiam non peccent contra me. Et possis viuere amando Deum, & custodiendo mandata eius dabatur vita Israelitis: alias hostes, & pestilentiæ eos consumebant.

E

Omnes maledictiones has conuertet super inimicos tuos. Scilicet si persecuti fuerint te postquam ad me conuersus fueris, gentiles autem quando persequebantur Iudæos, si Deum offensum sibi habebant, adiuuabantur à Domino ad punitionem Iudæorum, quia tunc erant ministri Dei, vt patet de Chaldæis quos Deus contra Iudæos suscitauit, vt captiuarent eos, vt patet Abacuch 1. cap. & dicitur in eod. cap. de Nabuchodonosor Domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes fundasti eum, id est, ideo fecisti Nabuchodonosor esse fortem, & victorem bellorum vt corriperet Iudæos, cum autem Iudæi conuersi erant, & aliquæ gentes persequebantur eos, Deus dabat istas maledictiones super hostes, vt patet de Assyrijs vel Niniuitis quod idem est, qui vndecim tribus malo animo & magis quam deberent afflixerunt & persecuti sunt regem Ezechiam, vt patet 4. Regum 17. cap. ideo post Babylonij deleuerunt eos vt patet Naum 1. 2. & 3. cap. & etiam Babylonij, quia supra modū Iudæos afflixerunt à Persis, & Medis per regem Cyrum, & Darium deleti sunt, vt patet Abacuch 2. cap. & 3. cap. hoc patet etiam in narratione quam fecit Achior princeps filiorū Ammon ad Holofernem principem militiæ Nabuchodonosor, de qua Iudith 3. cap. scilicet quod si Iudæi peccauissent contra Dominum, quod Deus dabat vires hostibus suis, vt expugnarent eos, si autem ipsi recte Deum colerent, dabat eis Deus vires, & præualebant aduersus hostes suos, cum dicitur quotiescunque autem præter Deum suum alterum coluerint, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium, quotiescunque autem pœnituerint se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli potentiam resistendi. & infra dicitur, nunc ergo meus Domine perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ, si autem non est offensio populi huius coram Deo suo, nō poterimus illis resistere, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.

F

Et eos qui oderunt te persequetur. Hostes Iudæorum oderant eos, & cum Iudæi non offenderant Deum, prosequebatur Deus hostes eorum, sicut patet in omnibus bellis quę ipsi gesserunt contra gentes, in quibus non offenderant Deum. *Tu autem reuerteris.* Scilicet in terram tuam, quia hic loquitur de tempore quo essent in captiuitate, si conuerterentur ad Dominum, Deus miserabatur eorum, & percutiebat hostes qui eos detinebant, eosque in terram suam redire faciebat, sicut fuit cum Iudæi existentes in Ægypto coluissent idola, & reges Ægypti persequerentur eos, ipsi conuersi sunt ad Dominum, & audiuit gemitum eorum, atque inuitis Ægyptijs fecit eos exire de terra eorum. *Et audies vocem Domini Dei tui.* Scilicet in

A terra tua, quasi dicat, antea cum stabas in terra tua, non audiuisti vocem Domini Dei tui peccans contra eum: ideo expulit te in nationes exterorum: nunc vero, quia pœnitet te fecisse, reducet te in terram de qua eductus es, & ibi iam correctus audiens eris vocem eius obediendo in omnibus.

Faciesq; vniuersa mandata, quæ ego præcipio tibi. Hoc non tenetur, hic imperatiue, sed demonstratiue, scil, aliquid de futuro enunciando sic, vel sic fore: non enim mandat hic Deus, quod Hebræi reuersi de captiuitatibus audiant vocem eius, quasi specialiter tunc audienda foret, sed loquitur prænunciando, scilicet, quod sic erit, quod Hebræi redeuntes de captiuitatibus, ita castigati erunt præcedentibus afflictionibus vexatione dante intellectum, quod iam non redibunt ad pristinas culpas, sed audient præcepta Dei ea opere complentes. *Et abundare te faciet Dominus.* Sicut ad mala opera sequitur punitio, ita ad bona sequitur remuneratio. Et quia cum rediret populus Hebræorum de captiuitatibus, veniret correctus, vt hic dicitur, & faceret ea quæ Deus mandaret, ponuntur hic bona quæ ei euenirent propter istam præceptorum completionem, & quia Iudæi erant viri carnales sola quæ corporis sunt desiderantes, promittebat eis Deus bona temporalia, & hæc sunt, quod faceret eos abundantes in omnibus bonis, quæ manibus suis præcurarent, scilicet in omnibus negotijs, quæ tractarent, siue pertinerent ad manualem expeditionem, siue alias, si tamen voluerimus strictius loqui secundum quod communiter accipiuntur opera manuum

B possumus dicere.

In cunctis operibus manuum tuarum. Id est, in agricultura, & negociatione. *In sobole vteri tui.* Quia venientes de captiuitate multum generabant Deo hæc donante, vt compleretur numerus consumptorum in præteritis cladibus, & vt sint in maiori numero, vt supra dictum fuit.

Fructus quid. *Et in fructu iumentorum tuorum.* Id est, quod etiam iumenta tua multum generent, vt dies efficiaris. Et vocantur filij fructus hominis, vel iumenti, quia fructus est id quod de re prouenit vltra substantiam rei: filius autē prouenit à gignentibus nihil perdito de substantia gignentium.

Reuertetur enim Dominus, vt gaudeat. Dicitur Deus reuerti, quia ante gaudebat inflictis istis pro peccatis suis: nunc autē gaudet in bonis, quæ eis concedit propter cōtritionem suam, à principio Deus gaudebat in Israelitis faciendo eis bona, & hoc quia promiserat eis, & hoc conueniebat suæ veritati, quia tamen istæ promissiones, & concessiones erant cōditionales, cessante isto statu eorum in bono delectabatur in delendo eos, atque multipliciter tribulādo propter facinora sua, quia etiam hoc conueniebat suæ iustitiæ, deinde ipsi puniti conuertebantur ad Dominum custodientes præcepta eius, & tunc Deus reuertebatur ad gaudendum in benefaciendo eis: hoc patet præced. cap. & hic cum dicitur, & sicut ante lætatus est Dominus super vos bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, hic autem ponitur iterum de gaudio Dei

C in benefaciendo eis conuersis, cum dicitur reuertetur Dominus vt gaudeat super te, qualiter autem Deus gaudeat supra 28. cap. dictum fuit.

Super te in omnibus bonis. Id est, vt gaudeat in omnibus bonis quæ tibi insunt quæ ipse facit. *Sicut gauisus est in patribus tuis.* Patres istorum, scil. antiqui Patriarchæ fuerunt boni, ideo dicebatur gaudere Deus cōferendo eis bona, sic autē erit in istis, quia patres suos in bonis imitari volunt, & sicut gaudebat Deus ante in istis ordinando deordinationem culpæ per ordinationem pœnæ, ita nunc gaudet ordinando meritum per conueniens præmium. *Si tamen audieris vocem Domini.* Omnia intelliguntur cum ista conditione, quia licet alicui bona promittantur nulla conditione appositā, intelligitur semper si bonus fuerit, aut si manserit in statu in quo nunc est.

Quomodo hic litera stare potest, de reductione Hebræorum, si custodierint mandata, semper Dei promissa conditionaliter intelliguntur.

QVÆST. II.

D

SED quæres quomodo hoc posset stare, quia supra Deus dixerat prænunciando Iudæis redeuntibus de terra captiuitatum suarum, reuerteris & audies vocem Domini Dei tui, & facies vniuersa mandata quæ ego præcipio tibi, id est, quod sic certe esset, quod redeuntes ipsi de captiuitate audirent vocem Domini, & custodirent mandata eius, quomodo ergo Deus dicit hic, quod benefaciet eis si custodierint mandata eius? Respondetur, quod Deus sciebat, quod quādo Hebræi venirent de aliqua captiuitate immediate futuri erant boni, quia castigati erant magnis afflictionibus quas toleraverant. Et ista bonitas esset in eis quamdiu memoria afflictionum præteritarum duraret, cum vero transeuntibus temporum successionibus aboleretur malorum præteritorum memoria, contingebat eos decidere in malum, & tunc redibant super eos pristinæ afflictiones, si autem sic non esset, postquam semel de aliqua captiuitate, vel afflictione semel liberati fuissent, nunquam peccarent: sed falsum esse notissimum est, cum sæpe captiuati fuerint, & in varias inciderint calamitates: quantum ergo ad conuersionē ad bonum, & custodiam

E præceptorum, quam faceret populus Hebræorum immediate, vt veniret de captiuitate, intelligitur primum quod erat per modum prænunciationis, scil. reuerteris, & audies vocem Domini Dei tui, quia hoc certum erat, quātum ad secundum erat hoc, quod hic dicitur, scilicet si tamen audieris vocem Domini Dei tui, quia licet in principio boni essent propter recentem memoriam afflictionum, tamen postea non erat certum, ideo ponitur conditionaliter, scilicet si tamen audieris. Poterat autem aliter dici, quod licet certum esset, quod boni futuri essent post reditum de captiuitatibus, tamen ponitur hic istud conditionaliter, quia semper promissa Dei intelliguntur conditionaliter circa talia, vnde licet certum sit taliter, aut taliter futurum esse, tamen si possibile esset, aut si contingeret hunc malum fieri non faceret ei Deus ista bona, quæ hic dicuntur, sicut dicimus de prædestinatis, quod certum est eos, qui prædestinati sunt, bonos futuros, & beatificandos: si tamen posset vllo modo dari, quod ille qui prædestinatus est, non finiret in bono, daretur quod non beatificaretur, & sic esset sua beatificatio conditionalis, sed prima expositio rationabilior est, & conuenientior literæ.

Si audieris vocem Domini Dei tui. Obediendo illi proponendo, vt facias quæ dicuntur.

Et custodieris præcepta eius. Scilicet, quod non solum facere proponas, sed etiam cum opportunum fuerit actualiter facias. Præcepta vocantur hic omnia præcepta moralia quæ sunt præcepta decalogi, & præcepta iudicialia.

F *Et cæremonias quæ in hac lege conscripta sunt.* Vocantur cæremoniæ præcepta cæremonialia quæ pertinent ad specialem cultum Dei, quia in eis determinatur modus colendi Deum.

Quæ in hac lege conscripta sunt. Id est, præcepta moralia, & cæremonialia sunt scripta in hac lege, sc. in hoc Deuteronomio, qui est lex secunda, & non solum sunt præcepta hic scripta, sed etiam in lege illa quæ est in Oreb: nam ibi data sunt præcepta moralia primo, vt patet Exodi 20. cap. & postea præcepta cæremonialia, vt patet in Exodo à cap. 20. vsque ad finem, & in toto Leuitico, & in magna parte libri Numerorum, de quibus diximus supra 28. cap. in hac etiam lege Deuteronomij sunt præcepta moralia scripta, vt patet supra 5. cap. & sunt præcepta iudicialia, & cæremonialia, quæ per totum scribuntur vsque ad cap. 27. hic tamen solum fit mentio de præceptis, tam moralibus quam cæremonialibus, quæ scripta sunt in lege hac Deuteronomij, quia alia lex iam fuerat confirmata in Oreb, nunc vero solum confirmabatur hæc quæ in hoc libro continetur. *Et reuertaris ad Dominum Deum tuum.* Istud est fundamentum omnium quæ dicuntur, scil. quod audiat homo vocem Dei, & obseruet præcepta eius: nam qui verè ad Deum conuertitur omnia agit quæ Deus mandat, & quę sentit ei placere. *In toto corde tuo.* Id est, totaliter cum perfecta intentione colendi Deum, & non recedendi à mandatis eius:

A nam si aliquis, conuertatur ad Deum, adhuc habens propositum non recedendi à sceleribus suis, non reuertitur ad Deum in toto corde suo, sed secundum aliquid cordis sui ad Deum conuertitur, & secundum aliquid vitijs adhæret, idē est in tota anima conuerti, de quibus magis declaratum fuit supra 6. cap.

A custodia legis Dei calumniosa excusatio.

Mandatum hoc. Hic ponitur secundum, scil. à custodia legis Dei calumniosa excusatio, quia aliquis diceret Deus mandat nobis aliqua quæ facere non possumus, vel forte nescimus quid Deus mandat, quia alias libenter faceremus. *Non est supra te.* Ita ꝙ possis dicere non possum illud attingere, vt sciam & compleam. *Nec procul positum.* Secundum distantiam rectam, scil. quod sit in aliqua extremitate mundi. *Vt dicere possis quis nostrū ascendere poterit.* Ista enim excusatio legitima esset, quia nullus poterat cœlum ascendere. *Quis è nobis transfretare poterit mare.*

Aliquæ partes sunt in Oceano ad quas non est nauigatio.

Loquitur de mari magno Oceano, quia aliquæ partes sunt in Oceano ad quas non est nauigatio, quia nautæ ignorant cursum, & perderentur, vel quia sunt aliquæ partes in Oceano, ad quas accedendo iacebunt stellæ directrices nauigationis, scil. Arcturus, siue maior vrsa, quæ quasi immobilis est: mobiles autem stellæ non dirigunt nautas, vt ponit Lucanus lib. 9. & ratio, quia regula rerum mobilium est aliquid immobile, patet quia non distinguitur motus rei, nisi per respectum ad rem immutabilem, scil. respiciendo quantum pertransit axis piramidis rei visæ in obiecta re non mota: vt patet primo perspectiuæ communis. Item quia omnes stellæ quæ multum mouentur, oriuntur & occidunt, & tunc nautæ aliquando viderent, aliquādo non. Et ista maria sunt versus Austrum, quia vrsa maior Septentrionalis est: ideo propter gibbositatem maris cito dispareret, sicut etiam aliquibus hominibus in terra, quia multū australes sunt, occidit eis vrsa maior, plaustrū, siue Bootes quod idem est, sicut sunt Horestæ, & Carmani de quibus Lucanus lib. 3.

B

Tunc furor extremos Romanus mouit horestas:
Carmanosq; duces quorum æther, versus in austrum.
(Id est horizon)
Mergi non totam, mergi tamen aspicit arcton.

Id est, vrsam maiorem, sunt etiam maria Septentrionalia innauigabilia, quia perpetuo gelu concreta sunt, & super mare cum curribus, & iumentis ambulari potest, & super flumina, vt ponit Ouid. in secundo, de Ponto. omnia maria Mediterranea quæ proprie maria sunt, & à magno mari deriuantur, nauigabilia sunt, ideo de istis non potest esse excusatio, sed de mari magno non nauigabili, vel aliter. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie.* Non est putandum, quod hoc sit vnum aliquod mandatum speciale, de quo hic loquatur Deus, sed vocatur mandatum, id est, omnia mandata contenta in hoc libro, vt sicut interdum multæ leges datæ ab eodem Legislatore, & contentæ in eodem libro vocantur interdum lex, sicut dicimus, quod Deus dedit legem in Synai: tamen ibi non fuit aliqua vna sola lex, sed multæ tam morales quam cæremoniales, & iudiciales, sic & totus iste liber vocatur lex, licet multas leges contineat, vel vocatur fœdus, vt patet præcedenti cap. & supra 17. cap. vbi nos dicimus, quod rex faciet sibi scribi Deuteronomium legis huius, in Hebræo dicitur. *Nusue thora.*

C

Id est, istam legem secundam, sic igitur dicetur de mandato, quod multa mandata simul faciunt vnum mandatum, & vocabitur totus iste liber mandatum, quasi sit vnum aliquod mandatum. *Quod ego præcipio tibi hodie.* Loquitur Moyses toti Israel, cui ista mandabat obseruare, id est, ista præcepta quæ continentur in hoc libro, quæ ego mando tibi ex auctoritate Dei hodie, quod serues, nō sunt supra te: dicitur mādare hodie, quia illa dies in qua Moyses ista dicebat, erat dies, in qua promulgat legē hanc audiente toto Israel. *Non est supra te.*

Duplex litera expositio.

Hoc potest dupliciter intelligi: vno modo, quod non est supra te, id est, quod non est supra vires tuas, quasi dicat, nō est ita difficile, quin possis illud exequi. Alio modo non est supra te, id est, non est positum in aliquo loco alto supra te, ad quem accedere non possis: vterque sensus satis conueniens est, sed secundus magis conuenit literæ, quia infra dicitur, vt possis dicere quis nostrum valeat conscendere ad cœlum, & deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus, in quo notatur, quod supra dicit ibi differant situs, & tunc quia hic ponitur. *Supra te,* Et ponitur. *In cœlo situm.* Vt fiat differentia inter ista dicetur, quod supra te signat aliquem locum altum supra nos qui tamen non sit cœlum. *Nec procul positum.* Scilicet in aliqua terra longinqua, aut in semotis partibus orbis. *Nec in cœlo situm.* Id est, nec est positum in cœlo fixum, quia ibi propter magnam altitudinem suam non possit homo aliquis ire illuc, vt deferret præceptum hoc, & dicitur.

D

Situm. Id est fixum, vel firmatum, quasi dicat, dato quod non esset in cœlo, si non esset fixum, sed posset cadere sicut pluuiæ cadunt, aut radij solares qui veniunt ad nos, non esset difficultas habendi illud, si tamen esset in cœlo fixum, non posset cadere per se, & tunc impossibile esset haberi, nisi aliquis iret illuc pro eo, vt possis dicere.

Quis nostrum ad cœlum valet ascendere. Esset enim calumniosa excusatio dicendo, quod non poterant custodire illud præceptum, quia erat valde elongatum ab eis: nec quisquam poterat ascendere pro illo, & si possent habere, quod custodirent: fundantur autem ista dicta in hoc, vt si Deus diceret Iudæis, faciatis præcepta quæ continentur in quodam libro qui est vltra mare, vel in quodam libro qui est in cœlo, aut in partibus longinquis terræ, & tunc dicere possent Iudæi, Domine ire non possumus pro ipso libro præceptorum in cœlum, aut transire maria australia, vbi non est nauigatio, vel maria Septentrionalia in quibus est perpetuum gelu: ideo habe nos excusatos, licet non custodiamus ipsum præceptum. Deus autem nunc dicit, quod non est hoc præceptum in cœlo, nec in terra longinqua, aut in aliqua parte de qua difficile sit ipsum adduci: sed præsto est in corde, & in ore, & intra hominem.

E

Vt deducat illud ad nos. Id est, vt eat pro illo libro in quo præceptum hoc scriptum sit, & ducat ad nos. *Et audiamus atq; opere compleamus.* Recta excusatio erat illa, si sic esset, quia isti præsto habebant id quod in se erat, scilicet, quod audirent illud obediendo ei. *Et opere compleamus.* Scilicet faciendo, quod imperatur, quasi dicat desideramus nos facere hoc, sed non possumus audire istud præceptum, quia est in cœlo fixum, aut est vltra mare, vel in terris longinquis, & consequenter, nec possumus facere id quod mādatur, quia nescimus quid ipsum sit, sed non est ista excusatio vera, cum mandatum hoc non sit elongatum ab eis. *Nec trans mare positum.*

De quo mare hoc intelligitur. An essent naues tempore Moysi. Et quæ dicatur fuisse nauium prima constructio.

QVÆST. III.

NON intelligitur de mari Mediterraneo, quia facile erat nauigare mari Mediterraneo, sicut nunc nauigamus, sed intelligitur de mari Oceano vltra quem non sunt gentes, vel in quo nesciunt mouere naues nautæ propter defectum stellarum ductricum, aut propter impedimentum gelidarum aquarum, & ista maria nullus vnquam pertransiuit, quia exponeret se perditioni, cum nesciret contra quam partem orbis iret. Vel forte poterit intelligi de mari Mediterraneo si ponatur, quod mare Mediterraneum non nauigaretur in hac ætate nondum puppibus inuentis: sed quod postea inuentæ fuerint. Contra quod obijciet aliquis naues esse iam inuentas, quia in diluuio vniuersali Noe mandato Dei fecit arcam, in qua saluata fuerunt semina vniuersi: ergo postea homines ex illa acciperent exemplum, & formarent aliquales puppes, sed inter diluuium vniuersale, & istud tempus multi anni transierant, scil. plures, quam octingenti anni, vt patet computando generationes per successionem à diluuio vsque ad exitum de deserto anno 4. exitus de Ægypto, quæ computatio faciliter fit inspiciendo librum Gen. per numeros annorum generationum in eo positarum. Sed ad hoc satis responderi posset, quod licet tempore diluuij fuerit facta arca Noe, tamen gens illa rudis non exercens se marinis operibus non curauit puppes formare: postea recedentibus omnibus hominibus de loco illo, in quo arca diluuij federat, venerunt in campum Sennaar, & ibi manentibus eis, atque postea in alias mundi partes recedentibus, arca illa obliuioni tradita est: oportuit ergo postea denuo reperiri formā puppium, quod dicet aliquis fuisse post tempora Moysi. Et si nos velimus tenere positionem gentilium poëtarum atque chronographorum: dicunt enim, quod primus qui imaginatus fuit qualiter

F

A

Iason primã nauem est imaginatus.

nauis fabricari deberet, fuit Iason filius regis Esonis in Thessalia, quod fuit paulo ante primum bellum Troianum, & fuit hoc multo post tempora Moysi, in tempore iudicum Israel, quasi in fine temporum iudicum. Iason ergo nauem primam imaginatus est: Argus faber Thessalicus in lignaria arte peritus eam fabricauit, vt describunt Daretes Phrygius, & Dites Græcus in suis chronicis Troiani belli, quæ pene eisdem verbis conscriptæ sunt. hanc Typhis Thessalicus primo rexit: de his Ouidius Metam. l. 8. dicit. primæq; ratis molitor Iason, id est, quod Iason fuit molitor, id est imaginator primæ ratis faciendæ de Tiphi directore: ait idem Ouidius, primo libro de Arte amandi in principio cum dicitur:

Curribus ante modo lentisq; erat aptus habenis
Tiphis in Hemonia puppe magister erat.

A quo tepore incipit computare ætates Ouid.

Quod autem in hoc tempore facta fuerit prima nauigatio, declarat idem Ouidius li. 1. Meta. qui ponit in tertia ætate incepisse nauigationem, & non vocat tertiam ætatem, sicut nos ponimus incipientes ab Abraham, sed multo post etiam post tempora Moysi. nam in tempore Abrahæ nondum Ouidius putauerat secula incepisse, cum ipse incipiens carmen suum ab exordio rerum, vt proponit in princ. Meta. cum dicit:

Aspirate meis, primaq; ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

B

Et tamen incipit à Saturno, vt patet in eodem primo Met. constat tamen Saturnum fuisse eo tempore quo descedit Iacob in Ægyptum, vel valde paulo ante, vt colligitur ex approbatissimis antiquis historijs. dicitur igitur in tertia ætate incepisse nauigatio, quæ valde sera fuit: patet per Ouid. præallegato lib. cum describat proprietates tertiæ ætatis dicit:

Vela dabant ventis, nec adhuc bene nouerat illos,
Nauita, quiq; duæ fleterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultauere carinæ.

In prima ætate quam describit Ouidius quæ fuit tempore quo stabant Iudæi in Ægypto dicit, non fuisse nauigationem, vt patet in præallegato 1. Meta. cum dicitur:

Nondum cæsa suis peregrinum, vt viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat vndas:
Nullaq; mortales præter sua littora norant.

Probat quod tepore Iasonis fuerit prima nauis secũdũ poetas.

Quod autem tẽpore Iasonis, quando Medea fuit asportata de Colchos insula in Thessaliam fuerit constructa prima nauis, & facta prima nauigatio, & quod Tiphis fuerit magister in regendo, probatur per Senecam in tragœd. 7. cuius titulus est Medea carmine 4. cum dicitur:

C

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasq; suas post tergum videns
Animam leuibus credidit auris:
Dubioq; secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno
Inter vitæ mortisq; vias
Nimium gracili limite ducto,
Nondum quisquam sydera norat,
Stellis quibus pingitur æther:
Non erat vsus: nondum pleiadas.
Hiadas poterant vitare rates:
Non Olenia sydera capræ:
Non quæ sequitur flectitq; senex:
Arctica tardus plaustra Bootes,
Nondum Boreas, nondum Zephirus
Nomen habebant.
Ausus Tiphis pandere vasto
Carbasa ponto. legesque nouas
Scribere ventis, nunc linia sinu
Tendere toto, nunc prælato
Pede transuersos captare notos.
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo, nunc in summo
Religare loco, cum iam totos
Auidus nimium nauita flatus
Optat & alto rubicunda tremunt.
Suppara velo.

D

Determinatio auctoris, quod ante Moysẽ, & per consequens ante Iasonẽ fuerũt naues contra poetas.

Quamuis autem isti vniuersaliter sentiant nauigationem cœpisse tempore Iasonis, qui fuit multo tempore post Moysen: tamen dicendum est, quod naues ante hoc inceperint: & patet quod in tempore Moysi iam essent naues. nam si naues non essent, non faceret mentionem de eis Moyses coram populo, sed facit mentionem, vt patet sup. 28. c. cũ dicitur, in fine reducet te Dñs classibus in Ægyptũ. necessariũ ergo erat iam naues extitisse, alioquin licet Moyses spũ prophetico cognosceret naues futuras, & quales futuræ essent: tamen populus nihil de hoc cognosceret, & tunc frustra esset eis ista proponere, immo stultum. Item patet hoc ex auctoritate poetarũ: nam Ouid. ponit tempore Saturni fuisse puppes, & Saturnum venisse de Creta in Italiam puppe ductus, sed Saturnus fuit tempore Iacob Patriarchæ multo tempore antequã Moyses ista scriberet. ergo ante Moysen fuerunt naues: ans patet per Oui. in 1. li. Fast. cum dicens de aduentu Saturni in Italiam ait:

At bona posteritas puppem formauit in ære
Hospitis aduentum rememorata sui.

E

Ouid. contradicit sibi ipsi Poeta, & chronographi gentium errarunt, quia Historia gentium inchoatur à diluuio Ogigi.

Licet in hoc Ouid. est in vera contradictione, & hoc est ex impotentia distinguendi tempora, vel quia forte non aspexit ad hæc.

Causa autem huius erroris in gentilium Chronographis, & Poetis fuit, quia ipsi non cognouerunt mundi inchoationem, nec repererunt aliquid scriptum de antiquis temporib. per quod præteritorum eis fides esset: ideo antiquissimi eorum à diluuio Ogigi regis inceperunt: fuit enim hoc diluuiũ annis 1782. ante Christi natiuitatem, quia eo tempore quo viuebat Iacob Patriarcha, de quo Isidorus Ethic. lib. 13. & melius Paulus Orosius, li. 1. de Ormesta mundi. ab hoc enim tẽpore Marcus Varro omnium hominum doctissimus (vt ait Aug. de ciu. Dei, li. 6. c. 6.) historiarum indagator turpissimus, tanquam ab antiquissimis seculorum exordijs historias inchoauit. alij autem inceperunt historias à diluuio Deucalionis, tanquam ibi exordium rerum esset, fuit autem hoc diluuium quinque annis antequam Hebræi de captiuitate Ægyptiaca liberarentur, vt innuitur ex verbis Pauli Orosij, 1. li. de Ormesta mundi: non est ergo mirandum si tam chronographi quam poetæ processum seculorũ ignorantes ea quæ prius fuerunt, postea fuisse facta commemorant, nos autem qui S. Scripturam pentateuchi Moysi ab origine seculorum historias differentis legimus, & asserimus, de his plenissime veritatem, & solidissime scire possumus. Dicendum igitur, vt ante dicebatur, quod non intelligebatur de mari Mediterraneo, sed intelligitur de Oceano Australi, & Septentrionali quæ nauigari non possunt ex causis supra assignatis. *Et illud ad nos vsque deferre.* Id est, vt possit aliquis transire mare, & adducere illud mandatum vsque ad nos, quasi dicat, nullus est qui possit facere si vltra mare esset. *Ad nos vsque.* Est rhetorica transpositio cum deberet dicere vsq; ad nos. *Vt possimus audire.* Supra expositum est. *Sed iuxta te est sermo.* Quia ego loquor illum ad te. *In ore tuo.* Scilicet, vt confitearis illud ore protestando te velle illud implere. *Et in corde tuo.* Vt credas illud mandatum esse Domini Dei tui, & assentias ei ad operandum illud: & dicuntur magis esse in corde ista præcepta, quia aliquo modo nobis innata sunt: præcepta enim decalogi cum sint quædã conclusiones iuris naturalis cuilibet homini insita sunt, ideo dicit Apostolus ad Rom. 2. c. quod gentes quæ legem nõ habent naturaliter faciunt ea quæ sunt legis conscientia dictante, & sicut in speculabilibus prima principia naturaliter sunt cognita, nec indiget doctrina, ita principia in agibilibus qualia sunt ista decem præcepta: alia autem quę iudicialia sunt, & tendunt in bonam communicationem ad proximum, licet non ita immediate naturaliter cognita sint, dependent tamẽ à lumine naturali per quandam determinationem recti intellectus politici, vnde ista sunt quædam conclusiones, vel superadditiones, vel determinationes præceptorum decalogi determinantium ad proximum. præcepta autem ceremonia-

F

lia, quædam determinationes præceptorum decalogi dirigentium in Deum sunt, quia cultus diuini modum determinant, ideo sicut illa præcepta decalogi sunt cognita naturali lumine intellectus, ita ista cæremonialia sunt quodammodo in potentia cognita, quia dependent in virtute ex cognitione principiorum suorum. Sed Apost. Paulus ad Rom. 10. cap. exponit literam istam de Christo asserens istud mandatum, q̃ legislator hic facile esse dixit, esse mandatum de credendo Christum esse Saluatorem nostrum. Et sic ait ne dicas in corde tuo quis ascendet in cœlum, id est Christum deducere inde, aut quis descendit in abyssum, hoc est Christum ex mortuis reuocare: sed quid dicit scriptura? prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christũ, & in corde tuo credideris, quoniam Deus excitauit illum à mortuis, saluus eris, & est sensus, quod mandatum de fide Christi non est difficile ad salutem, quia nõ est necesse, quod aliquis nostrum eat in cœlum, & inde deducat Christum ad nos, vt sic credentes in eum salui fiamus, nec est necessarium, quod aliquis nostrum descendat in abyssum infernalem, vt Christum inde resuscitet à mortuis: solũ enim credere, quod ipse à mortuis resurrexit per Deum, & confiteri eum, sufficit ad salutem, in qua fide nulli difficultas est. *Sed iuxta te est sermo.* Id est non sunt ista præcepta scripta in aliquo libro, qui sit in cœlo, vel vltra mare, aut in terra longinqua, sed istud præceptum est iuxta te, quia ego qui sum præsens tibi dico tibi illud, & non oportet te moueri ad audiendum, & sciendum hoc. *Valde.* i. non potest esse magis circa te quàm est, cum ego præsens tibi existens proferam in auribus tuis. *In ore tuo.* i. tu audis à me immediate, & potes immediate proferre, & sic est in ore tuo, & in corde tuo, quia sicut audis aure, ita potes cõcipere mente, & erit intra cor tuum dupliciter assentiendo illi ad operandum, & retinendo illud memoriter, sicut est de conclusionibus scientiarum quæ habitualiter retinentur in intellectu nostro. nam sicut conclusio scientifica retinetur in intellectu speculatiuo, ita conclusio agibilis quæ est præceptum, retinetur in intellectu practico, vt audias & retineas in intellectu. *Vt facias illum.* i. iste sermo est in ore tuo, & in corde tuo, i. nihil deest tibi ad hoc, quod facias illum. Apostol. Paulus volens introducere fidem Christi esse leuem alludit huic dicto, in quo notatur leue esse præceptum istud scitu & operatione: nec tamen innuit ipse, quod ista verba dicta sunt à legislatore ad hanc intentionem, vt signarent facilitatem fidei Christi, quia dicta sunt ad signandum præcepta huius libri esse leuia, sed quia sicut sunt ista præcepta leuia, ita sunt illa quæ dedit Christus, vel quæ oportet credere de Christo assumit ista verba in concordantiam dicens, ne dicas in corde tuo quis ascendet in cœlum? id est Christum inde deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis suscitare, sed quod dicit scriptura prope est verbũ in ore tuo, atque in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quod si confitearis in ore tuo Christum Dominum, & in corde tuo credideris, quoniam Deus excitauit illum à mortuis, saluus eris, id est, quod ad hoc, quod aliquis tenens fidem Euangelicam saluetur, non oportet esse magnas difficultates, quia nec oportet, quod aliquis ascendat in cœlum, & ducat inde nobis Christum, & videamus illum, & videtes salui fiamus, sed satis est credere, quod Christus est Christus Deus, & quod descendit de cœlo ad nostram redemptionem. Si enim ad liberationem nostram oporteret, quod aliquis nostrum de cœlo Christum deferret, difficile erat saluari, non tamen requiritur hoc. Etiam non requiritur, quod sicut dicimus eũ resurrexisse à mortuis, quod ita dicamus, quod requiratur aliquem nostrum descendere ad infernum, & suscitare eum à mortuis, sed sufficit, quod credam⁹, quod Deus illum à mortuis suscitauit, & hoc credentes salui erimus: alludit autẽ per hoc his quæ dicuntur, quia sicut dicitur hic, quod non potest dicere aliquis, quis nostrum ascendet in cœlum, vt possit hoc præceptum, quia hoc erat difficile, sed est iuxta te in corde tuo, & in ore, ita non potest dicere aliquis, quod nostrum sit aliquem nostrum ascendere in cœlum ad deferendum Christum ad nos, quasi aliter saluari non possimus, sed prope est verbum in ore tuo, & in corde, quia si credideris, quod Christus est Deus, & quod de cœlo descendit, satis est: & sicut dicitur hic, quod nullus posset dicere quis nostrum transfretabit mare, vt possit ad nos vsque deferre istud præceptum, sed est prope: ita dicit Apostolus, quod nullus potest dicere quis nostrum descendet in abyssum, hoc est Christum à mortuis reuocare, quia non requiritur, quod aliquis illum reuocet à mortuis resuscitando eum, sed quod credamus solum, quod resurrexit. *Considera, quod hodie posuerim in conspectu tuo vitam, & bonum.* Magna cum dicuntur reddunt attentos qualia sunt ista. s. vita & mors. *Et econtrario mortem.* Bonum, & vita sunt benedictiones positæ supra c. 28. pro custodientibus legẽ: mors dicitur omnis maledictio posita supra ad transgressores legis. *Vt diligas Dominum Deum tuum.* Id est ideo ponuntur ista bona & mala, vt ex terrore pœnarum fugiamus mala, & ex desiderio bonorum seruiamus ei. *Vt custodias mandata.* Scilicet decalogi quæ dicuntur moralia, quia vniuersaliter omnium humanorum morum directiua sunt: si autem dicantur moralia à more secundum quod virtutes morales vocantur, omnia præcepta, siue in decalogo, siue iudicialia, siue cæremonialia, moralia sunt, quia omne præceptum cuiuscunque generis actus humani directiuum est, sed quia cæremonialia, & iudicialia dirigunt mores humanos specialiter, quia solum Iudæorum mores, præcepta aũt decalogi omnem morem dirigũt, cum cuilibet homini naturaliter insint, ideo per excellentiã moralia nuncupantur. *Cæremonias.* Id est præcepta cæremonialia. *Atque iudicia.* Id est præcepta iudicialia. *Multiplicet te in filiis benedicatque tibi.* Augens omnia bona possessionum tuarũ. *Si autem auersum.* Hic ponitur secundum principale, s. ad non pœnitentes continua malorum toleratio. *Et audire volueris.* Ad obediendum & complendum opere. *Atque errore deceptus adoraueris Deos alienos.* Qui enim primo adorabat Deum verum, deinde conuersus est ad colendum idola, multum decipitur: quia oportet, quod iudicet melius adorare idola quam Deũ, & iste maximus error, & deceptio est: patet consequẽtia, quia quando aliquis vnum bonum habet, & illo deserto aliud petit: necesse est secundum magis diligere, alias non relinqueret primum propter secundum. Item quia Deum colere malum esse iudicat, sicut iudicabant Iudæi tempore Hieremiæ qui magis volebant colere reginam cœli, id est Dianam, quam Deum dicentes Deum malefacere cultoribus suis, Dianam vero multa bona tribuere, vt patet Hieremiæ 44. cap. *Predico tibi.* Id est annuncio tibi ex nunc antequam fiat. *Testes inuoco hodie cœlum, & terram.* Istæ creaturæ, quia firmissimæ sunt in testes vocantur, vt in omne tempus maneant ad dandum testimonium, vel quia maledictiones, vel benedictiones futuræ pro obseruatione, vel transgressione legis à cœlo, & terra infligendæ sunt, vt patuit supra 28. cap. vel inuocando cœlum & terram inuocat omnes creaturas in testimonium, quia omnes creaturæ in cœlo, & terra sunt. *Eligite ergo vitam.* Exhortatio est, vt eligant seruire Deo per quod vitam habebũt. *Et semen tuum.* Quia non solum patres bene agentes sibi vitam temporalem, & gratiam merentur, sed etiam pro filijs suis, vt magis diximus supra 5. cap. & 7. *Vt diligas Deum tuum.* Per cordis verum amorem ex quo prouenit obedire voci eius, quia qui amat Deum obedit ei, & ex hoc prouenit adhæsio ad Deum per firmitatem in operatione secundum mãdata Dei. *Ipse est enim vita tua.* Id est ipse est à quo sumus, viuimus, & mouemur inquantum agens primum est, & in ipso sumus, viuimus, & mouemur, vt ipse continuus gubernans est, vt patet Actuum 17. c. & hoc quantum ad naturam, quia cum sit causa prima in omnem rem influit, maxime, & semper, vt patet in prima propositione libri de causis: hoc enim notum est, q̃ si Deus ab agendo, & conseruando ista inferiora saltem per momentum desisteret, necesse erat omnia subito in nihilum redire, quia licet sint multæ causæ semper agentes naturaliter subordinatæ Deo, quia tamen illæ etiam à Deo causatæ sunt, & continuo conseruantur, si generalis gubernatio quantumcunque cessaret, necesse erat etiam illas causas perire, & ex consequenti omnes res. hoc etiam verum est de esse gratuito, & beatifico: quantum ad esse gratuitum, patet quia solus Deus gratiam nobis sine subordinatione alicuius causæ naturaliter agentis tribuit, & per hanc gratiam anima viuere, & esse dicitur, etiam patet quantum ad esse beatificum, quia sola diuina essentia quæ infinitum bonum est, animas sanctas beatificat contemplatione clara sui ipsius replendo eas omnibus bonis, & eas viuere facit, de qua vita Apostolus loquitur ad Colos. 3. ca. mortui estis, & vita vestra

absconditi

Apost. quo alludit huic dicto.

Ad nõ pœnitẽtes continua malorum toleratio

In Deo sumus viuimus & mouemur.

A

abscondita est cum Christo in Deo. *Et longitudo dierum tuorum.* Id est ab ipso dependet continuatio vitæ tuę per multos dies. *Ipse est vita tua effectiue.* Id est ipse solus est qui dat vitam tibi: ponuntur ista ad alliciendum Iudæos, quia debet aliquis allici per id quod maxime desiderat, Iudæi autem qui valde carnales erant, desiderabant super omnia istam continuationem in esse naturali: & quia dicitur, quod hæc dependet à Deo, quia ipse eam nobis tribuit, multum Iudæi affici poterant ad Deum, vt hanc vitam eis tribueret, & quia non solum desiderant homines viuere, sed etiam magno tempore viuere, cũ ipsum viuere sit secundum se delectabile: dicitur ergo, quod non solum Deus est vita, sed etiam est longitudo vitæ cum subditur. *Et longitudo dierum.* Id est, quod vita prolongetur per multos dies. *Vt habites in terra pro qua iurauit Deus.* Quasi dicat istam vitam dat tibi Deus, vt viuas in terra promissa. nam in terra hostili viuere potius triste quam iucundum est, & si forte isti peccarent contra Deum suum, licet Deus eis non auferret vitam in terra promissa patribus eorum, & hoc erat valde lætum. *Quam iurauit Deus patribus tuis.* Non iurauit omnibus, sed soli Abrahæ, vt patet Gen. 22. ca. sed alijs dicitur iurasse, quia promittebat eis se daturum iuxta iuramentum, & compositionem factam cum Abraham, de quo magis diximus supra 28. cap.

B

CAP. XXXI.

ABIIT itaque Moyses, & locutus est omnia verba hæc ad vniuersum Israel, & dixit ad eos. Centum viginti annorum sum hodie, non possum vltra egredi, & ingredi, præsertim cum & dominus dixerit mihi, non transibis Iordanem istum, &c.

C

Abiit itaque. In superioribus posita fuerunt præcepta, & cautelæ inductiuæ ad bonum, hic consequenter ponitur vltima pars libri, quæ agit de dispositione ad legislatoris obitum, quoniam ex hoc loco vsque ad finem libri ponitur quædam commonitio & benedictio, quæ se habet per modum testamenti, & benedictionis patris obeuntis, & ista ponuntur ad confirmationem populi in bonis operibus. Et tanguntur tria. Primo corroboratur dux Moysi succedens. Secundo admonetur populus, vt sit obediẽs in c. 32. Tertio describitur legislator moriens in cap. 32. circa finem, vbi dicitur. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens.* Cum ca. seq. prima in duas. Primo ponitur principis institutio. Secundo eiusdem confirmatio ibi. *Et ait Dominus ad Moysen.* Iterum prima in duas. Primo ponitur ducis necessitas. Secundo eiusdem habilitas ibi. *Vocauitq; Moyses Iosue. Abiit itaque Moyses.*

An Moyses fuerit per singulas tribus benedicendo eis.

QVÆST. I.

ALIQVI dicunt, quod dictis istis Moyses iuit per singulas tribus, & benedixit eis: & hoc vult Aben Ezra: potest tamen argui: quia dicitur, quod locutus est Moyses verba ista ad omnem populum, vt patet immediate, ergo congregatus erat populus. Sed potest responderi, quod licet prius ponantur hic ista, quam benedictiones quæ habentur infra 33. c. tamen illæ prius dictæ sunt, quia non omnia eodem ordine geruntur quo scripta sunt, & hoc videtur tenere manifeste ipse, sed non multum valet, quia nunquam deuiandum est ab ordine literæ, nisi ex necessitate, vel aliqua causa multũ apparenti, quod non est in iudicio eius, quia nulla ratio videtur ordinis quare illa prius quam ista dicta per Moysen, & facta fuerint. Item dato, quod illæ benedictiones datæ sint per Moysen, antequam loqueretur ista verba: tamen non potest dici, quod inter hoc quod est. *Abiit Moyses.* Et hoc quod est. *Et locutus est.* Aliquid interpositum fuerit, quia vnus contextus est, & illa connexio, & repugnat, quia coniungit illud verbũ abijt sequenti verbo, s. locutus est, ideo necessario dicetur, q̃ est sensus, quod Moyses abijt ad loquendum populo: & dicitur abire, quia finitis his quæ supra dicta sunt, populus iuit in tabernacula sua, & Moyses quoque deinde vocauit eos rursus, & abijt ipse ad locum in quo ea quæ sequuntur dicturus erat eis, & simile diximus supr. 29. in principio, & locutus est verba hæc quæ sequuntur: aliter potest intelligi ista litera, s. q̃ dicatur tanquam caput orationis hoc: nam vt consuetum est in Sacra Scriptura, licet interdum sit vna continua narratio, quia de diuersis fit narratio, ponuntur inter illa plura aliqua capita orationum, ita hic cum velit incipere aliud, ponit caput orationis, & est recapitulatio præcedentium, scilicet. *Abiit itaque Moyses, & locutus est.* Omnia supradicta in auribus populi, & hoc quod dicitur abiit, & locutus est, non est aliquid diuersum tanquam duo sint, abijt & locutus est, sed vnum est, mos tamen loquendi Hebraicus est ponere ista verba signantia motum cum verbis non signantibus motum localem ad signandum inceptionem rei, sic dicitur Exod. 32. cap. cum totus populus conuenisset contra Aaron vt faceret eis Deos dixerunt: surgens fac nobis Deos, siue vt habetur in Hebræo surge, & fac nobis Deos: non erat sensus, quod tunc Aaron iaceret, quia astante sibi populo, & deprecante non iaceret Aaron, quia hoc erat magna turpitudo, sed surgere significat inceptionem quasi dicat, tu non facis nunc Deos: surge igitur, & fac nobis Deos, id est incipe facere nobis Deos, sic dicitur hic. *Abiit itaque Moyses, & locutus est.* Id est Moyses antea non loquebatur ista verba, sed postea abijt, & locutus est, id est incepit loqui ista verba, & satis est conueniens iste modus loquẽdi, cum sæpe reperiatur in sacra scriptura ex more literæ Hebraicæ. *Centum & viginti annorum sum hodie.* In hac die mortuus fuit completis totaliter istis annis, & patet hoc, quia quando comparuit Moyses primo coram Pharaone erat octoginta annorum, vt habetur Exodi 7. cap. & transierant 40. anni ab illo tempore quibus manserant in deserto, & sic erãt 120. anni, sed id quo deficiebat de quadraginta annis, quando mortuus est Moyses, quia erat tunc mensis vndecimus, suppletum fuit in diebus qui fluxerunt ex die qua comparuit primo Moyses coram Pharaone, quia esset vnus mensis, vel parum plus secundum plagarum distantiam, quia aliqui dies erant medij inter plagam & plagam, vt patet Exod 8. & 9. & 10. cap. *Non possum vltra egredi, & ingredi.* Ista fuit causa necessitatis instituẽdi ducem, quia Moyses erat dux, & iam regere non poterat, ne maneret populus quasi oues sine pastore, necesse erat constitui ducem, vt patet Numeri 27. cap. Item quia cum dux sit inflictiuus pœnarum cogit per pœnas ad custodiam legis, sine quibus homines imperfecti ad bonum non mouẽtur. *Non possum vltra egredi.* Non erat hoc ex defectu virium naturalium, quia robustus erat adhuc, quoniam ipse ad bellum exibat, & ipse occidit Regem Seon manibus suis: etiam quia magnam viuacitatem sensuum habebat, vt patet infra non caligauit oculus eius. Sed vt dicit Nicol. solum dicebat hoc, quia Deus mandauerat, quod ipse immediate moreretur. Sed non videtur hoc esse verum, quia dicitur. *Præsertim cum Dominus dixerit mihi.* Præsertim semper vult aliquid coniunctum: oportet ergo dare aliam causam pp quam non posset exire ante eos. In Hebræo non habetur præsertim, ideo secundum illã literam satis posset stare sententia Nicolai, tamen ponitur ibi quædam dictio quæ aliquo modo signat diuersitatem. Respondetur, quod ly potest tenetur dupliciter, vno modo pro decere, vel conuenire, & tunc est sensus. *Quod non possum vltra ingredi, & regredi.* i. non decet, quod vltra ego egrediar, & regrediar, i. quod intrem ante vos in loco nõ securo, sicut in ciuitates hostium, vel egrediar ante vos de locis castrametationum, quia pericula maiora sunt præcedentibus, ideo ad tollendum timorem periculorum dux præcedere debet, & hoc non decebat propter ætatis magnitudinem. Et tunc est alia causa præsertim, quia Deus mandauit, quod non transirem Iordanem, i. licet causa superior sit rationalis: tamen firmius est mandatum Dei. Alio modo potest accipi proprie, vt inducit possibilitatem, & tunc solũ ponitur vna causa, s. quia Deus prohibuit, & sic nihil faciet ly præsertim sicut frequenter est de aliquibus alijs dictionibus, siue in Latino, siue in Hebræo. *Cum Dominus dixerit mihi.* scilicet Num. 27. & 32. & supra 3. ca. *Non transibis Iordanem istum.* Hoc dixerat sibi cum essent prope Iordanem, scilicet in campestribus Moab vbi erat Iordanis, scilicet in confinio terræ Chanaan quam nondum habuerãt, & ibi videns Moyses esse locum conuenientem ad precandum Deum, quia solum manebat, vt iam transirent Iordanẽ ad possidendũ terram populorũ Chanaan, rogauit eũ dicens: dñe Deus tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinẽ tuam

Causa necessitatis instituendi ducem

D

E

F

manumque fortissimam, nec est enim alius Deus, vel in cœlo, vel in terra qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ : transibo ergo & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium Libanum. tunc quia Deus præordinauerat secundum voluntatem beneplaciti sui, quod Moyses non transiret vltra Iordanem, dixit sufficit tibi, ne quaquam loquaris vltra de hac re ad me: nō enim transibis Iordanem istum, id est, licet videas istum Iordanem ante oculos tuos, tamen non dabo tibi tantam vitam, vt illuc transire possis cum populo meo.

Dominus Deus tuus transibit ante te. i. licet constituantur super te duces, tamen non intelligas, quod isti te totaliter dirigant, sed Deus principaliter. *Transibit autem.* Quia arca Domini præcedebat eos cum intrarent terram promissionis, vt patet Iosue 3. cap. vel dicitur Deus transire ante eos non proprie, quia Deus omnia replet, ideo ad nullam partem moueri potest, sicut si esset aliquod corpus infinitum omnia occupans, impossibile esset moueri, quia vltra illud nihil esset ad quod moueretur tanquam territorium, qui semper est vltra rem motā: sic enim nihil est extra Deum ad quod transeat vel moueatur, licet nihil occupet: dicitur tamen Deus large moueri, quādo in vno loco specialiter operabatur, & deinde incipit in alio loco specialiter operari, sic erat apud Iudæos, quia Deus operabatur inter eos specialiter demonstrando potentiam suam, & non operabatur inter Chananæos, post ingressum autem Israelitarum vltra Iordanem incepit Deus immittere timorē in Chananæos, vt fugerent Israelitas sicut promiserat Exo. 23. & supra 7. capit. quod ante ingressum eorum mitteret Crabrones qui fugarent gentes illas, ideo tunc dicebatur transire ante eos.

Ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo. Ita quod pugna magis erat Dei quam Israelitarum, ideo magis proprie dicebatur respicientes pugnam quàm pugnantes: & aliquando nihil omnino facientibus Iudæis Deus pugnabat contra hostes eorum, vt patet Iosue 10. cap. quando immisit Deus lapides grādinis fortes, & plures perierunt quàm ante gladio perierant, & sic dixerat eis Moyses Deus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis Exod. 14. ca. *Et possidebitis eas.* Id est terram earum, quia non licebat eas subiicere in seruitutem, vt patet supra 20. capit. & Numeri 33. sed eas delere gladio. in Hebræo habetur. *Et facies eas exulare.* Vel. *Exterminabis eas.* Et ista litera magis conuenit, & potest esse error, quia dictio Hebraica quæ significat exterminare, est eadem in literis ab ea quæ significat possidere, nec differunt, nisi in punctis, in quibus facilis est error, vnde pro exterminare dicitur. *Iuristam.* Pro possidere dicitur. *Iuristem. Et Iosue iste transibit ante.* Hic certificat eos de directione ducis: ita quod nullus casus euenturus erat propter quem impediretur à ducatu populi, quia forte Iosue timeret, quod sicut Moyses qui vir perfectus erat propter malitiam populi ad peccandum inductus est, ita quod non intraret terram trās Iordanem, ita impediretur ipse qui se imperfectum sentiebat, & de hoc Moyses certificat eum ex mandato Domini dicens, sicut dominus locutus est, id est ita voluit dominus esse, & sine aliqua conditione prædixit, ideo sic erat de quo magis diximus supra tertio cap. in fine. *Sicut fecit Dominus Seon, & Og regibus Amorrhæorum.* De quibus Numeri 21. capitulo. *Sic facietis eis.* Scilicet delendo omnes in ore gladij, sicut fecimus istis regibus Amorrhæis. *Ne paueatis ante conspectum eorum.* Pauere magis est quàm timere, quia timere solum dicit fugere, vel non audere committere, pauere est visis hostibus totaliter viribus deficere, & mente consternari, ideo dicitur in Hebræo. *Nolite timere, nec vos conteratis, non dimittet te, nec derelinquet.* Dimittere est ad tempus dimittere: derelinquere est totaliter deserere, ideo promittebatur eis, quod nec ad tempus, nec ad semper dimitterentur, ideo quando Iosue vidit, quod hostes de ciuitate Hay occiderant paucos de Iudæis valde miratus est, & procidit coram arca tota die consperſus puluere, vt patet Iosue 7. cap. & fuit ista prophetia prędestinationis, quia sic Deus volebat contingere, nec per aliquam particularem causam poterat perturbari, & sic notificauit Deus Moysi, quod sic erat voluntas sua, & sic ipse denunciauit populo.

Ducis instituti habilitas

Vocauitque Moyses. Hic ponitur secundum, scilicet ducis instituti habilitas. *Vocauit Moyses Iosue.* Et sic non petiuit Iosue ducatum populi, nec per ambitionem se ingessit, quia qui dignitatem petit vel appetit, illa indignus est, quia vt ait Apostolus ad Hebr. 5. nemo indifferenter dignitatem, vel honorem sibi assumere debet, sed qui vocatus est à Deo, vt Aaron. *Et dixit ei coram omni Israel.* Volebat Moyses constituere hic Iosue in ducem exercitus totius populi succesſurum sibi, vt igitur hoc esset recte factum, decuit vt fieret coram toto Israel. nam ea quæ omnes tangunt ab omnibus approbari debent, sed suscipere aliquem in ducem pertinet ad ipsos subditos, quia tota vtilitas, vel damnum huius venit subditis, ergo coram ipsis fieri debebat.

Item quia si constitueretur Iosue dux Israelitarum non coram Israelitis, videretur factus dux per ambitum, scilic. quod ipse dignitatem concupiuerit, & ille qui eam dedit iniuste dederit: ad tollendum ergo omnem suspicionem oportebat fieri coram toto Israel.

Item quia volebat Moyses, vt Iosue duci daretur magnus honor, & auctoritas ab Israelitis, sed non daretur, nisi fuisset publice constitutus, vt non videretur intrusus, ergo debuit coram omnibus ab ipso Moyse in principem constitui, sic patet Numeri 27. c. vbi mandauit Deus, quod Moyses aduocaret Iosue coram toto Israel, & daret ei partem gloriæ suæ, & audiat eum omnis synagoga filiorum Israel: ad captandam ergo istam auctoritatem oportebat publice fieri, quia quæ in occulto fiunt speciem mali habent, quoniam qui male agit, odit lucem, & oculus adulteri diligit caliginem. *Confortare, & esto robustus.* Hoc dicebat Moyses Iosue, quia Deus mandauerat, vt patet Num. 28. c. vbi aduocans eum coram toto Israel fecit eum loqui ad turbas, & postea imposuit manus super caput eius, sicut mandauerat dominus, idem patet sup. 4. cap. vbi iterum mandat, quod Moyses consoletur Iosue consolando eum.

Confortare, & esto robustus. Id est non formides suscipere onus regiminis tanti populi, quia Deus te in omnibus prosperabit, & hæc dicuntur, quia Iosue vocatus tantum onus subire recusabat propter causam quam supra assignauimus. *Tu enim introduces populum istum.* In hoc confortat certificando de futura prosperitate, quia timere poterat rationabiliter tantarum rerum discrimina, quę vertebantur in pugnando contra omnes gentes terræ promissionis.

Tu eam diuides sorte. Hoc maius erat: introire enim in terram promissionis non multum erat, sed deuincere hostes, & terram ab eis captam post diuidere magnum quid erat: promittendo autem, quod terram diuideret promittebat implicite, quod gentes terræ illius deleret, quia hoc antecedens erat ad illud, & in bona consequentia: qui consequens fatetur etiam antecedens fateri necesse est.

Diuides sorte. Quomodo autem diuideretur sorte, & maior pars semper pluribus daretur dictum fuit Numer. 26. & 34. c.

Scripsit itaq;. Posito supra de institutione ducis, hic agitur de lege per quam dux populum subditum gubernare debet. *Scripsit itaq; Moyses legem hanc.*

De lege per quam dux populum subditum gubernare debet.

An Moyses ante scripserit legem, quam dixerit.

QVÆST. II.

VTRVM legem istam ante scripserit quam dixerit, vel postquam dixit populo, ex litera non constat: forte dicetur, quod primo eam dixit quam scriberet, quia sic est ordo literæ cum primo ponatur Moyses legem prædicans: deinde ponatur eam scribens, sed hoc nihil probat, quia non poterat alias dici etiam si ante fuisset scripta quam dicta, quia non poterat bene dici, istam legem scripsit Moyses antequam dicta fuisset, quia ly ista demonstrat rem præsentem, & existentem. Sed aliquis dicet, quod Moyses scripsit istam legem antequam diceret: deinde per scriptum eam recitauit, eo quod non posset tanta, & tam minuta memoriter retinere. Sed hoc nihil valet, quia sicut sine aliquo libro originali ista scribebat Spiritu sancto dictante, ita eodem mouente ea memoriter retineret. Item quia Moyses memoriter tenuit, & dixit toti Israeli ea quæ habentur Exod. à 25. capit. vsque 35. de factura tabernaculi, & vasorum, & multa alia minuta præcepta quæ extant ibidem, quæ non scripsit in monte, sed memoriter tenens populo nunciauit. Sed videtur probabiliter quod ante scripsit quàm diceret, licet non per scriptum recitaret, quia in die qua Moyses ista dixit, & benedixit populo,

ascendit

A

ascendit montem Abarin,& mortuus est,vt patet cap.seq.sed nō poterat aliquis homo in tam breui tempore tantā scripturam scribere, quia forte non haberet tres horas ad scribendum,cum tot acta illa die egerit. Et si dicas, quod non potuit fieri hoc. Respondetur, quod potuit, sed nunquam sunt ponenda miracula sine necessitate, vbi scriptura manifeste non ponit, quia omnia attribuere miraculo tollit omnē modum sciendi.

An hoc solū intelligatur de isto libro, vel de alijs quatuor.

Item quia si tantum miraculum factum fuisset,non videtur, quod scriptura illud reticeret: tenetur ergo, quod ante scripserit, & facta institutione Iosue in principem tradiderit librum Leuitis. *Legem hanc.* Solus iste liber Deuteronomij fuit datus Leuitis,vt poneretur in latere arcæ,quia dicitur. *Legem hanc.* Quod non potest intelligi de alijs quatuor libris. Et ratio quia iste liber qui ponebatur in arca legi debebat in anno remissionis toti populo, vt sciret mādata Dei,sed in hoc continebantur omnia mandata Dei pertinentia ad populum, vt probauimus supra 29. cap. superfluum esset, quod præcepta de factione Sanctuarij, quæ semel ad complementum deducta fuerant,eis legerentur: maximè quia populus turbaretur tanta audiendo. Item quia ista lex quæ in arca posita fuit nouiter scripta fuit, quia dicitur quod scripsit Moyses legem hanc,& dedit eam Leuitis, sed alij præcedentes libri non fuerunt tunc scripti, sed ante, vt patet Exodi 24. cap. vbi dicitur: scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, quod ad minus refertur ad Genesim,& Exodum, maiorem partem de Leuitico, etiam idem videtur, quia in monte Synai audiuit Moyses vniuersa hæc à Domino,vt patet Leuit.vlt.cap. De libro Numerorum, cuius historia nondum transierat, videtur dicendum, quod post paulatiue scripserit, & isti libri manserunt extra arcam, & multi illos transferebant ad scienda quæ Deus mandauerat. De scriptura autem horum quatuor præcedentium librorum aliqui sic sentiunt:sed falsum est,scilicet quod ista fuerint sic scripta, quod enim omnes quatuor libri, vel maior pars eorum fuerit scripta in monte Synai, nec constat, nec repugnat:satis enim potuerunt ibi scribi præter Deuteronomium, & partem vltimam libri Numerorum, quia omnia verba istorum quatuor librorū erant iam dicta, quando recesserunt de monte Synai,vt supra 28. cap. declaratum: & patet ex processu ipsorum librorum, sed quod ibi scripta fuerint nō constat, nam testimonium illud, quod adducitur supra 24. cap. non est conueniens: quia ibi non agitur de aliquo istorū librorum: nam cum dicitur,quod Moyses scripsit vniuersos sermones Domini,non dicitur de omnibus sermonibus Domini, scil. de omnibus quæ locutus est Deus, sed de omnibus sermonib⁹ Domini, scil.de omnibus,quæ tunc narrauerat Deus Moysi,nam Exod. 20. cap. vocauit Deus Moysen ad caliginem nubis, & incœpit ei loqui, locutusque est omnia verba quæ continentur Exod.20.cap. in fine,vsque ad 24. cap. deinde Moyses descendens de monte narrauit hæc omnia populo: & postea dicitur, quod scripsit ea,sed manifestum est, quod solum illa verba dixit populus, ergo solum illa scripsit,quia superfluum erat dici, quod tunc cætera quæ in libris sacris postea fuerunt, qui nunc dicuntur à Moyse compositi, conscriberet de eis, quorū verba vsque ad id temporis dicta fuerant. Item patet, quod non scripserit tunc Genesim,& magnam partem Exodi, quia dicitur, scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini,& mane cōsurgens ædificauit altare,ergo in die qua lex data fuit in sono tubæ scripta fuerunt omnia illa de quibus ibi dicitur,sed nō possent in eadem die tanta fieri: nam in eadem die populus in mane consurgens iuit ad radices montis cōcrepante clangore buccinæ, & audiuit mandata,& postea Moyses ascendit ad Dominum, & locutus fuit cum eo, atque audiuit omnia præcepta quæ continentur in Exodo à cap. 20. vsque ad 24. cap. & postea Moyses descendit de monte, & recitauit hæc coram populo, & populus audiens consensit ad hæc:ergo omnia satis magna pars diei transisset facienda, sed postea dicitur, quod scripsit omnes sermones Domini, & mane surgens ædificauit altare. Igitur omnes sermones Domini de quib⁹ ibi dicitur, fuerunt scripti in illa parua parte diei superstante, sed modicum scribi poterat in eo modico, quod supererat de tempore illius diei: ergo non poterat scribi aliquid perfectum in toto Genesi,aut Exodo, sed solū scripti fuerunt sermones Domini quos dixit ad Moysen eadem die in monte Synai.

B

C

D

Item quia dicitur scripsit Moyses vniuersos sermones Domini, sed tota Genesis, & Exodus non sunt de sermonibus Domini: ergo non fuerunt scriptæ Gen. & Exod. patet antecedens,quia de Gen. plura de historicis, quam de verbis præceptiuis, aut prohibitiuis Dei continentur: concludendum ergo, quod ibi solum scripta fuerunt mandata quæ fuerant dicta Exod. 20. & 21. atque 22. & 23. cap. Genesis autem, & Exodus, Leuiticus atque Numerus fuerunt scripta cum morati sunt in deserto post istam dationem legis,& non immediate, siue in monte Synai, siue extra. *Sacerdotibus qui portabant arcam fœderis.* Id est, in qua erant tabulæ legis lapideæ, & non portabant sacerdotes arcam istam, sed Leuitæ qui vocabantur Caathitæ, vt patet Numeri 3. & 4. cap. sed dicuntur portare sacerdotes,quia in potestate eorum erat,& ipsi eam velabant,& apparabant cum castra mouenda essent,& tradebant eam Caathitis qui eam deportabant, vt patet Numeri 4. cap. *Post septem annos.* Isti anni debebant incipi computari post diuisionem, & pacificam possessionem terræ promissionis, & ratio quia liber iste legi debebat in loco vbi esset Sanctuarium Domini, sed non fuit collocatum Sanctuarium in aliquo loco donec finita fuissent bella, quia tunc congregatus fuit Israel, & portauerunt Sanctuarium Domini in Sylo,vt patet Iosue 18. cap. *In solennitate tabernaculorum.* Magis in hoc festo legebatur lex populo quam in alijs, quia pluribus diebus manebant in loco sancto quam in alijs festiuitatibus, & fiebat in anno remissionis,quia tunc omnes debitores liberabantur à debitorū solutione, & serui à Dominis, ideo libentius audire poterant legem.

Lex magis in tabernaculorū festo legebatur quā in aliis.

E

Aliqui volunt, quod ideo fiebat in anno remissionis, quia tunc serui liberati à Dominis ascendere poterant in locum Sanctuarij,& non in alijs temporibus,sed falsum est hoc,quia etiam in alijs annis per singula festa ascendebant omnes liberi, siue serui in locum Sanctuarij,vt patet Exodi 23. & 34.cap. tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum ante me,& sic serui,& liberi intelliguntur.

Item quia dicitur supra duodecimo, & decimosexto cap. vbi agitur de istis festis,& oblationibus factis in illis,epulaberis coram Domino tu, & filius,& filia,seruus,& ancilla: ergo serui ascendebant,& comedebant de sacrificijs.

Leges verba coram omni Israel. Quia tunc ascendebat aliquis de sacerdotibus, qui vocem altam, & sonoram haberet, in pulpitum,vbi ab omnib⁹ videri posset,& hoc est pinnaculum templi, in quod diabolus deduxit Iesum dicens ei, quod se deorsum mitteret,vt patet Matth. 4. cap.

Bonū est paruulos Dei legē audire à tenera ætate.

Paruulis & aduenis. Valde bonum est paruulos audire legem Dei, vt imprimatur eorum mentibus, quia impressiones primæ fortissimæ sunt, ideo Philosophus dicit secundo Ethicorum, quod non modicum differt à iuuentute sic, vel sic assuescere. Et Plato hoc idem voluit, scilicet, quod homines à tenera ætate instruerentur ad recte lætandum, & tristandum, quia in his perfecta disciplina est, ideo secundum, quod ait August. de ciuitate Dei, libro 1. cap. 3. Romani pueros suos teneros Virgilium addiscere faciebant, vt tanquam eximius Poëtarum teneris imbibitus annis non posset faciliter aboleri,& Horatius dicit,quem semel recepit testa semper seruabit odorem, & ratio est, quia in pueris teneris sunt organa receptiua tenera, & ideo fortior impressio fit, quia res teneræ multum passibiles sunt, res autem duræ non bene suscipiunt, quia habent virtutem ad non faciliter cedendum, etiam est alia causa potissima huius, quia pueri in tenera ætate nullas adhuc impressiones receperunt, & cum aliqua in eis fit, anima toto conatu se super eam vertit, cum autem factæ sunt multæ impressiones,si aliæ superueniant,anima nō potest totaliter intendere illis,quia conuertitur ad alias,& sic secundæ impressiones debiliores sunt, & tertiæ magis debiles, & sic procedendu. Ex hoc autem sequitur id, quod videmus, scilicet, quod homines circa multa occupati, licet aliqua audita recipiant, faciliter tamen elabuntur ab eis, quia remisse talia radicantur anima attendente ad alia, & in plurima diuisa. *Vt audientes discant, & timeant.* Discere doctrinam sacram non ordinatur ad scire solum, sed maximè ad agere, quia in moralibus solum scire nihil prodest, sicut in scientijs speculatiuis: negotium autem morale non speculationis gratia, sed operationis est, vt patet 2. Ethicor. ideo redarguit ibi Philosophus eos qui scire volunt, & non agere,

F

A sic inquiens, sed multi hæc non operantur, sed ad rationem confugientes existimant se Philosophari, & sic studiosos fore simile aliquid habentes patientibus, qui medicos quidem studiose audiunt, faciunt autem nihil eorum quæ præcepta sunt, quemadmodum non recte habebunt corpora sic curati, nec illi animam, ita Philosophantes. *Filij quoq; eorum qui nunc ignorant.* Quia quando Moyses dixit omnia verba legis huius, erant multi, ita paruuli, quod nihil intelligere poterant de lege, oportebat ergo eam replicare, vt isti tunc intelligerent, & sic de quolibet septennio in septennium, quia semper noui filij generabantur. *Vt timeant Dominum Deum suum.* Scilicet timore filiali qui est timor sanctus, & permanens in sæculum sæculi, qui manet in patria: nam pro hoc rogandum magis est cum stet cum qualibet virtute etiam cum perfectissima. Vel potest stare pro timore seruili, quia etiam per timorem seruilem efficiuntur homines boni tanquam per viam ad terminum, licet ipse non maneat cum bonitate perfecta, quia vt ait Ioannes in Canonica prima cap. 4. perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet, pro hoc tamen timore adhuc rogandum est quantum ad illos qui imperfecti sunt, quia si nullo modo timeant Deum, non coercebuntur à malis, si autem sit aliquis timor saltem seruilis, ille faciet, quod declinetur à malo, & sic licet amore iustitiæ bonum non fiat, fiet tamen timore pœnæ, & ex hoc assuefient illi bonæ operationi naturaliter, donec deueniatur in tãtum, quod illa operatio secundũ se placeat, & fiet amore iustitiæ. *Cunctis diebus quibus versantur in terra.* Id est, iste timor Dei debet manere omnibus diebus quibus manent in terra, quia tunc est necessarius ei ad hoc, quod in terra maneant, ne euomat eos terra cum peccauerint contra Deum non obedientes ei, & non oportet manere postquam recesserimus de terra: nam post mortem non manet timor seruilis vbicunque homo sit: si enim sit homo in vita æternæ fœlicitatis, non est ibi aliquis timor seruilis, quia ibi est secura totius boni fruitio, nec vllo modo bonum quod possidetur creditur posse perdi. In purgatorio autem non est timor seruilis, quia licet ibi actualiter patiantur secundum sensum, tamen in futurum bonum exspectant, ideo cum dolore qui est de præsenti malo, habent spem quæ est de futuro bono, scilicet de vita æterna. Si autem sint in inferno non est in eis vllus timor seruilis, quia timor est expectatio mali futuri, isti autem qui in inferno sunt mala tolerant, sed mala non expectant, quia ea quæ tolerant sciunt se in æternum sustinere debere, nec vnquam esse pœnam augendam, vel minuendam, est ergo ibi dolor qui est de præsenti malo, sed non timor qui est sola expectatio absentis boni, solum ergo in vita potest haberi timor seruilis. Sed de isto timore non erat ista litera exponenda, sed magis de filiali: nam licet orandum sit, quod in aliquo sit timor seruilis ne mala faciat, non tamen est orandum, vt sit in eo timor seruilis, quia si ipse semper staret, nunquam staret in eo charitas, & sic non esset introitus ad vitam æternam: sed in litera dicitur, quod istum timorem debent habere tota vita dum morantur in terra, ergo intelligitur de timore filiali.

B *Nullibi timor Dei seruilis est post mortem.*

C

An timor filialis maneat post mortem, & quod primo statu post mortem nulla præcepta dantur.

QVÆST. III.

INTELLIGENDO autẽ de timore filiali verum est, quod timor filialis manet post mortem in bonis qui sunt in fœlicitate Paradisi, quia timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi, tamen solum mandatur hic, quod maneat in vita, cuius ratio est, quia præceptum datur de his quæ sunt in potestate nostra, & possunt se aliter, vel sic habere, sic est de timore quem in vita habemus, quia in vita possumus timere, & possumus non timere filialiter cum simus valde mutabiles, ideo dari oportet præceptum, & admonitionem ad timendum Deum. Post mortem autẽ non oportet dari præceptum, quia qualitercunque sit status animarum, siue in inferno, siue in purgatorio, vel Paradiso immutabiles sunt, cum quædam sint obstinatæ quædam confirmatæ: animæ enim quæ in inferno sunt, obstinatæ sunt, nec bonum velle possunt, cuius radicalem rationem, & modum præsentis speculationis dicere non est, forte alibi dicetur, ideo cum non fuerunt morientes illi in timore filiali, ibi nunquam poterunt habere timorem filialem, qui autem in purgatorio sunt, licet beati nõ sint actualiter, tamen confirmati sunt in bono, ita quod peccare non possunt: ideo reuerentiam magnam ad Deum habent, qui autem sunt in Paradiso sunt beati, & confirmati, ideo reuerentur Deum, & nunquam possunt non reuereri, de istis igitur, quia immutabiles sunt, lex danda non est. Alia causa est quare nõ detur præceptum de illis, quia præceptum est quædam regula directiua secundum ordinem in finem ad merendum, sed post mortem non contingit mereri aut demereri, cum sint iam in termino retributionis aut pœnæ, ideo non datur lex de his qui post mortem sunt: nam actus boni qui postea sunt, non computantur in meritum ad augmentum gloriæ, sed ipsi sunt pars præmij, & pars gloriæ nostræ futuræ, & mali actus quos habebunt mali in inferno, non computantur in parte demeriti, ita vt ordinentur in quantitatem punitionis, sed ipsi sunt pars punitionis quam mali sustinent, quia sunt eis dolorosi, & cum magno remorsu conscientiæ qui est vermis eorum qui non extinguetur, & pœna iugis damnatorum. *Ad quam Iordane transmisso pergitis obtinendam.* Quoniam terra quæ promissa erat ante Iordanis transitum, iam obtenta fuerat de manu duorũ regum Amorrhæorum, vt patet supra 2. & 3. cap. restabat ergo obtinenda terra vltra Iordanem. *Et ait Dominus ad Moysen.* Hic ponitur secundum principale, scilicet ducis instituti confirmatio, & tanguntur duo. Primo prædicta ducis confirmatio. Secundo legis conseruatio ibi. *Postquam ergo. Ecce prope sunt dies mortis tuæ.* Quia in eodem die mortuus est, ideo indiges successore, & licet verum sit, quod in eadem die mortuus est, scilicet in die qua loquebatur ista Moyses, tamen non fuit mortuus in eadem die in qua ista dicta sunt ei à Deo. Nam Deus dixit ei ista aliquibus diebus ante, vt adduceret Iosue coram toto populo, & confirmaret eum in ducem, & post hæc Moyses coram toto populo recitauit omnia verba legis huius, & si Moyses non recitauit ista in vna die coram populo, necesse est, vt aliquibus diebus ante mortem suam dictum fuerit ei, prope sunt dies mortis tuæ. *Voca Iosue.* Licet sciret Moyses, quod alius sibi successurus erat, nesciebat tamen quis esset, nec ipse audebat aliquem legere, quia hoc altissimum negotium erat, ideo dixit Deo, prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem qui sit super multitudinem hanc, vt patet Num. 27. cap. vt ergo certe pateret, quod Iosue erat verus princeps multitudinis, nec haberent locum repugnandi præcepto eius, Deus per se confirmauit eum.

D *Præceptum quid sit.*

Ducis institutio & firmatio.

E

Et state in tabernaculo testimonij. Id est, ante ostium tabernaculi, quia non licebat alicui, nisi sacerdotibus introire tabernaculum fœderis. Iosue autem non erat sacerdos, sed de tribu Ephraim, vt patet Num. 13. cap. Item quia columna nubis in qua Dominus apparebat, descendebat super ostium tabernaculi, vt patet infra, quam nõ viderent si intrarent in tabernaculum. *Vt præcipiam ei.* Id est, vt mandẽ ei aliqua quæ facturus est, & vt corroborem. *Et apparuit ibi Dominus in columna nubis.* Ad manifestandum coram toto populo, qui procul stans respiciebat, quod acceptaret Iosue in ducem, & dicebatur ista columna nubis apparere, quia ipsa semper stabat eleuata super tabernaculum testimonij, & aliquando deprimebatur vsque ad ostium tabernaculi, & ibi audiebatur Dominus loquens, & nubes magno fulgore coruscans demonstrabat Deum ibi specialiter adesse, vt diximus Num. 14. cap. *Ecce tu dormies cum patribus tuis.* Id est, morieris, sicut mortuus est pater tuus, & omnes prædecessores eius, vel dicitur dormies cum patribus tuis, id est, applicaberis ad populum tuum, erat populus Moysi totus populus bonorũ existentium in sinu Abraham, vbi tunc ad tempus manebant vsquequo transferrẽtur ad illã perfectã requiem Paradisi: nam in Paradiso tunc nullus bonus aut malus stabat, quia non fuerat solutum precium redemptionis. Moyses autem fuit applicatus ad hunc populum suum, scil. bonorum existentium in limbo, quia de bonis dicitur applicatus est ad populum suum, de malis autem nunquã dicitur, Moyses autem valde bonus erat, ideo cõuenienter de eo dicendũ erat, quod dormiet cum patribus suis, siue quod applicaretur ad populũ suum. *Et populus iste.* Id est, filij eorum, quia illi qui tunc viuebãt nõ leguntur coluisse idola, sed post successores eorũ. *Fornicabitur post Deos alienos.* Sicut

F

De bonis dicitur applicatus est ad populũ suum & non de malis.

mulier

A mulier quæ deserto viri thoro alteri viro copulatur, fornicari dicitur, iste populus, qui per fidem datam de seruando legem Dei vero cultu astrictus erat, quando transibat ad cultum idolorum fornicari dicebatur. *Ibi derelinquet me.* Nolens sequi vias mandatorum meorum. *Et irritum faciet fœdus.* Id est, adnihilabit pactum meum, scilicet, quia mecum pepigit, quod seruaret legem meam, & quod ego benefacerem sibi, nunc dimissa lege factum est pactum irritum, quia non obseruatur. *Et abscondam faciem meam ab eo.* Subtrahendo meam protectionem, & relinquendo eum in manibus hostium, & tunc etiam si clamauerit dolorem sustinens abscondam faciem meam, id est dissimulabo me videre. *Et erit in deuorationem.* Id est, in magnam destructionem hostium, quia quod deuoratur totum consumitur. *Ita vt dicat in illo die verè, quia non est Dominus mecum.* Solet enim vexatio dare intellectum, cum ergo isti videbant se in afflictionibus, cognoscebant se peccasse, & conuertebantur ad Dominum, vt patet Psalm. 77. cum occideret eos quærebant eum, & hoc solũ intelligitur de his quos Deus ad bonum præordinauit, quia illis omnia cooperantur in bonum, quia secundũ propositum vocati sunt sancti, vt patet ad Rom. 9. cap. illi tamen qui maligni sunt, etiam quando à Domino castigantur, non corriguntur, sed deteriorantur, vel desperant, sic dicebat Deus Iudæis ante captiuitatem Babylonicam, qui per multas tribulationes correcti non fuerant. Super quo percutiam te, id est ad quid te percutiam? quia percussa nõ corrigeris, vt patet Esaiæ 1. cap. *Verè, quia Dominus non*

B *est mecum.* Scilicet per specialem cõseruationem, nec ego cum eo per specialem cultum.. *Inuenerunt me hic mala.* Quæ scripta sunt supra 28. cap. nunc scribite vobis canticum istud, quod habetur cap. seq. scil. audite cœli. *Vt memoriter teneant, & ore decantent.* Hoc ad duo proficiebat. Primum quia per decantationem pœnarum infligendarum pro idololatria, aliqui cauerent idololatriam. Secundum, quia si committerent tale peccatum, & post punirentur, scirent quod Deus dabat istas punitiones, vt testatur canticum. Et hoc valde bonum erat, quia nisi prædicerentur eis pœnæ pro illo facinore (tamen postea punirentur) possent cogitare, quod istæ pœnæ naturaliter, vel à casu eis veniebant, & nõ à Deo specialiter infligente, sicut Philisthiin qui puniti fuerunt à Deo in posterioribus propter arcam Domini quã detinebant, dicebant quod forte veniebat hoc naturaliter, ad hoc fecerunt experimentum de bobus fœtis, vt patet 1. Reg. 6. cap. *Vt sit mihi carmen istud in testimonium contra filios Israel.* Quia quando pro iniquitatibus suis puniuero eos, non poterunt allegare, quod non præmonui

Rerum abundantia cor extollit. eos. *Cumq; comederint, & saturati fuerint.* Abundantia rerũ cor extollit, & beneficiorum immemores facit, vt patet de pincerna Pharaonis, qui succedentibus prosperis oblitus fuit Ioseph coniectoris sui, vt habetur Gen. cap. 40. obliuio autem beneficiorum Dei facit non obseruare mandata eius. *Detrahentes mihi.* Id est, tollentes laudem meam, quia plus Deos suos quam me laudabunt. *Et irritum facient pactum meum.* Scilicet pactum, quod mecum pepigerunt: nam licet esset vnum

C pactum hic, quia duæ partes ad idem conueniebant, tamen quia quælibet pars promittebat alteri aliquid speciale, erant quasi duo pacta, habentur autem ista duo Exodi 19. cap. vbi Deus promittebat Israelitis, quod acciperet eos in populum dicens, vos ipsi vidistis quid fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gentem sanctam. Pactum autem ex parte filiorum Israel erat, vt ipsi audirent vocem Domini obedientes omnib⁹ mandatis eius, vt patet Exod. 19. c. cum dicitur cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, & postea Exodi 20. cap. data fuerunt præcepta, & recepta à toto populo, in quibus principaliter cauebatur, quod non colerent Deos alienos, cum ergo colerent Deos alienos, infringebant pactum Dei, scilicet, quod fecerant cum Deo, non quidem pactum Dei, id est pactum, quod fecerat cum eis Deus: nam immo ratum manebat, quia licet Deus non faceret eis sicut promiserat, scilicet, vt haberet eos in peculium de cunctis gentibus, & in regnum sacerdotale, & gentem sanctam, non tamen faciebat cõtra pactum suum infringendo illud, quia promissio sua dicitur conditionaliter, scilicet si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, &c. postquã inuenerint eum mala multa, & afflictiones, id est, postquam pactum meum infregerit populus iste, inuenient multa mala, scilicet multæ pœnæ quæ positæ sunt supra 28. cap. & Leuit. 26. & affligent eum vehemẽter, & tunc fiet, quod sequitur in litera, scilicet. *Respondebit ei canticum istud pro testimonio.* Id est, quod cum ipsi ista mala patientur pro suis iniquitatibus, quærent quare talia patiantur, & tunc respondebit eis istud canticum, in quo dicitur, quod ipsi facerent mala conuertendo se ad Deos alienos, & Deus verus puniret eos. *Pro testimonio.* Id est, erit eis in testimonium istud canticum, quod ego præmonuerim eos ne facerent ista, & quod prædixerim eis, quod mala agerent, & mala eis superuenirent. *Quod nulla delebit obliuio ex ore seminis tui.* Vel, quia Deus sic volebat, quod nunquam carmen istud obliuiscerentur, vel quia multotiens punirentur à Deo propter iniquitates suas, & sic necesse erat recordari cantici huius, quod testificatur mala contra eos. *Scio enim cogitationes eius.* Id est scio, quod cogitationes eius in malum pronæ sunt, nõ dicebat de cogitationibus quas tunc habebat populus, quia nõ erant ad malũ, sed de eis quas post habituri essent, vel loquitur de inclinatione eorum quæ semper erat ad malum. *Quæ facturus sit hodie.* Istud relatiuum quæ nõ refertur ad cogitationes, ita quod dicatur ego scio cogitationes, quas hodie antequam introducam eum in terram quam promisi, facturus sit, quia tunc cum ista litera dependeat à superiori, & superior tẽdat in malum, oporteret intelligi, quod Deus sciebat cogitationes malas, quas iste populus habebat, & positurus erat eas in executione antequam intraret in terram Chanaan. Sed hoc falsum erat, quia non erat facturus populus aliqua mala antequã intraret in terram Chanaan: nam si facturus fuisset fecisset, cum ea quæ sciantur secundum certitudinẽ scientiæ Dei sic indubitato eueniant. Sed debet hic intelligi coniunctio copulatiua, & est sensus, *Litera expositio.* cogitationes tuas, scilicet ad quid inclinatus sis, & scio quid facturus sis hodie antequam ingredieris in terram trans Iordanem, & istud secundum dictum est confirmatiuum prioris, quia dicebatur supra, quod Israelitæ peccarent cõtra Dominum, & multa mala venirent super eos, hoc confirmatur, quia Deus scit futura remota, cum dicitur scio cogitationes suas, scilicet scio quales sunt cogitationes tuæ, scilicet quantum ad ea quæ postea facies, hoc iterum confirmat cum dicit. *Quæ facturus sit hodie.* Id est, etiam scio id, quod facturus sit hodie antequam transeat in terram quam pollicitus sum, & dicitur facturus hodie nõ pro ipsa die solum, sed pro toto tempore intermedio antequam transirent Iordanem: nam non transierunt illucante vnum mensem, cum planxerunt Moysen diebus 30. vt patet infra vltimo cap. & post mortem Moysi aliquibus diebus steterunt, quia Iosue primo cap. dicitur, quod post mortẽ Moysi locutus fuit Deus ad Iosue, vt transiret Iordanem, & tunc missis exploratoribus ante transierunt, vt patet Iosue 2. cap. *Scripsit ergo Moyses canticum.* Et illud Deus composuit, & Moyses. *Et docuit filios Israel.* Recitando coram eis, & dando eis, quod scriberent, & apud se reseruarent. F *Confortare, & esto robustus.* Ista erant verba significatiua, & effectiua, quia per ista verba dabat ei fortitudinem contra omnia terribilia, & in hoc differunt verba Dei à verbis nostris, quia verba nostra solum significant, verba autẽ Dei efficiunt, & quodammodo figurant, quoniam verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, vt patet Psalm. 32. *Tu enim introduces filios Israel.* Per ista verba totaliter fuit certificatus Iosue, quia ab ipso Deo immediate ea audiuit. *Postquam ergo.* Hic describitur secundum, scilicet legis datæ à Leuitis conseruatio. *Præcepit Leuitis qui portabant arcam.* Non sunt isti Leuitæ Caathitæ, licet ipsi portarent arcam, quia ipsi non poterant accedere ad arcam discoopertam, nec eam discooperire ad ponendum intus librum. Oportet ergo, quod intelligatur de sacerdotibus de quib⁹ supra dixit, quod portabant arcam, id est, qui eam velabant, & tradebant Caathitis ad portandum. *Et ponite eum in latere arcæ.* Scilicet extra arcam fœderis, sed prominebant quædam tabulæ extra eam, quæ erant coniunctæ ipsi facientes quendam sinum in quo reconditus fuit liber legis, & in hoc sinu stabat vrna aurea habens vnum gomor de manna, vt præceperat Dominus Exodi 16. capit. erat etiam virga Aaron quæ fronduerat, quam mandauerat Deus reponi ante se, vt patet Num. 17. cap. hæc omnia dicit Apostolus fuisse in arca, vt patet

In quo verba Dei à nostris differant.

Legis datæ à Leuitis conseruatio.

ad Hebr. 9. cap. 2. Paral. 5. c. dicitur, quod in arca solum erant tabulæ quas posuit Moyses in Oreb, soluitur quod Apostolus vocat arcam ipsam arcam, & sinum exteriorem siue latus, in Paralip. vocatur arca solum pars arcæ sine sinu exteriori, & tunc patet vtrunque. *Vt sit tibi hæc scriptura in testimonium.* Vt si forte negaret aliquis aliquod præceptum esse datum à Deo, posset probari per illud instrumentum publicum, & custoditum in thesauro Domini: vel si forte in libris, qui extraherentur, & scriberentur post, aliquis aliquid superadderet, vel diminueret, siue alio modo scriberet quam est, haberetur liber exemplaris, à quo veritas manifeste cognosci posset, etiam si de alijs libris dubitaretur, ideo mandatur supra 17. cap. quod reges facerent scribi Deuteronomium, vt legerent in eo, & peterent exemplar à Leuitis, scilicet istud, quod scripsit Moyses tanquam verissimum.

Præcepta hæc quare in tabulis reposita sunt in arca. Et an tabulæ, & cætera quæ erant in arca possint furtim capi de arca.

QVÆST. IV.

ISTA enim fuit causa quare præcepta in tabulis reposita sunt in arca, scilicet, quia postea aliquis volens proteruire, posset negare de aliquo mandato datũ fuisse à Deo, cum autẽ proferrentur tabulæ pateret mandatum illud fuisse datum à Deo, maximè quia scriptura taliter in tabulis sculpta erat, quod pateret non potuisse illud humano opere fieri. Sed dices, quod non manerent istæ tabulæ in certissimo testimonio, quia aliquis posset subripere eas de arca, & sic non maneret eis vlla fides. Respondetur, quod aut ille qui volebat istas tabulas subripere, erat de popularibus, aut erat de Leuitis, aut sacerdotibus, si autem esset de popularibus, non poterat accedere ad eas, vel aperire arcam quin moreretur: nam ex hoc solo, quod Bethsamitæ viderunt eam nudam mortui sunt 70. millia de eis, vt patet 1. Regum 6. cap. Item non poterant hoc facere dato, quod vellent, quia cum erat tabernaculum in deserto, erant omnes Leuitæ excubantes in circuitu eius, ne quis extraneus accederet, & si aliquis extraneus volebat accedere nescientibus aut non potentibus Leuitis occurrere, moriebatur vt patet Numeri 1. cap. scilicet si quis externorum accesserit occidetur, si autem Leuitæ permitterent eum accedere moriebantur, vt patet Num. 18. cap. scilicet tu, & domus patris tui portabitis iniquitatem Sanctuarij, id est, si fuerit facta aliqua iniquitas in accedẽdo ad Sanctuarium, quia alienigenæ, qui non sunt de genere Leuitico ex negligentia vestra accedunt, aut ex consensu, erit ista iniquitas super vos, & super totam domum patris tui, & maximè patet hoc ex sequenti litera in eod. cap. cum autem erat arca cum tabulis in terra Chanaan, in templo erant positi ianitores custodientes templum, ne cui fas esset ad res sacras accedere, & erant quatuor millia ianitorum de Leuitis, vt patet 1. Paralip. cap. 26. non igitur posset aliquis extraneus accedere ad arcam: si autem ille qui accedere vellet, esset Leuita non posset accedere, quia immediate, vt videret arcam, moreretur. Et non solum arcam, sed etiam quodlibet de supellectilibus tabernaculi, sic dicitur Numeri 4. cap. quod Leuitæ Caathitæ, quod portabant in humeris Supellectilia Sanctuarij, non intrarent ad videndum quomodo sacerdotes velabant ista: nam si aliqua eorum nuda viderent morerentur, quanto magis arcam quæ erat aliquid maximũ inter omnia vtensilia Sanctuarij, idem patet Num. 18. cap. cum dicitur, & excubabunt Leuitæ ad præcepta tua ad cuncta opera tabernaculi, ita duntaxat, vt ad vasa Sanctuarij, & altare non accedant, & illi moriantur, & vos pereatis simul, si autem essent sacerdotes, non poterant etiam hoc facere, quia aut ille erat sacerdos magnus, aut minores sacerdotes, si essent minores sacerdotes nõ poterant accedere ad arcam, nec intrare in Sancta Sanctorum: solus enim sacerdos magnus intrare poterat in Sancta Sanctorum, vt patet ad Heb. 9. nisi forte cum in deserto erant, & deponendum esset tabernaculum, quia tunc filij Aaron, scilicet sacerdotes minores intrabant cum sacerdote maiore, & deponebant omnia, & tegebant arcam cæteraque vtensilia, vt patet Num. 4. cap. si autem esset sacerdos magnus, etiam non poterat intrare ad tollendum, quia solum semel in anno poterat sacerdos magnus introire in Sancta Sanctorum, vt patet ad Hebr. 9. cap. & hoc erat in festo propitiationis, vt patet Leuit. 16. cap. ergo in alijs diebus si intraret moreretur, in illa autem die non poterat accipere tabulas de arca, quia ipse intrabat cum magno timore, ne si in aliquo delinqueret Deus eum occideret, si igitur tam scelerata facere præsumeret, vt manibus nepharijs arcam aperire vellet ad extrahendas inde tabulas, atque furtim tollendas, Deus eum immediate occideret: manerent ergo tabulæ hoc modo in testimonium in arca, sicut Deus dixerat Exodi 25. cap. solum igitur poterant extrahi tabulæ per aliquem bonũ virum, qui bono zelo cõmotus, quia videret negari aliquod præceptum legis, vt probationis copia haberetur, educere vellet tabulas de arca, & iste, siue Leuita siue sacerdos esset, siue de populo, nullum malum sustineret, quod autem de tabulis diximus, de Deuteronomio existente in latere arcæ dicendum est, quia ad hoc, quod acciperetur ille Deuteronomius oportebat intrare in Sancta Sanctorum, & accedere ad arcam atque aperire, ad quod eadem inconuenientia sequuntur quæ ad tabularum eductionem, de his quoque diximus Exod. 20. cap. *Ego scio contentionem tuam, & ceruicem durissimam.* Quasi dicat, quia tu es contumax, & inobediens mãdatis meis, posses negare de aliquo mandato dicens, quod nunquam tibi fuisset datum, ideo sit iste liber in testimonium contra te. *Semper contentiose egisti contra Dominum.* Non credens verbis eius, vt patet per totum Exodum, & librum Numerorum, & sic dixit isti populo supra 9. cap. populus duræ ceruicis es à die qua nosse te cœpi. *Quanto magis cum mortuus fuero.* Valet consequentia, quia Moyses erat vir vitæ altissimæ in familiaritate magna Dei; ad cuius preces Deus omnia faciebat, & in magna reuerentia, & timore à populo habebatur, etiã quia totius populi princeps erat, vt patet Exod. 18. cap. si ergo propter timorem, & reuerentiam istius non euitabant mala, quanto magis cum non habebant eum corrigentem? *Congregate ad Deum omnes maiores natu.* Ante Deum cõgregabantur, id est, ante Sanctuarium in quo Deus erat speciali modo, hic mandat congregari, quia forte quando Moyses iuit cum Iosue ante Deum, reliquus populus redijt in tentoria sua: mandauit ergo, quod iterum congregarentur ad audiendum verba cantici huius: vel si velis tenere, quod iste liber fuit scriptus, postquam fuit populo annunciatus dices, quod factis omnibus superioribus commonitionib⁹ ad quas populus totus interfuit, scripsit Moyses librum hunc, & interim redijt populus ad tentoria, deinde dato libro Leuitis, mãdauit totum populum conuocari, vt verba cantici audiret. *Maiores natu.* Id est seniores. *Per tribus vestras.* Ita, quod seniores de qualibet tribu venirent ad audiendum, & quilibet in ordine tribus suæ ne venirent mixtim. *Atq; doctores.* Id est, illi qui sapientiores erant inter eos, & nõ solum vocari mandauit istos, sed etiam totum populum, quia vt patet in fine cap. ista verba cantici dixit Moyses audiente toto populo, sed vocantur hic specialiter seniores, & doctores, quia isti magis coniuncti erant Moysi, vt magis attenderent, & intelligerent verba cantici, ideo de istis dicitur congregate ad me maiores natu, vel forte nominantur isti soli, quia sub nomine digniorum personarum in ciuitate intelliguntur omnes minores.

Et inuocabo contra eos cœlum, & terram. Scilicet, vt sint testes istorum quæ dico contra eos, ideo dicit in principio cantici. *Audite cœli.. Noui enim, quod post mortem meam inique agetis.* Cognouit enim hoc Moyses Domino reuelante ei. *Et occurrent vobis mala in extremo tempore.* Id est, non nunc immediate, quia non coletis nunc idola, sed pertransitis aliquot annis: nam in toto tempore Iosue, & post eum in tempore aliquorum seniorum iudicantium non coluerunt idola, vt patet Iud. 2. cap. sed post coluerunt tempore quo suscitatus fuit in iudicem Baioth, vt patet Iud. 3. cap. vocatur hic tempus extremum non illud, quod in omnibus temporibus finale est, sed quia distans, & sic vocantur dies nouissimi non qui totaliter vltimi sunt, sed qui distantes sunt, sic habetur Gen. 49. cap. vbi dixit Iacob, quod volebat annunciare filijs suis quæ ventura erant in nouissimis diebus, & tamẽ multa de his quæ ipse ibi dixit, non per multos annos post completa fuerunt, scilicet, quod Iudas regnaret, & quod de stirpe Ioseph etiam reges pullularent, quia ista tempore Dauid, & Ieroboam

completa

A *Deus est prōptus ad benefaciendū.*

completa sunt. *Quando feceritis malum.* Deus dat pœnam, pro culpa, ideo nunquam dat pœnam ante culpam, licet in dando præmia non sic se habet, quia interdum dat præmia ante merita, quia est promptus ad benefaciendum, infligere autem pœnas videtur esse contra naturam eius, sed Iudæi non erant peccaturi nunc, sed in extremo tempore, ideo non tunc, sed in extremo tempore quando malum facerent, puniendi erant. *In conspectu domini.* Id est, videnti domino qui omnia bona, vel mala videt, quoniam in omni loco oculi domini contemplantur bonos, & malos, vt patet Prouerb. 15. capitu. vel dicitur. *In conspectu domini.* Id est contra Deum, scilicet, quòd ista peccata quæ isti facerent, nō erant proprie peccata contra aliquem, nisi contra Deum, ideo in conspectu eius fieri dicuntur: nam sunt quædam peccata quæ solum sunt contra Deum, & nullo modo contra proximos, quædam autem sunt contra Deum, & proximos, ea autem quæ sunt contra Deum, & proximos, & non dicuntur facta in conspectu Dei specialiter quasi solum sint peccata contra Deum, sed ea quæ sunt in Deum solum, vt infidelitas, idololatria, & similia scelerate acta, quæ in Deum solum sunt in conspectu Dei aguntur, & dicuntur in scripturis facta in conspectu Dei. *Vt irritetis eum.* Irritare duo signat. Vno modo irritare, id est prouocare ad iras, alio modo irritare, id est adnihilare, sic ait Ebrardus.

Irritare duo signat.

B *Irritat adnihilat irritat prouocat iras.*

Solum enim differt in accentu, quia pro adnihilare habet penultimam correptam, & pro iram prouocare habet pe-nultimam productam, de primo dicitur supra irritum facient pactum meum, id est adnihilabunt, de secundo dicitur hic, vt irritetis eum, id est, vt prouocetis ad iram, sic dicitur Psalm. nono, propter quid irritauit impius Deum, & inde vocatur irritamen quælibet prouocatio passionalis. *Vt irritetis eum.* Non tenetur hic, vt finaliter, ita quòd dicat causam finalem, quia tunc esset sensus, quòd ideo isti faciebant malum, vt Deus prouocaretur ad iram: nullus enim homo hac intentione mouetur, sed quia id, quod malum est secundum rem, est delectabile ei qui operatur, & fertur in illud non in ratione mali, sed in ratione delectabilis, vel vtilis, nam ideo Hebræi colebant idola, quia in cultu eorum habebant aliquas delectationes, sicut in cultu Priapi, in quo erat communis concubitus. & non erant alligati ad aliquam obseruationem præceptorum in colendo idola, sicut colendo Deum, quia qui colebant Deum verum putabant se astrictos legi Dei, vt eam totaliter obseruarent in qua præcepta aliqua continebantur, quæ videbantur eis dura, cum autē colebant idola nō putabant se obligatos ad legē Dei, & quia dij gentium non ponebant aliqua præcepta, quæ essent alicuius duræ obseruationis, cum nulla vitia reprimerent, erat delectabile Iudæis, quòd sinerentur vacare omni passioni secundum immunda desideria sua, desiderabant etiam colere idola, quia putabant rerum temporalium prosperitatem euenire eis magis cum idola colerent, quam cum Deum colerent, maxime cum colerent reginam cœli, id est, Dianam, siue Lunam facientes ei placentas, vt patet Hieremiæ quadragesimo quarto capitu. cum dicitur sermonem quem locutus es ad nos in nomine domini non audiemus ex te, sed faciemus omne verbū, quod egreditur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda, & Ierusalem, & saturati sumus panibus, & & bene nobis erat, malumque non vidimus, ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio atque fame consumpti sumus, debet igitur ista dictio, vt teneri consecutiue, scilicet, vt irritetis cum vos facietis malum, & sic sequitur necessario, quòd irritabitis eum. *Per opera manuum vestrarum.* Est duplex sensus. Vno modo per opera manuū vestrarum, id est per operationes vestras, quasi dicat vos irritabitis Deū prouocando in actionibus vestris malis. Et istæ dicūtur opera manuum, quia omnis actio attribuitur manui, cum manus sit organum organorum, vt ait Arist. 2. de Anima. Alio modo accipitur opus proprie pro eo, quod fit, & non pro actione rei, & isto modo dicuntur idola opera manuū, quia ab hominibus fiunt, & non sunt operationes eorum, sed id, quod fit sic dicitur Psalm. 13. simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Et dicitur Deus prouocari per opera manuum, id est, per culturam idolorum, quia nihil est, per quod magis Deus prouocetur ad iram quàm per culturam idolorum. *Locutus est Moyses audiente vniuerso cœtu Israel.* Id est, quando Moyses verba huius cantici recitauit totus populus astabat, & Moyses alta voce loquebatur, vt audiretur vox eius à toto Israel, sicut audita fuerant omnia verba huius libri prædicta. *Verba huius carminis.* Non est hoc est, sicut cætera scriptura, quia aliàs procedit sine aliqua lege metri, hic autem est lex metrorum, & sunt versus distincti. *Et ad finem vsq; compleuit.* Id est inchoauit, & finiuit.

Duplex litera expositio.

C

D

Caput XXXII.

De pa. d. s 3. §. auctoritate.

AVDITE cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat, vt ros eloquium meum Quasi imber super Herbam, & quasi stillæ super gramina, quia nomen domini inuocabo, & cætera.

AVDITE Supra Moyses descripsit legem, & fecit multis commonitiones circa eam. Hic specialiter facit vnam commonitionem in cantico ad eam conseruandam populum excitando. Et tanguntur tria. Primo ponitur proœmium. Secundo ponit intentum ibi. *Date magnificentiam.* Tertio subiungit epilogum ibi. *Venit ergo Moyses.*

E

Quare, & quomodo reddit auditores Moyses attentos.

Qvæstio I.

ET in proœmio auditores reddit attentos multipliciter. Primo ex certitudine dictorum, quia sunt firma, sicut cœlum, & terra, immo magis firma, quia Matth. 24. cap. cœlum, & terra transibunt, verba autē mea non transibunt, ideo dicit.

Audite cœli. Inuocantur cœlum, & terra in testes, vt dixit præcedenti cap. & inuocabo contra vos cœlum, & terram, & inuocantur ista in testimonium, vel ad comprehendendum omnem creaturam quæ in his continetur, vel ad perpetuam durationem testium, & ad signandum firmitatem in verbis: nullæ enim creaturæ, ita firmæ sunt, sicut cœlum, & terra, quia omnia elementa corrumpuntur. Elementa vero alia licet secundum se tota nunquam corrumpantur, magnam tamen susciplunt alterationem, & nimis patiuntur, & agunt inuicem, terra autem propter sui duritiem modicum mutabilis est, cœlum vero nullo modo corrumpitur, nec mutatur, quia corpora supra cœlestia non susciplunt peregrinas impressiones, vt patet 2. de cœlo, & mundo. Secundo ponit verborum vtilitatem imprecando, quòd fructum faciant in animis audientum. *Concrescat in pluuia doctrina mea.* Id est concrescere faciat virtutes in audientibus, quoniam admodum pluuia terram inebriat, & fœcundat, vt patet Esa. 55. cap. *Fluat vt ros eloquium meum.* Ista est repetitio eiusdem sententiæ ad ornatum, quia sic fit in rithmis, & est similitudo, quia sicut aqua magnitudine humiditatis suæ terram sufficienter inebriat ad producendam germina, & herbas, ita ros, quia guttatim cadit paruitate suæ humiditatis, quæ tamen aliqualis est, virentia humectat, ne tantum à calore exurantur. *Quasi imber super herbam.* Imber magna pluuia est, quæ herbam gigni facit.

F

Et quasi stillæ super gramina. Stillę dicuntur guttę grossę quę solent cadere in Aprili, vel in temporibus calidis, & vocantur nimbus, imber aqua minuta, & continua est: gramen, & herba differunt aliqualiter secundum nostram linguam, sed magis secundū Hebraicam, quia vbi nos habemus herbam, habent Hebræi quoddam, quod solum significat istas paruas herbas, quæ per omnes agros nascuntur, sine aliqua cura humana, vbi nos hebemus gramina, Hebræi habent nomen qp significat segetes, vel alia quæ cura humana seminantur, & gubernantur, & eadē differentia facienda est in lingua Latina, licet nō plene patet. Tertio ponit verborū auctoritatem, scil. in vocatione diuini nominis, & est ista ratio præce-

A

dentium: dixerat enim quòd concresceret sermo suus, vt pluuia, reddit rationem, quia nomen Dei inuocabit, & omnia quæ in nomine Dei fiunt firma sunt, quoniam dicitur Ioan. 16. cap. quòd quicquid petierimus in nomine Domini accipiemus. *Quia nomen domini inuocabo.* Ideo propter hoc prædicta fient. *Date magnificentiam.* Hic ponitur secundum, scilicet auctoris intentum in quo agit tria. Primo demonstrat Deum esse bonum: in secundo dicit eum esse colendũ ibi. *Nunquid non ipse.* Tertio demonstrat eum in iudicio iustũ ibi. *Vidit dominus.* Prima in duas. Primo ponitur Dei bonitas. Secundo populi iniquitas ibi. *Peccauerunt.* Primum septempliciter demonstrat vt patet in litera. *Date magnificentiam Deo nostro.* Hoc refertur ad cœlum & terram, quæ debent dare magnificentiã Deum laudando, vel extollendo, & licet magnificentia dicatur esse virtus circa maximas expensas, vt patet 2. Ethic. & 4. quę Deo conuenire potest, quia omnia dat, & abundantius quam petamus. Sed hic, & vt cõmuniter in tota sacra scriptura magnificẽtia dicit in Deo quandã magnitudinẽ nõ, cõparando ad effectus, sed intra ipsum. *Dei perfecta sunt opera.* Hic ponitur secunda conditio, scil. magnitudo, & perfectio in operibus, quoniã opera Dei perfecta sunt, non sicut opera nostra quæ caduca, & incompleta sunt, & dicitur propter hoc, quia infra dicetur de peccato Iudæorũ, & pœna, & tunc diceret aliquis de eis, ideo peccauimus, quia Deus nos tales creauit, ideo excludit hoc, scil. quia Dei perfecta sunt opera, quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, vt habetur Gen. 1. cap. non ergo teipsum peccatorem creauit, sed tu propria voluntate te peccatorem effecisti. *Et omnes viæ eius iudicia.* Ponitur tertia conditio, scilicet, quòd iustus est: & respõdet ad superiora, quia diceret aliquis cum à Deo puniretur, Deus iniuste punit me, excluditur hoc, quia Dei vię omnes iustæ sunt, iudicium & iustitia differunt, quia iustitia habitus est, iudicium actus iudicandi est. *Omnes viæ eius iudicia.* Id est omnes viæ eius secundum rationẽ sunt, nec aliquãdo mouetur ex passione, aut ex malo habitu, quia in Deo nihil tale est.

Auctoris intentum

B

Duplici de causa Dei operationes viæ eius appellantur.

QVÆSTIO II.

C

VOCANTVR viæ Dei operationes eius, & hoc esse potest propter duo. Primo quia sicut per viam venitur in terminum, & via est notior quàm terminus, ita Deus qui secundum se nobis ignotus est (quia spiritus est) per operationes suas nobis notus est: secundum quòd operationes suæ patent in creatura quæ est corporalis, & connata modo nostro intelligendi, & istæ operationes quæ viæ sunt in Deo, sunt iudicia, quia quicquid agit iustum est. Alio modo dicuntur operationes Dei viæ eius, quia in nobis idem modus loquẽdi est, vocamus enim operationes nostras vias nostras, quia sicut homo per viam procedit, ita operatio est processus noster, quia tota vita nostra extenditur per operationes, cum viuere secundum Aristot. in 9. Ethic. sit in operari, qui multum ergo operatur multum est, qui modicum operatur modicum est, & sic concludit idem Aristot. circa finem noni Ethic. quòd cum viuere consistit in eo, quod maxime homines volunt, & cuius gratia omnia elegũt, vt in poetizare, exercitari, venari, philosophari: ex quo concludit, quòd conuiuere amicorum consistit in his, scilicet in compoetizare, colludere, ad aleas coexercitari, comphilosophari, & dicit adhuc amplius, quòd sicut est delectabile cuilibet homini cognoscere se esse, & viuere, ita est delectabile cognoscere viuere amicum, sed dicit hoc esse non posse, nisi cum aliquis participat cum eo in mente intelligẽdo quid intelligit viuere, ideo intelligere dixit, & est operatio, explicatur ergo nostra vita in operationibus tanquam extendatur nostrum esse per successiones, quod ante videbatur sine explicatione, & processu, quando non operabamur: istæ ergo viæ domini, scilicet operationes eius in nobis qui sunt quidam processus tanquam viæ sunt iudicia, id est sunt semper factæ cum ratione. *Deus fidelis.* Ponitur quarta conditio quæ est fidelitas in promissis, & respondet ad superiora, quia aliquis punitus à Deo diceret, ideo ego transgressus sum legem Dei, quia ipse transgressus fuit pactum, quòd mecum pepigit: nam sicut ego promisi ei obedire, ita ipse promisit mihi benefacere sicut ergo ipse non benefecit mihi, nec ego obediui legi eius: excluditur ista responsio, quia Deus fidelis est ideo firmiter quicquid promittit reddit. *Et absque vlla iniquitate.* Hic ponitur 5. conditio, scilicet sanctitas: quia Deus ab omni malitia immundus est, & respondet super omnibus, quia aliquis male agens dicet, Deus ista fieri vult, excluditur: quia Deus sine iniquitate est, ideo etiam iniquitatem abominatur, vt patet Psalm. 5. quoniam Deus nolens iniquitatem tu es, vel si aliquis dicat, quòd Deus personas accipit, quia cuidam gratiam dare vult, alteri autem non, ideo mal aoperatur respondetur, quòd falsum est, quia Deus sine iniquitate est, quia omnibus gratiam dat, sed non omnes eam recipere, volunt, quia multi dicunt Deo recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus Iob. 21. cap. & si vni gratiam dat magis quàm alteri, non est in hoc acceptor personarum vt, latius declarauimus supra primo, & 10. capitu. *Iustus.* Ista est sexta conditio, scilicet, æqualis distributio in prẽmio, quia aliquis diceret ego merui multa, sed Deus nihil dedit, excluditur: quia Deus iustus est. *Et rectus.* Scilicet in pœnis dandis, & est conditio 7. respiciens superiora, quia Iudæus pro peccato punitus diceret, verum est, quòd pro peccato pœnam merui, sed non tantam, excluditur: quia Deus rectus est. *Peccauerunt ei.* Hic ponitur secundum, scilicet populi iniquitas. *Peccauerunt ei.* Id est contra eum. *Non filij eius.* Id est, qui per peccatum à Deo recedunt, & erant ante filij Dei per gratiam, sic dixit Christus contra Pharisæos, vos ex patre diabolo estis. Ioan. 6. cap. & Osee primo cap. vocat Deus populum suum Iudæos legem seruantes, deinde vocat non populum suum eosdem idolis immolantes. *In sordibus.* Refertur ad ly peccauerunt in sordibus, scilicet in idololatria quæ vocatur specialiter sordes, quia magis animam maculat, & à Dei amore distrahit, vel quia in sacrificijs idolorum multæ sordes continentur, vt in sacris Priapi in quibus sacerdotes verenda toti populo demonstrabant ad actum venereum prouocantes, & deinde inter fructeta, & in locis subterraneis ad explendam omnem veneris immunditiam conueniebant. *Generatio praua.* Reprehendũtur de tali peccato generatio praua: id est deprauata in voluntate. *Atque peruersa.* Id est peruerse iudicans, quia iudicat cultum idolorum diuino cultui esse præponendum, & per ista facti sunt non filij qui ante filij erant. *Praua atque peruersa.* Improperat hic Deus Iudæis, & ponit in eis omne malum, consistit autem omne malum in duobus, sicut omne bonum stat in eisdem duobus: est enim malum, vel bonum, vt hic accipitur, actus morales, & actus morales accipiunt bonitatem, vel malitiam in principijs suis elicitiuis: nam sicut effectus in naturalibus accipiunt esse à causis naturalibus, ita & in moralibus accipiũt bonum, vel malum à principijs suis, si autem principia bene se habeant, actus est bonus, si autem principia male se habeant, actus est malus: sunt autem principia actuum humanorum tria, scilicet intellectus, appetitus, & sensus, vt ait Aristot. in principio 6. Ethic. sensus tamen non est proprie principium alicuius operationis, quia magis est instrumentum actionis quàm principium, siue radix actionis, ideo nõ efficit aliquam operationem bonam, aut malam, manent igitur duo qui sunt proprie principia actionum, scilicet intellectus, & voluntas, cum intellectus est bene se habens, & voluntas, operatio moralis necessario est bona, scilicet cum intellectus practicus recte iudicat conformiter se habens appetitui recto, & cum voluntas bene eligit conformiter se habens intellectui recto, est tota moralis rectitudo: ad hoc autem, quòd sit obliquitas, vel malum morale, satis est non esse intellectum practicum verum conformiter se habentem appetitui recto, vel appetitum non esse bonum conformiter se habentem recto intellectui: est autem peruersio moralis totaliter cum intellectus est dissonans appetitui recto, & appetitus est dissonans vero intellectui practico, vtrunque autem quædam peruersitas, quia quodlibet eorum est mutare res à debito ordine, quia voluntas non tenet debitum ordinem, nec intellectus, nominat tamen hic litera istas duas corruptiones duobus nominibus, scilicet, *Peruersa, & praua.* Pertinet prauitas ad voluntatem magis proprie, cum prauitas sit malitia quæ est malus habitus, in intellectu autẽ nõ est malitia: nam si accipiat intellectus speculatiuus nõ reperitur

D

E

F

In quo cõsistit conuiuere amicorũ.

Omne malum in duobus cõsistit sicuti omne bonum.

Tria sunt principia actuũ humanorum.

ibi

A ibi aliquis actus pertinens ad bonum, vel malum morale, ideo ſecundum illos habitus non vocatur aliquis ſimpliciter bonus aut malus, idem de intellectu factiuo in quo reperiũtur habitus artium mechanicarum ſecundum quas non eſt aliquis homo bonus, aut malus ſimpliciter, ſed bonus, aut malus faber: in intellectu practico reperitur prudentia, tamen oppoſitum ſuum non vocatur malitia, ſed ſoli habitus inclinantes affectum, peruerſa verò dicuntur quantum ad intellectum, quia dicit malum eſſe bonum, & bonum eſſe malum, ponit tenebras lucem, & lucem tenebras, & dulce amarum, & amarum dulce, iuxta id, quod habetur Iſa. 5. c. mutatio ergo iſta à rectitudine iudicij ſecundum veritatem practicam ſecundum conformitatem intellectus practici ad appetitũ rectum eſt peruerſitas, & iſto modo mutatur in eis maxime veritas practica dicentibus, quòd melius erat colere reginam cœli, & libare ei libamina quàm colere Deum cœli, & quòd ex eo tempore quo eam ceſſauerunt colere, venerit ſuper eos tempeſtas, & gladius, vt patet Hiere. cap. 44. & ſic reſpõderunt publice omnes mulieres Iudæorum in Ægypto in terra fathures Hieremiæ ſuadenti eis, vt dimiſſa regina cæli colerent Deum verum quia erat Deus cœli. *Hæccine reddis domino.* Id eſt nunquid talia retribuis Deo pro beneficijs collatis? dedit bonum, & retribuis malum, hæccine idem eſt, quòd hæc ne, & ſtat ne pro nunquid interrogatiue, & eſt ſenſus nunquid hæc reddis domino, ſed interponitur ibi vna litera, ſcilicet, id eſt & fit vna dictio, vel interpoſitio, ſic dicitur hoſce dies pro hos dies addẽdo ce, de iſtis tractat Priſcianus in maiori libro 13. circa finem. *Populе ſtulte.* Stultus eſt qui diſcordantia rationi agit, inſipiens eſt qui à iudicãdo deficit, vnde proprie ſtultus eſt qui malũ habet iudicium, & ſecundum illud malas aſſectiones, & peruerſas operationes, nõn dirigens eas per aliquam prudentiam, nec etiam per aſtutiã: ſaltem inſipiens priuationem ſolum dicit, ſcilicet neſcire iudicare, ſed non ponit aliquam deordinationem in actibus, cum autem aliquis inſipiens eſt, neſcit quid ſibi eſt bonum, & vtile, cum ſtultus eſt, iudicat & eligit illud, quod inutile eſt pro vtili, hæc patiebantur Iudæi præponendo idola Deo. Et cum hęc duo mala ſint, peius tamen eſt eſſe ſtultum quàm eſſe inſipientem: nam ſtultus eſt deordinatus in intellectu, & voluntate, ita quòd nihil in eo bonum moraliter manet, inſipiens autem ſolum eſt deordinatus in intellectu, aut potius priuatus recto iudicio, quia ille dicitur habere intellectũ peruerſum, qui cum poſſet recte iudicare, aut cum circa alia aſtutus ſit, in aliquo tamen, vel aliquibus male iudicat, qui tamen ex aliquo defectu naturæ vtpote, quia eſt naturaliter orbatus, aliquod malum bonum iudicat, non dicitur habere intellectum peruerſum, ſed eſt priuatus actu rationis totaliter, vel quantum ad aliquid, ſtultus autem videtur eſſe huiuſmodi, quia habet intellectum ſuum deordinatiuum quantum ad quædam, & voluntatem prauam, inſipiens autem qui ſola perfectione rationis caret non eſt deordinatus in voluntate. Et ſi forte accipias ſtultum pro eo qui orbatus naturaliter, vel ex ægritudine ſtulte iudicat, & ſtulta agit, non dicetur iſte habere intellectum peruerſum, quia ipſe non peruertit eum, tamen neceſſarium erit ſemper eum deficientem eſſe in intellectu, & voluntatem bene ſe habere, quia agit ſtulta, inſipiens autem licet à natura orbatus ſit, non eſt tantum orbatus, ſicut ſtultus, quia priuatur recto iudicio, non tamen agit aliqua ſtulta, aut alijs nociua, quomodo autem iſta duo de eodem ſimul dicuntur ſignant duas imperfectiones, ſcilicet inſipiens dicit priuationem, recti iudicij, & ſtultus dicit diſturbationem, & turbulentiã in actibus voluntatis, & in actibus exterioribus, ita vt alijs noceat, & diſſona valde faciat, vtrunque autem de Iudæis recte prædicabatur, vt patet ex ſupradictis. *Nunquid non ipſe.*

B *Quid proprie ſit ſtultus.*

C *Septem rationibus probatur Deum eſſe colendũ.*

Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, Deum eſſe colendum, quod inducit ſeptem rationibus. Prima eſt ratione creationis, quæ atteſtatur verum Deum, & infinitam potentiam, cui veriſſime debetur latria, & nulli alteri rei. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus.* Quaſi dicat ſic per iſta quæ ſubduntur. *Qui poſſedit te.* Te continuo gubernando, quoniam Deus omnia gubernat, ne in nihilum redigantur. *Et fecit te.* Materiam ex qua natus eſt in primordio rerum, diſtinguendo & ſeparando, vel eam nunc principaliter organizando, poſſunt hic poni iſta duo verba, ſcilicet fecit, & creauit, vt teneant

D ſua ſignificationes ſecundum, quod diſtinguimus illas, aut poſſet eſſe, quòd creare, & facere referantur ad diem, ſcilicet quòd eadem res dicatur facta, & creata, ita quòd accipiatur iſta ex ſuperabundantia verborum dicta, ſicut ſæpe fit in modo vulgari loquendi, in quo ad maiorem abundantiam & expreſſionem ponimus multas dictiones idem ſignificantes. & ſacra Scriptura ſequens modum loquendi Hebraicum vtitur plerunque ſtilum iſtum. Si autem accipiamus, vt diximus, ſcilicet facere, quòd referatur ad corpus, verum eſt, quòd Deus fecit illud, vt ſupra dictum fuit, vel dicitur feciſſe ipſum, id eſt hominem, quia licet vnus homo gignat alium, Deus tamen præcipue dicitur agere, quia licet Deus ſit cauſa ſolitaria ſecundum, quòd operatur per creationem, vel in aliquid immateriale, tamen adhuc eſt cauſa naturalis operans in ea quæ naturalia ſunt, & quantum ad hoc non agit Deus, vt cauſa ſolitaria, ſed habet multas cauſas agentes ſubordinatas, qui non immediate influit in corpora, ſed mediantibus rebus ſpiritualibus: nam ipſe eſt cauſa prima, & tota virtus influxiua deriuatur ab eo tanquam ab originario fonte, & deriuatur per totam concatenationem cauſarum, & quantum ad hoc plus influit quàm omnes aliæ cauſæ, quia quicquid aliæ agunt, ideo agunt, quia ipſa virtutem tribuit, & ſic dicitur in lib. de cauſis propoſitione prima, quòd omnis cauſa primaria magis influit in ſuum effectum quàm cauſa ſecundaria: & non ſolum quantum ad contributionem virtutis operatur, ſed quantum ad motum etiam, quia aliæ cauſæ agendum nõ mouerentur, niſi ipſa prima cauſa moueret, ſic dicitur de Deo in duodecimo Metaph. quòd Deus mouet ſolas intelligentias in ratione amati, & deſiderati, id eſt tanquam quoddam bonum deſideratum, & ad participandum illud mouent, & operantur, ſic enim ait Ariſtot. in eodem libro, quod intelligentiæ mouent ad participandum eſſe diuinum, in motu igitur naturali qui fit ad cauſandum aliquem effectum, eſt ſubordinatio omnium cauſarum, & oportet, quod reſoluatur iſte motus in cauſam ſimpliciter immotam quę eſt Deus, quia ipſe mouebit immediate cauſas ſpirituales, ſcilicet, intelligentias ad mouendum cœlos ad ipſam actionem naturalem: magis ergo mouebit cauſa prima quàm omnes cauſæ inferiores, ſed per motum cauſarum naturalium cauſatur corpus humanum, & gignitur homo, ergo iſtæ cauſæ mouentur à Deo, & Deus principaliter diceretur mouere, & cauſare iſta inferiora à natura cauſata, ſed corpus humanum genitum eſt per actionem naturalem in qua Deus potiſſime agit, quia eſt cauſa prima, ergo ipſe facere dicitur hominem. *Et creauit te.* Scilicet animam tuam de nihilo creando, & corpori infundendo, ſub paucis verbis multa comprehendit: vult enim ſic arguere, Deus dedit nobis eſſe bonum, ſcilicet, quicquid ſumus, & quicquid habemus, ergo maxime colendus eſt: patet antecedens, quia duæ partes naturæ ſunt id quod nos ſumus, ſcilicet corpus, & anima, ſed vtrunque ipſe dedit, quia corpus fecit, & animam creauit, dedit etiam id, quod habemus quoniam poſſedit nos. *Memento dierum antiquorum.* Id eſt dierum à primordio creaturæ, eſt ſenſus Deus cauſauit te, & fecit. Si autem in hoc dubitas. *Memento dierum antiquorum.* Id eſt, recogita intra te dies antiquos qui fuerunt in principio creationis. Et inuenies, quod Deus creauit hominem, & omnes res, creando ergo hominem primum, & omnia alia in principio, etiam nunc omnes homines creare dicetur, licet non eodem modo: creauit enim ante materiale principium cuiuſlibet hominis, & alterius rei, nunc nouiter creat animam, de iſtis diebus antiquis poterat homo recordari per ſcripturam libri Geneſeos, quem Moyſes tunc prophetico ſpiritu ſcripſerat: non enim reſtiterant alia antiquitatis ſcripta per quæ homines in præteritorum cognitionem reducerentur. Vnde ante diluuium rude ſeculum fuit, nec homines deſcribendis rebus geſtis curauerunt: vel ſi forte aliqua ſcripſerunt, quod de protoplauſte noſtro credimus, aquarum inundationibus deleta ſunt, vel aliqualiter terræ mutatione ſubmerſa: ſola enim columna marmorea, in qua Tubal muſicę primus repertor muſicam concidit in Syria, nunc tenetur, vt Ioſephus atteſtatur, deinde tranſlatis inundationibus aquarum diluuij incipientes homines per magnos terrarum receſſus diuidi magis ignorare incæperunt doctorem non habentes, donec in

Deus eſt cauſa prima, & omnis virtus influxiua inde proficiſcitur

E

Ante diluuiũ non fuerunt ſcripta hiſtoria

F

A

Marcus Varro incœpit historiã à diluuio Ogigi.

Ægypto literarum primordia, & historiarum incæpta sunt ideo Marcus varro omnium Romanorum doctissimus testimonio maiorum volens historiam à rerum maxima antiquitate retexere, à diluuio regis Ogigi exorditus est. Fit autem hoc in græcia tempore quo filij Israel in Ægypto captiui tenebantur, in quo tempore à creatione mundi anni ter mille, & quasi septingenti effluxerant, vt patet in decursu historiarum, de quo aliquid Isidorus in fine decimo tertio. Etymol. Et Ouidius in principio Metamorph. à rerum origene se narraturum proponens à diluuio sub Deucalione rege Thessaliæ incepit, quod multo post diluuiũ regis Ogigi fuit, vt patet per Isidorum decimo quarto. Etymol. & per Augustin. 18. de ciuitate Dei. Vnde nunc Ouidius hominem de terra formatum asserit, siue eum Deus formauerit, siue Prometheus quidam de terra ducta nuper à cœlo, & mixta fluuialibus vndis, vt patet in principio Metamorphoseos.

Ouidi? à quo tempore incœpit scribere

Et cogita generationes singulas. Iste est, modus probandi creationẽ hominis, & est resolutiuus tanquam in Mathematicis, scil. quærendo quis fuit pater istius. & dato illo, rursum quęrere de patre illius retrocedendo ad principium, & tunc ad vltimum inuenientur, quòd pater Cain fuit Adam, pater Adæ nullus homo fuit, sed Deus eum formauit, ista est probatio sufficiens discursis omnibus intermedijs, & ideo dicitur.

B

Cogita generationes singulas, Id est, nullam dimittas in medio, quia tunc periret probatio, & istum modum probandi reducendo habet beatus Lucas in Euangelio cap. tertio, vbi generationem Christi retrocedendo reducit vsq; ad Adam, & Deum. Et ita fuit causa potissima quare liber Geneseos continet omnes generationes ab Adam vsque Iacob continue, & in libro primo Paralipom. continentur omnes generationes vsque ad captiuitatem Babylonicam, vt sic videatur creatio mundi.

Quare Aristot. posuit mundum esse æternum, & responsio ad eius argumenta. Et rationes catholicæ contra eum, & causa erroris eius, & aliorum.

QVÆSTIO III.

HANC reductionem ignorans Aristot. ponit mundi æternitatem, & nullum hominem fuisse primum, sed semper hominem ex homine fuisse. Et hoc dicit non, quia eum ad hoc aliqua ratio inducat, sed quia oppositis argumentis respondere non valet: sicut qui falsitatem manifestam argumentorum viribus confitetur. Ratio autem contraria est, quia natura non fuit sufficiens primum hominem gignere. Et quando arguitur contra eum probando per historias de populttione omnium terrarum, & de ædificatione omnium ciuitatum, scilicet, quomodo in tali tempore talis regio, quæ non erat habitata, incepit habitari, & quomodo tales vrbes conditæ fuerunt, & sic ex narrationibus historicis contra eum concludebatur, quòd omnis ciuitas quæ suo tempore existebat, principium habuit, & omnis terra principium habitationis habuit ab aliquo. Ipse respondet in secundo Polit. concedens omnia hæc ne fidem historiarum destruat, & dicit, quòd licet istæ terræ de nouo nunc habitari incœperunt, & ciuitates condi: tamen iam olim infinities habitatæ sunt, & vrbes constructæ, sed per diluuia destructa sunt illa. Et non concedit ipse vniuersale diluuium, vt patet in secundo Metheo. quia oporteret maximam partem terræ in exhalationes resolui. Item quia repugnaret eius proposito, quia in vniuersali diluuio omnia consumi oporteret, & iterum renasci de terra, vel à Deo creari, quorum vtrunque negat, quia creationem abhorret, & animalia perfecta sine propagatione maris, & fœminæ virtute naturæ nasci de terra impossibile esse dicit, & hoc secundum nos asserimus si sola virtus naturæ operetur. Et si forte aliquis pro eo vellet dicere, quod in diluuio vniuersali possent conseruari omnes species in arca, sicut nos ponimus fuisse tempore Noe. Dicitur, quod hoc impossibile est sola virtute naturæ, quòd animalia tam diuersissima de remotissimis partibus orbis aliquis deducere posset ad succurrendum periculo diluuij, quia quædam animalia, ita sunt alijs inimica, quòd cum eis nullo modo viuere possent, nec per hominem capi. Item quia adhuc hoc non obstante valde magno tempore indigerent ad congregationem horum animalium. Dato autem diluuio super quandam magnam partem terræ habitabilis possunt aliqui homines in alia parte saluari. Et si arguatur magis, quòd si mundus ab æterno fuit, non est dicendum, quòd homines ita simplices fuerint, quòd nunquam aliquam artem vel scientiam inuenerint, sed probabitur contra eum per historias de qualibet scientia, vel arte speculatiua, siue factiua, vel actiua, quomodo, & à quo, tempore inuenta fuerit. Ad hoc respondebat ipse in secundo Polit. quod homines qui de corruptionibus, id est, de diluuijs euaserunt simplices erant, & ideo licet ante omnes istæ scientiæ, & artes inuentę fuissent, tamen isti nullam de illis sciebant, ideo dicit in eodem secundo libro, quòd homines illi antiquissimi valde rudes leges dederunt, quia ex antiquis erat quædam lex in græcia, quòd possent commutare viri vxores pro ferro. Ista si respiciantur non sunt respõsiones, sed quædã coloratæ euasiones, quia licet aliquo modo videantur hæc possibilia, tamẽ non sunt verisimilia. Sed istæ responsiones nõ possunt stare secundũ Philosophiã, quia secundũ ꝙ ipse vult in Methaphisica species sunt, sicut numeri, ita ꝙ sicut vnus numerus excedit aliũ in vnica vnitate, ita species se excedũt per gradus perfectionis essentialis, ita quòd secundũ ordinem specierum existentiũ nunc impossibile est cadere aliquem gradum perfectionis essentialis inter eas, & si alicui speciei adderetur vnicus gradus essentialis perfectionis, necesse erat cadere in superiorem speciem quoniam immediate sunt. Sed aliquæ species dabuntur necessario deperditæ secundum hanc positionem, ergo non sunt, vt Numeri. patet consequentia, quia quædam species etiam animalium perfectorum quæ per solam propagationem generantur, sunt in quibusdam terris, & non in alijs, cum ergo talia diluuia venirent corrumperentur aliquæ species de illis. Item impossibile esset mundum perpetuari à parte post: quia mundus perpetuatur à perpetuatione omnium suarum partium principalium quæ sunt cœli, & omnia elementa, & principales magisque perfectæ species, quia etiam si periret vna species de rebus imperfectis vel multæ, non diceretur mundus non perpetuari: sed si aliqua de speciebus perfectus perire, & mundus perire dicitur, vt si humana species periret, & patet manifeste quod perire potest in aliquo diluuio, vel peste, siue bello: vel quia homines generare non volent, vel si in talibus diluuijs pauci remanentes tędio, vel terrarum intemperie morerentur. Hæ autem rationes sufficientes sunt ad inferendum contra Aristot. & alios ponentes mundi æternitatem. Præter has tamen sunt aliquæ aliæ, quæ assumuntur ex cognitione conditionis rerum quę sunt in mundo, nam res quæ sunt, aut sunt res, quæ sunt simpliciter actus, ita quod in eis non sit aliqua potentialitas, aut sunt res quæ habent potentialitatem: si sunt res quæ sunt purus actus, nullo modo sunt in potentia ad aliquid recipiendum quod fiat ab altero, & in his impossibile est esse incipere, quia tunc antequam inciperent fuissent in potentia ad incipiendum, quod repugnat puro actui, sic autem impossibile est Deum factum esse, aut creatum, aut cœpisse esse quod non habuit cum ponatur purus actus. Si autem res sunt potentiales, ita quòd sint in potentia ad esse, cum potentia semper reducatur ad actum per motum aut transmutationes, & iste motus sit ab aliquo agente, & recipiatur in passo: necesse ab altero, cum transmutatio non fiat ab intrinseco, sed ab extrinseco, sicut igitur est de quolibet homine, quòd nullus homo de his quos nos signamus, potuit per se esse habere non factus, nec genitus, aut creatus, quia est potentialis (nam est in potentia ad esse, quia est in eo esse receptum) ita & dicemus de omnibus hominibus, siue ponantur ab æterno siue non: necesse fuit accipere esse ab alteris, cum sint potentiales, & sicut vnus est potentialis, ita necesse est omnes esse potentiales cum sint eiusdem speciei, sicut igitur Philosophus negat fuisse aliquem hominem primum, quia ille necessario erat potentialis, & non poterat esse à seipso, sed necesse erat accipere esse ab altero, ita necessarium erat concedere de omnibus hominibus, quotquot nos assignare voluerimus,

C

Aristo. non concedit vniuersale diluuium sed particulare.

D

Lex a the nienſis.

E

Res sunt duplices.

F

Necessarium est dari creationem istarum rerum potentiarum

quia

A

quia omnes ſic erunt in potentia, nec ergo potuerunt ab æterno eſſe, niſi ab æterno eſſe ſuſcepiſſent, cum in quolibet eſſe potentialitas ſit: neceſſarium igitur ab aliquo accepiſſe eſſe, cum à ſe accipere non poſſint, & iſte erit aliquis qui ſit ſimpliciter actus, ita quod ipſe poſſit eſſe dare & non ſuſcipiat. Igitur hoc modo qualitercunq; philoſophi fabulentur, neceſſarium eſt dare quod cœperint homines, cum à ſe habere eſſe non potuerint, & ſic de omnibus alijs ſpeciebus rerum, quia omnia ſic ſunt in potentia ad eſſe, nec à ſeipſis eſſe poſſunt habere, ex quo videtur neceſſario ſequi creatio. Et ſi forte aliquis diceret quod homines acceperunt eſſe ab aliquo: tamen ab æterno ſunt.

Repugnat rei æternæ cœpiſſe eſſe ab altero.

Reſpondetur, quod hoc exiſtere non poteſt: quia cum acceperint eſſe, quæritur an erant antequam acciperent eſſe aut non: ſi erant antequam acciperent eſſe, ergo non receperunt eſſe. Includit enim contradictionē, quod ſit, & quod eſſe recipiat, quia eſſet tunc idem actus & potentia. Nam eſſe actus dicitur: potētia autē pertinet ad recipere: etiam quia quando res erat eſſe habebat: aliàs non eſſet, ergo non recipiebat eſſe, quia illud habebat. Si autē dicatur, quod quādo homines acceperunt eſſe non habebant eſſe, ergo tunc nouiter fuerunt, & ante non erant: hoc autē repugnat æternitati, ergo id quod recipit eſſe ab alio cauſatum, vel factum non poteſt eſſe æternum: neceſſarium erat igitur non eſſe homines ab æterno.

Aliqui philoſophi poſuerūt mūdū eſſe factū & ſunt in duplici differētia

B

Aliqui autem de antiquis philoſophis ponunt mundum cœpiſſe, ſicut Anaxagoras, & Empedocles, & ſimiles: ſed ponunt quoſdam modos valde repugnantes rationi quomodo mundus cœperit, ideo Ariſtoteles eos arguit in octauo phyſicor. & in ſecundo de cælo & mundo, & putat ſe demonſtrare, ſed non demonſtrat: licèt rationes eorum deſtruat: ſicut ſi quis teneat aliquam veriſſimam ſententiam, & eam neſciens fundare ꝓbet valde imperite. Alius qui acutioris ingenij ſit deſtruet ꝓbationes huius imperiti: non tamē deſtruetur ex hoc veritas ſentētiæ quam alius ꝓbare intēdebat, quod patet manifeſtiſſime in articulis fidei. Nam ipſi continent ſolidiſſimas veritates: ſi tamen aliquis imperitus Chriſtianus aliquid eorum rationibus probare velit, aut defendere, ponet aliquas rationes inconuenientes, quas quilibet acutus pāganus faciliter elidet, & monſtrabit eſſe falſas, aut non bene concludentes: non tamen propter hoc ſequitur quod ſit deſtructa veritas illius articuli fidei: nec contra eum proprie demonſtratum, quia hoc modo nullus articulus fidei illæſus maneret, cum frequentiſſime infideles acuti contra ruſticos Chriſtianos de omnibus eis diſputauerint: nihil ergo philoſophus in hoc probauit de mundi æternitate, quia licet probet eam huic neſcienti reſpondere, tamen non probat ſimpliciter.

C

Circa quod conſiderandum eſt, quod quidam philoſophi putauerunt mundum incepiſſe: ſed non ponebant ipſi creationem, ſed quoſdam alios modos per conuenientiam ad chaos, ſicut Anaxagoras, & Empedocles, & hoc Ariſt. reprehendit in 8. phyſic. & 2. de cælo & mundo, & in hoc valde bene ſe habet philoſophus, quia rationes illorum ſecundum veritatem non erant tales, per quas probaretur mundꝰ eſſe æternus, aut ſaltem defenderetur æternitas eius: recte ergo rationes philoſophi deſtruunt fundamenta ꝓbationum iſtorum. Nam ſi mundus incepit, nullus modus dari potuit per quem incepit, niſi per creationem quæ de nihilo eſt, & fieret hoc ab ente quod eſt ſimpliciter actus, ſicut eſt Deus, quem nos ponimus mundum creaſſe. Si auē Ariſtot. vidiſſet fundamenta rationum noſtrarum ad probandum mundum incepiſſe, & vidiſſet modum quem nos damus per quem mundus inceperit, nec potuiſſet improbare modum noſtrū poſitiuum, nec valuiſſet deſtruere rationes probatiuas, quia ſatis conueniunt probationes noſtræ multis fundamētis ſuis. Commētator autē qui valde ſecutus fuit Ariſto. & fuit Sarracenus, vidit poſitionem noſtram, & rationes aliquorum licet non eſſent multum fortes, quia circa hoc probandum multū laborauerant, ſolum hoc nobis mordaciter quaſi probra cōijciens obiecit, quia Nazareni, id eſt Chriſtiani indiſpoſiti ſunt ad ſcire, quia concedunt creationē, in quo licet quēdam colorē videatur habere, tamē mentitur: quia ita manet apud nos neceſſitas rerum, ſicut apud eos. Alij autē fuerunt ponētes mundum eſſe ab æterno totaliter, ſc. quod tam corpora cælestia, quam omnes ſpecies rerum generabilium & corruptibilium ab æterno fuerint, & motus fuerit ab æterno, & tempus ab æterno, nec fuit dare primum hominē aut equū, & ſic de cæteris: nec primam generationem, aut corruptionē, nec principium motus aut temporis: aliqui ſunt qui mundū ex aliqua parte incepiſſe ponunt, & ex aliqua eſſe æternum: iſta poſitio ſecundum quam dicitur mundus eſſe æternus totaliter eſt proprie poſitio Ariſto. & quorundam philoſophorum ſequentium, ſc. peripateticorum, dicit namq; Ariſt. non potuiſſe mundum incipere, nec ſimpliciter, nec quantum ad aliquam partē, de partibus eius patet, vt in rebus generabilibus, & corruptibilibus, vt de homine, & de equo. Dicunt enim nullum hominem fuiſſe primum, ſed dicunt homines eſſe ab æterno: quia neſciunt dari modum per quem ille primus homo genitus fuerit, aut factus. Nam reuera, vt ipſi arbitrantur, infinitæ potentiæ eſt primum hominem produxiſſe, & primum tēpus, & primum motum. Omnia namq; iſta ꝓſupponunt creationē, quæ fundat potētiam infinitam eſſe, & patet hoc quia ſi primus motus fuit, ergo materia aute non fuit, quia materia non eſt ſine motu, ſed materia ante non erat, & poſtea fuit, cum non poſſit eſſe ex altero, quia ipſa eſt fundamentum, ſiue ex quo omnia ſunt, neceſſe eſt ipſam de nihilo productam eſſe, quam productionē infinitam potentiam exigere ambiguum non eſt: ſed infinitam potētiam eſſe philoſophi negāt, vt colligitur ex 8. phyſi. & 2. de cælo & mūdo, vbi Ariſt. dicit Deum eſſe infinitum ſecūdum durationē, ſicut ſunt omnes ſpecies naturales: in virtute aūt aut in potētia agendi eum infinitum eſſe non vult, & magis hoc declarat in 2. de cælo & mundo vbi dicit, quod ideo terra non mouetur, quia non eſt aliqua potentia potēs eam pellere extra medium mundi: ſed ſi nos demus materiam habuiſſe primū motum, neceſſitabimur dare creationē, quam ipſi refugiūt propter exigere infinitam potentiam: nec dant motum primum, ſed dicunt motum eſſe ab æterno. Eodem modo, nec primū hominem fuiſſe concedunt, quia ſi primus homo fuit, ille nō fuit genitus ab alio homine, ergo ille aut fuit factus de nihilo ꝙ eſt creare, & infinitam potētiam prēſupponit, & hocilli refugiunt, aut fuit de aliquo elemēto, ſiue de aliqua parte materiæ productus: & hoc eodē modo, vt ipſi confitentur infinitæ potētiæ eſt, ſc. gignere rem ſine ſemine eius, & veriſſime ſic eſt: nec. n. illi qui philoſophi ſunt, poeticis figmentis aſſentiunt, vt cum Ouidio dicant Prometheum homines formaſſe de luto, eoſq; ad imaginem deorum cæleſtium feciſſe dicant de quadam parte cæleſtis terræ, id eſt de luto quod olim cælo adhæſerat, & retinebat virtutem cæleſtem ad efficiendum animam, de quo Ouid. Metam. l. 1. ſic inquit.

Sanctius his animal mentiſq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo.
Siue recens tellus ſeducta nuper ab alto
Aethere cognati retinebat ſemina cæli,
Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus vndis.
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaq; cum ſpectant animalia cætera teram,
Os homini ſublime dedit, cælumq; videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.
Sic modo quæ fuerat rudis, & ſine imagine tellus
Induit ignotas hominum conuerſa figuras.

Materia nō eſt ſine motu.

D

phorū opinio ponentium mūdū ab æterno penitus eſſe.

E

F

Non ergo concedent iſti primum hominē, primum motum, primum tempus, dicēt igitur de homine impoſſibile eſſe primum hominem eſſe, & quod impoſſibile eſſet aliquem hominem nunc gigni, niſi eſſet alius à quo gigneretur, & ſi nunc nullus homo eſſet, diceret impoſſibile eſſe aliquem hominē eſſe in æternum. Iſta aūt procedunt ex fundamentis ſuis, ſcil. ꝙ iſta potentiam infinitam exigant, & quod potētia infinita non ſit, ꝙ autem potētiam infinitam coexigant manifeſtum eſt, & nos hoc concedimus: ſed ꝙ infinita potētia ſit ipſi negāt, licèt nos fateamur: ergo infertur ex ſuis fundamētis non eſſe inceptum mundum, ſed æternum: ſed hoc de infinita potentia verum eſt, quia iſta infinitam potētiam exigunt. Sed quod ſit infinita potētia à qua cœperint homines, & alia entia potentialia, patet ex ſuperioribus argumentis, quia cum iſta ſint, & à ſe habere eſſe nō potuerint: neceſſe eſt, quod cœ-

Aeterno. vituperat chriſtianos, quod indiſpoſiti ſint ad ſcire. Philoſo

A *Rationes quod mũdus non sit æternus.*

perint esse ab altero, quod est purus actus, & illud infinitę potentiæ est, quia nulla res est, quę talia efficere possit, nisi sit infinitæ potentiæ. Iterum contra istos arguitur, quod mundus non sit æternus: quia si esset æternus, ciuitates & loca semper fuissent, aut dato quod non essent ęterna: tamen à tanto tempore libri extiterunt nullo modo, aut memoria hominum de ciuitatibus quomodo conditæ fuerunt: & tamen hoc necessarium est, quia ciuitates non sunt à valde antiquis temporibus: quia de omnib. pœne ciuitatibus dabatur certus auctor per communem famam, aut per scriptores approbatissimos maxime tempore Arist. quando non multæ, vt nunc extabãt ciuitates, & omniũ quasi auctor cognitus erat, & quod magis erat, sciebatur quis quasi terram populasset, & quomodo ante hoc terra illa habitata non erat, ex quibus clarissime conijciebatur homines incepisse. Respondent Arist. & alij quod mundus, & homines, & motus, & tempora fuerunt ab æterno: tamen multa fuerunt diluuia tam magnam infligentia calamitatem, vt mundus quoq; non videatur antea habuisse esse, sed tunc cœpisse: ista enim diluuia magnam partem terræ destruebant, & non manebant ibi gentes, nec ciuitates: sed alij in alia orbis parte manentes veniebant, & illam terram iterum habitabãt, ciuitates, & oppida construentes, & sic videbatur tunc terra nouiter habitari cœpisse: cum tamen infinities habitata sit. Hoc etiam manifestant per terrarum & marium mutationes. Nam terram istam quam nos habitamus, olim marinis aquis opertam ferunt, & eam quæ nunc sub vndis est, olim magnas habuisse vrbes, & oppida dicunt, quod conijciunt, quia in montibus altissimis anchoræ sub terra fodiendo inuentæ sunt, & conchilia in antiquissimis rupium saxis permanent. De quo Ouidius cum transmutationes rerum naturalium sic, vt se habent, sine aliquo poetico velamento describeret sic ait:

Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim, sic ad ferrum venistis ab auro.
Secula sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego quòd fuerat olim solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ.
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.

B

Diluuium Ogigi quo tẽpore.

Diluuia autem præcessisse ex historia gentium satis conijcitur. Nam diluuium quodam tempore regis Ogigi fuit qui contemporaneus fuit Iacob Patriarchæ, quod diluuium in Græcia gestum annis 782. ante Christi natiuitatem fuit, vt colligitur per Isidor. Etym. libr. 13. in fine, & melius per Paulum Orosium libr. 1. de Ormesta mundi: ab hoc antiquissimę gentium inchoantur historiæ. Vnde Marcus Varro testimonio B. Augustin. 6. de ciuit. Dei. c. 6. omnium hominum cum ab antiquissimis temporibus historiam se inchoare putaret, à diluuio regis Ogigi exorsus est, quasi nulla antiquiora gesta illis fuerint. Aliud etiam diluuium gentium cognouit historia, quod Deucalionis diluuium nuncupatur, hoc in partibus Thessaliæ Deucalione regnante in terra illa contigit, à quo nomen assumpsit: qui quoniam homines ad se conuenientes aluit, & in nauibus susceptos per gemina capita montis Parnassi saluauit, genus humanum ex lapidibus restituisse fictione poetica dictus est, vt ait Ouid. Metam. libro 1. Fuit autem hoc diluuium annis quinq; antequam Iudæi de captiuitate Ægyptiaca liberarentur, sc. annis mille quingentis quinquaginta ante Christi natiuitatem, de quo Isidor. Etym. lib. 13. & Paul. Orosius lib. 1. de Ormesta mundi. Hoc diluuium pleriq; gentium in principio rerum fuisse autumant. Nam Ouidius in proœmio Metam. promittens se narraturum mutationes formarum à rerum origine cum dicit.

Aspirate meis primaq; ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

C *Diluuium Deucalionis quo tẽpore.*

Differit historias à diluuio Deucalionis, vt patet in eodem 1. Metam. Hęc quidem duo diluuia particularia in Græcia fuerunt, vnum in ea parte Græciæ, quæ Achaia dicitur, aliud in ea quæ Thessalia nuncupatur.

Diluuium autem vniuersale, quod Noe temporibus fuit, nulla gentium cognouit historia: nec à tempore illo vlla scripta stant per quæ cognosci potuisset: quia gentes adhuc rudes, & bonarũ artiũ exortes facta stilo digna non egerunt, & ea, quę eorũ temporibus saltem naturaliter memoratu digna euenerunt, stilo, & memoriæ mãdare neglexerunt, aut quod verius est nescierunt: de factis ergo illorum temporũ sola historia Geneseos, & Exodi plenam nobis fidem faciunt. Hoc autem diluuium gentiles Philosophi, & alij contemporanei accidisse nunquam audiuerunt, & si audiuissent minime credidissent, sicut si quis eis diceret hominem fuisse mutatum in belluam, quod proculdubio poetice dictum æstimarent. Nam diluuium vniuersale fieri impossibile arbitrabantur, & verissime sic est, si solas' vires naturæ consideremus, sed Deus ibi supernaturaliter operatus est, quod natura adimplere non valuit: sic enim ait Aristoteles in secundo metheor. dum de diluuijs disputat Cataclysmum, id est vniuersale diluuium impossibile esse dicit, & sic diluuium quod temporibus Noe accidit naturale non fuit: licet quidã de nostris putantes se nimis astrologice loqui, illud naturaliter accidisse ferunt, quos clarissimis rationibus eruare monstrarem, nisi nimis à proposito digrediendum foret. Quod quidem diluuium non solum philosophi negant, quia non sit aliqua causa naturaliter agens tantum potens aquarum importunitatem inducere, sed etiam quia hoc repugnat conseruationi vniuersi. Nam si tale diluuium accidisset, necesse erat omnes rerum species defecisse: ipsi autem dicunt impossibile esse quouis modo principaliores partes vniuersi, quæ species perfectæ sunt, deficere. Etiam quia hoc posito non fuisset generatio ab æterno, cum multoties fuisset intercisa per vniuersalia diluuia, quæ omnia viuentia deuastarent.

D *Vniuersale diluuiũ accidere posse negant philosophi.*

E

Item hoc concesso necesse erat dare creationem, quam ipsi vehementer abhorrent, & patet consequentia: quia cum omnia per vniuersale diluuium necessario delerentur, & tamen postea omnia facta sunt: necesse ergo erat, aut quod de nihilo cuncta fierent, quod creationem esse nullus dubitat, aut de materia nõ per generationem speciei & deriuationem seminalis generarentur, vel potius formarentur, quod conformiter infinitæ potentiæ esse, atq; æquale creationi ipsorum philosophorum testimonio confirmatur: neutrum ergo fatebuntur fieri potuisse.

Sed dices, quod bene poterit stare æternitatis mundi, quã philosophi statuunt, & conseruatio vniuersi cum diluuio vniuersali, quia sicut in diluuio vniuersali tempore Noe factũ est, vt cunctæ rerum species seruarentur: ita in alijs diluuijs quæ philosophi concederent fieri potuisse.

Diluuium vniuersale fuit mirabiliũ. & congregatio animaliũ. Nullus facere posset arcã, nec cõgregare animalia, naturaliter.

Respondetur, quòd etiam hoc non concederent philosophi. Nam quis talem arcam facere posset, qualis tempore Noe facta perhibetur? vt in ea omnium viuentium species seruarentur, quę in centum annis ab omnibus constructa fertur, quod satis consonat scripturę Genes. in qua dicitur, quod à tempore quo denunciauit Deus Noe, quod volebat destruere mundialem creaturam per aquã, vsque ad ipsum diluuium trãsierunt 120. anni, s. non permanebit spiritus meus in æternum in homine, quia caro sunt, & erit vita hominis 120. anni, vt habetur Gen. 6. c. Concesso autem talem & tantam arcam ab hominibus cuiuslibet temporis potuisse compingi, sed quis rogo eis 100. annis ante prædiceret, vt talem arcam fabricarent?

F

Deum dato, quòd diluuia astrologice à multis ante temporibus cognosci potuissent: quis tamen mundi pereuntis tanta charitate moueretur, vt ipsas immanissimas belluas, leones, vrsos, aspides, & dracones, manticoras, & basiliscos (quarum sine ipsa rerum ferocitate nomina quoque ferocia sunt) congregare veller, ne diluuio ingruente perirent: Et dato, quod hoc negocium inextricabile aliquis motus nimio mundi pereuntis amore susciperet: quomodo tamen omniũ animalium species cognosceret, quorum nec numerum, nec nomina nouit? quomodo etiam illa per vastas mundi huius solitudines, & inaccessas homini vias, & opacos mõtes, immania lustra ferarum totum orbẽ collustrãs inquireret? quis demum inuentas adduceret? nam quædã species serpentum tanta veneni rabie abundant, vt sola visione interimãt, quales basiliscos esse dubium non est. Quis iaculos serpentes sic dictos acciperet? qui quodam impetu turbinati, atque per aera vecti quodcunque animal obuium habuerint, in sagittarum atque lancearum modum perforant: vnde à ia-

Serpẽtes pestiferi.

A

ciendo, siue à iaculis nostris uomen metaphoricum assumpserunt. Quis enim dipsas acciperet, qui accipientem siti perimunt? Quis serpentem qui hynale dicitur saltem videre velit? qui eum qui tetigerit somno necat, cuius testis Cleopatra Ægypti regina, & Antonij vxor sufficiens est. Quis hemorrhoin qui morsu suo vniuersum animalis sanguinem elicit caperet? quis prysten? quis sepem? quis hamoditas? quis alios innumerabiles serpentes, quorum tot mortes quot nomina accipiat? quorum Africa testis est, quæ huius mali adeo fœcunda est, vt in hoc prę cęteris terris palmam ferat, de quo Lucanus li. 9. de bello plusquam ciuili Iulij Cæsaris & Pompeij tractãs de processu Catonis in Lybiam: de hoc etiam Solinus in Polyhist. ca. de Africa: hæ enim diræ pestes Africam pro maiori parte inhabitatam reddunt: quis enim inter tot genera mortis tranquillam eligeret mansionem. Soli autem populi qui Psilli nuncupantur inter has diras lues innoxij sunt, nam non solum eos venena non lædunt, sed etiam serpentes ipsos formidant, & sputo suo quorumcunque serpentum venena curant: de quibus Lucan. lib. 9. sic ait: marmaritæ psilli quorum lingua potentior herbis. Iam vero dracones, & aspides, tigridesque dicere quid attinet? quorum non solum venena quæ in eis immensa sunt, sed etiam corporum moles, & prævalidum robur omnes mortales superarent.

B

Rhinocerotem vero, id est vnicornem viribus quis capere audeat, cuius tantum robur, & animi impetus est, vt nulli hominum seruire dignetur? de quo Iob 39. ca. sic dicitur, nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? nunquid alligabis rhinocerota ad ad arandũ loro tuo? aut confringet glebas vallium post te? nunquid fiduciam pones in magna fortitudine eius? & derelinques ei labores tuos? nunquid credes ei, quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

Quis autem postremo, vt alter Dedalus, aut potius, vt Icarus assumptis fallacibus alis aeris immensi spacia penetraret, vt paruas quasque auiculas ad mundi conseruationem in arcam secum reconderet? his autem omnibus per impossibile saltem patratis, coniunctisque in arcam cunctis animantibus terræ, quis illis pacis legem indiceret? quis amicitias tantas componeret? quis talium fœderum beneuolus tractor existeret, vt iuxta vaticinium Esai. ca. 11. habitaret lupus cum agno, & pardus cum leone accubaret, & vitulus, & leo, & omnes simul morarentur, & puer paruulus minaret eos: vitulus & vrsus pascerentur simul, & requiescerent catuli eorum, & leo suæ ferocitatis oblitus quasi bos paleas manducaret, & ablactaretur infans à maternis vberibus super foramina aspidum, & qui ablactatus esset manum suam mitteret in cauernas regulorum? hæc enim & alia innumera quæ per singula non conuenit explicari, tam impossibilia naturaliter sunt, vt nullo vnquam modo philosophi talia existiment, aut fuisse quidem, aut possibilia fore. Si autem ista tempore Noe facta sunt, supernaturaliter facta ministerio angelorum nemo dubitat, nisi insanus: quibus etiam quouis modo concessis, quis arcam à foris bitumine clauderet, ne eam aquæ diluuij subintrarent? nam hoc à solo Deo fieri potuisse sacra scriptura testatur Gen. 7. cap. vbi dicitur quod ingresso Noe in arcam clausit Dominus à foris. nullo igitur modo hæc Philosophi aut excogitare, aut credere possent, si quid eis enarraret.

C

Philosophus quare negat vniuersale diluuiũ: concedit particulare.

Nullatenus igitur diluuia vniuersalia philosophi fatebuntur: particularia quidem non solum fatẽtur, sed etiam ad defensionem positionis suæ de mundi æternitate ea necessaria esse putant: nec enim vllum eis fortius aut verisimilius adinuentum est: sic namque respondent cum quis contra eos arguat, si tempus infinitum est, siue ab æterno fuit, quomodo scientiæ in infinito tempore retroacto inuentæ nõ sunt? cum ait Arist. in 1. Ethico. tempus bonus cooperator est horum, & per tempus artium additamenta facta sunt: quia ergo infinitum præcessit tempus, infinita experientia fuit quæ sufficiens erat ad inueniendam omnem artem.

Dicunt enim quod scientiæ infinitis vicibus perditæ & inuentæ sunt: nec enim nunc nouiter inuẽtæ sunt: quia præcesserunt in seculis qui fuerunt ante nos. Dicebant enim quod quando per diluuia maior pars terræ deperibat, saluabantur ex diluuijs illis quidam homines, qui olim fuerant ignorãtes in quibus nulla scientia mansit, sed cum suis possessoribus qui in diluuio perierunt, extincta est: necesse ergo fuit ad hoc quod artes essent, iterum nouiter ab ipsis inquirerentur fundamentis. Hæc enim est responsio Arist. 2. Polit. cum tractat de legibus valde irrationabilibus, quæ antiquis temporib. apud Græcos fuerunt, inter quas vna quam ipse ponit erat, quod viri possent vendere vxores suas pro ferro, vel eas inuicem commutarent, asserit hanc & alias iniustissimas, quas ipse ponit in prædicto 2. Polit. conditas esse à quibusdam rudibus valde hominibus, qui diluuia euadere potuerunt. Ecce qualia sint fundamenta, & positio Aristot. aliorumque sequacium, & quid negent, & quid asserant: omnia namque ista sequuntur ex suo erroneo fundamento, scil. quod mundus sit ab æterno. Et hoc adhuc emanat à quodam alio radicali principio erroneo, scil. quod non sit dandum infinitum in virtute actiua. Elisis igitur his fundamentis omnia dicta eorum vana sunt: pro quo recurrendum est ad ea, quæ supra diximus ad probandum, quod non sit possibile mundũ esse æternum: ex quo inferebatur potentia infinita creatura mundi.

D

Fomes & principia totius erroris Arist. tam in mundi æternitate quam in creatione & resurrectione.

Opin. Philosophor. ponentium mundũ esse factũ, licet aliter quam Anaxago. & est Ouidij

Alij erant qui aliquo modo ponebant mundum æternum & aliquo modo ponebant cæpisse, & huiusmodi fuit Ouidius in principio suæ Metam. qui non vt poeta, sicut alias solet, sed vt Philosophus, vel Theologus veritatem principij rerum inquirere conatus est: ponit enim mundum æternum esse quantum ad suum principium materiale: dicit tamen cæpisse quantum ad distinctiones formarum pro constitutione specierum: ait enim quod materia prima, quam ipse vocat vnum vultum orbis, fuit ante omnia: & huic non ponit aliquod principium productiuum: sed dicit eam esse carentem perfectione distinctarum rerum: erat tamen in hac materia contrarietas qualitatum actiuarum, scilicet frigidi & calidi: humidi & sicci: ponderosi & leuis: & hoc magnam pugnam in ipso vultu orbis, siue materia faciebant: vocat autem illam materiam vultum orbis vnum, exprimens philosophicam proprietatem metaphorice: nam vultus dicitur id, in quo res cognoscitur & distinguitur, cum in alijs membris nõ pateat cognitio distincta. Quando autem multi vultus sunt, multæ cognitiones & principia facientia cognoscere sunt: si autem vnus vultus sit, vnica cognitio est: cam autem materia prima erat, quia ipsa non habebat varietatem substantialium formarum distinctiuarum, erat vnica res, & hoc non per vnitatem formæ, sicut competit rebus naturalibus, quæ habent essentiam, & vnitatem & cognoscibilitatem per suas formas, sed per carentiam distinctarum formarum: vnus ergo vultus in toto orbe erat, quia rerum distinctio nondum erat: sed illud vnum erat quod distinctum, atque manifestum in se non erat: Rectissime ergo Ouidius vnum vultum philosophice loquendo materiam primam dixit: hæc omnia habentur in principio Metamorph. cum dicitur:

E

Versus Ouidij

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum.
Vnus erat totus naturæ vultus in orbe.
Quem dixere chaos rudis indigestaq; moles.
Nec quicquam nisi pondus iners congestaq; eodem.
Non bene vnitarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.
Nec noua crescendo separabat cornua Phœbe.
Nec circumfuso pendebat in aere tellus,
Ponderibus librata suis, nec brachia longa
Margine terrarum porrexerat amphitrites.
Quaq; erat & tellus illic & pontus, & aer.
Sic erat instabilis tellus innabilis vnda.
Lucis egens aer nulli sua forma manebat.
Obstabatq; aliys aliud, quia corpore in vno,
Frigida pugnabant calidis humentia siccis,
Mollia cum duris cum pondere non habentia pondus.

F

Ecce qualiter Ouidius, vt vere Philosophus primum fundamentum naturæ inuestigans, posuit illud primum corpus non habens determinatas formas substantiales distinguentes in species rerum naturales: sed solum qualitates actiuas, & passiuas, quæ sunt alteratiuæ, & via ad generationem.

Hanc autem materiam, vel corpus naturæ, nec dicit genitum, nec creatũ, factum aut productum: sed dicit ante omnia fuisse, & quantũ ad hoc ponit mundi æternitatẽ in principio

A materiali, ex quo omnia fierent, & in suis qualitatibus primis ad generationes & corruptiones: dicit tamen mundum fuisse factum quantum ad omnium rerum distinctionem, & productionem ex materia: quia dicit ex materia Deum fecisse cœlos, fecisse quoque quatuor elementa, & disposuisse terram faciendo montes, & valles, fontes, & flumina, de quibus in eodem primo Metamor. post supra dicta immediate sic sequitur.

Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abscidit vndas.
Et liquidum spisso secreuit ab aere cœlum.
Quæ postquam euoluit, cœcoq; excussit aceruo.
Dissociata locis concordi pace ligauit.
Ignea conuexi vis & sine pondere cœli.
Emicuit summaq; locum sibi legit in arce.
Proximus est aer illi leuitate locoq;.
Densior his tellus, elementaq; grandia traxit.
Expressa est grauitate sui circunfluus humor.
Vltima possedit solidumq; coercuit orbem.

Ouid. Platonicus.

In his autem si inspiciatur solerti indagine Ouidianæ sententiæ Platonicum sensum redolent, Empedoclis, & Anaxagoræ aliqualiter doctrinam consequuntur. Quantum ad hæc autem à fide Catholica maxime in ista secunda parte valde modicum deuiat: variat tamen immediate: quia habent Deum qui ista distinxerit, dicit se ignorasse quis fuerit de dijs, quasi multi dij essent, qui talia facere possent: sic enim dicit immediate:

B

Sic vbi dispositam, quisquis fuit ille deorum.
Congeriem secuit, sectamq; in membra redegit.
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomerauit in orbis.
Tunc freta diffudit rapidisque tumescere ventis
Iussit, & ambitæ circundare littora terræ.
Addidit & fontes, stagna immensa, lacusque,
Fluminaq; obliquis cinxit decliuia ripis.
Iussit & extendi campos, subsidere valles.
Fronde tegi syluas lapidosos surgere montes.

Deinde distinguit cœlum in quinque zonas, & ponit proprietates zonarum, & in tertia eodem modo ista distinguit, & hæc à Deo facta dicit, cum sequitur.

Vtq; duæ dextra cœlum, totidemq; sinistra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis.
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei totidemq; plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas, totidem inter vtramq; locauit.
Temperiem dedit mixta cum frigore flamma.

C

Deinde ponit aerem, & in eo ventos collocat, & à quibus mundi regionibus flant, & eorum proprietates posuit, & impressiones metheoricas, vt tonitrua, nubes, & cætera cum dicit.

Imminet his aer qui quanto est pondere terra,
Pondere aquæ leuior, tanto est oneroſior igne.
Illic & nebulas, illic consistere nubes
Iussit, & humanis moturas tonitrua mentes.
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.

Ouid. fuit Platonicus ponens corpora cœlestia de natura ignis.

Deinde discussis generationibus ventorum & locis eorum subiungit de cœlo quem dicit esse de natura ignea, & in hoc est Ouidius Platonicus. Nam Plato cœlum ignem dicit: quia cœlum & æther pro eodem accipiuntur: æther tamen in sua propria significatione ignem notat: dicit etiam omnia corpora stellarum esse ignea, & sic vult cœlum de natura elementali esse, scilicet quartum elementum, & in hoc differt ab Arist. qui vltra quatuor elementa, quæ vocantur quatuor essentiæ, ponit quintam essentiam, siue quintam naturam, scilic. cœlestem non pertinentem aliquo modo ad naturam elementalem, in quo Aristot. valde excellit Platonem, omnesq; alios hanc Catholicam sententiam, & veritatem Physicam asserens: sed mirabile est quod omnes Poëtæ tam qui fuerunt ante Aristot. tam qui post eum venerunt, tenuerunt in hoc Platonis sententiam cœlum ignem vocantes, & dicentes astra esse purissimos ignes.

D

Poeta dixerunt astra sumi de aquis Oceani & hoc putabant verum & philosophicum.

Dicebant etiam isti Philosophi, atque Poëtæ ista astra cibari aquis Oceani: sicut enim ignis in humido vnctuoso sepi aut olei confouetur, ita per calorem astrorum eleuatis humiditatibus Oceani astra illa ignea fouentur in illis, & fortiora in calore sunt. Vnde aliqui tenentes hanc opinionem dixerũt, ideo in terra Æthiopum maiorem esse calorem quam in alijs terris, quia ibi est Oceanus, de cuius aquis astra cibantur. Et hanc falsitatem quam Poëtæ veritatem Philosophicam existimabant, more poetico sub integumentis enunciare volentes dixerunt, omnes deos ad epulas fuisse semel ab Aethiopibus inuitatos. Deos namque astra vocauerunt: quia ipsa astra deos putant: sic enim illa vocant, scil. Iouem, Phœbum, Martem, Dianam, & cæteram dissonam deorum turbam. Ab Aethiopibus autem inuitari est de aquis Oceani, quæ apud Aethiopes sunt eos alimentum accipere. Ponit ergo Ouidius cœlum ignem esse, & astra lucidiorem ignem, de quo ait hæc.

Hæc superimposuit liquidum, & grauitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenæ facis habentem.
Vix ita limitibus dissepserat omnia certis.
Cumq; repressa diu massa latuere sub ipsa,
Sydera, cœperunt toto effervescere cœlo.

E

Ponit deinde de ornatu cœli, & aeris, & aquarum, atque terrarum: iuxta modum antiqui legislatoris nostri Moysi in primo capit. Genes. vbi elementa creata distincta ornata enunciat. Et forte aliquid illius Ouidius videre potuit à Iudæis, qui Romæ per Italiam tempore suo habitabant, dicit enim:

Poeta & Philosophi multas veritates audierũt à Iudæis.

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum formaq; deorum.
Cesserunt nitidis habitanda piscibus vndæ.
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.

Concludens autem Ouidius distinctionem mundanarum fuit, vt legislator noster Moyses opera diuina in homine terminans, & in hoc incipit poetice loqui: cum in omnibus superioribus Philosophicè, & pro maxima parte Catholice locutus fuerit. Dicit enim homines fuisse formatos à Prometheo filio Iapheti de luto cum dicit.

Sanctius his animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo.
Siue recens tellus seductaq; nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

F

Non igitur putandum, quod Ouidius teneat homines fuisse formatos à Prometheo, quasi ibi inceperint, quia ista verba includerent contradictionem, id enim quod Ouidius diceret repugnaret sibiipsi, nam ipse dicit Prometheum hominem fuisse, dicit etiam eum fuisse filium Iapeti, quem & hominem confitetur: quomodo ergo eum diceret primum hominem formasse cum ipse homo sit, & ante eum homines fuerint?

Dicendum igitur aliam fuisse positionem Ouidij, qui valde fuit conformis Catholicæ veritati. Vnde sciendum, quod in prædictis versibus de hominis formatione Ouidius ponit duas opiniones manifeste, & aliam, scilicet tertiam magis occulte: quarum vna est positio poetica, scilicet quod Prometheus formauerit homines de luto, & de hac nihil attinet dicere, cum vt dictum sic includat contradictionem, si dicatur

De Ouidij alia opinione conformi Catholicæ veritati.

Prome-

A Prometheus primos homines formasse de luto nec enim iste sensus fabulæ. Aliorsum enim tendit intentio, vt ait Fulgentius in secundo libro Mithologiarum. Aliæ duæ opiniones sunt: quarum vna aliqualiter naturalis videbatur, id est, habere quandam similitudinem naturæ, sed valde falsa est, & repugnat positioni Arist. & omnium philosophorum, recte sentientium de conditione animæ, & est quod sicut in ipsa terra cum actione corporũ cœlestiũ est virtus ad gignendum quasdam res inanimatas, & multa quoq; animalia, ita dicunt habere quandam virtutem ad formationẽ hominis, & eductionem formæ eius de potentia materiæ, & sic, quòd per actionem cœli in ipsa inferiora susceperunt ista inferiora virtutem ad gignendũ primum hominem, & postea per generationem propagati sunt. Sed hæc opinio multum est erronea, & repugnat principijs veræ philosophiæ. Primo quia solum aliæ formæ possunt educi de potentia materiæ, & sic confitetur Arist. in lib. de animalibus, quòd solus intellectus est qui est diuinus, & solus introducitur ab extra. Item quia dato, quòd intellectus humanus haberet conditiones materiales, sicut dicimus de animalibus brutorum: tamen non poterat sic formari, cum solum sic formentur indiuidua specierum imperfectarum, vt mures, colubri, vermes, & similia quæ habent primum gradum perfectionis animalis: animalia autem perfecta quemadmodum leo, & bos, atque

B sic generari non possunt: sed aut creabuntur, aut propagabuntur deriuatione seminali, & vt hoc esset verisimilius, isti dixerunt hominem fuisse factum de terra habente virtutem cœlestem, cum dicit Ouid. vbi supra.

Siue recens tellus seducta nuper ab alto.
Æthere cognati retinebat semina cœli, &c.

Alia est positio quæ aliqualiter consonat veritati catholicæ, scilicet, quòd Deus formauerit hominem, & quia ista erat intentio ipsius Ouidij, posuit eam ante alias opiniones, & tangit conditionem vel formationem hominis quantum ad id quod proprie est. Est autem homo ex duobus, scil. ex corpore & anima, quantum ad corpus cuilibet notum est, quod est de conditione terræ: ideo licet legislator noster tetigerit Gen. 2. c. hominem fuisse formatũ de puluere, vt habet litera hebraica, siue de terra limosa, vt habet litera nostra. Ouidius tamen nõ tetegit, cum hoc quasi per se notũ iudicaret. De anima autẽ hominis erat plurima dubitatio quibusdam eam dicentibus esse sanguinem, alijs verò asserentibus esse aërem tenuem, & multa in hunc modum, quas opiniones late prosequitur Arist. in 1. de Anima, voluit ergo quantum ad hoc determinare Ouidius dicens esse spiritũ existentem de natura diuina, vt forte gentium à Deo de substantia sua, aut partem substantiæ eius, cum dicit:

Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit.
Ille opifex rerum mundi melioris origo.

C Hæc autem videtur Ouidius accepisse à legislatore nostro, sed nõ perfecte potuisse capere mysterium literæ. Nam cum Gen. 2. c. dicatur: formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: putauit Ouid. hoc spiraculum Dei esse de semine diuino, sed longo aliter est: quia sacra scriptura Gen. ibi loquitur figuratæ. Ecce igitur de mundi inceptione, aut æternitate, vel quomodo se habeat famosissima sententias. Nam quid sacra fides asserat Gen. 1. & 2. c. habetur: & prosequẽdo literã Geneſis in duobus c. aliqualiter explicuimus. Quid autẽ teneant philosophorum famosissimi, & poetæ pene hic dictũ est. Alij autẽ poetarum & philos. de his valde rationabiliter locuti sunt, vt Orpheus qui cum esset Poeta antiquissimus inter eos Theol. nominatus, cum de Deo quid enunciaret promptũ non haberet, eum ex infinito aëre dixit generatũ. De hoc Firmianus Lactantius de nat. deor. lib. 1. c. 5. alia quoq; quamplurima horum deliramenta, quæ per singula recoli non oportet. Hæc autẽ valde instructioni circa catholicas positiones nobis valde proficiunt, quia vt ait Arist. 8. Ethic. ex differentibus causatur optima harmonia, si cui forte sermo noster in hac parte onerosus & digressorius videatur, ignoscendũ putet: quia & si dilata est, nõ tamẽ est delusa sollicitudo inuestigantis: hæc igitur de his dicta sufficerint. *Interoga patrem tuum.* Iste est alius modus sciendi creationẽ, scil. per memoriam antiquorum: quia illo tempore viuebant homines magno tempore, & audiebant à patribus, auis, & proauis, multa de antiquis, & illi ab alijs antiquissimis proauis didicerant, & sic narratio attingeret ad primordium creationis. *Et maiores tuos.* D

Conclusio auctoris & epilogus.

Quid proprie vocantur patres in scriptura.

QVÆSTIO IV.

PATRES vocantur in sacra scriptura ascendentes, vt patres, aui, & proaui, vt patet in regula iuris. Nam & rex Nabuchodonosor extra de regulis iuris, sed ibi dicitur in glossa, quòd secundũ leges, vt habetur ff. de gradibus in ascẽdentibus, omnes vocantur parentes, siue patres vsque tritauum: & deinceps vocantur maiores. In descendentibus autem omnes vocantur filij vsque ad ter nepotem, deinde vocantur minores, sed in sacra scriptura non seruatur hoc: quia Christus dicitur filius Abrahę à quo distat per tres tesserece decades, id est per 42. generationes, vt patet cõputando Matth. 1. capitu. secus Lucæ. 3. cap. vbi valde plures sunt: cuius ratio diuersitatis ibi tangitur. *Quando diuidebat altissimus.* Hic ponitur secundũ beneficiũ, scil. gratuitæ electionis: quia sine meritis eorum antequam essent elegit eos, vt patet Malach. 1. c. *Quando diuidebat altissimus gentes.* Dando eis diuersa idiomata: quia ante erat terra labij vnius, post diuisi sunt in multas linguas, vt patet Gen. 11. cap. Et ab hoc vocatæ sunt gentes multæ: si enim vna lingua mansisset non dicerẽtur proprie plures gentes. *Quando separabat filios Adam.* Id est filios hominũ eadẽ sententia repetita est, quod sæpe fit in isto cantico. *Cõstituit terminos populorũ.* Id est Chananęorũ, Euæorũ, Ethæorum, Ferezæorum, Gebusæorum, Amorrhæorum, & Gergesæorum. *Iuxta numerum filiorum Israel.* Id est secundũ multitudinem filiorum Israel. Est sensus, quòd quando Deus diuisit linguas separauit sibi filios Israel in populum, & separauit septem gentes, vel populos in terra, vbi post habitauit Israel: dando eis à principio illam terarm, sed conseruando in posterum pro filijs Israel: quia illa erat tanta quanta sufficeret numero filiorum, Israel, id est, toti multitudini eorum. Et istam expositionem tenet Aben Ezra, & satis cõsonat literæ, quia dicitur. *Constituit terminos populorũ.* Id est tantos fecit esse terminos, & ambitũ terræ gentiũ illarũ quantũ sufficeret Israel. Aliter potest exponi, quòd *Quando Deus diuidebat gentes.* Scil. diuidendo idiomata. *Constituit terminos populorũ iuxta numerum filiorum Israel.* Id est tot fecit esse gentes vel populos, quot erant filij Israel, qui sicut 70. gentes fuerant iuxta 70. linguas: ita fuerunt 70. filij Israel qui intrauerunt in Ægyptum. In litera 70. interpretũ habetur. *Iuxta numerum filiorum Dei.* Et aliqui exponunt, quòd quando diuidebat Deus gentes, id est quãdo creauit. *Constituit terminos populorũ iuxta numerum filiorum Dei.* Id est præordinauit tot esse homines saluos quot erant filij Dei, id est angeli, siue qui steterũt, siue qui ceciderunt: quia ipsi vocantur filij Dei, vt patet Iob. 38. c. vbi dicitur: cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, & loquitur ibi de angelis, & licet ista sententia forte vera esset, tamen multum peregrina est: ideo potest esse sensus, qui ante ponebatur, scil. quod filij Israel vocentur filij Dei, quia erant specialiter filij sui, sicut vocabantur populus peculiaris, vt patet sup. 29. capitu. Nam filij Dei licet omnes homines sint: illi tamen præcipue filij Dei sunt qui ad eum specialius pertinent. Vnus enim per naturam filius Dei patris est, quia eum genuit ante secula: nos autẽ si filij sumus hoc est, quia spiritum adoptionis accepimus, id est ipse libenter non accepit, & quia qui aliquem adoptat eius specialẽ curam agit, Deus secundũ qꝑ de nobis specialiorem, aut minus specialem curam gerit, ita dicitur nos in filios accipere, vel non: & hoc dupliciter est: qui vel secundum quod aliqui magis adhærent Deo, vel secundum qꝑ Deus aliquibus plura bona confert: per vtrunq; enim Deo coniungimur, & filij eius vocamur: de primo patet Genes. 6. cap. Nam à principio genus humanum in duo capita distinctum est, scilicet, in Chain & Seth qui fuerunt duo filij Adæ à quo cæteri processerunt: aut alij postea ab Adam geniti lineis horum se admiscuerunt: illi autem qui pertinebant ad lineam Chain erant carnales valde, totum suum bonũ in præsenti felicitate ponentes: ideo fuerunt appellati homines, quasi solum essent homines, & nõ inhiarent

Christus filius Abrahæ ab eo distat per 42. generationes.

Qui vere filij Dei sunt, & qui hominũ

A ad aliud maius bonum, quòd esset supra hominem, filij Seth, vtpote instituti moribus paternis & aui sui prothoplasti Deū coluerunt, honeste viuentes quantum rudis illa ætas sinebat: ideo non vocati fuerunt homines, quasi sola humana saperent, sed vocati sunt filij Dei, cum dicitur in præallegato, c. videntis filij Dei filias hominū, id est filij Seth, qui vocantur filij Dei, viderunt filias hominū, id est filias de stirpe Chain: omnes igitur qui desideria sancta, & in Deū prosequuntur, & secundū motum diuinæ gratiæ regulantur, vocantur filij Dei, sic patet ad Ro. 7. c. cum dicitur: qui spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt, in quo clamamus Abba pater: spiritus enim reddit testimoniū spiritui nostro, q̄ filij Dei sumus. Secundo modo vocantur filij Dei illi quibus Deus multa bona cōfert, quia videtur eis thesaurizare, sicut patres filijs thesaurizant: & isto modo Iudæi dicuntur filij Dei: quia Deus eis multa bona promittebat, & conferebat, vt patet ex processu istorū quinq; librorū Moysi, & quasi in toto canone veteris testamenti: ideo satis cōuenienter stat iste sensus, & vtraque duarū expositionū superiorū satis cōuenit ꝓposito. *Pars autē domini populus eius.* Id est de omnibus istis gentibus nō assumpsit sibi Deus specialiter, nisi populū suum, id est Iudæos: ita quod erant 70. gentes, elegit in populo suo Israel 70. personas, ex quibus populus domini propagaretur, vt sic pars domini æquipolleret in numero omnibus populis accipiendo

B vnam personam loco vnius gentis. *Iacob funiculus hæreditatis eius.* Eadem sententia replicata est: funiculus hæreditatis dicitur, quia hæreditates per funiculos diuiduntur, & quasi per funiculum diuisit Deus omnes gentes dando sibi funiculi partem, quæ erat in Iudæis. *Inuenit eum in terra deserta.* Hic ponitur tertium beneficium, scilicet liberatio, & potest intelligi de liberatione spirituali vel corporali. De spirituali, scilicet quia liberauit eos ab idololatria, scil. in terra Chaldæorum, in qua nati sunt, quando Deus dixit Abrahæ, quòd egrederetur de terra sua, vt patet Genes. 12. cap. & quando eduxit eum de Hur Chaldæorum, vt patet Genes. 11. c. & 15. ideo dicitur. *Inuenit eum in terra deserta.* Id est quod quando Deus primo elegit sibi filiū erat in terra deserta, id est in Chaldæa, quæ est terra cultui idolorum tradita, & deserta à cultu Dei. *In loco horroris.* Id est, timoris: quia ibi per timorem cogebantur homines colere ignem: ideo Abraham in igne positus est, vt quidam dixerunt cuius veritatē posuimus Gen. 11. & 15. cap. liberauit eos etiā ab idololatria in terra Ægypti, in qua morabantur inter idolatras, & hic non fuerunt liberati ab idololatria, ita quod idola non colerent: quia illa coluerunt, vt probauimus late Exodi primo cap. sed liberauit ne in idololatria semper manerent. *Solitudinis.* Id est magni deserti quia multū erat dedita terra Ægypti idololatriæ. Ibi enim fuit primus factor idolorū in imaginibus, qui vocatus fuit Syrophenes, vt patet per Eusebium in Chronicis, & Lucam Tudensem. Et ista terra plures deos coluit quā aliæ terræ, & dedit modū colendi alijs gentibus, de quo multa Augustinus 18. de ciuitate Dei, & inde deducta sunt multa cæremonialia sacrorum, vt ponit Lucanus in fine octaui libri. Qualiter autem Syrophenes primus Ægyptiorum idolatra fuit, & huius mali inuentor in imaginibus in toto orbe, scribit Diophantus Lacedæmonum auctor, qui Antiquitatum 14. libros scripsit. De hoc etiam Fabius Fulgentius Mithologiarum lib. primo cap. de idolo, sic ait Diophantus Lacedæmonum auctor libros scripsit Antiquitatis 14. in quibus ait Syrophenem Ægyptium substantia familiari locupletem filium genuisse, quem velut enormi substantiæ successorem ineffabili vltra quam paternitas exigebat effectu dilexit. Isque dum aduersis fortunæ incursibus raperetur: quo patri crudele geminæ orbitatis dereliquisset elogium, vt & posteritatis perpetuale suffragium denegasset, & substantiæ propagandæ subitam interceptionem obijcere: quid igitur faceret? aut fœcunda paternitas in sceleritate damnata, aut felix substantia in successione curtata parum erat, vt non haberet quod habuit, nisi etiam nec esset qui obtineret quod reliquit: denique doloris angustia quæ semper inquirit necessitatis solatium, filij sibi simulachrum in ædibus instituit, dumque tristitiæ remedium quærit seminarium potius doloris inuenit, nescies quòd sit sola medicina miseriarum obliuio: fecerat enim ille vnde luctus resurrectiones in dies acquireret: non in quo luctus solacium inueniret: denique idolum dictum est, id est idos doli quod nos latine speciem doloris dicimus, namque vniuersa familia in Domini adulatione, aut comas plectere, aut coronas inferre, aut odoramenta simulachro succendere consueuerat: nonnulli etiam seruorum culpabiles domini furiam euitantes ad simulachrum profugi veniam merebantur: denique huius rei memor Petronius ait. Primus in orbe deos fecit timor, nam & Mintanor musicus in libro musicæ quem descripsit ait. Deum doloris quem prima compunctio humani finxit generis. Ex hoc ergo inueteratus error humanis pedetentim confectus disciplinis, baratro quodam sæuę crudelitatis prolabitur: iste igitur verissimus atque solidissimus modus est inuentio idoli: licet alibi ex aliorum opinionibus aliter recitemus. Hoc exemplum videtur penitus confirmare Philo Iudæus, qui librum sapientiæ sub Salomonis nomine & verbis conscripsit, nam & verba sua alludunt verbis huius historicæ narrationis: cum enim Sapient. decimo quarto cap. ortum cultus idolorum narraret ait, acerbo enim luctu dolens pater cito sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi mortuus homo fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia: deinde inualescente antiqua consuetudine, interueniente tempore, hic error tanquam lex custodia est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta: & multa in hunc modum in eodem loco.

Sed magis potest intelligi litera de liberatione corporali, scilicet quia liberauit populum Israel in deserto dando ei omnia necessaria, & ab hostibus protegendo. *Inuenit eum in terra deserta.* Scilicet in exitu de Ægypto, vbi incępit pro ipso singulariter facere miracula, & maxime inuenit eum in datione legis: quia accipiendo eam factus fuit peculiaris populus Dei, vt patet Exodi decimo nono cap. & ista lex fuit data in vasta solitudine, scilicet in deserto Synai. *In loco horroris.* quia illa terra horribilis, scilicet plena serpentibus, vt patet supra octauo cap. vbi dicitur ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas. *Et vastæ solitudinis.* Id est magni deserti: quia ex quo exierunt de Ægypto, semper ambulauerunt per terram totaliter inhabitatam, & sine arboribus, in qua etiam rarissimæ aquæ erant, vel quasi nullæ vsque Cadesbarne circa terminos filiorum Edom. *Circunduxit eum.* Ponitur quartum beneficium, scilicet, directio viæ per totum desertum, & administratio omnium necessariorum.

Circunduxit eum. Id est circuitu duxit: quia Israelitæ non ambulauerunt rectò itinere in terra promissionis, sed per magnos terræ circuitus, vt dicitur Iosue 5. cap. & supra 2. ca. dicitur, circuiuimus montem Seyr multo tempore. *Et docuit.* Dando legem in monte Synai: deinde per Moysen dando multa præcepta quæ continentur in his quatuor libris pertinentia ad moralem instructionem, vel docuit, scilicet affligendo pluribus angustijs, quia vexatio dat intellectum, & in moralibus magis docent facta quàm verba, & sic dicitur supra 8. ca. quòd Deus tentauit & afflixit Israelitas, vt sicut homo erudit filium, sic Deus erudiret eos. *Et custodiuit quasi pupillam oculi sui.* Hic ponitur quintum beneficium, scil. specialis custoditio à malo, & est locutio figuralis, quia Deus nec pupillam habet nec oculum, sed sicut nos pupillam, in qua virtus visiua est, valde conseruamus, ita Deus conseruauit populum istum: nos enim sensum visum alijs sensibus plus diligimus, quia plures rerum nobis differentias ostendit, vt patet in principio Meta. sic Deus populū hūc prę alijs elegit. *Sicut aquila prouocans.* Hic ponitur sextum beneficiū, scil. specialis amor in conseruando. *Sicut aquila.* Cum enim aquila vult prouocare pullos suos ad volandū, volitat super eos, vt ipsi volare desiderent: ita Deus volens educere de Ægypto Israelitas prouocauit eos ad exeundum per multa mirabilia, quæ ante fecit, vt ipsi cōfiderent in bonitate & potestate eius. *Expandit alas suas.* Quando pulli aquilæ parui sunt, & vult eos transferre de loco longinquo ad alium, ponit eos super alas suas, vt pulli volando non fatigentur, vel si aliquis sagittas ab inferiori parte miserit, recipiantur ante in alis quàm vulnerent pullos, ita Deus dixit Israelitis Exodi decimo nono cap. vos vidistis quæ fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, id est portaui vos sine labore, sicut portant aquilæ fętus suos, vel sicut ipsæ se opponunt

vulneran-

D

E

F

De duplici liberatione Iudæorū.

C *Quis fuit primus inuentor dolorū. & vbi.*

Litera expositio penes liberationem corporalem.

A

vulnerandas, ne vulnerentur pulli: ita posui ego angelum, cum nube inter vos & Ægyptios, vt nō valerent accedere ad nocendū vobis, vt patet Exo. 14. c. *Et portauit in humeris suis.* sic dicitur sup. primo ca. portauit te dominus, vt solet homo gestare paruulū filium suum. *Dominus solus Dux eius fuit.* Hoc ponitur ad demonstrandū potentiam Dei, quia nō indiguit alterius adiutorio ad faciendū hæc omnia, vel ad excludendum idololatriam, quia diceret aliquis Deus colendus est, quia eduxit nos per desertū in manu forti, sed etiam colendi sunt alij dij, quia eum adiuuerunt ad faciendum hoc: ideo dicitur quod Deus solus ductor erat, & non erat cum eo Deus alienus. *Constituit eum.* Hic ponitur septimū beneficiū scil. introductio in terram promissionis. *Constituit eum.* Id est populum Israel. *Super excelsam terram.* Id est super terrā promissionis quæ excelsior est cæteris terris: quia est in medio terræ habitabilis, & cum terra sit rotunda necesse est, quòd partes quæ declinant ad oppositas & distantes plagas mundi, scil. meridiem, aquilonē, Orientem, & Occidentem depressiores sint ex connexitate respectu lineę rectæ iacentis supra terram habitabilem plano modo, & hoc patet in linea recta iacente super quamlibet sphęram: sed respectu cœli vel centri terræ quælibet terra æqualiter alta est.

Dei potentia hic ostē ditur pro Iudæis.

Vt comederet fructus agrorum. Quia ista terra abundat in omnibus fructibus, vt patet sup. 11. cap. *Vt sugeret mel de petra.* Id est de terra petrosa: quia in mōtibus terræ promissionis inter petras sunt arbores, in quibus mellificant apes, vel quia isti Israelitæ comedere debebant omnia, quæ possederant populi terræ promissionis, & isti reconditum habebant mel in vasis de petra, de quibus illud post Israelitæ comedebant. *Oleumq; de saxo durissimo.* Quia inter saxa oliuæ multæ erant, de quibus oleum in abundantia habeatur vel ponuntur ista duo ad signandū magnam terræ vbertatē, scil. quòd tam fertilis est, quòd non solum terra bona dare fructus, sed etiā de lapidibus videretur fluere mel & oleum, & sic loquitur Esaias de temporibus Messiæ stillabunt montes dulcedinem. *Butyrum de armento, & lac de ouibus.* In istis abundat multum terra illa, quia pascualis valde est: ideo vocatur sæpe terra lacte & melle manans. *Cum adipe agnorum & arietum.* Non quòd ipsi comederent adipem, quia sub pœna mortis eis interdictus erat, vt patet Leu. 7. c. sed quia multū habebant de adipe ad sacrificia, & ponitur hoc ad laudem terræ illius. *Filiorum Basan.* Id est hominū habitantium in terra Basan: quia illa terra multū pascualis erat, quam tenebat Og qui dicebatur rex Basan, vt patet supra secundo cap. & fuit ista terra in sorte dimidiæ tribus Manasse, vt patet eodem cap. *Et hircos cum medulla tritici.* Id est cum pinguedine tritici: medulla dicitur aliquid electū, & valde sapidum in animali: ita medulla tritici dicitur triticū electum & sapidum, vel vocatur medulla tritici farina candida detracta superfluitate corticum, quæ in furfures vadit. *Et sanguinem vuæ meracissimum.* Id est vinum rubeum quod vocatur sanguis, & hoc erat meracissimum, id est purissimum, & fortissimum: & abundat in terra promissionis, vt patet Gen. 49. c. lauabit in vino stolā suam, & in sanguine vuæ palliū suum. *Incrassatus est.* Probato quod Deus colendus esset: hic subiungitur quomodo populus ab eius cultu recessurus esset. *Incrassatus est dilectus.* Id est Israel qui erat dilectus repletus fuit bonis temporalibus. *Et recalcitrauit.* Nolendo obedire legi Dei. *Impinguatus.* Dicitur qui carne cutem repletā habet, vt nulla cutis vacuitas, vel rugatio videatur. *Dilatatus.* dicitur cui ex superabūdanti pinguedine cutis distenditur: ne super debitam dispositionē membrorum promineat quædam inepta grossities simile aliquid habens eis, qui inflati sunt, & signant ista superabundantiam pecuniarū, possessionum, & corporearum delectationū. *Vnde incrassatus est.* Delitijs. *impinguatus est.* Diuitijs. *Dilatatus est.* Honoribus. Ista solent homines extra rationis metas efferendo multis malis implicare. *Dereliquit Deum.* Conuertendo se ad cultū dolorum. *Factorem suum.* Id est quē colere debebat, quia creauit eum. *Et recessit à Deo* Non impendendo ei debitum cultum. *Salutari suo.* Id est qui saluauit & liberauit eum ab omni malo. *Prouocauerunt eum.* Scilicet ad iram ad puniendum eos. *In dijs alienis.* Id est colendo Deos alienos. *Et in abominationibus suis.* Id est, in quibusdam peccatis horribilibus quæ faciebant ad cultum idolorum, vt immolare filios, & facere maximas turpitudines in sacris Priapi, de quibus supra

B

Medulla tritici quid sit

C

decimo octauo capit. *Immolauerunt dæmonijs.* Quia eos colebant apparentes in quibusdam effigiebus, & aliquando eis ad quæsita respondentes, & ita colebant Ægytij Apin, qui in forma candidissimi tauri apparebat quolibet anno semel. *Et non Deo.* Et hoc maius peccatum est, & maximum, immolare enim vero Deo & dæmonibus magnum peccatum est: quia id quod proprium est Dei dæmonibus datur, vt faciebant Samaritani, qui Deum timebant, sed dæmonibus immolabant, vt habetur 4. Regum. 17. capit. sed peius est dæmones colere, & Deum non colere: quia hic quod est Dei datur dæmonibus, & quod Dei est separatur ab eo, & hoc pessimū est. *Dijs quos ignorabant.* Quia nesciebant eos esse Deos per doctrinam maiorum suorum, nec per experientiam miraculorum, quæ diuinam potestatem demonstrant, cum vera sunt. *Noui recentesque venerunt.* Quia non consueuerant eos colere patres eorum, sed ipsi nouiter adinuenerunt eos, & dicuntur recentes, non quia illi dij nunquam culti sint, sed quia nunquam ab ista gente culti, vnde Saturnus qui inter deos antiquissimus est, vt patet Metamorph. libro primo, & sæpe per Augustinum de ciuit. Dei, & Lactantium de natura deorum lib. 1. si à Iudæis aliquo tempore incœptus fuerat coli, diceretur Deus recens.

D

Deum qui te genuit. Id est qui creauit te, vel qui animam corpori tuo infudit, vel patri tuo vim generatiuam tribuit. *Et oblitus es domini.* In genere ingratitudinis nullum peius vitium est quàm beneficiorum obliuisci, quòd faciebant idolatræ Iudæi non reducentes ad memoriam tanta Dei beneficia propter quæ in infinitum regratiari deberent. *Vidit dominus.* Hic ponitur tertium, in quo monstratur Deus in iudicio iustus: & continet tria. Primum punitionis vel comminationis materia. Secundum dilationis causa ibi. *Dixi vbi sunt.* Tertium punitionis forma ibi. *Nonne hæc condita. Vidit dominus.* Iniquitates istorum circa cultum idolorum. *Et ad iracundiam concitatus est.* Id est ad punitionem in qua videtur iracundus: licet non sit: sed solum iustus est. *Prouocauerunt eum filij sui & filiæ.* Id est Israelitæ, qui erant specialiter filij sui, & hoc detestabilius est, quia quando illi quos Deus non susceperit in singularē custodiam, nec eos dotat singularibus donis, Deum offendunt per idololatriam: licet peccatū sit tamen non ita graue, sicut cum illi offendūt qui dilecti eius vocantur: ideo Deus in solos Iudæos irascebatur, cum idola colebant: non autem in gentiles, vt diximus supra 6. cap. *Et ait abscondam faciem meam.* Prima pœna est subtractio diuini auxilij. *Et considerabo nouissima eorum.* Id est dissimulans me nō videre, considerabo nouissima eorum, id est quem finem & fructum acquirent de idololatria sua.

E

Prima pœna est subtractio diuini auxilij.

Generatio enim peruersa est. Subditur ratio pœnæ: quia generatio peruersa est, id est gens malæ voluntatis. *Et infideles filij.* Id est ipsi sunt filij mei infideles mihi, quia non seruant pactum quod cum eis pepigi: & dicuntur hic infideles filij non per negationem fidei, sed fidelitatis. *Ipsi me prouocauerunt.* Id est me offenderunt. *In eo qui non erat Deus.* Id est colendo eum qui non erat Deus. *Et irritauerunt.* Id est ad iram prouocauerunt. Vnde versus Ebrardi.

F

Irritat adnihilat irritat prouocat iras.

In vanitatibus suis. Id est in idololatria. Vanū dicitur, quòd nihil est, qui autem idola colunt nihil colunt: quia idolum nihil est, vt habetur prima ad Cor. 8. cap. vel vanum dicitur quod nō consequitur finem suum, & tunc omnia opera mala vana dicuntur, quia non consequuntur finem suum: quia omnium mortalium cura quos diuersorum studiorū labor exagitat, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum beatitudinis terminum nititur peruenire, vt ait Boetius de consola. libro tertio prosa 2. Hunc tamen finem per mala opera attingere impossibile est: quia ad fœlicitatem probra non veniunt, vt patet 4. de consola prosa 2. *Et ego prouocabo eos.* Id est ad pœnam & mærorem deducam. *In eo qui non est populus.* Id est inducendo super eos persecutores gentiles, qui non sunt populus meus, vt sicut ipsi me irritauerunt in eo qui non erat Deus eorum, ita ego eos in eo qui non est populus meus. *Vel in eo qui non est populus.* Id est inducam super eos gentē vilem, & despectam, quæ non habet nomen populi: & hæc dominabitur eorum: quia quando Israelitæ colebant idola, quicunque princeps gentilis veniret super eos, etiam si esset paruæ potestatis deprimebat eos.

A

Et in gente ſtulta. Hoc erat magnum dedecus Iſraelitarum quod gens ſtulta dominaretur eorum. Aliter poteſt intelligi. *Ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus.* Id eſt ſicut ipſi irritauerunt me prouocantes ad iram in eo qui non erat Deus, id eſt facientes de me vel cõtra me tanquàm nõ eſſem Deus eorum: ita ego prouocabo eos ad tormenta & pœnas deducens in eo, qui non eſt populus, id eſt tanquàm non ſit populus meus, quaſi dicat, ſed eſſent ipſi populus meus, & ego non deberem ſic punire ipſos: tamen quia me prouocauerunt, ego puniam eos tanquam non eſſet populus meus.

Et in gente ſtulta irritabo eos. Id eſt ita eos prouocabo ad pœnam vel ad deriſum, ſicut prouocantur homines ſtulti. Si enim contingat aliquando puniri ex aliqua cauſa viros nobiles & prudentes, puniuntur quibuſdam pœnis non multũ dehoneſtantibus: ſtulti autem pœnas vilipenſionis magnæ ſuſcipiunt. Iudæis igitur ſic accidebat, quòd quando peccabant, & aliquæ gentes veniebant ſuper eos, faciebant multa ludibria & opprobria, ita vt homines canos & reuerendos tanquam paruulos exprobrarent, vt patet ſupra 28. cap. cum dicitur, adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo de extremis finibus terræ, gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, & non miſereatur paruuli: & ſic fecerunt Romani multa ludibria in Iudæos, quando capta Hieruſalem eos tenuerunt. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo.* Id eſt in ira mea

B

exarſit cõtra eos magna vindicta quę ſignatur nomine ignis.

Et ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Facit comparationem de magno igne corporeo, qui terram comburit & incinerat: quia ſic punitio magna Dei totum hominem eradicat.

An iſtud intelligatur de pœna inferni, quod dicitur in cantico Moyſis ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

Qvæstio V.

Aliqvi volunt intelligere hoc de pœna inferni, quæ vltimate dabitur non conuerſis: ſed non conuenit literæ ſequenti quæ de temporali loquitur: non poteſt enim vllo modo intelligi hoc de pœna inferni, aut aliqua alia data impijs, quæ incipiat in eis pœnã inferni: quod dico propter pœnam quæ erit in conflagratione ante iudicium. Nam vt ait beatus Petrus in canonica ſua ſecunda cap. 3. Ignis adueniet ante iudicium cum dicitur: cœli autem & terra eodem verbo repoſiti ſunt igni reſeruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. Adueniet autem dies Domini ſicut fur in qua cœli magno impetu tranſibũt, & elementa vero calore ſoluentur: terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur, ſic patet Pſal. 49. cum de iudicio finali agatur dicitur, manifeſtè veniet Deus noſter non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, in circuitu eius tempeſtas valida, ꝙ autẽ intelligatur hoc de iudicio patet per id quod in ſequenti verſu habetur, ſcil. aduocauit cœlum de ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum, id eſt, quòd cœlum & terra dabunt teſtimonia de bonis & malis ibi. Hæc igitur generalis mundi conflagratio, in qua elementa calore ſoluentur, bonis erit quaſi quidam ſopor gratus prouocans ad quietem. Malis autem erit principium horrendi iudicij, atque intolerabilis anguſtiæ: ſicut dicebatur in epiſtola beati Petri, ſcil. quòd cœlum, & terra repoſiti ſunt igni reſeruati in die iudicij, & perditionis impiorum. Non enim de hac anguſtia malorum in igne poteſt intelligi hoc: quia ideo de illa diceret aliquis intelligendum fore: quia de illo poterat exponi ſic ad literam, vt iacet & non de hoc. Sed hoc non poteſt ſtare, primo quia Deus puniebat Iſraelitas quando peccabant in eum, non igitur expectaret vſq; ad illud tempus ad puniendum, ſed immediate puniret.

Item non poteſt intelligi iſta litera ſic, vt iacet de illo tempore, quia illa conflagratio magna erit, tamen non exuret totam terram, ita quòd totum elementum vertatur in cineres, nam tunc neceſſe erat omnem aquam deficere, & ſic periret aliquod elementum, quòd falſum eſt: quia non corrumpetur aliquid, ſed totus orbis in ſua ꝓfectione manebit.

Item quòd terra tantum cremaretur nõ poteſt ſtare, quia illa conflagratio non fiet ad deuaſtandum, ſed ad purgandũ & innouandum, ſicut dicitur Apoc. ca. 21. cum fieret ſermo de extremo iudicio: ecce ego noua facio omnia ſed tanta conſumptio & deuaſtatio eſt, ergo non fiet. Item non poteſt hoc intelligi de pœna inferni, quæ malis in malo finientibus infligenda eſt: quia litera ſequens ſatis declarat debere hoc intelligi de pœna temporali.

D

Item quia iſta verba repugnant tali ſententiæ, nam dicitur, quòd iſte ignis qui ſuccendetur, ardebit vſque ad inferni nouiſſima: in quo innuitur, quòd iſte ignis incipiet in ſuperficie terræ, & tantum perueniet quòd intrabit in viſcera inferni: ſed nihil tale eſt, quia quando mali in inferno puniti fuerint, non erit aliquis ignis in ſuperficie terræ conſumens eam, ſed ſolum erit ignis gehennæ inter ipſos damnatos. Dicendum igitur, quòd intelligatur iſta litera de punitione temporali, & eſt metaphora, ſcil. quod ſicut magnus ignis, quando accenditur vorat omnia, ita ſit in magna Dei indignatione, quod patet in ſequenti. *Deuorabit terram cum germine ſuo.* Id eſt ſicut magnus ignis terræ ſuperficiem comburit, & omnia gramina, & cuncta virentia, ita ira Dei omnia bona hominis cito diſperdit: vel poteſt intelligi ad literam, quia ſic dicebatur ſupra 28. cap. quòd de cœlo deſcenderet puluis & cinis ad deſiccandũ terram & virentia cuncta.

Et montium fundamenta comburet. Quia magnus ignis penetrat profunda terræ: ſic pœna à Deo inflicta mouet potentes viros. *Congregabo ſuper eos mala.* Vt non veniat vna pœna ſola: ſed multæ ad grauius affligendum. *Et complebo ſagittas meas in eis.* Id eſt mittam ſuper eos omnia mala quæ ſcripta ſunt ſup. 28. cap. donec compleantur in eis, & vocantur ſagittæ, quia improuiſis nobis aduenium ſicut ſagitta ex abrupto venit.

E

Conſumentur fame. Quia cum ſaturitate Deum non coluerunt, hæc pœna eſt de maximis pœnis, quæ infligendæ erant Iudęis pro peccato, & actualiter affligebãtur cum peccabant: de qua multa exprimuntur Leuit. 26. cap. ſcilicet, viſitabo vos in ardore & egeſtate: qui conficiat oculos veſtros &, conſumat animas veſtras: fruſtra ſeretis ſementem quæ ab hoſtibus deuorabitur, poſtquam confregero baculum panis veſtri: ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & ſupra vigeſimo octauo ca. vbi catalogus maledictionum habetur: multa facinora & horrendæ pœnæ eis in malo famis futuræ prænunciantur cum dicitur, percutiat te Dominus egeſtate, & aëre corrupto, & rubigine donec pereas: ſit cœlum quod ſupra te eſt æneum, & terra quam calcas ferrea, det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem de cœlo: deſcendat ſuper te cinis donec conteraris: & poſtea obſideberis intra portas tuas in omni terra, quam Dominus Deus dabit tibi: & comedes fructum ventris tui, & carnes filiorum atque filiarum tuarum in anguſtia & vaſtitate, qua opprimet te hoſtis tuus: homo delicatus & luxurioſus valde inuidebit fratri ſuo, & vxori, quæ cubat in ſinu ſuo, ne det eis de carnibus filiorũ ſuorũ, quos comedet: quia nihil habeat in obſidione aliud, & penuria, qua vaſtauerint te inimici tui, tenera mulier & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem, & teneritudinem mentis nimiam, inuidit viro ſuo qui cubat in ſinu eius, ſuper filij & filiæ carnibus, & illuuie ſecundinarum, quæ egrediuntur de medio fœminum eius, & ſuper liberis qui eadem hora nati ſunt: comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obſidione & vaſtitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

Maxima pœna qua pro peccato Iudæis erat infligẽda.

C

F

Deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. Inducuntur hic multę creaturæ pugnantes contra peccatores: quia armabit creaturam in vltionem inimicorum, & pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos Sapien. 5. cap. vt qui cunctis ſibi ſeruientibus Deo ſubiectus eſſe noluit, omnia ſibi ſentiat eſſerata: & fiet vt aues quæ viuos homines continre non audebant, diuina diſpoſitione eos ad interitum proſequantur.

Morſu amariſſimo. Quia per plures morſus eos diutine lacerabunt vſque ad mortem. *Deſtes beſtiarum.* Quia mittebat Dominus leones, & vrſos de ſylua, lupos, & alias feras quæ lacerarent eos, vt patet de duobus vrſis, qui lacerauerunt quadragintaduos pueros, quia illudebant Heliſeo dicentes aſcende calue, vt habetur 4. Regum 2. cap. *Cum furore trahentium ſuper terram.* Id eſt prouocando contra eos animalia, quę toto corpore per terram reptant, & trahuntur venenum dilatando, & conſtringendo.

Atque ſerpentum. Idem eſt, ſed ponuntur propter differre

per

A per magnum,& paruum: vt trahentia ſuper terram ſint colubri,viperæ,reguli,lacertæ,& ſimilia. ſerpentes vocentur magna reptilia,vt aſpides, & boas anguis, qui ita magnus eſt, vt boues integros deuoret, vnde boas à deuoratione boum dictus eſt.de hoc Solinus in Polihiſtor. cap.de Italia.naſcitur in Calabria,quæ eſt prouincia apud Romam. *Foris.* Id eſt, ab extra, ſcilicet ab hoſtibus. *Vaſtabit eos gladius.* Deſtruendo eos & ſemen eorum. *Et intus pauor.* Quia non confidebant vitæ ſuæ in nocte,dicentes: Quis daret nobis mane? & in die dicentes, quis daret nobis noctem? vt patet ſuprà 28.cap. *Iuuenem ſimul ac virginem.* Id eſt omnes, non habita differentia ætatis, & ſexus. & ponuntur iſtæ duæ ætates quæ ſunt floridiores, ſcilicet in homine iuuentus,in muliere ætas virginalis: quia non eſt ſubiecta anguſtijs pariendi, & laboribus nutriendi. *Et lactentem.* Id eſt, puerum qui ad vbera pendet, cui etiam propter ætatis teneritudinem non miſerebuntur hoſtes. *Cum homine ſene.* Nec hunc propter canitiem reuerebuntur. *Et dixi.* Hic ponitur Deus vt proponens delere gentem illam propter iniquitates. *Et dixi.* Id eſt, propoſui eos delere, dicens: *Vbi nam ſunt.* Loquitur ad modum hominis irati quærentis hoſtem ad occidendum. *Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Delendo eos cum ſemine eorum ne maneat poſteritas. *Sed propter iram inimicorum.* Ponuntur dilationes diuinæ punitionis,& videtur Deus quantum ad hoc ſubitò mutari, ſed nullo modo mutatur in ſe. mutantur tamen iſta inferiora de

B quibus Deus aliquando loquitur, vt magis diximus ſuprà 18. cap. Scriptura cùm vult nobis declarare punitionem inflictã nobis à Deo, & quia non poſſumus eam intelligere ſecundùm modum diuinum, proponit eam per modum humanum: ideo nobis iracundiam & ſubitam mutationem aliquãdo inſinuat.

Sed propter iram inimicorum diſtuli. Quia ſi punirem eos per hoſtes tanquam miniſtros, hoſtes videntes magnalia quæ faciebant, attribuerent potentiæ ſuæ, & non darent laudem nomini meo,ſicut habetur Abacuc 1.cap.de Nabuchodonoſor gloriante, quia ſubdebat ſibi Iudæos: nec in hoc attribuebat aliquid Deo, vbi dicitur: Totum in hamo ſuo ſubleuauit,& traxit illud in ſagena ſua, & cõgregauit in rete ſuum: ſuper hoc lætabitur & exultabit: propter hoc immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius,& cibus eius electus. *Ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum.* Tollendo mihi honorem debitum,& ſibi applicando. *Manus noſtra excelſa.* Id eſt, valdè potens. *Et non Deus.* Hoc valdè malum erat. ſi enim ipſi adiuti à Deo facerent magnalia, & in hoc gloriarentur, non conſiderantes vtrùm Deus fecerit, peccatum quidem eſt: ſed maius cùm recogitauit de Deo, & negant ipſum feciſſe ſicut iſti. & ſic fecit Senacherib qui credebat ſe poſſe pugnare contra Deum Iſraël, dicens: Quòd ſicut deſtruxerat deos aliarum gentium, ita faceret de Deo Iſraël,quia non poſſet adiuuare Iudæos, vt patet quarto Re-

C gum decimooctauo cap. ſic Nabuchodonoſor qui mandauit nullum alium vocari Deum præter ſeipſum facientem mirabilia opera & victorias, vt habetur Iudith 2.capite. ideo mandabat omnes deos nationum deſtrui, vt ipſe ſolus Deus vocaretur. ſic autem Salmanaſar rex Aſſyriorum, qui tranſtulit regnum Iſraël in terram Medorum, vt patet quarto Regum decimoſeptimo capit. gloriabatur ſe potuiſſe ex virtute ſua contra omnia regna terræ, & ſubieciſſe gentes multas, vt patet Eſaiæ cap.10. cùm dicitur: Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe: in manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia,& diripiat prędam: & ponam illum in conculcationem quaſi lutum platearum: ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic æſtimabit. ſed ad conterendum erit cor eius: & ad internecionem gentium non paucarum: dicet enim, nunquid non principes mei ſi nul reges ſunt? Quomodo inuenit manus mea regna idoli,ſic & ſimulachra eorum de Hieruſalem & de Samaria: nunquid non ſicut feci Samariæ & idolis eius, ſic faciam Hieruſalem & ſimulachris eius? dixit enim in fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum: & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes, & inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem plurimorum: & ſicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui: & non fuit qui moueret pennam,aut aperiret os, & ganniret. Ecce in his omnibus magna ſuperbia regum de victoria eis à Deo ſpeciali gratia conceſſa quaſi ipſi ſoli fecerint.

Gens abſque conſilio. Loquitur de aduerſarijs ſe glorificantibus. *Abſque conſilio.* Quia nõ inquirit cauere mala quæ Deus eis infligere poſſet,non gloriarentur.

Et ſine prudentia. Id eſt,neſciens eligere ſibi bonum,quia ſi Dei bonitatem,& magnitudinem conſideraret,& quanta bona eis largiri poſſet, ei ſubijcerentur gratulantes de tanto adiutorio. Vel vocatur gens ſine conſilio & prudentia,id eſt inſcia,vel irrationalis: quoniam ſi aliquid intellectus haberent, manifeſtè cognoſcerent, quòd non fecerunt ipſi hæc, ſed Deus. *Vtinam ſaperent.* Id eſt prætcrita conſiderarent. *Et intelligerent.* Præſentia. *Et nouiſſim.. prouiderent.* Id eſt, ex hoc iudicarent circa futura. eſt ſenſus ſecundùm ſequentem literam, quòd Deus vellet, vt iſti aduerſarij Iudæorum conſiderarent, quomodo pauciſſimi de Iudæis perſequebantur multos de alijs Gentibus, quando Deum propitium habebant: & intelligerent nunc ex quo Iudæi Deum offenſum habent, pauci de ipſis multos Iudæos perſequuntur. & ex hoc prouiderent circa nouiſſima, id eſt, conſiderarent quid poſſet accidere in futuro, ſcilicet, quòd quando Iudæi Deum placatum habuerunt, & ipſi hoſtes Deum offenſum, quòd pauciſſimi de Iudæis perſequerentur omnes hoſtes, vel alij loco eorum: vt Aſſyrij gloriabantur ſe deſtruxiſſe Iſraëlitas: ideo à Chaldæis deſtructi ſunt. Chaldæi autem gloriabantur deſtruxiſſe Iudam: ideo Perſæ & Medi deleuerunt eos.

Quomodo perſequebatur vnus mille. Intelligitur de hoſtibus, ita quòd vnus de eis perſequebatur mille Iudæos, & duo de illis fugabant decem mille Iudæos. quaſi dicat, ſi ipſi intelligentiam haberent,ſatis pateret quòd hoc non faciebant ipſi: quia ſecundùm naturam impoſſibile eſt, ſed diuina virtus Iudæos puniens faciebat. Et non eſt ſic intelligendum ad literam, quòd duo fugarent decem millia, quia nunquam tale legitur in hiſtorijs ſacris: ſed ponitur numerus certus pro incerto ad ſignandam manum Dei vltricem, & non manum hoſtium.

Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos. Id eſt,ſatis patet,quòd non eſt alia cauſa quare duo de hoſtibus decem mille Iudæos fugarent: niſi quia Deus ſuus vendidit eos, id eſt quia tradidit tanquam venditos in manibus hoſtium.

Et Dominus concluſit illos. Scilicet in manu hoſtium, vt fugere non poſſent, ſed omnes caderent gladio. Vel poteſt referri ſuperiùs ad Iudæos ſic: Vtinam conſiderarent hoſtes, quomodo duo de Iudæis fugabant decem millia de hoſtibus, vt fuit in tempore Gedeonis,vt patet Iud. ca.8.& 7.quia Gedeon cum trecentis viris contra caſtra Madianitarum, Amalechitarum,& omnium Orientalium, & mortui ſunt de hoſtibus centum & viginti mille viri. Et Samſon qui ſolus erat, occidit de Philiſthin mille viros cum mandibula aſini, vt patet Iudicum 15. ca. nunc autem ſi duo de hoſtibus fugant decem millia illorum, non eſt propter aliam cauſam, niſi quia Deus eorum vendidit eos.

Non enim eſt Deus noſter, vt dij eorum. Reſpondet tacito argumento hoſtium. dicerent enim, nos fecimus hæc, & non Deus: quia non eſt veriſimile quòd Deus eorum puniret eos ſicut nec dij aliarum gentium puniunt cultores ſuos. Reſpondetur, non eſt Deus noſter vt dij eorum, quia dij eorum iniquitatem diligunt, Deus noſter iniquitatem abominatur, vt patet Pſalmo quinto: Quoniam Deus non volens iniquitatem tu es. dij eorum non puniunt malum, quia illud amant. Deus noſter punit malum, quia illud abominatur. & magis punit in nobis, quàm in alijs Gentibus, vt habetur ſecundo Machabæorum ſexto capite, non enim ſicut in alijs nationibus Deus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies venerit in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis, ita demum in nos iudicet. quia multo tempore non ſineret peccatores ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere magni beneficij indicium eſt.

Inimici noſtri ſunt iudices. Id eſt, quando Deus noſter vult punire nos,facit inimicos noſtros iudices, id eſt executores iudicij ſui, vt patet de Aſſyrijs, de Chaldæis, Romanis, & alijs Gentibus, quæ Iudæos afflixerunt quantum volebant

D

De aduerſarijs ſe glorificãtib⁹.

E

F

duplex litera expoſitio.

Saluare eſt peccatores ciò puniri.

A

pro ſuo arbitrio iudicantes. ſic Deus multoties loquitur in Prophetis, vt patet Abacuc capite primo, cùm agitur de Nabuchodonoſor puniturо Iudæos, dicitur enim: Domine in iudicium poſuiſti eum: & fortè vt corriperes fundaſti eum, id eſt poſuiſti eum ad iudicandum, ſcilicet vt ſit iudex, ſententiam contra Iudæos proferens, & executioni tradens. eodem modo dicitur de rege Aſſyriorum, quem Deus ponebat vt miniſtrum percuſſionis, ſcilicet vt ipſe loco Dei ſumeret vindictam de Iſraëlitis, & tamen excedebat. de hoc Eſaiæ 10. capite ſic dicitur: Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe: in manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi. & poſtea in eodem cap. cùm Deus inuehitur in eum increpando vocat eum virgam, dicens: Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra cõtra eum à quo trahitur? Quomodo ſi leuetur virga contra leuantem ſe, & baculus qui vtique lignum eſt: quaſi dicat, ita erant iſti reges contra Deum.

Iſraelitarum hoſtes quare eorũ iudices fiebant.

De vinea Sodomorum. Hic ponitur cauſa quare hoſtes Iſraëlitarum erant iudices eorum, ſcilicet propter graues iniquitates in quibus comparantur Sodomitis. & vocantur principes Sodomorum principes Iuda, vt patet Eſaiæ 1. cap. & dicitur de eis quòd peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt, vt habetur Eſaiæ 3. cap. & quia peccatum eſt conſummatum in tribus, ſiue in corde, ſiue ore, vel opere: ideo ponuntur hic tria, ſcilicet vinea quantum ad primum: vua, quantum ad ſecundum: vinum, quantum ad tertium. & eſt ordo inter iſta: quia ex vinea procedit vua, ex vua vinum. ſic ex peccato cordis peccatum oris, & ex peccato oris, peccatum operis.

B

De vinea Sodomorum vinea eorum. Id eſt, ſicut vinea Sodomorum fœdiſſima eſt: ita cogitatio iſtorum fœdiſſima erat. poſtquam quatuor ciuitates iſtę ſubuerſæ ſunt, vt patet ſuprà 29. cap. manſit terra illa ſterilis. & licèt ibi arbores ſunt, quæ poma aſpectui pulchra habeant, ſi tamen accipiantur in cinerem reſoluuntur, & fœtent, & fumum exhalant in teſtimonium nequitiæ eorum, vt ait Iſidorus Etymol. lib. 15. & ſic credendum eſt de alijs arboribus. de hoc Solinus in Polihiſt. cap. de Iudæa.

Mirabile de Sodoma terra.

Et de ſuburbanis Gomorræ. Suburbana dicuntur quædã ſpatia terræ extra muros ciuitatis, in illis plantantur vineæ vel arbores aliæ. & idem eſt de Gomorra, ſicut de Sodoma, quia illę quatuor ciuitatates hoc peſſimo vitio laborabant.

Vua eorum vua fellis. Multi libri habẽt felix cum x, ita quòd ſit in nominatiuo: ſed corrupti ſunt, quoniam debet hic poni genitiuus huius nominis fel.

Vua eorum. Hic ſignatur peccatum oris.

Vua fellis. Id eſt, amara vt fel: quia locutio iſtorum erat amara, id eſt amaricans corda eorum, quibus loquebantur inclinando eos ad malum: quoniam corrumpunt bonos mores eloquia mala, vt patet 1. Corinth. cap. 15. Vel amara, quia in verbis ſuis Deum ad amaritudinem iracundiæ prouocabant. ſic patet Malach. 2. ca. laborare feciſtis Deum in ſermonibus veſtris.

C

Botrus duo ſignificat.

Et botrus amariſſimus. Botrus duo ſignificat, ſcilicet racemum, & acreſtam, & vtrumque amariſſimum erat. ſi accipiatur botrus pro racemo, eſt ſenſus, quòd ſicut quælibet vua, id eſt quælibet locutio iſtorum eſt amara, ita racemus qui dicit congregationem vuarum, id eſt verborum multiplicatio amariſſima erat: quia amarum additũ amaro, amarius & amariſſimum facit.

Fel draconum vinum eorum. Hic ſignificatur peccatum operis quod ſuper alia duo amarum eſt, ſicut fel draconum cæteris amaris amarius eſt: ideo Æthiopes qui dracones comedunt, vt patet Pſalm. 103. Draco iſte quem tu formaſti ad illudendum, & dediſti eum in eſcam populis Æthiopum: primò abſtrahunt partem illam nigram in qua eſt, & cętera ſibi propinqua, & deinde ſine timore comedunt, lingua etiam amputata: quoniam iſta venenoſa ſunt, & carnes iſtæ multum proficiunt contra venenum. de hoc habetur in libro de proprietatibus rerum 18.

Quales ſint aſpides.

Venenum aſpidum inſanabile. Id eſt, ita graue eſt contra me opus eorum ſicut venenum aſpidum, quod inter omnia valdè peſſiferum eſt, ideo inſanabile, ita quòd nullum remedium ei adhiberi poteſt. ſunt enim aſpides magni ſerpentes in motu velociſſimi, vt flumina & maria tranſuolent, qui oculos aliqualiter obuerſos habent: vt ante ſe nihil videant ſed lateraliter. magis ergo auditu quàm viſu valent: & ſi quis hominum aliquem illorum occiderit, quoniam ſemper duo ſunt, ſcilicet maſculus & fœmella, ſuperſtes hominem occiſorem inſequitur, vt nullis viarum receſſibus euadere valeat: ſed etiam ſi inter multos homines ille introierit aſpis eum relictis cæteris ſolùm tenebit, & occidet, vt de proprietatibus rerum lib. 18.

D

Nonne hæc. Hic ponitur tertium, ſcilicet punitionis forma, & tanguntur duo. Primum propter tempus conceſſum ad pœnitendum neglecta punitio. Secundum hoſtium deſtructio, ibi. *Videte quòd ego ſum.*

Puniſionis forma.

Nonne hæc condita ſunt. Loquitur Iſraëlitis non conuerſis per modum hominis irati, dicens: Non putetis quòd ex eo quòd puniui vos hactenus, non ſim vltrà puniturus: quia pœnæ vobis inferendæ conſeruatæ ſunt apud me.

Nonne hæc. Id eſt, punitiones infligendæ. *Condita ſunt.* Id eſt, abſcondita ſunt, vel conſeruata. *In theſauris meis.* Id eſt, in loco ſecreto. ſicut enim theſaurus ſignatus in loco tutiſſimo ponitur, ita mala vel bona quæ certiſſimè ventura ſunt, ſed nondum ſentiuntur, in theſauris recondita eſſe dicuntur.

duplex littera expoſitio.

Aliter autem hoc intelligi poteſt, referendo ad ea quæ immediatè dicta ſunt, ſcilicet ad vineam, vuam, & vinum, & venenum. nam per illa deſignabatur culpa Iſraëlitarum in corde, voce, & opere. & quia pro omni culpa debetur pœna, vel quam homo ſibi imponat, vel quam Deus ei infligat: ideo pro his puniendi erant: quia tamen Deus puniturus erat eos, oportebat vt ſciret, pro quo eos puniturus erat. ſi ergo eueniret quòd iſta traderentur obliuioni, nõ poſſent puniri qui iſta commiſerãt. poſſent ergo dicere qui mala hæc patrauerant, Deus obliuiſcetur omnium iſtorum: ideo non inuenit aliquid quare debeat nos punire: quibus Deus reſpõdet increpans eos & dicens.

E

Nonne hæc condita ſunt. Id eſt, quomodo vos dicitis, quòd ego oblitus ſum hæc, & non puniam: nunquid non ſunt hæc condita, id eſt conſeruata apud me? Quaſi dicat, memoria iſtarum culparum veſtrarum, quæ ſignantur nomine vineæ, vuæ, & vini manet apud me: quia ego non obliuiſcor horum.

Et ſignata. Id eſt ſigillata, vel ſignis clauſa: ſicut dicitur Apocalypſis 5. cap. de libro qui habebat ſigilla ſeptem quibus clauſus erat, & nullus inuentus eſt, qui poſſet aperire librum, & ſoluere ſignacula eius, niſi agnus, vt habetur in eodem cap. & Matth. 27. cap. dicitur de ſepulchro Domini Ieſu, quòd milites ſignauerunt illud cum cuſtodibus, id eſt clauſerunt, ſicut ea quæ in theſauris ſunt, ſignata ſunt, id eſt diligenter clauſa, ne aliquis ea ſurripere valeat: ita ea quæ in ſecretiſſimo pectore altiſſimæ ſcientiæ Dei ſunt, clauſa ſunt: quia nullo modo elabi poſſunt, ideo dicuntur clauſa in theſauris Dei.

F

Mea eſt vltio. Id eſt, punitio quæ debetur pro peccatis, ad me pertinet. *Et ego retribuam eis in tempore.* Id eſt, licèt nunc non ſit tempus puniendi, ego obſeruabo tempus ad puniendum. *Vt labatur pes eorum.* Id eſt, quando venerit illud tempus puniendi, ego faciam quòd labatur pes eorum, vt ipſi in terram corruant. hoc ſignat deiectionem factam ab hoſtibus. *Iuxta eſt dies perditionis.* Comminatio de malo inferendo eſt. *Et adeſſe feſtinant tempora.* Debet accipi adeſſe pro vna parte, & tunc ſignat appropinquare, & eſt ſenſus, quòd tempora citò pertranſeunt, vt dies punitionis appropinquet. ſi autem accipiantur duæ partes, ſcilicet ad & eſſe, non ſignat ad propoſitum.

Iuxta eſt dies perditionis. Hic reſpondet ad quandam quæſtionem, vel potius deſtruit quandam falſam opinionem confidentiæ, quam haberent iſti peccantes. dicerent enim quòd licèt Deus ſit iudex iuſtus, & mala nulla impunita eſſe ſinat: & licèt omnia retineat in theſauris ſuis, ita quòd nullius obliuiſcatur, tamen valdè miſericors eſt, ideo differet punitionem ſuam vſque in finem, ita quòd nullo modo puniat nunc: ſed, ſicut dicitur Eſaiæ trigeſimo capite, ideo expectat vos Deus, vt miſereatur veſtri. ad hæc reſpondebit Deus, quòd non eſt ſic, ſed immediatè puniet: quia iuxta eſt dies perditionis, id eſt ſatis in promptu eſt, vt veniat eis dies interitus, & repentina calamitas. Vocatur dies perditionis, in

A qua Deo ſpecialiter operante, aut hoſtibus incurſantibus, totaliter interibunt: nam Deus non tardat malis mala infligere, licèt nobis qui interiorum inexperti ſola deceptoria exteriora iudicantes tardare videatur, & interdum nimis feſtinare: ipſe tamen quàm citò oportet malis mala diſtribuit, & hoc valdè velociter eſt, vt patet ſuprà ſeptimo capite, cùm dicitur: Et reddens odientibus ſe ſtatim, ita vt diſperdat eos: & vltrà non differat protinus eis reſtituens quod merentur. his igitur qui mala perpetrarunt, ex quibus mala infligi promerentur, quantumcunque differatur, punitio tamen in promptu eſt: quia iuxta eſt dies perditionis, id eſt dies in qua deſtruentur.

Et adeſſe feſtinant tempora. Id eſt, tempora in quibus fieri debet punitio, feſtinant vt adſint, ſcilicet quòd velociter veniunt. nec tamen intelligitur quòd velociter veniant, id eſt quòd aliqua tempora cæteris paribus magis feſtinent, quàm alia. nam motus cœli in quo fundatur tempus, vt ait Ariſtot. in 4. Phyſic. eſt vniformis. & cùm tempus ſit numerus motus ſecundùm prius, & poſterius, vt patet in 4. Phyſic. per Ariſtotelem neceſſe eſt ſecundùm velocitatẽ & tarditatem eorum; fieri velocitatem aut tarditatem in tempore, quod ponebatur vt paſſio motus. ſed motus cœli eſt velociſſimus, & non datur in eo magis tardum, & minus tardum: ideo nec dari oportet tempora magis aut minus accelerari.

Iudicabit Dominus. Id eſt puniet populum ſuum Iſraël. *Et in*
B *ſeruis ſuis miſerebitur.* Quia licèt puniat, non tamen puniet vſque in finem: ſed adijciet miſereri, quòd ſerui eius & populus eius ſunt.

Videbit quòd infirmata. Subditur cauſa miſerationis, quando enim homines magni vident aliquos, qui offenderunt eos, deficere, miſerentur eorum. ſic Deus videns quòd bellatores Iudæorum qui vocantur manus, quia ſicut manus omnium organorum organum eſt, quia omnibus ſeruit: ſic viri bellatores pro tota ciuitate morti ſe exponunt.

Clauſi quoque defecerint. Id eſt, illi qui erant in fortalicijs defecerunt fame, vel poſt ab hoſtibus capti. deſcribitur enim tribulatio Iudæorum ad modum ciuitatis, quæ ab hoſtibus obſidetur, in qua primò defendentes muros laſſantur, & moriuntur: deinde capta ciuitate illi, qui in fortibus caſtris, & turribus inexpugnabilibus manent, fame & ſiti pereunt.

Reſiduiq; conſumpti ſunt. Id eſt non ſolùm bellatores, & qui in caſtris ſe tuentur capiuntur & pereunt, ſed etiã reliqui qui non erant bellatores.

Vbi ſunt dij eorum. Hic ponitur hoſtium ſubſannatio contra Iudæos & Deum ſuum. *Vbi ſunt dij eorum.* Loquuntur illi Gentiles ad modum ſuum: quia ipſi multos deos habebant, ita dicebant Iudæos multos deos habere.

In quibus habebant fiduciam. Gentiles, licèt idola colerent, tamen non habebant fiduciam in eis ad pugnam: quia vide-
C bant quòd raro vel nunquam eos adiuuabant, & quia Iudæi magnam fiduciam habebant in Deo ſuo, ideo Gentiles ſubſannabant eos, vt legati Senacherib regis Aſſyriorum ſubſannabant dicentes Iudæis, quòd non haberent fiduciam ſuper Deum vt liberaret eos, quia non potuerunt alij dij Gentium liberare terram ſuam de manu regis Aſſyriorum. vbi eſt Deus Emath & Arphath? vbi eſt Deus Sepharnaim? nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? de hoc 4. Regũ 18. cap.

De quorum victimis comedebant adipes. Iudæi non comedebant adipes, nec de victimis, nec etiam de animalibus nõ ſacrificatis Deo, vt patet Leuit. 3. & 7. ca. omnis adeps Domini erit iure perpetuo: nec ſanguinẽ nec adipem omnino comedetis. ſed dicebant hoc Gentiles, quia ipſi comedebant adipes in ſacrificio deorum ſuorum.

Et bibebant vinum libaminum. Id eſt libamentorum: dicitur vinum quod miſcebatur in ſacrificio, quia cum quolibet animali immolato dabatur determinata pars ſimilæ, & illa cõſpergebatur certa menſura olei, & vini, vt datur regula Numer. 55. cap. & 28. & de hoc vino non licebat eis viuere, ſed totum in ſacrificio fundebatur: Gentiles autem in ſacrificijs deorum ſuorum vinum libaminum bibebant: & ſic putabãt ipſi quòd facerent Iudæi.

Surgant. Modus irriſorius eſt, volens Deum Hebræorum iacere vel dormire, ſicut Helias irridebat deos Gentilium, ſcilicet Baal, vt patet 3. Regum 18. cap. dicens: Clamate voce maiore: Deus enim veſter aut loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere. D

Et opitulentur. Id eſt, adiuuent. *Videte quòd ego.* Hic ponitur aduerſariorum deſtructio: & hoc agit ad conſolationem Iudæorum, quia conſolabantur quòd aduerſarij, qui eos malo modo puniuerant, deſtruerentur: & ſic Naum prædixit deſtructionem Aſſyriorum qui Iſraël deuaſtauerãt, ſic Abacuc gloriatur prędicendo deſtructionem Babyloniorum qui Iudam captiuauerant, quia Perſæ & Medi deſtruxerunt eos totaliter, vt patet Abacuc 2. cap. & 3. & magis Daniel. cap. 5. & iſti merebantur puniri in exequendo id quod Deus mandabat, quia malo animo id agebant, ſcilicet ad laudem ſuam: & valdè excedebant in punitione, ſicut Iudæi Chriſtum occiderunt, quod Deus volebat: ſed valdè demeriti ſunt, quia malo animo agebant: ſic etiam de dæmonibus, qui miniſtri ſunt diuinæ iuſtitiæ: ſed non merentur, quia eorum praua eſt intentio. *Aduerſariorũ deſtructio.*

Videte quòd ego ſum ſolus. Reſpondet ad ſubſannationem hoſtium: quoniam illi dixerant, quòd Deus non poſſet adiuuare: hic dicit Deus quòd ipſe eſt ſolus qui adiuuare & eripere poteſt.

Et non ſit alius præter me. Qui adiuuare poſſit vel punire. *Ego occidam.* Malefacientes. *Ego viuere faciam.* Benefacientes. *Percutiam.* Etiam eos qui boni ſunt, ſi aliquando me ad iracundiam prouocauerint: & ego ſanabo cùm ad me per pœnitentiam conuerſi fuerint. E

Non eſt qui de manu mea poſſit eruere. Id eſt, euadere: quia quocunque iuerit, ibi ſum: vt dicebat Dauid Pſalmo 138. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Leuabo in cœlum manum meam. Modus eſt iurandi: eleuant enim homines manus in cœlum quaſi volentes teſtificari per altiſſimum Deum.

Et dicam viuo ego in æternum. Continuatur iſta ſententia cum inferiori: & ſunt iſta verba iuramenti Dei dicentis: Viuo ego in æternum, id eſt ſicut verum eſt quòd viuo ego in æternum, ita eſt verum quòd ego reddam vltionem hoſtibus meis.

Si acuero vt fulgur gladium meum. Id eſt viuo ego: quia acuã vt fulgur gladium meum: ponitur enim ſi pro quia: gladius vindicta à Deo inflicta eſt, quod pertranſit vt fulgur, quod omnia dura frangit & diruit.

Et arripuerit iudicium manus mea. Id eſt, quòd manus arripiet iudicium, id eſt accipiet executionem iuſtitiæ. Exponebatur ſuprà quòd iſti referrentur ad Gentiles inſultantes Iudæis. Alio modo referri poteſt vt intelligatur, quòd iſta ſit inſultatio Dei facta contra Gentiles. nam Deus puniturus erat iſtos Gentiles, quia grauiter affligebant Iudæos: & in illa punitione non poterant Gentiles adiutorium habere à dijs ſuis, ſed potius ipſi Gentiles & dij eorum peribant: ſicut patet de Ægyptijs, quia Deus deleuit Ægyptios, & deos eorum deſtruxit: ſicut habetur Exodi 12. & Numer. 33. c. quòd Deus fecit iudicia in Ægyptios, & in deos eorum: quia deos comminuit, contriuit, conflauit, atque deleuit: Deus igitur dicit. *Vbi ſunt dij eorum.* Quaſi dicat, iſti faciebant malum, & colebant deos, quos volebant: & illi dij adiuturi erant eos, quando indigerent: quando ergo eos Deus deſtrueret ſciens, quia dij eorum qui nihil erant, quòd eis ſuccurrere non poſſent, ait: *Vbi ſunt dij eorum.* Quaſi dicat, quare non veniunt ad iuuandum: ſi enim hic eſſent, adiuuarent, ſed non adiuuant. ergo non ſunt hic, vbi ergo ſunt veniant, quia neceſſarij ſunt. *Duplex litera expoſitio.* F *Dij gentilũ ex duobus nõ adiuuabãt eos.*

In quibus habebant fiduciam. Quaſi dicat, iſti Gentiles facientes iſta mala, ideo audebant facere ea, quia ſecurè putabant quòd ſi aliquis vellet eos impugnare, quòd dij ſui defenderent eos: & ob hoc eis magnos honores, & ſacrificia exhibebant: ſicut fuit de Buſiri de principe Ægyptiorum, qui multa maleficia peragebat, omnes hoſpites ſuos per noctem occidens: iſte enim ſanguinem hoſpitum ſuorum occiſorum dijs complicibus ſuis, ſcelerumq; fautoribus offerebat: ſicut ait Paulus Oroſius lib. 1. de Ormeſta mundi.

A

De quorum victimis comedebant adipes. Hic insultat Gentilibus: quia dij sui non adiuuabant eos, & hoc ex duobus, scilicet ex familiaritate eorum ad deos suos, & ex mala ordinatione in colendi ritu.

Primò enim, quia videbatur valdè rationabile, quia si ipsi erant familiares deorum suorum, quòd dij sui adiuuarẽt eos: erat autem familiaritas magna inter istos & deos suos, quia isti comedebant de adipibus libaminum deorum suorum: adeps tamẽ erat aliquid quod specialiter pertinebat ad Deum in sacrificio, sed dij non adiuuabant istos. videbatur ergo valdè irrationabile quòd sic facerent.

Secundo modo insultat ex mala ordinatione colendi, scilicet, quòd ipsi comederent adipes sacrificiorum deorum suorum: nam Deus verus qui instituerat optimas leges Iudæis, & ritum colendi, decreuerat quòd adipes totaliter ad Deum pertinerent, sic enim dicitur: omnis adeps Domini erit iure perpetuo, Leuit. 3. & 7. & quòd anima quæ comederit adipem & sanguinem, moriatur: & cęremoniæ istę à Gentilibus etiam laudabantur, vt patet supra 4. cùm dicitur: Hæc est sapientia vestra, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens gens magna: nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi. erat igitur irrisibile in gentibus, quòd in sacrificijs suorũ deorum comederẽt adipes, quod erat contra leges sacratissimas.

B

Libamen quid sit

Et bibebant vinum libaminum. Eodem modo insultat quantum ad hæc, scilicet quòd bibebant vinum libaminum, id est libationum: est enim libamen, vel libatio aliquid in rebus liquidis propriè assumendo, quia deriuatur à libo, as, quod signat bibere, vel degustare, & erat vinum & oleum quæ fundebantur super carnes sacrificiorum. accipitur etiam farina quæ dicitur simila nomine libaminis, licèt non sit liquida, quia ista tria in sacrificio offerebantur, vt patet Num. 15. cap & sicut apud Iudæos lege sancitum erat: ita apud Gentiles erat, vel in lege, vel in consuetudine, quòd offerrentur libamina cum sacrificijs: & de istis libaminibus nihil pertinebat ad offerentes, vel ad sacerdotes, siue esset pro peccato, siue pro holocausto, aut in hostijs pacificis: pertinebat tamen modicum de simila, vt patet Leuit. 2. cap. quòd posita aliqua parte eius in sacrificijs, reliquum eius dabatur sacerdotibus: apud Gentiles tamen comedebant ipsi de adipibus sacrificiorum, & bibebant de vino libaminum: & non solùm faciebant hoc offerentes, sed præcipuè ipsi sacerdotes, qui comedebant ea quæ ad deos pertinebant: & quod maius his erat, non solùm comedebant de his quæ sacrificabantur dijs suis, sed etiam de his quæ apponebantur ad comedendum dijs suis: vt patet de Bel deo Babyloniorum. nam quotidie dabant ei Babylonij artabas duodecim similæ, & oues quadraginta, & amphoras vini sex, & sacerdotes intrantes per occulta Sanctuarij illius, deuorabant per singulas noctes vniuersas res has, qui postea à Daniele conuicti sunt, vt patet Daniel. 14. cap. totus autem Babyloniorum populus credebat deum fortissimum, vel hæc vniuersa per noctes singulas deuorare.

C

Surgant & opitulentur. Ista magna irrisio est: quia Gentiles putabant deos suos esse aliquid magnum, & potentes ad adiuuandum: Deus verò sciens eos impotentes esse, imò nihil omnino esse secundùm quòd dij, irridet eos dicens surgant, quasi dicat, licèt hucusq; tribularemini, nõ exaudierunt nec succurrerunt: quia dormiebant latentes: nunc autem tempus est, vt surgant, & opitulentur eis.

Et opitulentur vobis. Loquitur Gentilibus, qui ponebant fiduciam in dijs suis, quia deberent nunc adiuuare eos: opitulor dicitur ferre opem, id est adiutorium: & ita est de istis dijs, quòd deberent opem ferre.

Et in necessitate vos protegant. Quasi dicat, nunc magna necessitate vrgemini, quia ego premo vos afflictionibus: ideo in tali necessitate deberent vobis opitulari, etiamsi in alijs rebus non opitulentur, quia non sunt tantæ necessitatis.

Videte quòd ego sum solus. Posita ironica locutione, hic agitur de vera commonitione, scil. quòd suprà illusit dijs Gentilium, & ipsis Gentilibus: nunc autem dicit, quòd alij non sunt dij, sed ipse solus, & quòd nullus punire potest nisi ipse: nec possit quispiam eruere de punitione, nisi ipse, ideo dicit: *Videte quòd ego sum solus.* Id est ô Gentiles non decipiamini facientes mala sub confidentia deorum vestrorum: quia non est aliquis Deus qui vos possit eruere, aut punire nisi ego: licèt vos aliter putetis.

D

Et non sit alius Deus præter me. Id est, vos putatis esse multos deos, ideo multos colitis, sed erratis: quia nullus alius est Deus nisi ego, accipiebant autem Gentiles Deum esse summum bonum, scilicet id quo maius excogitari non potest: sicut nunc est communis conceptio animorum, ideo ei maximam potentiam attribuebant: & secundùm hoc suppositum Deus respondebat, dicens: *Et non sit alius Deus præter me.* Quasi dicat, nullus alius potest punire ad voluntatem suam, nisi ego: quia cùm Deus solus habeat maximam potentiam, & ego sum Deus, & nullus alius præter me. ergo ego solus potẽtiam punitiuam habeo.

Ego occidam. Scilicet quos voluero. *Et viuere faciam eos.* Eos qui mihi placuerint. vel ego occidam, & ego viuere faciam, id est ego habeo potestatem puniendi & remittendi.

Mors, et vita in Dei potestate sunt.

Percutiam & sanabo. Sicut est mors & vita in potestate Dei, ita percuti non ad mortem, & sanari: ideo dicitur. *Ego percutiam.* Id est, ego incipiam eos percutere dando afflictiones magnas: & ego sanabo populum meum tollendo ab eis omnem languorem, scilicet faciendo ne sit in eis languor qui est in hostibus. *Et non est qui de manu mea possit eruere.* Id est fortè aliquis qui est potẽs vir, intelliget quòd nõ punietur, quia fortè non poterit pmanere: sed ego notifico, quòd nõ est aliquis qui possit eripi de manu mea: quicunque ergo sit qui peccauerit, punietur.

E

Leuabo in cœlum manum meam. Hoc ad iuramentum pertinet. Deus enim sic signat se iurare: & non existimet aliquis quòd Deus iuraret per cœlum, tanquam per aliquid maius per quod iuraret, sed leuare manus in cœlum, est modus iurandi, & est metaphora tracta à modo humano: quia homines per maiorem suum iurant, vt patet ad Hebr. 6. cap. & extrà de iureiurando, c. & si Christus. & quia maior in cœlo est, scilicet Deus, homines iurant per cœlum, eleuando manum suam contra cœlum: Deus autem licèt non deberet isto modo iurare, quia non habebat aliquem maiorem in cœlo: tamen vt nos intelligeremus quòd iurabat, vsus fuit isto modo loquendi: sic habetur Exodi 6. cap. vbi iurauit, vel dicit se iurasse daturum terram Chanaan Israëlitis, scilicet, & scietis quòd ego sim Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob.

Litera expositio.

Et dicam viuo ego in æternam. Non est sensus quòd litera dicat, viuo ego in æternum, id est quòd Deus solùm diceret hoc, scilicet viuo ego in æternum: quia hoc nihil attinebat ad propositum, maximè cùm Deus iurare hic intenderet. Et circa talia non exprimitur modus iurandi in his verbis solis, sed continuatur ad sequentia, & est sensus.

F

Viuo ego in æternum si acuero vt fulgur gladium meum. Id est, viuo ego in æternum, quia acuam gladium meum vt fulgur: sicut enim verum est quòd ego viuo in æternum, & nullo modo morior, ita est verum quòd acuam gladium meum vt fulgur.

Viuo ego in æternum. Id est ego viuo, & vita mea indeficiens est: quia apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, vt patet Iacob. cap. 1. & Malach. 3. c. dicitur: Ego Dominus, & non mutor.

Si acuero vt fulgur gladium meum. Id est quòd acuam vt fulgur. gladius Dei vindicta ab eo inflicta est: sunt enim omnia ista secundùm metaphoram, quia Deus nec gladium, nec lãceam habet: sed sicut gladius penetrat, ita vindicta à Deo inflicta penetrat hominem.

Fulgur in motu suo est velocissimũ

Vt fulgur. Ponitur similitudo de fulgure, quia fulgur est velocissimum in motu suo: quia iaculatur à nubibus, & sicut illud velociter currit, ita pœna à Deo illata vehementer currit. Et sicut fulgur obstantia quæque findit, ita vindicta Dei aperit hominem vsque ad intima secundùm imprecationem Abacuc tertio capite, scilicet cùm loquitur de pœna infligenda: Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Et arripuerit iudicium manus mea. Id est quòd manus mea arripiet iudicium, scilicet faciet vindictam: quia hic accipitur iudicium pro ipsa iusta pœnæ inflictione, quã Deus retribue-

ret

A

ret malefacientibus: iſta litera non habet continuam expoſitionem, quia ex illo loco.

Duplex litteræ expoſitio.

Videte quòd ego ſim ſolum. Vſque huc & infra indubitate exponendum eſt de locutione Dei ad hoſtes Iudæorum, ſed illi verſus ſuperiores, ſcilicet. *Et dicent vbi ſunt.* vſque ad illum verſum. *Videte quòd ego ſim ſolus.* Poteſt dupliciter exponi, nam poteſt intelligi, quòd ſint verba inſultationis hoſtium Iudæorum directa ad ipſos Iudæos ſicut expoſitum fuit primo: aut poteſt intelligi quòd intelligatur de inſultatione Dei directa in hoſtes Iudæorum, ſicut hic expoſitum fuit ſecundo: ſed primus modus conſonantior eſt literæ, quia dicitur in principio illius literæ.

Et dicent vbi ſunt dij eorum. Ille qui inſultat eſt qui quęrit vbi ſunt dij eorum: ſed dicitur quòd iſti dicent, ergo plures ſunt, quod neceſſario ad hoſtes Iudæorum referendum eſt: & non ad Deum inſultantem, quia ibi non ſunt plures inſultantes de quibus dicatur quòd dicent.

Reddam vltionem hoſtibus meis. Id eſt de hoſtibus Iudæorum qui ſunt hoſtes mei: quia Iudęi erant populus Dei: ideo omnes qui perſequuntur eos, perſequuntur Deum. Et licet iſti à Deo permittantur Iudæos percutere, qui tamen mala intentione illud agunt intendẽtes cultum Dei deſtruere, ideo hoſtes eius directe efficiebantur: quare Deus eos punire debet. *Et his qui oderunt me retribuam.* Replicatio eiuſdem ſententiæ eſt. *Inebriabo ſagittas meas.* Hic deſcribitur magnitudo vindictæ per multitudinem occiſorum.

B

Deſcriptio magnitudinis vindictæ per occiſorum multitudinẽ.

Et gladius meus deuorabit carnes. Vindicta Dei multis modis infligitur ſecundum diuerſitatẽ pœnarum inflictarum quæ enarratur ſupra 28. cap. ideo comparatur diuerſis generibus inſtrumentorum nociuorum, ſcilicet gladio, igni, ſagittæ, & ſimilibus: dicitur gladius deuorare carnes, quia ſicut quod deuoratur totaliter conſumitur, ita gladius conſumit & deducit hominem ad non eſſe.

De cruore occiſorum. Refertur de ſuperius, ſcilicet inebriabo ſagittas meas de cruore occiſorum: quia multi erunt occiſi, & vulnerati.

Et de captiuitate nudati inimicorum capitis. Id eſt de inimicis captiuatis qui habebant caput nudatum: quia quando capiebantur, diſcooperiebantur capita eorum ad maiorem gloriam victorum, & dedecus hoſtium captorum: ſi autem aliquis capite cooperto permitteretur ambulare fiebat ei magna honoratio, ſic cum ante currum Scipionis Africani omnes Chartaginenſes captiui ad triumphũ capite diſcooperto in introitu vrbis Romę introirent, ſolus Terentius capite galeato introire permiſſus eſt: quia vir ſapiens, & eloquens erat. *Laudate gentes populum eius dicentes.* Quia felix eſt habendo talem Deum ſicut dicitur Pſal. 32. beata gens cuius Dominus Deus eius.

C

Qui ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur. Quia aliqui boni & veri cultores Dei ducebantur captiui cum alijs: vt Thobias inter decem tribus, vt patet in libro ſuo: vt Daniel & Ezechiel in Babylonem cum tribu Iuda: vt patet in 1. cap. Dan. & 1. cap. Ezech. & licet multi mali mortui fuiſſent ab hoſtibus, Deus tamen faciet vindictam ſaltem propter iſtos bonos.

Et propitius erit terræ populi ſui. Id eſt non relinquet eam deſolatam in æternum niſi ipſi obſtinati fiant: & tunc non vocantur populus Dei ſicut fuit de decem tribubus Iſrael captiuatis in æternum in terra Medorum: & de tribu Iuda captiuata per maiorem partem mundi cum tribu Beniamin, & Leuitis. *Venit ergo Moyſes.* Hic ponit tertium principale, ſcil. cantici epilogus. *Venit ergo Moyſes.* Hic eſt præpoſteratio, ſcilicet, quomodo Moyſes venit de loco ſanctuarij in quo audierat à Domino omnia verba cantici huius, vt poſtea diceret filijs Iſrael. Et ſupra ante principium cantici dictum fuit, quòd Moyſes cantauerat omnia verba cantici huius coram toto Iſrael. *Et locutus fuit omnia verba cantici huius.* Ipſe enim per ſe cecinit coram Iſrael iſtud carmen. *In auribus populi.* Id eſt totus populus audiebat quando cantabat Moyſes, ſi autem non diceretur hic & locutus fuit, ſed ſolum quòd venit Moyſes ad vniuerſum Iſrael, eſſet hic rectus ordo, & illa verba poſita ante principium huius cap. ſcilicet, locutus eſt ergo Moyſes audiente vniuerſo cœtu Iſrael verba carminis huius, ad finem vſque compleuit, eſſent anticipata. Nunc autem videtur quædam repugnantia in verbis: quia dicitur

Cantici epilogus.

ſupra antequam ponatur iſtud carmen, quòd Moyſes venit ad filios Iſrael: & eis audientibus cecinit verba carminis huius: hic autem poſtquam recitatum eſt ipſum carmen venit Moyſes ad filios Iſrael, in quo innuitur quòd ante non erat recitatum. Sed dicendum quòd vtrunque verum eſt, quia Moyſes cecinit verba carminis huius coram Iſrael, & antequam ipſe cantaret ea, Deus dixerat illi eadem ſecundum formam in qua eadem populo propoſiturus erat: & ſecundum hoc concordatur iſta litera, quia illud quod in præcedenti cap. habitum eſt in fine, ſcilicet quòd venit Moyſes & recitauit hæc verba coram populo referuntur verba huius carminis ad vicem illam qua Moyſes dixit ea populo, quia ad hoc antea venit quàm recitaret: id autem quod hic dicitur, ſcilicet quòd venit Moyſes ad populum, & narrauit ſermones iſtos, refert verba iſta ad primam narrationem, ſcilicet quam fecit Deus Moyſi: quia tunc verum eſt quòd primo iſta verba dicta ſunt, deinde Moyſes venit ad populum, & recitauit ea coram illis: & non eſt anticipatio ordinis nec contrarietatis apparentia. Si autem iſta verba quæ hic dicuntur, & ea quæ habentur in fine cap. præcedentis referantur ad idem, neceſſarium eſt, quòd ſit ordinis permutatio: & quædam apparentia contrarietatis: intelligendum eſt ergo iſto modo. *Ipſe & Ioſue filius Nun.* Non quòd Ioſue iſta verba coram populo proponeret, quia ſolus Moyſes proponebat: ſed quia dicebat quòd etiam ipſe iſta verba à Deo audierat, cum ambo ſimul ſtarent ante Dominum in oſtio tabernaculi: & ex hoc accidit, quòd quando Ioſue morti propinquus erat, annunciauit eis quòd poſt mortem ſuam peccaturi erant cõtra Dominum, vt patet Ioſue vigeſimo quarto cap. *Ponite corda veſtra.* Id eſt, ponitur magna exhortatio ad cuſtodiam legis. *Ponite corda veſtra.* Id eſt, diligenter attendite, ſcilicet, quòd non putetis eſſe hoc aliquid negligendum: quia vt infra dicitur nõ incaſſum iſtæ leges factæ ſunt: ea autem quibus cor apponimus, retinemus: ea vero quæ negligimus, obliuiſcimur. *In omnia verba.* Quia de omnibus quæ dicta ſunt contemnendum nihil eſt: quia qui in vno offendit factus eſt omnium reus, & qui vnicam de legibus iſtis contemnit, cum omnes ab eodem datæ ſint, neceſſarium eſt ipſum datorem contemnat, quod valde cauendum eſt.

D

E

F

Quæ ego teſtificor vobis. Id eſt de quibus ego do vobis teſtimonium, quòd Deus iſta vobis mandauerit: vel de quibus ego teſtimonium perhibeo vobis, quòd omnia iſta obſeruare tenemini: Moyſes namque iſta referens populo faciebat ei fidem, quòd Deus iſta mandauiſſet Iudæis vel quòd Iudæi tenerentur ea obſeruare: & hoc erat teſtificari.

Quæ ego teſtificor hodie. Scilicet, in iſta die in qua morior. *Vt mandetis ea filijs veſtris cuſtodire & facere.* Non ſolum iſti cuſtodire debebant legem Dei, ſed etiam vt filijs ſuis eam mandarent cuſtodiendam docentes eos quid facere debeant: & hoc valde magnum erat, quòd patres erudirent filios in cuſtodia legis: nam propter hoc eis à Deo multa bona dantur, & promittuntur ſicut patet de Abraham Geneſ. 18. capitu. cum dicitur ſcio enim quòd præceptur us ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.

Quæ ſcripta ſunt in libro legis huius. Non ſolum obligabantur Iſraelitæ obſeruare ea quæ mandata ſunt in monte Synai cum Deus mandaſſet illa obſeruari: ſed ſolum dicit hic Moyſes de his quæ continentur in hoc libro: quia ea quæ continentur in hoc libro ſunt aliqua ſpecialis lex, vel fœdus diſtinctum à fœdere quod pepigit in Oreb, vt patet ſupra 29. capit. in principio, & de iſtis intendebat monere: quia iſta lex nunc primum promulgabatur, & neceſſarium erat, vt acciperet fortitudinẽ in mentibus auditorum per admonitionem legiſlatoris: lex autẽ quæ in Oreb data fuerat præceſſerat per annos quadraginta fere: ideo ſatis confirmata erat in mentibus audientientium, nec oportebant de ea rurſus moneri: ſolum igitur de hac expreſſit. *Quia non incaſſum.* Id eſt in vanum. *Scripta ſunt.* Quia Deus nihil facit fruſtra cum omnia conſtituerit in certo ordine, cum quo non ſtat ſuperfluum. *Sed vt ſinguli in eo viuerent.* Ergo ex oppoſito ſi nemo ſecundum legem viueret lex inutiliter facta eſſet: quia finis legis non eſt ſcire eam, ſed operari ſecundum eam: vt ſimus

Quid ſit finis legis.

imitatores & factores verbi, & non tantum auditores, vt patet Iacob. 1. cap. in speculatiuis enim scire prodest, & operari non requiritur. In moralibus autē scire nihil prodest, nisi operemur: operari vero totaliter confert, vt patet 2. Ethic.

Quæ facientes longo perseueretis tempore. Id est si ista præcepta custoditis viuetis magno tempore: Iudæi qui adhuc rudes erant non cognoscentes vera bona existimabant magnum bonum esse vitam diuturnam: Deus igitur assentiens desiderio eorum promittit eis magnū tempus vitæ si custodiant mandata Dei: & promittuntur hic duo, scilicet vita simpliciter, & vita cum determinatione, scilicet in terra promissionis: vita simpliciter dicitur, quòd ipsi viuerent magno tempore, siue manerent illo tempore in terra promissionis, siue non: & de hoc dicitur Exodi 23. cap. numerum dierum tuorum implebo.

Secundum erat vita cum determinatione, scilicet, quòd non solum viuerent, sed etiam quòd in terra promissionis viuerent, hoc enim magnum gaudium ipsorum erat: nam si ducerentur Iudæi in captiuitatem, & ibi viuerent, illud viuere erat: tamē erat cum tristitia magna: & melius erat generoso animo mori quàm inter hostiles turbas premi durissima atq; inhonestissima seruitute: ideo ad concedendum eis perfectum gaudium prò bono opere conueniebat, vt daretur eis quod manerent magno tempore in terra promissionis.

Longo tempore perseueretis. Si Hebræi conuerterentur ad cultum idolorum mittebat Deus hostes superillos, & faciebat vt magno tempore manere non possent in terra promissionis, sed ducebantur in captiuitates: si autem mandata Dei custodirent, manebant in terra illa gaudentes: non erat aliquis qui exterreret eos. *In terra.* Scilicet Chananæorum Euæorum Iebusæorum, &c.

Ad quam Iordane transmisso ingredimini possidendam. Id est terra illa in qua manebitis mandato Dei vltra Iordanem est: & licet nunc non sitis in ea, tamen pertransito Iordane ingrediemini in eam: & loquitur hoc ad nouem tribus & dimidiam, quia duæ tribus & dimidia, scilicet Gad & Ruben, & dimidia pars Manasse acceperant possessionem ante transitum Iordanis in terra duorum regum Amorrhæorum, scilicet Og & Seon, vt patet Nume. trigesimo secundo & supra 3. & 4. capit. hoc tamen verum est de ipsis qui habitant ante Iordanē, & iam acceperant possessionē, nam si Deum vere colerent obseruantes omnia mandata eius multo tempore manerent in terra illa, quam habebant: si autem non obseruarent couertentes se ad idololatriam cito perderent terram illam ducti in captiuitate: sic enim euenit in posterum quòd inualescente nequitia regni Israel rex Assyriorū Salmanazar venit in terram illam, & duxit captiuas decem tribus Israel relictis duabus, scil. Iuda & Beniamin cum Leuitis, qui non computantur in tribum: & inter has fuerunt istæ duæ tribus & dimidia, vt patet 4. Reg. 17. c. sed fit mentio de nouem tribubus & dimidia, quæ acceptura erant possessionē vltra Iordanem: & hoc quia plures erant & digniores. Secundo quia magis oportebat certificare eos, qui non erant certi quam eos qui plus certitudinis habebant: sed illi qui iam acceperant Iordane nō transito possessionem manu Dei robusta, securiores erant, quàm illi qui transituri erant Iordanem ad possidendum terram, in qua nesciebant quantum, aut quomodo acquirerent: ideo de his solis expressit.

Locutus est Dominus. Posita exhortatione populi agitur de obitu Moysi. Et tanguntur tria. Primo Moysi mors præcipitur. Secundo ab ipso benedictio populo inducitur ibi. *Hæc est benedictio.* In principio cap. sequentis. Tertio actualiter moritur, & sepelitur infra 34. cap.

Moysi mors præcipitur.

In eadem die. Ex hoc patet, quòd in die in quo Moyses dedit istas benedictiones & exhortationes in cantico mortuus est.

Ascende in montem. Quia tunc manebat populus in Settin, quæ erat vltima mansio, vt patet Numeri trigesimo tertio cap. Et hoc in valle contra phanum Phegor, vt patet supra tertio & quarto cap. & mons erat altus: oportebat ergo ascendere.

In montem istum Abarin. Dicitur Abarin mons transeuntium. *Id est transitus in montem Nebo.* Mons Abarin longus erat in quo erat quædam pars alta, quæ vocabatur mons Nebo in quem ascendit Moyses. *Qui est in terra Moab.* Id est in descēsu terræ Moab: quia ista terra in qua tunc manebat Israel de regno regis Seon erat, vt patet supra 4. cap. licet multoties dicitur esse in campestribus Moab contra Hierico: sed poterat esse quod iste mons aliquomodo ptineret ad terrā Moab, & aliquomodo ad terrā Seon: quia erat in confinibus regnorum, sicut diximus, supra 3. cap. de monte Hermon, qui aliquo modo pertinet ad terram Seon, qui erat in confinibus regnorum sicut diximus supra 3. cap. de monte Hermon, qui aliquo modo pertinet ad terrā Seon, & aliquo modo ad Sydonios, & aliqualiter ad terrā Israel: ideo vocatur Hermon, sanir, scil. Saurion, à qualibet gente vnum nomen habens. *Et vide terram Chanaan.* Infra 34. c. dicitur quod vidit omnem illam terram, quæ vocatur terra Chanaan largo modo, non à quodam populo qui ibi habitabat iuxta mare, & fluenta Iordanis, & dicitur Chananæus vt patet Num. 13. cap. sed ad Chanaan nepote Noe, qui fuit pater istorum populorū. Et iste Chanaan fuit pater multorum populorum, qui ponuntur Gen. 10. c. quia ab illis filijs eius, qui ibi ponuntur natæ sunt gentes multæ cum omnes numerati in illo. c. sint capita gentium vt patet Gen. ca. 11. inter quas fuerunt istæ septem gentes, quæ hic numerantur, scil. in processu istorum librorum, & has tradidit Deus in manu filiorum Israel, vt igitur Deus lætificaret Moysen, ostendit ei terram Chanaan, id est terram omniū istarum septem gentium, sicut innuitur, infra 34 c. cum dicitur ostenditq; ei dominus omnem terram Galaad vsq; Dan & vniuersam Neptalim terramq; Ephraim & Manasse, & omnem terram vsque ad mare nouissimum, & australem partem ad latitudinem campi Hierico ciuitatis palmarum vsque Segor.

An Moyses de monte Nebo viderit totam terram Chanaan visione naturali.

QVÆSTIO VI.

DE ista visione dicendum est, quòd non vidit hoc Moyses naturaliter, scilicet, secundum vigorem potentiæ visiuæ, & hoc patet multipliciter.

Primo, quia dato, quòd mons Nebo super quem Moyses ascendit esset altus, tamen non erat ita altus vt omnia loca, & arbusta, quæ erant in vallibus paterent: nam non videtur alicui terrarum tanta esse altitudo, vt in distantia tanta contemplari posset quis concauitates vallium, in quibus præcipua, & delectabilior populatio est.

Secundo non poterat hoc existere, quia dato, quòd mons esset ita altus vt ad hoc sufficeret, vel forte quod terra tota esset satis plana, non posset videre Moyses ad tantam distantiam, quia species venientes à tanta distātia debiliter immutant propter magnitudinem spacij, & obiectum intermediū nebularum intermediarum, & debilitas visus non sufficeret vt immutaretur à tam parua virtute specierum immutantiū, oportebat ergo quod Deus eleuaret supernaturaliter, vel cōfortando virtutē visiuam Moysi, quòd posset sufficienter immutari à speciebus tam pauci vigoris, vel quod conferret maiorem virtutem speciebus ad immutandum nihil augendo vel confortando in virtute visiua Moysi, vel quod verius est, scil. quòd Deus præsentauerit ei species omnium locorū illius terræ, vt haberet perfectam, & distinctam cogitationē de eis, & nihil notabile maneret quod non cognosceret: est enim iste modus cōuenientior duobus modis superioribus, nam posito primo modo, scil. quòd Deus confortaret virtutem visiuam Moysi adhuc manet inconueniens, quia virtus confortata ad hoc proficit, vt possit immutari à specie modicæ actiuitatis, à qua non posset alias immutari, quantocunq; ergo virtus visiua alicuius confortetur, nunquā poterit videre nisi ea, quæ præsentantur, & quia illa quæ erant in vallibus occultissimis, non poterant peruenire ad oculos Moysi, ergo non poterat videre illa, quantumcunq; immutarentur oculi ad perfectionē, scil. quòd virtus sua esset valde magis perfecta, quam ante erat, quia species visibilis semper dirigitur per lineam rectā, ergo quia illi erant in vallibus profundissimis, nō poterant peruenire ad oculos eius, & sic non poterāt immutari, sicut si Deus perfecisset potentiā visiuam alicuius quantumcunq; vellet, & nulla species visibilis peruenire

Species visibilis semper per rectam lineam dirigitur.

A

ueniret ad eam, non posset quicquam videre, ita hic dato quod esset virtus Moysi perfecta à Deo supernaturaliter: si tamen res existentes in profundissimis vallibus non possent dirigere species, vt peruenirent ad oculos, nullo modo Moyses immutari posset nec videre, oportebat ergo dari aliquem alium modũ per quem Moyses ista videret. Si autẽ accipitur modus secundus, scil. ꝙ Deus tribuerit maiorẽ virtutẽ immutatiuã speciebus illorũ locorũ, & rerũ, vt à maiori distantia mouere possent, quã alias consueuerant mouere, adhuc non sufficit, quia illæ species immutabant fortius illam potentiam visiuam, ad quam peruenerint, quam alias immutare solebant, sed non immutabunt vllo modo potentiam visiuam ad quam non peruenerint, sed dato quod in terra Chanaan essent profundæ valles, & mons ille Nebo nõ esset ita altus, vt posset videre quispiam ex ipso omnes concauitates terræ illius, non peruenirent vllo modo species omniũ locorum ad potentiam visiuam, ergo non immutari poterit, etiam si species fortificatæ sunt in sua potentia immutatiua, necessarium igitur est vt detur aliquid per quod tollantur ista inconuenientia, vt posset Moyses videre omnem terram Chanaan sicut in littera exprimitur: istud autem pertinet ad tertium modum assignatum, quia si ponamus quod Deus creauerit species quæ peruenerint vsque ad oculos Moysi, omnium illarum rerum siue illæ species essent confortatæ,

B

in se, siue non confortatæ, siue potentia visiua esset roborata, vel non, species creatæ peruenientes ad potentiam visiuam immutarent eam, iste ergo modus assignari debet, de quo dicetur, infra 34. c. quod autem ista visio ad tantum spacium non fuerit naturaliter facta, sed supernaliter creata, vel producta innuit, infra 34. c. cum dicitur ostenditq; ei dominus omnem terram Galaad vsq; Dan: & non dicitur. *Vidit omnem terram vsq; Dan.* quasi dicat, quòd non vidit ipse per se viribus naturalibus, sed Deus ostendit ei creando aliquid supernaturale, sicut erat creare species venientes ad oculos eius de omnibus istis rebus dicendum igitur est quod ista visio non fuit naturalis. *Iungeris populis tuis.* Id est transibis ad societatem sanctorum patrum in limbo, qui dicitur sinus Abrahæ. *Sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor.* Mortuus fuit Aaron in monte Hor vt patet Num. 20. & 33. c. in pace videnti Moyse, ideo ipse desiderauit talem mortem. *Quia præuaricati estis contra me.* Quomodo enim præuaricati fuerunt diximus satis late Num. 20. cap. quomodo autem ista mors potuerit esse pœna Moysi, qui de vita misera transiuit ad meliorem statum, dictum fuit late, supra 3. cap. circa finem.

In monte Hor mortuus fuit Aaron.

Ad aquas contradictionis. Id est in quibus contradixit populus domino non confidendo in bonitate, & potestate eius. *In cades deserti Syn.* Ista est Cadesbarne, vt probauimus Nu. 32. c.

C

Et non sanctificastis me coram filijs Israel. Debuerant Moyses, & Aaron dicere lapidi, lapis mandamus tibi ex parte Dei, quòd scindaris, & des aquas abundanter isti populo, sed perturbati ex murmuratione populi incœperunt iurgari contra populum vocantes eum rebellem, & sic populus non benedixit Deum.

Econtra videbis eam. Id est ex opposito, & à remotis, sed non intrauit.

Et non ingredieris in eam, quam ego dabo filijs Israel. Hoc refertur ad terram de qua locutus fuit supra Deus, scil. vide terram Chanaan, quam ego tradam filijs Israel, nam ad hanc non fuit ingressus moyses: sed non est putandum, quòd ista terra Chanaan de qua hic dicitur sit terra Chanaan, quæ vocatur terra promissionis solum, quia extra istam terram de qua hic loquitur, erat alia terra promissionis nam terra tribuum duarum, scilicet Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, & intra ista Moyses introiuerat, nam in ista tunc erat cum esset in valle contra phanum Phegor de quo supra tertio & quarto cap. & sic dicendum est quod Moyses introiuit in terram promissionis: sed non introiuit in terram promissionis intra Iordanem, cum autem dicitur, & non ingredieris in eam non intelligitur de terra promissionis simpliciter sumendo, sed, de illa parte quæ erat, vltra Iordanem ad quam maior Israelitarum pars transitura erat, aliam autem partem denominare non curauit, quia habebat pauciores possessores.

D

Caput XXXIII.

Hæc est benedictio qua benedixit Moyses homo Dei filijs Israel ante mortem suam. Et ait. Dominus de Synai venit, & de Seyr ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan: & cum eo sanctorum millia. In dextra eius ignea lex, dilexit populos.

HÆC *est.* Postquam fuit prænunciata mors Moysi, ponitur benedictio eiusdem super quamlibet tribum populi, quia mors sanctorum patrum erat benedicere filios ante mortem, sicut patet de Iacob Gen. 49. c. Et ponuntur tria. Primo prẽmittitur præfatio. Secundo ponitur executio ibi. *Viuat Ruben.* Tertio infertur conclusio ibi. *Non est alius. Hæc est benedictio.* Iste est titulus benedictionis. Et quia moyses benedicebat istas tribus, quia erat populus Dei suscipiendo legem: ideo subditur de ipsa lege. *Dominus de Syna venit.* Id est dominus venit ad nos in Syna, quia ibi apparuit nobis dans legem. *De Seyr ortus est nobis.*

E

Vtrum Deus primo præsentauerit legem decalogi Ismaelitis, & Idumæis, & noluerint eam recipere.

Qvæstio I.

DICVNT aliqui Iudæi quod Deus primo præsentauit istam legem decalogi Idumæis, qui morabantur in mõte Seyr, qui erant de semine Isaac, & cum Deus pronunciaret mandata & accessisset ad quintum, scilicet non occides: dixerunt Idumæi nolumus istam legem, quia patri nostro dictum fuit viues in gladio, vt patet Gen. 27. c. Deinde iuit dominus ad Ismaelitas qui erant de semine Abrahę, quia Ismael erat filius Abrahæ vt patet Gen. 16. cap. & isti morabantur apud desertum Pharan, vt patet Gen. 21. cap. & proposuit eis dominus legem, & cum legisset dominus sextum mandatum, scil. non mœchaberis noluerunt, dicentes quod patri suo dictum fuerat, quod deberet nimis multiplicari, vt patet Genes. 21. cap. ideo volebant qualitercunque gignere. Cum autem isti recipere noluerunt, venit Deus proponens eis legem, & voluerunt eam cum desiderio accipientes, & secundum hoc exponunt.

F

De Seyr ortus est nobis. Id est de monte Seyr venit ad nos, in quo morantur Idumæi.

Apparuit de monte Pharan. Id est apparuit nobis in monte Synai veniens de mõte Pharan, in quo habitabant Ismaelitę. Sed ista expositio ficta est contraria sacræ scripturæ, quia sæpe in isto libro dicitur, quòd elegit Deus Iudæos præ cunctis populis terræ. Si autẽ prius voluisset dare legem Idumæis, & Ismaelitis, nõ elegisset magis Iudæos, sed magis Idumæos: & quia dicitur sup. 4. c. quòd nunquã auditum fuit à seculis, ꝙ aliqua gens audiret Deum loquentẽ sicut Iudæi, sed si Idumæi, vel Ismaelitæ fuissent à domino requisiti vtrum volebant legem, necesse erat quod Deum loquentem audirent, vel angelum eius loco, qui Deus vocatur.

Item quia vt ipsi fingunt in sua narratione Deus iuit ad Idumæos, & recitauit eis mandata, & cũ peruenisset ad mandatum quintum de non occidendo, dixerunt Idumæi quod nõ poterãt obseruare talia mandata, quia eis datũ erat quod in gladio viuerent: audita est ergo vox Dei apud istos nõ solum in quibusdã prelocutionibus ante receptionẽ preceptorum, & recitationem, sed in ipsa recitatione vsq; ad quintũ præceptum, littera tamen supra 5. c. negat à seculis Deum fuisse locutũ alicui genti: idem de Ismaelitis arguitur, nam secundũ quod ipsi confingunt, Deus dixit se velle eis dare legem, & ipsi incęperunt audire, cumque peruentum foret ad mandatum sextum non fornicaberis, dixerunt Ismaelitæ se non posse talem legem obseruare, quia vita eorum erat in coeundo ad generationẽ, vt prænotatũ est, ergo & his Deus locutus foret, & sic semper multiplicatur inconueniens. Item rationes quas assignat pro quolibet istorum vt se à lege excusarent, incõuenientes sunt, nam cum dixissent Idumæi quod in gladio eis viuendũ erat, nõ tollebatur quin possent

A

obſeruare iſtam legem de non occidendo, quia non dicitur viuere in gladio ſolum ille, qui occidit, immo non dicitur viuere in gladio ille, qui occidit, ſed ille, qui eſt, fortis in armis, & habet continuam exercitationem armorum, cuiuſmodi erat in Idumæis, qui erant viri bellicoſi.

Item dato quod ipſi occiderent homines, non ſequebatur ex hoc quod repugnabat eis mandatum iſtud, quia hic non prohibetur homicidium ſimpliciter, ſed homicidium quod iniuſte fit: poterant autem ipſi iuſte occidere alios, quia forte eſſent hoſtes ſui.

Per qd ſit prolis multiplicatio.

Item ratio quæ ponebatur ad excuſandum Iſmaelitas à ſuſceptione legis non eſt ſufficiens, ipſi intendebant multiplicationem per generationem, & iſta non repugnabat illi præcepto: quia multiplicatio non fit per adulterium, ſed etiam per legitimas nuptias, immo magis per nuptias honeſtas, quia ſi indifferenter acceſſus fieret ad quamcunq; mulierem, non ſequeretur generatio, ſicut patet in meretricibus, quæ non gignunt, ex nuptijs autem proles ſequuntur magis ergo iſta ratio magis contra eos militat quam pro eis, ſi autē hic prohiberetur ſimpliciter omnis coitus, eſſet manifeſtum quod ipſi volunt, ſcilicet, quòd iſtud præceptum repugnaret eis, ſed non eſt ſic.

B

Item neutri iſtorum rationabiliter moueri poſſent ad repugnandum receptioni præceptorum, quia præcepta decalogi ſunt naturalia, nam gentes quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, vt patet ad Rom. 2. cap. ea autem, quæ naturalia ſunt communia ſunt, non ergo haberet aliqua gens cauſam veram vel apparentem, quare deberet abijcere præcepta hæc: ſecus autem ſi eſſent præcepta iudicialia, vel cæremonialia, quæ non ſunt naturaliter determinata ad hoc vel illud, quia in his poſſent recuſare, ſed in moralibus ſcil. præceptis decalogi, quæ iſti dicunt partim recitata Iſmaelitis, & Idumæis, non poterant recuſare, ergo nunquam eis fuerunt recitata.

Item quia illa gens recipere debebat legem de qua Meſſias futurus erat, vt ſpecialiter ſanctificata eſſet, ſed de Iſraelitis venturus erat, ergo non debebat dari Iſmaelitis. Minor patet quia Gen. 21. dicitur in Iſaac vocabitur tibi ſemen, etiam non debuit dari Idumæis, quia Deus habebat eos odio, vt patet Malac. c. 1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

Nicolaus probat hoc alio modo ſcil. quòd non data fuit Iſmaelitis, nec Idumæis, quia populus iſte fuit ſpecialiter dilectus à Deo, vt patet in Abraham, quem Deus fidelem ſibi ſeparauit de idolatris, vt patet Gen. 12. c. & dedit ei circunciſionem, vt patet Geneſ. 17. capi. dedit etiam iſtis legem, vt patet Exodi 20. cap. & etiam dicitur de iſtis Pſalm. 146. non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Sed non videntur iſta multum agere, non primum quia Abraam non ſolum fuit pater Iſraelitarum, ſed etiam Iſmaelitarum, & Idumæorum, ideo quod Abraam fuerit pater niſi alia ratio intercidat, nihil erat ad differentiam Idumæorum, & Iſmaelitarum, ab Iſraelitis.

C

Nec valet ſecundum, quia circunciſio non fuit data ſpecialiter Iſraelitis, ſed Abrahæ. Et poſt eum circunciſus fuit Iſmael, vt patet Gen. 17. cap. & etiam poſt Eſau fuit circunciſus, à quo ſunt Idumæi. Si autem poſt Idumæi vel Iſmaelitæ non ſeruarent circunciſionem, hoc nihil attinet.

Nec tertium valet, quia ſi verum eſt quòd ſoli Iſraelitæ legem ſuſceperunt, tamen illi Iudæi dicunt, quòd alij requiſiti fuerunt à Deo quod reciperent eam primo. Et ſic quantum ad iſtam partem peccat per fallaciam petitionis principij, quia petit quod probare deberet.

Nec valet quartum, quia ibi dicitur, & iudicia ſua non manifeſtauit eis: quia dato quod lex fuierit propoſita Iſmaelitis, & Idumæis: tamen quia non receperunt eam, non fuerunt eis propoſita iudicia, id eſt iudicialia mandata, nec cæremonialia, quæ poſt decalogum dari debebant & ſic data fuerunt Iudæis vt patet Exodi 21. cap. ſcilicet, poſt cap. 20. in quo datus fuerat decalogus.

Secunda expoſitio litera.

Alij exponunt. *De Seyr ortus eſt nobis.* Id eſt Deus dedit nobis legem dimittens Iſmaelitas, qui erant in monte Pharan, & Idumæos qui erant in monte Seyr in idololatria ſua, & hoc fuit magnū beneficium, quia Iſmaelitæ erant filij Abrahæ, & Idumæi adhuc magis proprie, quia erant de vxore libera: quòd ergo iſti dimitterentur, & Iſraelitæ ſine aliquo merito à Deo eligerentur, maximum beneficiorum fuit, & hoc dicit dominus Malach. 1. c. dilexi vos dicit dominus, & dixiſtis in quo nos dilexiſti? nonne frater erat Eſau Iacob dicit dominus, & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui.

D

Iſta expoſitio ſatis vera eſt, ſed non conſonat multum litteræ, quia littera eadem dicit hic de Syna, Seyr, & Pharan, ſcil. venire, oriri, & apparere, qui eundem ſenſum faciunt: poteſt ergo intelligi littera tota quantum ad dationem legis, quæ fuit in monte Synai, cui aliqualiter ſunt vicini iſti montes ſcilicet Pharan, & Seyr ideo dicitur apparuiſſe Deus de montibus iſtis ſecundum replicationem ſententiæ, & patet hoc de monte Pharan: quia Num. 10. c. dicitur quod cum receſſerunt filij Iſrael de mōte Synai nubes requieuit primo in ſolitudine Pharan, vel poteſt dici quod quando Iſraelitæ mouebantur iuxta montē Seyr circuendo illū montem, vt patet ſup. 2. c. cœpit populus laboris tædere, & murmurare, quapropter immiſit dominus ſerpentes ignitos, qui cruciabant eos, & occidebant, mandauit autem dominus Moyſi facere ſerpentem æneum quem aſpicientes ſanabantur vt patet Num. 21. cap. Et in hoc apparuit eis dominus ſupernaturaliter ſanando aſpiciendo ſerpentem.

E

Nicolaus dicit quod ideo dicitur Deus apparuiſſe, vel ortus fuiſſe de monte Seyr: quia ibi in aſpectu ſerpentis demonſtrabatur myſterium Chriſti de incarnatione, & paſſione ſua, quæ figuram habuit ſerpentis, ſed non erat ſerpens id eſt videbatur natus de carne peccati, ſed non fuit, ſicut ſerpens ille non erat verus ſerpens, ſed ſolam figuram geſtabat, & dicit quod hoc myſterium fuit cognitum Moyſi, hoc licet verū ſit, tamen non agit ad propoſitū, quia hic demonſtrabat Moyſes cauſam benedictionis ſuæ, quę cognita deberet eſſe populo, alias fruſtra proponeret, quod nullo modo intelligebant, myſterium autem Chriſti ſolis prophetis diſtincte cognitum erat.

Ideo dicendū videtur vt ante diximus, & tunc eſt ſenſus.

De Seyr ortus eſt nobis. Id eſt apud montem Seyr declarauit ſe Deus aliqualiter nobis, dando nobis curationem à morſibus ſerpentum.

Apparuit de monte Pharan. Ibi etiam demonſtrauit ſe Deus Iſraelitis, quia cum mouiſſent caſtra de monte Synai, venerunt in ſolitudinem Pharan vt patet Num. 10. c. in quo loco Deus dedit coturnices per menſem integrum populo deſideranti carnes, & hoc magnum beneficium fuit: deinde cum Moyſes quæreretur, quòd non poſſet ſolus tantam populi multitudinem gubernare, miſit Deus ſpiritum ſuum in 70. ſeniores, qui ſtatim prophetauerunt illuminati à Deo, iſta duo habentur Numer. 11. capitu. & eſt ſenſus.

F

Apparuit de monte Pharan. Id eſt demonſtrauit ſe nobis in deſerto Pharan nos cibando carnibus, & iudices 70. conſtituendo.

Et cum eo ſanctorum millia. Id eſt magna multitudo angelorum aſtantium, & miniſtrantium Deo, vt patet Dan. 7. millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.

An omnes animæ Prophetarum & Rabinorum fuerint in monte Synai, & acceperunt ibi ſuas prophetias.

QVÆSTIO II.

MVLTI Iudæi exponunt iſtum paſſum de animabus prophetarum, & doctorum legis dicunt enim quod animæ omnium prophetarum fuerunt ibi cum Deo in datione legis, & acceperunt ſinguli prophetias ſua quas poſtea enunciauerunt.

Et dicunt quod ibi fuerunt omnes Rabini conditores Talmud: & à Deo illud acceperunt. Iſta multum ſunt erronea, quia ponunt animas ſimul creatas, vel ab æterno, vel in rerum primordio quod falſiſſimum eſt. Item quia dicunt q̄ tunc ſinguli prophetæ receperunt ſuas prophetias.

Sed hoc valde falſum eſt, quia de multis prophetis dicitur intelligi, anno talis regis factum eſt verbum domini ad talem prophetam, & rurſum de eodem propheta dicitur multoties, quòd diuerſis annis ſub eodem rege multa à Deo audierit.

Item non eſſet neceſſe, quòd Deus nouiter reuelaret aliquid

quid cuiquã Prophetæ, ſi à principio illa cognouit in datione legis, ſed falſum eſt, vt patet de omnibus, maximè de Daniele, qui dicit ſe incœpiſſe intelligere myſteria, ergo &c.

Item diceremus, quòd ille qui Propheta eſſet, nunquàm poſſet deficere errando circa res quas poſteà prophetaret, ſed falſum eſt, quia legimus de Nathan Propheta, à quo cùm quæreret Dauid vtrum faceret templum Domino, reſpondit omne quod eſt in corde tuo, vade, & fac, quoniam Dominus tecum eſt, deinde dicitur, quod eadem nocte apparuit Dominus Prophetæ Nathan dicens, vade & loquere ad Dauid, & mandauit quòd non ædificaret ipſe domum Domini, ſed filius, qui poſt eum regnaturus erat.

In dextera eius ignea lex. Dicitur lex ignea, quia Deus dans illam apparuit in medio ignis loquens, vt patet Exd. 19. & ſuprà 4. & 5. cap. dicitur in dextera eius, quia Deus figuratur hic vt portans legem in manu ſua ad dandum Iſrael, ſicut dicitur de Moyſe, quod portabat duas tabulas in manibus, tenens vnam in dextera, reliquam in ſiniſtra, vt patet ſuprà 9. c. & Exod. 32.

Dilexit populos. Id eſt, tribus 12. Iſrael, quia vocari poterat quælibet tribus vnus populus, immò vna tribus multos populos habebat, vt dixit Iacob de Manaſſe, quòd multiplicaretur in populos, & de Ephraim, quòd multiplicaret in gentes, vt patet Gen. 48. c.

Vel dilexit populos. Id eſt, omnes populos terræ, vt patet Sapien. 11. c. diligis Domine omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quę feciſti, & ponitur hoc ad notandum ſpecialem dilectionem ad Iſrael, quia licèt alios populos dilexerit, tamẽ ſoli Iſrael legem dedit, & mirabilia ſua demonſtrauit. *Omnes ſancti in manu illius,* id eſt, omnes ſancti ſunt cum eo, ſicut antè dixit, & cũ eo ſanctorũ millia, vel dicũtur omnes ſancti, id eſt, totus populus Iſrael, qui erat multitudo ſanctorũ, ſicut dicit Nume. 16. c. ſufficiat nobis quod omnis multitudo ſanctorũ eſt, & quod in ipſis eſt Dominus: & ſunt iſti in manu eius in gubernatione ſua, qa eos generaliter, & ſpecialiter gubernabat. *Et qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius.* Populus Hebręorũ appropinquauit pedibus Domini, quando apparuit ſuper montẽ Synai ardentem, & fumantẽ ſtante populo in valle apud montem, & ibi recepit doctrinam legis, vt patet Exo. 19. & 20. c. figuratur autem Deus hic tanquã quidam homo exiſtens ſuper montem: nã ſitus cõuenit corporibus & eis quæ ſunt aliquid in corpore, tanquàm extremitas vel continuatio corporũ ſicut ſunt puncta, ideo dicuntur ſecundùm Philoſophum puncta habere poſitionem in linea, intelligitur ergo quod Deus vel Angelus, qui erat loco eius, erat magnæ ſtaturæ, & pedes eius ſuper montem, populus autem qui erat in valle circa radices montis, dicebatur appropinquare pedibus Dei, & iſte modus loquendi habetur Exod. 24. c. quando Moyſes aſcendit in montem cum Ioſue, quia dicitur viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphirini, & quaſi cœlum cùm ſerenum eſt.

Legem præcepit nobis Moyſes. Iſta ſunt verba poſteriorum recolentiũ legem datam à Deo per Moyſen, & ponit ea Moyſes in perſona illorum. Et hoc fuit quantum ad cæremonialia, & iudicialia, quæ dicta fuerunt populo per Moyſen: decalogus autem immediatè à Deo per Angelum repręſentantem eum ſine aliquo humano miniſterio datus eſt. Et poſſunt eſſe iſta verba Moyſi loquentis de ſe ad populum tanquàm de altero, quia ipſe computabitur vnus de populo, quia obligabatur ad cuſtodiam præceptorum ſicut cæteri.

Hæreditatem Iacob. Id eſt, quod iſtam legem ſuſcepit Iſrael pro hæreditate, quia ſeruando eam hæreditarentur in terra promiſſionis, vel quia ſicut hæreditas tranſit ad poſteros iure ſucceſſionis, ita lex debebat obſeruari in æternum à tota poſteritate Iſraelitarũ, vt dicitur ſupr. 6. c. docebis ea filios tuos. *Et erit apud rectiſſimum rex,* id eſt, apud Iſrael erunt reges, vt poſteà patuit, & vocatur Iſrael rectiſſimus, quia vbi nos dicimus rectiſſimum Hebræi habent Ieſurum, & ſignificat rectũ, vel Iſrael: vel dicitur hic rex Deus, qui regnabat ſuper Iſrael regens eos, vt nullo alio rege indigerent, & hoc erat propter legem, quia cùm Deus dediſſet eis leges, ipſe erat eorum dominus & rex, ideo quando populus Iſrael petiuit regẽ, Deus dixit Samueli nõ te abiecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos, vt habetur 1. Reg. 8. c.

Congregatis principibus populi cum tribubus Iſrael, id eſt, iſta dicta fuerunt per Moyſen congregato toto Iſraeli ſcil. principibus tribuũ, & ipſis tribubus. *Viuat Ruben.* Hic ponitur ſecundum, ſcil. benedictionis executio, & ponũtur tot benedictiones, quot tribus ſunt hic, ſcil. 11. qa non benedicitur trib⁹ Simeon. Et dicunt quod ratio eſt, quia primò tractauit de venditione Ioſeph, & duriùs ſe habuit cõtra eũ quàm alij fratres, ideo Ioſeph tenuit eum in vinculis in terra Ægypti redeuntibus cæteris fratribus cũ alimentis ad patrem, vt patet Gene. 42. c. ſed alia ratio eſt potior, ſcil. quia paulò antè in eadẽ manſione vbi tunc erat Iſrael, tribus Simeon fornicata fuerat cũ Moabitis, & Madianitis, & princeps tribus illius coram toto populo hoc fecit ad iniuriam Moyſi, vt patet Num. 25. c. *Viuat Ruben.* Incipit ab iſto, quia erat primogenitus ſecundùm carnem, licèt iura primogenituræ ei ablata fuerunt, & tranſlata, partim ad Iudã, partim ad Ioſeph, de quo diximus Gen. 49 c. viuat Ruben vita naturæ *Et non moriatur.* Morte ęterna vt aliqui volunt, ſed magis videtur quòd ſit eadem ſententia repli cata ad maiorem expreſſionem, vt habet 4. Reg. 20. c. diſpone domui tuæ, qa morieris, & non viues, quod ſolùm de mor te corporis dicitur. *Et ſit paruus in numero.* Hoc dixit Moyſes conſonans dicto Iacob Gen. 49. effuſus es ſicut aqua nõ creſcas, quia maculaſti &c. in Hebræo dicitur.

Sint pauci numero mortui eius. Et poteſt reduci ad intentionem literæ noſtræ, quia ideo ſuprà dicitur. *Viuat Ruben & non moriatur.* Ideo ſequitur, ſint pauci numero mortui eius, ſcil. ne tota tribus deſtruatur. *Vel quia dicitur, ſit paruus numero.* Ideo mortui de tribu illius non poterant eſſe tot ſicut de alijs tribubus cæteris paribus: quia de paucis viuentibus non poſſunt eſſe multi mortui. *Hæc eſt benedictio Iudæ* Poſt Ruben ponitur Iudas propter dignitatem regalem tranſlatam ad illum in iuribus primogenituræ, ideo ponebatur primus in vexillis caſtrametationis, vt patet Num. 2. & 10. c. *Audi Domine vocem Iudæ,* id eſt, deprecationem, quia de eo reges venturi erant qui in bellis clamarent adiuuari à Domino. Et hoc dicitur propheticè, & nõ deprecatiuè, & eſt ſenſus: tu Domine audies vocem Iudæ te deprecantis, ſicut pater de rege Dauid, & Salomone, qui ſæpè à Domino exauditi ſuut, ſiue quantum ad bella ſiue ad alia, ſic etiam exauditus fuit Aſa rex Iuda contra Zaran æthiopem, vt patet 2. Paral. 14. c. & Ioſaphat cõtra Ammonitas, 2. Paral. 20. & Ezechias pro Sẽnacherib, 4. Reg. 19. c.

Ad populum ſuum introduc eum, id eſt, da ei robur vt intret in terram promiſſionis, quæ eſt populus ſuus, id eſt, locus in quo habitare debet, vt deſtruat hoſtes. Et patet hoc, quia ſuprà dicebatur de exauditione in bellis, & infrà etiam de bello. Nicolaus exponit de introductione ad limbum: in quo erant ſancti patres, quia de quolibet iuſto moriẽte dicit Scriptura, & appoſitus eſt ad populũ ſuum, ſed prima magis conſonat literæ: nam ſi intelligeretur de introductione ad limbum eſſet litera nugatoria, ſcilicet quòd inculcaret id quod petebat: nam nullus petit quod habet, ſed dicendo, quod limbus erat locus populi ſui innuebatur, quod ipſe erat de viris illis, & quòd ipſe eſſet cum eis, qui ibi erant: ergo non oportebat rogari pro illo, vt eſſet in populo ſuo, & ſic nõ intelligetur iſto modo.

Item ſi rogaretur vt introduceretur in limbum, quæritur an rogaretur pro ipſomet Iuda filio Iacob, an pro tota tribu eius: non eſt dicendum quòd rogaretur pro eo, quia Iudas mortuus erat iam à multis annis, de quo cùm fuiſſet vir iuſtus non dubitatur, quin ſtaret in limbo, maximè ipſe Moyſes qui erat vir Propheta, & Dei ſecretarius, non igitur rogaret vt introduceretur in limbum, & ſi fortè diceretur, quòd eſſet in inferno inferiori nõ oportebat rogari, quòd introduceretur in limbum. Si autem dicatur quod rogabatur pro tota tribu, non multum videtur, quòd rogaret magis pro tota illa tribu, quantum ad ea, quę pertinebant ad bonum ſtatum animæ quàm pro alijs, non ergo de hoc exponi debet.

Item non conſonat iſta particula literæ alicui parti literæ exponendo ſecundùm iſtum ſenſum, exponendo aũt vt ſup. exponebatur, ſcil. de introductione in terram Chanaan, quæ erat populus ſuus, id eſt, terra promiſſa ipſi, quæ introductio fiebat viribus armorum, conſonat iſta litera præcedenti, & ſubſequenti, de litera præcedenti patet, quia dicitur ſupra.

Audi Domine vocem Iudæ. Quod intelligebatur de exauditione in bellis, etiam ſecundùm ſententiam Nicolai, de litera ſequenti quòd intelligatur de armorum exercitatione

belli-

A

B

C

D

Benedictionis executio.

Benedictio Rubẽ.

E

Benedictio Iudæ.

Vera expoſitio literæ.

F

bellica ad introducēdum in terram promissionis, patet cùm dicitur.

Manus eius pugnabit pro eo. Id est, ipse fortiter pugnabit viribus manuum suarum in hostes, & adiutor illius contra aduersarios eius erit. Reducenda est ergo litera ad istam expositionem.

Manus eius pugnabunt pro eo, id est, pro se ita quod Iudas non indigebat alijs adiutoribus, qui viri fortissimi ad pugnādum erant: vel. *Pugnabunt pro eo,* id est, pro populo Israel, quia vsq; ad eleuationem regum in Israel Iudas erat princeps bellorum, vt patet Iudic. 1. vbi quæsiuit populus à Domino quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? dixit Dominus Iudas ascendet, & Iudic. 20. quando quæsiuerunt quis esset dux contra filios Beniamin in Gabaa: respondit Dominus, Iudas sit dux vester.

Et adiutor illius contra aduersarios eius erit. Est mutatio personæ, & refertur ad Deum, id est, Deus adiuuabit eum contra hostes suos. Et hoc siue ante tempora regum siue tempore regum, quia ipsi reges de Iuda erant præter Saul, qui fuit de tribu Beniamin, vt patet 1. Regum 9. cap. Rab. Salom. specialiter intelligit hoc de Iosaphat rege Iuda, qui clamauit ad Dominum voce magna, cùm ingrauaretur bellum super eū in Ramoth Galaad, vt patet 3. Reg. 22. c. & liberatus est. Sed idem dicendum est de omnibus alijs de tribu Iuda, qui clamauerunt ad Dominum. Et additur hoc de adiutorio Dei, quia dictum fuerat suprà, quod. *Manus eius pugnabunt pro eo,* id est, quod manus Iudæ erant ita fortes quod sufficiebant ad delendum hostes, nec requirebantur aliqui alij adiutores.

Occasio erroris aliquorum ex hac litera.

QVÆSTIO III.

ALIQVIS autem ex hoc acciperet occasionem errandi putans quod tantum erat robur manuū Iudæ, quòd etiam sine speciali adiutorio Dei posset delere hostes, ad quod dicitur.

Et adiutor illius contra aduersarios eius erit, id est, dato quòd viri de tribu Iuda essent fortissimi pugnatores, tamen omnia, quæ faciebāt operabantur adiuti à Deo, sic dicitur suprà 8. c. ne diceres in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterūt, sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse tibi vires præbuerit vt impleretur pactū suum, debuit igitur hoc ad declarationem superioris dicti subiungi.

Leui quoq; ait. Descripta benedictione Iudæ ponitur benedictio Leui propter dignitatē sacerdotalem, & ideo istæ duæ tribus sociatæ erant quantū ad connubia, vt magis diximus Leui. 21. c. ista ratio videtur esse satis colorata, sed nō est multum existens, quia si attendatur dignitas sacerdotalis cùm illa sit potior, quàm dignitas regalis deberet præponi, sed non præponitur: ergo non attenditur hoc: sed dicēdum est, quòd magis attendatur ordo in natiuitate: nam primus inter filios Iacob secūdùm carnem fuit Ruben, ideo primò benedictus fuit post hunc sequebatur Symeon in ordine natiuitatis, & iste consequenter benedicendus erat. Sed non fit mentio de eo in toto isto catalogo benedictionum ex causa suprà assignata: post hunc in ordine natiuitatis erat Leui, & iste præponendus erat, sed considerata dignitate tribus Iuda fuit præpositus, deinde redijt Leui vt poneretur in ordine natiuitatis suæ ante alios sequentes, & dato, quòd nulla coniunctio esset harum duarum tribuum in connubijs aut dignitas aliqua sacerdotalis in tribu Leui poneret posito Iuda ne quantum ad omnia fieret ordinis transmutatio.

Benedictio Leui.

Perfectio tua. Ista verba diriguntur ad Deum.

Perfectio tua, vitæ sanctitas. *Et doctrina tua,* id est doctrina legis. *Viro sancto,* id est, ista dedisti Moysi, qui est vir sanctus. Et erat de tribu Leui. Et dicebat ista Moyses de se tanquàm de alio humilians se. Et sic Ioannes Euangelista loquitur de seipso in suo Euangelio, cap. vltimo, in 3. persona dicens, vidit discipulum illum quem diligebat: & ipse erat ille discipulus, vel quia Moyses dicebat ista prophetice compellebatur dicere quæcunque ei Deus inspiraret, siue de se siue de alio in laudem, vel vituperium: & sic ipse scripsit ea quæ habentur Numer. 12. cap. quæ multum faciunt ad laudem Moysi. Et potest intelligi hoc de sacerdotibus, quibus datæ fuerunt laminæ aureæ in quibus erat doctrina, & veritas positæ intra rationale in pectore sacerdotis magni, vt patet Exo. 28. c. Et ista doctrina, & veritas vocantur Hebraicè tumin & vrim, id est, perfectio, & doctrina, sicut hic ponitur, vnde in Hebræo eadem verba ponuntur hic & Exo. 28. c. quomodo autem vocetur illa doctrina, & veritas super eodem c. Exod. dictū fuit latè. Alio modo potest hoc intelligi referendo eodem modo ad Deum scilicet quòd loquatur Moyses ad Deum de tota tribu Leuitica: potissimè quantum ad partem sacerdotum.

Perfectio tua & doctrina tua viro sancto. Id est, Deus tu posuisti doctrinam tuam, & perfectionem tuam in viro sancto, scil. in tribu Leuitica quæ erat sancta, & habens doctrinam Dei: de perfectione patet, quia perfectio nihil aliud est quàm gradus magnus puritatis & incontaminationis, & hoc erat in sacerdotibus præcipuè, quia tractabant ministeria Domini iuxta illud Esa. mundamini, qui fertis vasa Domini: dicitur ergo perfectio Dei viro sancto id est. *O Deus tu dedisti perfectionem tuam,* id est, perfectionem magnam in puritate vitæ quā tu diligis & obseruare iubes. *Viro sancto.* Id est, tribui Leui, in qua sunt viri sancti, quia istis iussisti specialiter vitæ puritatē.

Et doctrina tua. Id est, tu dedisti doctrinam tuam viro sancto, doctrina Dei vocatur doctrina legis, quia Deus legem dedit, ideo doctrina eius doctrina dicitur, & hanc tradidit viro sancto, quia tradidit eam dispensandam Leuitis: nam Leuitæ erant doctores legis inuigilantes circa studium eius, sic dicitur Malach. 2. c. labia sacerdotis custodient scientiam, & legem exquirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est: hæc autem doctrina non fuit commissa alicui alteri tribui, quia reliquæ occupationibus agriculturæ, & bellicis exercitationibus laborabant, solam autem Leuiticam tribū Deus ad obsequium suum specialiter elegit, & ad dispensandum doctrinam, vt patet Nume. 3. c. iste sensus est accipiendo quod litera intelligatur tota de tribu Leui, potissimè in parte sacerdotali, & sic alias partes literæ prosequi possemus: alio modo intelligi posset de Moyse scilicet.

Perfectio tua & doctrina tua viro sancto. Id est, tu dedisti perfectionem vitæ, & sinceritatē Moysi qui erat vir sanctus, quia fecit eum Deus valdè purum atq; immaculatum virum.

Et doctrina tua. Id est, Deus dedit ei doctrinam suam, id est, dedit ei legem dispensandam, & gubernandam: nam per ipsum data est, cùm enim Deus dedisset in clangore buccinarum decem præcepta super montem Synai audiente cuncto populo: dedit deinde præcepta cæremonialia, & iudicialia ipsi Moysi stante cum eo in monte, vt patet Exo. 20. ca. & suprà 5. ca. & ipse postea corā toto populo recitauit ea, vt patet Exod. 24. cap. competebat etiam Moysi quòd esset doctor legis, quia exponebat coram eis legem quando in aliquo dubitabant. Et secundùm hoc applicabitur tota sequens litera. Sed vt meliùs partes conueniant expositioni necessarium est assignare hic vnam de septem regulis Ticonij, scilicet quando fit transitus de parte ad totum, vel interdum de toto ad partem, & fit perturbatio magna pro his qui ad talia non aduertunt: nam putabit aliquis totam literæ expositionem continuam esse ita, quòd si prima pars expositionis sit de parte, quòd tota litera sit de parte, vel si principium literæ est de toto, quòd tota expositio sit de toto, secundùm istam regulam fit transitus interdum de parte ad totum, interdum de toto ad partem, ita vt vna pars literæ exponatur de toto, & alia de parte, hic autem totum est tribus Leuitica, pars sua est Moyses, vel quilibet de illa tribu: quòd ergo aliquid huius literæ exponatur de solo Moyse, & aliquid de tota tribu Leuitica est transitus de toto ad partem, vel è contrario: & necessariū est vti hac regula sæpè in expositione sacræ Scripturæ: nam aliqs contextus literæ est, qui quantum ad aliquid sui conuenienter de parte exponitur, & nō de toto, & aliqua pars illius, quæ conuenienter exponitur de parte, & nō de toto, sic autem est hic, quia quædam partes pertinent ad solum Moysen: aliæ autem pertinent ad tribum Leuiticam cùm dicitur.

Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto. Quod ad Moysen pertinet, scilicet, quod tu Deus dedisti perfectionem vitæ in puritate Moysi faciendo eum virum valdè iustum, & perfecti animi tecum.

Et doctrina tua, scilicet doctrina legis, quam dedisti ei dispensandam, & exponendam.

Quem probasti in tentatione. Hoc etiam ad partem refertur, scilicet ad Moysen, & non ad tribum Leuiticam, nam Moyses

fuit,

A

fuit,qui sæpè tentatus, & probatus est: quotiens enim populus murmurabat contra Dominum,aut tentabat eum,insurgebat contra Moysen defensantem partem Dei, & Moyses laborabat in repugnando illis,& deijciendo eos à suo proposito,& interdum disponebat se magno discrimini, scilicet ad mortem,vt patet in Raphidin quando defuit aqua, quia valdè murmurauerunt contra eum, & contra Deum. Et tunc Moyses conuersus ad Deum dixit adhuc pusillum, & lapidabit me populus iste, & sic in alijs tentationibus prouocabant animam eius ad amaritudinẽ,ita vt compelleretur ad Deum, in his autem omnibus tentatus non cessit opinioni aut desiderio peccatorum: sed veritatem inconcusso animi vigore seruauit.

Et iudicasti ad aquas contradictionis. Hoc etiam de parte intelligitur,scil.de Moyse, nam non conuenit toti tribui Leuiticę quòd iudicata fuerit ad aquas cõtradictionis:solus enim Moyses ibi iudicatus fuit,& accipitur hic iudicare,id est condemnare. nam Moyses ad aquas cõtradictionis in Cades deserti Sin siue in Cadesbarne,quod idem est excussit aquam de petra,& cùm debuisset Deum laudare,& facere ꝙ laudaretur à filijs Israël,incępit eos durè increpare,dicens:Audite rebelles,&c.Num. 20. c. ista omissio fuit ei imputata ad peccatum magnum,ideo condemnauit eum Deus ibi, non quidem ad aliquam pœnam mortis æternę,sed ne intraret in terrã Chanaan vltrà Iordanẽ.vocantur istæ aquæ contradictionis,quia ibi contradixit populus Domino tentando eum.

B

Qui dixit patri suo,& matri suæ nescio vos. Hoc refertur ad totum,scil.ad tribum Leuiticam.nam dicere patri, & matri, ꝙ nesciebat illos, fuit in occisione idololatrarũ in castris, quia tũc Moyses stans in portis castrorum, ait: Si quis Domini est iungatur mihi.& tunc cõgregati sunt ad eum omnes filij Leui: & posuit vnusquisque gladium super femur suum,& ambulantes per vicos castrorum de porta vsque ad portam occidebant omnes insignitos signo auri vituli,quod in aqua puluerem factum biberunt,& licèt essent aliqui cognati eorum, qui cædem faciebent non liberabant eos, sed omnes occidebant quantumcunq; coniunctos consanguinitate, & sic erat ac si nullo modo cognoscerent eos.

An Leuitæ occiderint patres suos & matres in vltione immolationis vituli.

QVÆSTIO IIII.

C

IN hoc dubitaret aliquis vtrùm Leuitæ,qui illam stragem fecerunt:occiderunt ibi patres suos aut matres.Et videretur quòd fecerint ex litera ista,cùm patres & matres ponat ab istis nescitos,nescire autem ad hoc propriè dicitur non curare de aliquo tanquam si esset totaliter ignotus, ergo si isti nesciuerunt patres necessarium fuit quòd quantum aliquid ipsi fecerunt de patribus suis, & matribus tanquam non cognoscerent eos, hoc autem in nullo erat nisi eos occiderent sicut cæteros idololatrantes.

Sed dicendum est ꝙ nõ occidit aliquis de istis Leuitis patrẽ suũ aut matrem:qa,vt declarauimus sup.13.c. in illo casu non licet filio occidere patrem suum aut matrem siue peccator sit siue non,nisi fortè Deus hoc expresè mandaret,& quòd certissimè constaret Deum esse eum, qui mandabat. nam tunc teneretur hoc agere, sed nunquam tale quid repertũ est,cùm igitur dicitur, quòd isti dixerunt patri, & matri nescio vos, ponitur ad exaggerandum, quia iste est modus propheticus quantum ad quendam modum,& non ponitur ad significandum veritatem,scil.quod sic esset.

Et fratribus suis ignoro illos. De hoc satis est concedendum, quòd secundùm veritatem contigerit.nam aliqui Leuitæ occiderunt fratres suos,accipiendo fratres non ex alterutro parente,sed ex altero parente, scil.ex matre, sicut declarauimus Exo.32.c. *Et nescierunt filios suos.* Quia fortè occidẽrũt aliquos de filijs suis.hoc enim verum esse potuit,quia filios licebat occidere pro crimine idololatriæ:sicut suprà 13.cap.declaratum fuit. *Hi custodierunt.* Totum ꝙ sequitur, pertinet ad totũ,scil. ad ipsam Leuiticã tribum, & nõ ad solum Moysen cũ loquatur in plurali, vt patet in applicatione. potest etiã præcedens litera aliqualiter differẽter à superiori expositione declarari. *Quem probasti in tentatione.* Id est in loco tentationis, quia sæpè multi labores accidẽrãt Moysi ex persecutione populi, vt patet in Exodo,& libro Numerorum,& in isto. *Et iudicasti ad aquas contradictionis,* scil.in Cadesbarne,vbi populus murmurauit contra Dominũ propter aquæ penuriã,vt patet Num.20. c.& cõtradixit populus Domino: dicit ibi iudicatus Moyses, qa in alijs locis Deus tentabat eũ,sed qa non peccabat nõ obligabat cũ ad aliquam pœnã, hic aũt peccauit, ideo iudicatus fuit ad pœnã non transeundi Iordanem. *Qui dixit patri suo,& matri suæ,nescio vos.* Hoc transfertur ad alios de tribu Leuitica, & isti ignoraueruut patrẽ,& matrem,&oẽs cognatos,qa multi de Leuitis recedebãt de ciuitatibus suis, de domibus patrũ suorum, & familijs,& ascendebant in locũ quem Dñs elegerat,vt ibi perpetuò Domino seruirent, vt patet de Samuele, ꝙ oblatus fuit à matre sua,vt seruiret Domino in tabernaculi officio,vt patet 1.Reg.1.sic etiã dicitur supr.18.c. de portionibus Leuitarum ascendentium ex deuotione,vt seruiant Domino in sanctuario.Vel potest intelligi de Leuitis quibus dixit Moyses, si quis est Domini iungatur mihi, & congregati fuerunt ad eum omnes filij Leui: & dixit ponat vnusquisque gladium super femur suum, & occidat fratrem suum,proximum,& amicum. Et sic fecerunt occidentes fratres,& filios, proximos,& amicos,vt patet Exo,32,c.Vtrum autem aliquis occiderit ibi patrem aut matrem non legitur expressè, sed potuit esse, quia in hoc nulla reuerentia vel paternus honor habẽdus erat,vt patet suprà 13.cap. vt aliqui volunt,vbi nulla sit differẽtia personarum quantum ad scelus idololatriæ,& dicuntur isti Leuitæ ignorare cognationem, quia ita occidebant cognatos suos quasi non cognoscẽtes eos, nec facientes differentiam cognatorum, & extraneorum. *Hi custodierunt eloquium tuum.* Conuertitur ad Deum,id est,legem tuam, quia occiderunt cognatos suos idololatrantes, sicut lex manauerat. *Et pactum tuum,* id est,legem tuam, quia eam pepigit Deus cum filijs Israel laudans Leuitas coram eo.

D

E

Iudicia tua. id est,præcepta iudicialia, quia occidere idololaranttem præceptum iudiciale erat, cùm dirigeretur ad regulationem proximi in agibilibus. *Et legem tuam ô Israel.* Replicatio sententiæ eiusdem est,quia Iacob, & Israel sunt idem & iudicia, & lex. Sed Rab.Salom.dicit, quòd Leuitæ custodierunt pactum de circunciſione,quia ipsi circunciderunt filios suos natos in deserto,& non aliæ tribus. Sed hoc contrarium est ei quod habetur Iosue 5.ca. scilicet, quod populus, qui in deserto natus fuerat per 40. annos incircuncisus erat:nec valet si dicas, quod solùm intelligitur de alijs tribubus,quia infrà ponitur vniuersaliter: nec aliquis eos circunciderat,id est nullus:ergo nec Leuitæ, & deinde subdit,quod postquàm omnes circuncisi sunt, manserunt in castris: nullus ergo in deserto circuncisus est, & ista est positio communis omnium catholicorum doctorum.

F

Ponent thimiama in furore tuo, id est,ad auertendũ furorem Domini à populo, quia cùm aliqua persona vel totus populus peccaret per ignorantiam, vel negligentiam, oblato pro eis sacrificio cum thimiamate auferebatur furor Domini à populo,vt patet Leuit.3.& 4.c.& Nume.15.Hebræi dicunt.

Beaf duo significat.

Ponent thimiama in naribus tuis. Et ratio diuersitatis est,quia vbi nos dicimus,in furore habent Hebræi beaf quod significat duo:qa affignificat narem in singulari,vel furorẽ,quia furor in naribus anhelantibus demõstratur. Et secundùm literam Hebraicã est sensus quòd Leuitæ ponerent thimiama in naribus Dei,id est,valdè redolẽs Deo,qa de istis sacrificijs sępissimè dicit holocaustũ odoris suauissimi Domino, vt patet Leui.1.c.& sic pingitur Deus quasi nares habens quibus odorem sacrificiorũ recipiat. *Et holocaustum super altare tuum,* id est super altare holocaustorum, quod erat in atrio tabernaculi: thimiama autem ponebatur super altare aureum,quod erat ante tabernaculum intra sancta Sanctorum.Et intelliguntur omnia alia sacerdotalia, & Leuitarum officia, de quibus per totum Leuiticum,& multotiens in libro Numerorum.

Benedic Domine fortitudinem eius. Hoc intelligitur de Machabæis,qui fuerunt de genere Leui, & de sacerdotibus magnis, vt patet 1.Machab.2.c.& vlt.isti enim fecerunt opera mirabilia contra aduersarios legis, & pro ea mortui sunt,de quibus in duobus libris Machabęorum,ideo Moyses cognoscens eos in spiritu prophetico orat pro eis. *Benedic Domine fortitudinem eius,* id est,multiplica ad resistendũ hostibus, & inuadendum. *Et opera manuum eius suscipe,* id est bella quæ contra hostes gesserunt sint accepta vniuersalia tibi.

A

Percute dorsa inimicorum eius, id est, omnes hostes, qui persequebantur eos, vt compellas eos in fugam, & vertant terga Machabæis, quæ ipsi percutiant. *Et qui oderunt eos non consurgant*, id est, non roborentur hostes eorum contra eos.

Benedictio Beniamin.

Et Beniamin ait. Posita benedictione Leui describitur benedictio Beniamin, quia in tribu Bẽiamin erat locus, in quo sacerdotes, & Leuitę ministrare deberent, scil. in Hierusalem, quæ erant in sorte Benamin, vt habetur Iosue 18.c. *Amantissimus Domini.* Tribus Beniamin erat valdè dilecta à Deo, quod patet, quia primus rex Israel electus à Deo fuit Saul, qui erat de Beniamin, vt habetur 1.Reg.9.c. & permansisset potestas regia in illa tribu, nisi Saul feciſſet contra præceptũ Dei, vt habetur 1.Reg.13.c. Et dilexit etiam, quia in sorte sua elegit sibi tabernaculum, secundùm illud, elegi Hierusalem vt sit nomen meum in ea. Sic etiam Iacob dilexit valdè Beniamin, quia in senectute sua genuit eum, vt patet Gen.44.c.

Habitabit confidenter habens Deum in habitaculo suo. Quia in eorum sorte erat tabernaculũ, in quo confidebant, vel dicuntur habitare confidenter, id est sine timore, qa fortissimi bellatores erant, vt patet Iud.20.c. pugnauerũt enim contra vndecim tribus, & bis deuicerũt eas: & ita certissimi fundibularij erant, vt capillũ quoq; raperent: & ita manu sinistra sicut dextra pugnabant: sed prima expositio cõcordat magis inferiori literæ. *Quasi in thalamo tota die morabitur*, id est, in templo quod vocatur thalamus ad notandum requiem contemplationis, & vacationem ab alijs curis. *Inter humeros eius requiescet*, id est, Deus in templo requiesceret in humeris Beniamin, quia

B

mons Syon, qui erat intra Hierusalẽ erat locus templi, sed nõ erat templum in altiori parte montis, sed quasi in medio descensu montis in planicie quadam, quæ se habet respectu altissimæ partis illius montis, & partes infimas sicut humeri in corpore humano, vel dicitur inter humeros respondẽdo superiori sententię, id est, inter brachia in amplexibus, qa quiescentes in thalamo contẽplationis tota die voluuntur in amplexibus creatoris. *Benedictio Ioseph.*

Ioseph quoq;. Dicta benedictione Beniamin ponitur benedictio Ioseph, quia sicut in Hierusalem, quæ est in sorte Beniamin stetit magno tempore tabernaculũ, scil. à tempore Salomonis vsq; ad captiuitatem Iudæorum per Romanos: ita in tribu Ioseph stetit tabernaculum, scil. in Sylo in sorte Ephraim, vt patet Psal.77. & Iosue 18.c. Itẽ quia Ioseph, & Beniamin fratres vterini fuerunt, vt patet Gen.30. & 45.c. scil. filij Rachel, & quia Ioseph multum fuit dilectus à patre suo sicut Beniamin, vt patet Gen.37. Item quia iura primogenituræ susceperit quantum ad duas partes hæreditatis, & insuper partem agri Sichen, vt patet Gen.48.c. Et non benedicuntur hic tribus Manasse & Ephraim per se, sed Ioseph pro filijs suis, quia non accipiuntur secundùm partem hæreditatum, sed secundùm personas, patet quia Leui, qui nõ accepit possessionem inter fratres suos, vocatur hic tribus, Ioseph cùm vna persona fuerit, solùm vnam benedictionem habuit, licèt duas sortes acceperit, vt patet Gen.48.c.

C

De benedictione Domini Dei terra eius, id est, terra Ioseph erat benedicta à Domino, quia multum fertilis erat in vtraq; sorte, scil. in sorte Manasse & Ephraim. *De pomis cœli*, id est, de fructibus genitis ex virtute cœli, quia ex influentia corporum cœlestium, & luminarium generantur omnia quęcunq; sunt in terra siue animata siue inanimata.

Ros ex quibus sit.

Rore atq; abysso subiacente, id est, de virtute roris & aquarum abyssi fœcundatur terra ad gignendum, & conseruãtur fructus nc calore deficcante pereant. Ros aũt est de abysso, id est de terra & aqua, quia calore Solis existentis super nostrũ hemisphæriũ resoluũtur aliquæ exhalationes, quæ in nocte infrigidatæ, & in guttas cõdensatæ cadũt super herbas: fiunt etiam pluuiæ de exhalationib⁹ eleuatis altiùs, qñ fuerint in maiori quantitate, & cadentes terram inebriant & fœcundant.

De pomis fructuum Solis ac Lunæ. Eadem sententia est, quæ superior, sed ponitur ad maiorem expressionem. Notandum, quòd licèt corpora cœlestia influant verisimiliter in generando ista inferiora: tamen Sol & Luna specialiter influũt, Luna propter magnã humiditatem influit, Sol aũt propter magnã caliditatem, & motũ: ideo de Sole dicitur, quòd Sol & homo generãt hominẽ, & quod Luna est mater omniũ humidorũ.

De vertice antiquorum mont.um, id est, terra Ioseph de vertice mõtium antiquorum, id est, quia montes habebat in quibus fructus citiùs maturantur, ideo magis diliguntur.

De pomis collium æternorum, id est de fructib⁹ qui nascuntur in montibus æternis, id est fortissimis ad durandum in æternum. Et hoc videtur quod dicit Gen.49. donec veniret desiderium collium æternorum, id est, donec possideret semen eius montes æternos. i. montes fortes & fructiferos, qui fuerunt in duabus sortibus eius. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo*, id est qui apparuit Moysi, vt flãma ardens, & non consumens. Ille, qui apparuit Moysi in rubo Angelus fuit, vt declarauimus Exo.3.c. & faciebat illa loco Dei, atq; loquebatur: sic enim Acto.7.c. cùm dicitur: & expletis annis 40. apparuit ei Angelus in monte Syna in flamma rubi. Diceret tamen aliquis quod intendebat Moyses dicere, quòd Deus benediceret Ioseph: quia scriptura nominat illic illum Angelum nomine Dei & non patet sic clarè vtrum Angelus vel Deus ille esset. Sed non potest stare, quia licèt forte aliquis de popularibus dubitaret de hoc, & peteret benedici ab illo: quia illum non Angelum esse putaret sed Deum, Moyses tamen nõ dubitauit esse Angelum cùm se ei Deus manifestaret, nec enim est admirandum quod cognoscens illum esse Angelum desideraret ab illo benedictionem dari Ioseph, quia sæpè in scriptura benedictio petitur ab Angelis, & patet de Iacob qui cũ inuenisset virum, qui Angelus erat: quando venturus erat ad fratrem suũ Esau luctabatur cum eo vsq; mane, cumq; Angelus diceret, dimitte me, quia aurora est. Respondit Iacob non dimittã te nisi priùs benedixeris mihi, vt habetur Gen.32.c. & ibi benedixit ei: & iterum ipse Iacob cum senectute grauatus impositis manibus super duos nepotes Ephraim, & Manasse

E

Notandum de benedictione.

volens benedicere eis ait: Angelus qui eripuit me de malis omnibus benedicat pueris istis, vt patet Gen.48.c.

Pro quo sciendum quod benedicere est facere quòd alicui bona eueniant, hoc autem à Deo solo est: quia Deus prouidentia sua omnia disponit singulis aduersitates prosperitatesve, aut alternantia facta distribuens: nec enim bonum aut malum aliquis recipere potest nisi Deus disposuerit: benedicendi ergo auctoritas à Deo solo est, id tamen quòd Deus disposuerit interdum per Angelos, interdũ per homines operatur, quantũ ergo ad hoc Angeli nobis benedicere possunt, quia benedictionem à Deo dispositam tãquàm ministri Dei in nobis efficere possunt: & secundùm quod aliqua res perfectior est perfectiores effectus producit, ideo cùm Angeli inter omnes creaturas teneant principatum ipsi nos magis quàm alia creatura benedicere possunt. Et quia illa res, quæ minoris perfectionis est nunquàm agit in eam, quæ maioris perfectionis est: ideo, vt dicit Apostolus ad Hebræos 7. c. sine contradictione quod minus est nunquã id quod maius est benedicit, nisi accipiatur benedictio pro imprecatione benedictionis. Et isto modo homines minoris potentiæ benedicũt hominibus maioris status, sic enim Iacob Pharaoni regi Ægypti benedixit, vt patet Gen.47.c. cũ dicitur: post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad regem, & statuit eum ante ipsum, qui benedicens illi, & interrogatus &c. Et post

F

hoc dicitur iterum, & benedicto rege egressus est foras: hoc etiam modo nos Deum benedicimus imprecãtes ei laudem, gloriam, & honorem, sicut sæpè patet in sacra scriptura. *Venit super caput Ioseph.* Vt eum in bonis confirmet super verticem Nazarei, id est, separatus ab alijs fratribus in sanctitate, & cõmunicatione, ideo alios accusabat apud patrem de criminibus pessimis, vt patet Gen.37.c. *Nazarei inter fratres suos*, id est, Ioseph erat Nazareus inter fratres suos.

Quare Ioseph vocatur Nazareus.

QVÆSTIO V.

NON vocatur Ioseph Nazareus simpliciter sed Nazareus inter fratres suos, qa Nazareus si simpliciter poneret, signaret eum, qui obseruabat votũ Nazareorũ. Ioseph autem nihil tale vnquàm obseruauit, quia votum Nazareorum non fuit ante legem Moysi, quia in libro Numerorum ponitur totus ritus Nazareorum, scilicet à quibus obseruari debebant tempore quo essent Nazarei, & quid offerre debebant tempore quo finiebant votum, sed vocatur Ioseph Nazareus inter fratres suos, id est, separatus à fratribus suis: quia cùm viueret apud patrem separatus erat ab eis, quia oderant eum fratres sui, nec poterant quicquam pacificè loqui, vt

patet

A

patet Numer.37.cap. posteà verò anno 16. siue in principio 17.vt innuit litera Hebraica venditus atque in Ægyptum deportatus vsque annum 39. vitæ suæ, qui erat annus secundus sterilitatis magnæ, separatus ab eis fuit, vel potest vocari Nazareus siue separatus inter fratres, id est, electus inter eos, q.a inter omnes ipse erat excellentior. In litera Hebraica non est aliqua difficultas, sed in litera nostra propter istud nomen Nazareus, quod Latini non perfectè cognoscunt, Nazareus namque Hebræa lingua separatus dicitur, & est nomen appellatiuum: nec signat magis separationem illam, quam habebant obseruantes votum illud, quàm quamcunque aliam separationem: vnde si deberemus dicere, quod iste est separatus ab illo, in Hebræo poneretur iste est Nazir, & nos vertentes in formã nominum Latinorum pro Nazir dicimus Nazareus: tantum est ergo quòd dicatur in vertice Nazarei inter fratres suos, id est in vertice separati, & si poneret in vertice separati à fratrib. suis, nullus Latinorũ dubitaret, sed idem est. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Id est, sicut primogenitus tauri est fortis, & magnus corpore, quia ibi est robur patris, ita Ioseph. Et potest hoc referri ad tribum Ephraim, quia ibi erant viri fortes ad pugnam.

Nazareus qd sibi velit.

Cornua rhinocerotis cornua eius. Id est, cornua bellica, siue acies erunt ita fortia, sicut cornua rhinocerotis, id est, vnicornis: vnicornis dicitur animal ferocissimum, cuius cornu ita durum est, vt ligna quoq; & arbores transfodiat impetu suo, quem omnia animalia fugiunt, & cùm leonem fugientem persequatur, leo post magnas arbores absconditur, quod rhinoceros cornu impetere volens per arborem transfigit, vt posteà cornu educere nequeat, quod leo inspiciens in eum insilit, & vnguibus totum dilacerat: si autem leo arborem post quam iaceat, non inuenit à rhinocerote occiditur.

B

In ipsis ventilabis gentes. Id est, per ista cornua vẽtilare, id est, dispergere in ventum debebat gentes, & per hoc notatur potestas regalis in Ephraim, fuerunt enim de semine eius reges Israel, scilicet Ieroboam, & sequentes, vt prædixerat Iacob Gen.49. inde egressus est pastor lapis Israel.

Potestas regalis in Ephraim.

Hæ sunt multitudines Ephraim. Id est multę ortę de Ephraim.

Et millia Manasse. Vtrique promittitur multiplicatio, vt patet Gene.48.cap. vbi dicitur quod Ephraim multiplicabitur in gentes & Manasse in populos: vna gens multos populos continet, vnde multiplicatio Ephraim valdè maior est quàm multiplicatio Manasse: ideo comparantur hic multitudines, quia vna multitudo multa millia continet, vel potest demonstrari per ly, hæ sunt multitudines, & millia hostium occisorum à Manasse, & Ephraim. *Et Zabulon.* Benedictione Ioseph posita, ponitur benedictio Zabulon, & Isachar, qui simul benedicũtur, quia sortes suas simul habebant. *Lætare Zabulon in exitu.* Zabulon habuit sortem in littore maris Mediterranei iuxta Tyrum & Sydonem, & multum lucrabatur de mercimonijs, quia per mare poterat emere, & vendere quicquid vellet, vt dicitur Gen.49. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsq; ad Sydonem.

Zabulon benedictio.

C

In exitu tuo. Dicitur exitus maris portus in quo naues quiescere possunt, & accedere, vel plaga quæ non tam quieta est.

Et Isachar in tabernaculis tuis. Tribus Isachar quieta fuit, nec voluit nauigare sicut tribus Zabulõ: sed instabat studio legis, quod fiebat manendo in tabernaculis, & non discurrendo hinc inde: & alij dabant istis tributa, vt addiscerent, & docerent, & ideo fuerunt multi doctores de tribu Isachar, vt patet in Patalip. vel dicitur quiescẽs in tabernaculis, quia licèt sors Isachar tangeret mare mediterraneum ex vna parte, & ex alia flumen Iordanis, noluerunt nauigare in terras lõginquas ad emendum, & vendẽdum, sed manere in tabernaculis suis, id est, terra sua vacantes agriculturæ, de quo magis Gen.49.c.

Populos vocabunt ad montem. Id est, ad montem Syon vel Ierusalem, in qua erat templum super montem, & illuc conueniebant Iudæi omnes in tribus anni festiuitatibus, & erudiebantur per doctores de tribu Isachar, vt aliqui volũt, sed doctores Isachar magis erãt doctores bellicarum rerum, quàm legis, vt declaratum fuit Gen.49.c.

Et ibi immolabunt victimas iustitiæ.

Quia in istis festiuitatibus immolabant coram Domino victimas suas, & epulabantur cum lætitia, vt patet suprà 12. & 14. & 16.c.

Victimas iustitiæ. Id est, cum recta intentione, & deuota, vt Deo placerent.

D

Qui inundationem maris quasi lac sugent. Id est, abundantiam rerum venalium apportatarum per mare recipient cum dulcedine quasi lac sugentes. *Et thesauros absconditos arenarum,* id est, thesauros quos Chananæi qui in terra illa habitauerãt absconderant in arena prope maris littora: sicut nunc homines thesauros aliquos inueniunt, quos antiquorum timor, vel auaritia in terræ visceribus occultauerat. Vel thesauri inter arenas erant in quibusdam domibus magnis, & pulchris, quæ sub arena occultæ erant, sicut fit in multis maris littoribus, in quibus arenæ vento commotæ domos cooperiunt, & videtur quòd nihil infrà sit. Et sic Agareni domos thesaurorum cõstruunt: vel dicuntur thesauri arenarum lapides quidam pretiosi, qui inueniũtur in littoribus maris, sicut in mari rubro reperiuntur lapilli pretiosi: quos Boetius 3. de consol. vaohas vocat. Et in mari Tyrio inueniuntur, quod mare alluit littora sortis terræ Zabulon, patet Genesis quadragesimonono de Zabulon, pertingensque ad Sydonem. Sydon autem, & Tyrus coniunctæ ciuitates super mare mediterraneum. Et Gad ait: benedictio Gad subiungitur, vnde positis octo filijs dominarum ponuntur filij Zelphæ ancillæ Liæ, scil. Gad, & Aser: deinde filij Balæ, scilicet Nephthalim, & Dan, sed mutat eos, vt patet.

Qui sint thesauri arenarum in sorte Iss char.

Thesauri vbi inueniantur.

Benedictus in latitudine Gad. Id est, sors Gad benedicetur in hoc, quod lata erit, vt patet diuisio eius, Iosue c.13. *Quasi leo requieuit,* id est, sicut quando requiescit, nulla bestia, audet eũ à sua quiete excitare, vt patet Numer. 24.c. ita viri de tribu Gad robustissimi erãt ad bellum: ideo nullus cõtra eos contendere audebat, & sic laudatur de bellis, Genes.49. Gad accinctus præliabitur.

E

Cepit q; brachium & verticem, id est, quod ita fortes erãt gladiatores, vt vno ictu caput cum humero simul abscinderent, vel potest intelligi per verticem princeps, vel capitaneus belli, per brachium fortes bellatores, & omnia ista abscindebant Gaditæ, quia nec capitanei, nec pugnatores impetum eorum ferre poterant: vnde cùm in bellis terræ promissionis duæ tribus, & dimidia pugnarent contra hostes adiuuantibus alijs tribubus, quæ nondum receperant sortes suas, Gaditæ præcedebant omnem exercitum pugnatorum, vt dicitur aliqualiter Nume.11.c. *Vidit principatum suum.* Id est, cognouit se esse principem, vel excellentem.

Quia in parte sua doctor esset repositus. Id est, quòd in sorte sua esset sepulchrum Moysi, quia omnes cognouerunt quòd Moyses sepultus fuerit in monte Nebo, sed locum sepulturæ determinatè nullus homo cognouit, vt patet cap. seq. Ex hoc patet, quod dicebamus præcedenti cap. quod Moyses fuit sepultus in terra Moab, id est, in monte qui est coniunctus terræ Moab: sed est in terra regum Amorrhæorum, scil. Og, & Seon, qui cecidit in sorte duarum tribuum, & dimidiæ, quæ tamen non habuerunt de terra Moab, nec vnum vestigium pedis, vt patet suprà 2.c.

Qui facit cum principibus populi. Id est, cum principibus nouem tribuum, & dimidiæ in transitu Iordanis, & stetit cum eis multo tempore, donec debellati fuerunt hostes eorum, & terra diuisa, vt patet Iosue 12.c.

F

Et fecit iustitias Domini. Id est fecit, quod Deo promiserat: quia promiserãt corã Moyse Eleazaro, & toto populo, quòd præcederent ante fratres suos trans Iordanẽ, & non redirent donec terra esset subiecta eis, vt patet Nume.32.c. *Et iudicium suum cum Israel.* Ista pactio non solùm fuit facta Deo, sed etiã alijs tribubus, de quarum auctoritate recipiebant possessionem ante Iordanem: ideo obseruantes pactionem iudicium cum populo faciebant rectè commutantes.

Dan quoq; ait. Hic ponitur benedictio Dan: posito vno filio Zelphæ ponitur alius de filijs Balæ, & non ponit duos filios Zelphę ante duos filios Balę, nec è contrario: ne aliqui illorum intelligerent se totaliter esse contemptos. *Dan quoque ait.* Dan ponitur in datiuo, quia ad eum loquebatur Moyses, & sic Zabulon, & Gad, & Nephthalim, & Aser: licèt videtur esse nominatiuus, quia indeclinabilia nomina sunt.

Dãbenedictio.

Dan catulus leonis. Id est, fortis, sicut catulus leonis, & dicitur propter Samsonem, qui fuit de illa tribu, vt patet Iudic. 13.cap. *Fluet largiter de Basan.* Id est, fluuius Iordanis qui oritur circa montem Basan fluit largiter per terram: est enim Basan ad partem aquilonarem terræ promissionis inter pla-

A

gam orientalem & aquilonarem: circa quem renascitur Iordanis, qui oritur ad radices Libani, & deinde fluit per terram Dan, quæ aquilonaris aliqualiter est. *Et Nephthalim dixit.* Hic ponitur benedictio Nephthalim qui fuit filius Balæ. *Nephtalim abundantia perfruetur.* Id est, sors sua erat valdè fertilis in omnibus terræ nascentibus.

Nephtalim benedictio

Plenus erit benedictionibus Domini. Id est, quod in terra Nephtalim, quæ vberrima erat citiùs perueniebant fructus ad maturitatem, & deportabãtur inde primitiæ immediatè in templum, & offerebantur sacerdotibus, qui orabant Deum pro tribu Nephtalim, & bendicebant illos multis benedictionibus secundùm formam positam, Numer. 6. cap. & hoc est, quod dicitur Genes. 49. Nephtalim ceruus emissus, id est, sicut ceruus velociter currit, ita fructus in sorte Nephtalim citò maturantur.

Dans eloquia pulchritudinis. Id est, pro primitijs quas offerebat: sacerdotes benedicebant eum dantes eloquia pulchra. *Mare & meridiem possidebis*, id est, à parte meridiana habet mare Galilææ, vel aliquid de mari Mediterraneo, quia contra meridiem sors Nephtalim tangit sortem Zabulon, quæ habet littora maris, vt patet Iosue 19. c.

Aser quoq; ait, benedictus in filijs Aser, id est, multiplicabitur in filijs, & erunt decori. *Sit placens fratribus suis*, id est, quod filiæ Aser erãt ita decoræ, quod placebant viris aliarum tribuum, scilicet regibus, & sacerdotibus, vt eas ducerent in vxores, vt vult Rab. Salom. vel potest dici, quòd sors Aser erat valdè abundans in segetibus, & inde afferebantur pro aliquibus alijs tribubus, quæ non abundabant tantum, sic dicitur Gen. 49. Aser pinguis panis, & præbebit delitias regibus.

Duplex litera expositio.

B

Tingat in oleo pedem suum. Hoc dicitur ad notandum abundantiam oliuarum, quæ erant in sorte Aser, ex quibus oleum nimiæ multitudinis effluebat, sic habetur Iob 29. c. lauabam butyro pedes meos, & petra fundebat mihi riuos olei.

Ferrum & æs calceamentum eius, Quia in sorte Aser mineriæ multæ ferri, & æris erant, de quibus fiebant armaturæ, pro toto corpore etiam pro pedibus: vel dicitur ferrum calceamentum, quia calceamẽtis fodientium minerias calcabatur, sic patet suprà 8. c. cuius lapides ferrum sunt, & de eius montibus æris metalla fodiuntur.

Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua, id est sicut dies iuuentutis tuæ fuerunt placidi, ita dies senectutis, vel sicut in iuuentute fuisti fortis, ita in senectute sis fortis, vt patet de Moyse, sequen. cap. qui erat 120. annorum, & non caligauerat oculus, nec motus fuerat dens, sic etiam Caleb qui ita fortis erat in 85. anno, sicut in 40. vt patet Iosue c. 14.

Benedictionis conclusio ac Dei potentia magnitudo.

C

Non est Deus alius. Hic ponitur tertium principale, scilicet benedictionis conclusio, quæ est populos, vel tribus iam benedictos ad amorem, & Dei reuerentiam attrahere. Et ponitur magnitudo potentiæ Dei, quia *Non est alius Deus*, scil. similis in potentia, & benignitate. *Vt Deus rectissimi*, vt Deus Israel, quia hic vocatur Israel rectissimus secundùm æquiuocationem nominis Hebraici hic positi, scilicet *Ießurum.* Quod significat iustum, vel Israel. Alia terra habet hic. *Vt Deus rectissimus.* Et vtraque litera vera est, sed non facit eundem sensum. Nã si ponitur Deus rectissimus, est sensus, quod nullus est alius Deus talis, sicut Deus rectissimus, id est sicut Deus Israel, qui erat Deus rectissimus: nã cæteri qui dij appellantur turpes sunt, & diligunt vanitatem. Deus autem Israel est iustissimus, quia rectissimè iudicat, & nullo modo diligit iniquitatem, vt patet Psal. 5. quia Deus non volens iniquitatem tu es: nec habitabit iuxta te malignus, nec permanebunt inijsti ante oculos tuos. Accipiendo autem aliam literam, scil. vt dicatur. *Vt Deus rectißimi.* Refertur ad Israel, quia Israel vocatur rectissimus cùm ponatur in Hebræo, *Ießurum.* Quod signat Israel, vel rectissimum, & litera nostra vocat eum rectissimũ: sic patet suprà in principio huius cap. cùm dicitur, & erit apud rectissimum rex, id est, erit in Israel rex, & ista litera melior est, quàm præcedens, quia magis limitat naturam cùm dicitur, quod nullus alius Deus est talis, sicut Deus rectissimus, verum est, quia quod per excellentiam dicitur, vni soli conuenit, sed non scitur an iste Deus rectissimus esset Deus gentilium, vel Deus Hebræorum. Item quia hoc de se notum erat, quod nõ erat aliquis alius talis Deus, sicut Deus rectissimus: ideo non oportebat poni. Tenendo autem aliam literam limitatur, quis esset iste Deus, scilicet quòd non sit aliquis alius Deus talis, sicut Deus rectissimi, id est, sicut Deus Israel, dij autem gentilium non sunt tales. Item secundùm istam literã nihil ponitur superfluũ. Nam limitatur id quod non erat notum, quia licèt notum esset, quod nullus Deus erat talis, sicut Deus rectissimus, non tamen sciebatur cuius erat iste Deus rectissimus an Hebræorum, vel Gentilium. Cùm autem dicitur, quod nullus erat talis, sicut Deus Israel limitatur: ideo ista litera tenenda est. Vocatur autem Deus rectissimi Deus Israel: quia populus Israel inter cæteras gentes erat rectissimus, cùm coleret Deum verum: cæteræ autem gentes ad idola declinabãt: etiam quia Israel rectissimas leges acceperat, per quas regebatur: gentes autem leges iudiciales iniquas habebant, & cæremonias turpissimas, sic patet suprà 4. c. cùm dicitur: hæc est sapiẽtia nostra, & intellectus coram populis, quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat cęremonias, iustaq; iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponã hodiè ante oculos tuos? iustè igitur rectissimus, id est, regulatissimus vocatur Israel inter cæteras gentes.

D

Ascensor cœli, id est, qui est exaltatus super cœlos, quia cœli cœlorum eum capere non possunt, vt patet 3. Reg. 8. vel dicit ascensor cœli, quia cœli motus ad suam volũtatem disponit, vnde quidã Iudæi Astrologi dicunt, quod secundùm cursum stellarũ Iudæi in Ægypto maiori tempore captiui teneri debebant, & maiori deprimi seruitute, sed Deus ascendit super cœlum, scil. disponens illud, vt ipse voluit cõtra communem naturæ cursum in auxiliando eis. *Auxiliator tuus.* Hic est mutatio personæ, quia suprà loquebatur de Israel in tertia persona, & hic redit ad loquendum de eo in secunda: patet quia suprà dicebatur, non est alius Deus, vt Deus rectissimi, id est, vt Deus Israel: cùm autem subiũgitur auxiliator tuus, loquitur ad Israelẽ, scil. quòd Deus esset adiutor eius. Et talis personæ mutatio sæpè in sacra Scriptura reperitur, sic patet Psal. 3. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua, primò posuit Deũ in tertia persona, deinde per apostrophen redijt ad ponendum in secunda, dicendo & super populum tuum benedictio tua, quia istud possessiuum tuus est pronomen denotans possessionem secundæ personæ, & intelligitur ibi necessarius vocatiuus. Vocatur Deus auxiliator Israel, qa in omnibus aduersitatibus suis cum toto animo, ad Deum redibant, veniam merebantur, vt patet suprà 30. c. & Leuit. 26. & ad hoc non operabatur aliquis, nisi Deus Israel, sic patet suprà præcedenti cap. Dominus Deus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.

E

Magnificentia eius discurrunt nubes, id est per Dei magnam potentiam, & sapientem ordinationem mouentur nubes ab vno extremo terræ in aliud, vt patet Psal. 134. Et cœli habent ordinatos cursus suos, vt nullo tempore aliquid deficiant in ordine motus. *Habitacula eius sursum.* Quia Deus habitans in seipso super omnia est, non exclusus, sed à nulla re conclusus. *Et subter brachia sempiterna, vel brachia seculi.* Vt habetur in litera Hebraica describitur hic ordo vniuersi quantũ ad regimen, & actualem gubernationem, in qua Deus caput est, & non est coniunctus alicui orbi nec secundùm compositionẽ, nec vt motor mobili, sed supra omnem motum existẽs omnia mobilia disponit, vt patet 3. de consol. Metro. equi perpetua: ideo dicuntur habitacula eius sursum, id est, super omnẽ conditionem mundi, quia nec mouetur, nec mouet tali modo: Angeli autem dicuntur stare subter, quia sunt regentes subordinati Deo: sunt enim certi Angeli certis orbibus cœlestibus adaptati, vt illos moueant ad deriuandã virtutem in ista inferiora, & continuandum esse, & isti Angeli participãt aliquam conditionem mundi, quia licèt non moueantur aliquo modo, quod pertinet ad naturalia: mouent tamen corpus cœleste per applicationẽ virtutis ad mobile, & ideo vocantur brachia seculi, quia brachijs inest robur, & eis debetur tota operatio, sic Angelis illis debetur totus motus mundi, per quem omnia gignuntur, & corrumpuntur, & in esse conseruantur: vel vocantur brachia sempiterna, quia indeficientes sunt: & semper sic mouebunt vsq; ad finem mundi. Et huic modo posito in litera satis videtur consonare Arist. in 12. Metaph. vbi agit de ordine secundarum intelligentiarum ad primam. Et dicit, quod prima intellectiua, quam nos Deum vocamus, non mouet aliquem orbem, sed solùm mouet inferiores intellectiuas in ratione amati, & desiderati. Et sic istæ intellectiuæ sic motæ mouent orbes: ita quòd illa

Litera Hebraica est.

F

intel-

intellectiua inquantum ſummum bonum, ſummè actus, & ſun: mè gaudioſa, quę cognoſcitur ab alijs inferioribus intelligentijs ſub rationibus ſupradictis mouet: ideo amant illam, & deſiderant: amãtes autem illam deſiderant participare eſſe diuinum, quod non poſſunt habere, niſi cõmunicando virtutes ſuperiores rebus inferioribus per motũ, ideo mouent. Et quia prima intelligentia amata, & deſiderata mouet alias intelligentias, vt moueant orbes: ideo dicitur mouere in ratione amati & deſiderati. Intelligentiæ autem inferiores mouent orbes deſiderantes participare eſſe diuinum, ideo dicuntur mouere in ratione amantis, & deſiderantis. Aliter poteſt intelligi iſta litera, ſcil. *Habitaculum eius deſuper & ſubter brachia ſempiterna*, id eſt, quod Deus habitat ſuper omnia, ſcil. in cœlo empyreo, & ſubter eum ſunt brachia ſempiterna, id eſt, cœli qui mouentur, & influunt. Deus namq; cùm vbique ſit, & extra omnem locum, non magis eſt in cœlo, quàm ſupra cœlũ, quàm ſub cœlo, ſed dicitur eſſe in aliquo loco ſpecialiter, quia aliquam rationem principalitatis magis habet ad illum locum, quàm ad alia. Dicimus autem ſubſtãtias ibi eſſe vbi operantur, vbi agi Dei operationem manifeſtiùs cõperimus, ibi eũ eſſe aſſerimus: cùm igitur ſint aliqua loca, in quibus magis operatio Dei manifeſtatur quantum ad aliud, ibi eum ſpecialiùs eſſe dicemus: eſt autem vnus locus vbi Deum dicimus dare gloriam ſanctis Angelis, & animabus beatis: & iſte eſt cœlum empyreum, ſecundũ quod omnes ſancti doctores aſſerunt. Idem etiam quidam ſapientiſſimorum Poëtarum tenuerunt, vt patet per Martianum felicem capellam, libr. 2. de nuptijs Mercurij, & Phiſiologiæ proſa penult. vult enim quòd ſit cœlum empyreum, & quòd in hoc ſit Deus, cùm dicit: totius operis tantęq; rationis patrem non neſciẽs ab ipſa etiam Deorum notitia receſſiſſe, qui extra mundanas beatitudines eum tranſcendiſſe empyreo quodam intellectuali, ſed mundo gaudentem: de iſto cœlo empyreo quomodo ſit immediatè ſuper omnes cœlos, & de beatitudine eius multa dicit, ſuprà dicto loco. Deus igitur qui vbique eſt, non vbiq; dat gloriam animabus, ſed animabus in empyreo exiſtentibus: eſt igitur ibi habitaculum eius, quod eſt ſurſum, id eſt, ſuper omnia, quia empyreum ſuper omnes cœlos eſt: deorſum autem ſunt brachia ſempiterna, id eſt, omnes cœli moti, quia iſti pertinent ad ſubſtantiam mundialem, cùm influant in iſta inferiora, & moueantur ſuper illa, & vocantur brachia ſeculi ſiue ſempiterna, quia iſti cœli ſunt fundamentum omnium rerum naturalium, vel vocantur brachia ſempiterna, quia ita ſunt ſolida, & fortiter manẽtia, ſicut ſi eſſent brachia in animalibus, quæ fortia ſunt de ſoliditate cœlorũ habetur Iob 37. c. nunquàm cum eo fabricatus es cœlos qui ſolidiſſimi ſunt quaſi ære fuſi.

Deus quare dicatur eſſe in cœlo

Et ejciet à facie tua inimicum, id eſt, omnes ſeptem gentes de genere Chanaan. Et vocãtur ſingulariter inimicus, quia vno animo pugnabant contra Iſrael, tanquàm vnus vir, vt patet Ioſue 11. & in multis locis, vel accipitur ſingulare pro plurali, ſicut dicit Exo. 8. venit muſca grauiſſima, id eſt multę muſcę. *Diceté*, ſcil. Deus hoſtibus Iudæorũ. *Conuertere*, id eſt, deſtruaris: ſine labore Iſraëlitarum: vt ſæpè factum fuit, & patet de Madianitis, & Amalechitis venientibus contra Iſrael, qui ſeipſos inuicem gladijs trucidabant, vt patet Iud. 7. c.

Habitabitq; Iſrael confidenter, id eſt confidens in Domino, & ſine timore hoſtiũ. *Et ſolus*, id eſt nõ non indigens adiutorio, vel cõfœderatione alicuius alterius gentis, vel *Solus*. i. ſeparatim, vel ſingulariter, qa protecti à Deo non indigebũt, quòd congregentur omnes ad ferendum impetũ hoſtium, ſed quilibet habitabit pacificè in domo ſua, & agro ſuo.

Oculus Iacob in terra frumenti, id eſt videbit in terra ſua vbertatem frumenti. *Et aliorum victualium cœli caligabunt*, id eſt obſcurabuutur rore. Notatur abundantia roris ad fœcundationem terræ Iſrael, & hoc cœlũ caligat, quia pars iſta aërisnobis cõiuncta condẽſata imbribus, vel rore, radios Solis limpidè tranſire non ſinit: ideo caligare dicitur cœlum nõ apparens.

Abundantia roris ad terra Iſrael fœcundãtẽ.

Beatus es tu Iſrael. Quia talem Deum habes, qui omnia bona tibi tribuat. *Quis ſimilis tui populus nullus.* Quia non eſt alius Deus, nec in cœlo, nec in terra, ſicut Deus Iſrael.

Qui ſaluaris in Domino, id eſt, cuius auxilium eſt à Deo, & nõ ab homine. *Scutum auxilij tui*, id eſt, quod recipit, & obſtat malis, quæ hoſtes infligere volũt. *Et gladius gloriæ tuæ*. i. gladius per quẽ vincis hoſtes, & de victoria ab alijs populis laudaris, vel glorificaris. *Negabunt te inimici tui*, id eſt Gabaonitæ qui erant de hoſtibus Iſrael, ſcil. de Euæis, vt patet Ioſue 11. c. & venerunt ad filios Iſrael negantes ſe eſſe de terra hoſtium Iſrael, vt faceret pacem cũ eis, & hoc timore vrgente, de quo Ioſue 9. c. *Et tu eorum colla calcabis.* Quia cognito quòd hoſtes eſſent, nõ occiderunt eos propter pacẽ factam, ſed ſubiecerunt ſeruituti, vt patet Ioſu. 9. c. ſed magis propriè poteſt intelligi iſta litera de regibus terræ promiſſionis, q. negauerunt introitũ terræ promiſſionis Iudæis, & omnes congregati occurrerunt eis in bello, vt patet Ioſue 11. *Et tu eorũ colla calcabis.* Quia cùm pugnaſſet Ioſue cõtra quinq; reges, & cepiſſet eos in ſpelunca excluſit eos, & fecit, quòd duces exercitus ponerent pedes ſuper colla eorum, vt patet Ioſue 10. & ſuſpendit eos.

Caput XXXIV.

Aſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montẽ Nebo in verticem Phaſga contra Hierico: oſtenditq; ei Dominus omnem terram Galaad vſq; Dan, &c. 2. Machab. 2

Aſcendit. Dicta benedictione ad populũ ponitur mors Moyſi, & eius ſepulchrum. Et tanguntur tria. Primum ducis conſummatio. Secundò ſucceſſoris confortatio, ibi. *Ioſue verò.* Tertiò, Moyſi morrui commendatio, ibi. *Non ſurrexit. Aſcendit ergo Moyſes.* In hoc Moyſes obediens fuit, quod Deus mandauerat ei, quòd aſcenderet in montem Abarin, vt moreretur ibi, & prompto animo hoc fecit: licèt præceptum de moriendo valdè durum eſt, de quo ſuprà 33. c.

De campeſtribus Moab. Quia vallis contra Phanum Phegor, in qua tunc manebant, vt patet ſuprà 3. c. erat in terra campeſtri deſcedenti à montibus Moab.

Qualis erat iſta terra in qua erat Iſrael.

Quæstio I.

Erat iſta terra in qua tunc erat Iſrael terra plana circa Iordanem, in deſcenſu de montibus Moab, verſus terram Chanaan. Et vocãtur hic campeſtria Moab non faciendo differẽtiam de terra campeſtri ad terram planam, vocatur terra campeſtris terra, quæ licèt non ſit montuoſa aliqualiter, tamen eſt eleuata, atque prærupta, terra plana vocatur terra vallium, quæ totaliter eſt plana, & ſic eſt deſcendendo de montibus Moabitarum verſus Iordanem, quia primò eſt quædam terra, quæ non eſt totaliter plana, & iſta vocatur terra campeſtrium Moab, ſiue campeſtria Moab: deinde cùm magis deſcendatur verſus Iordanem, eſt terra plana, & iſta vocãtur planiora Moab. Hic autem non fit diſtinctio aliqua inter loca campeſtria, & loca planiora, ſic tamen Num. 33. c. vbi ponuntur manſiones Iſraelitarum diſtinctè, cùm dicitur: profectiq́ue de montibus Abarin tranſierunt ad campeſtria Moab ſuper Iordanem contra Hierico ibi caſtrametati ſunt de Bethſymon, vſque Bethſathin in planioribus locis Moabitarum: ecce qualiter diſtinguuntur campeſtria Moab, & planiora loca Moab: aſcenſus ergo Moyſi magis debuiſſet dici de planioribus locis Moab, quàm de campeſtribus, ſed interdum ſcriptura circa quædam non curat multam facere diſtinctionem.

Super montem Nebo. Suprà 32. c. mandatum fuerat ei, quòd aſcenderet ſuper montem Abarin, ſed iſte eſt quidam mons valdè magnus, in quo eſt quædam pars, quæ dicitur mons Nebo, & in hoc fuit mortuus.

In vertice Phaſga. Phaſga nomen appellatiuum eſt ſignificãs collem, & innuitur, quod Moyſes aſcendit ſuper verticem montis Nebo, qui habet Phaſga, id eſt collem, quia altus eſt, & hoc, vt melius contemplaretur terram promiſſionis. *Phaſga qd ſit.*

Contra Hierico. Quia iſte mons eſt ſuper Iordanem tendens verſus Hierico. Dicitur hic, quod Moyſes aſcendit ſuper verticem Phaſga. Sed aliquis fortè arguet ex hoc, quod ſepulchrum Moyſi cognitum eſt, quod eſt contra literam, in qua dicitur, & non cognouit homo ſepulchrum eius, vſque in præſentem diem.

Reſpondetur, quòd Moyſes non aſcendit in verticem

Phasga ad moriendum ibi, sed vt de ipso loco specularetur totam terram Chanaan trans Iordanem, ideo nō sciretur ibi sepulchrum eius. Item dato, quòd ascendisset Moyses ad verticem Phasga, vt moreretur ibi, tamen non ex hoc cognosceretur sepulchrum eius, quia in vertice Phasga erant multa loca, in quibus poterat Deus sepelire Moysen, ita quòd non inueniretur.

Sed dicendum est, quod Moyses non ascendit in verticem Phasga ad moriendum, & vt ibidem sepeliretur, sed solùm ad videndum terram Chanaan vltra Iordanem, & postea descendit ibi in vallem terræ Moab, & ibi mortuus est, & licèt dicatur quod fuit sepultus in valle, nescitur tamen in qua parte vallis, sic patet infrà cùm dicitur: mortuus est Moyses in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terrę Moab cōtra Phegor, & non cognouit homo sepulchrum eius. Cùm autem dicitur hic, quod ascēdit Moyses in verticem Phasga, nam accipitur Phasga pro aliquo speciali nomine loci, sed est nomen appellatiuum significans collem: vnde tantum est dicere in verticem Phasga, sicut super altitudinem montis, vel collis: & est sensus, quod Moyses ascendit super mōtem Nebo super quendam verticem collis altissimi, vt inde specularetur terram Chanaan.

Contra Hierico, id est, iste collis super quem Moyses ascendit, erat contra Hierico, quia erat fluuius Iordanis intermedius, & erat Hierico à frōte, & patet hoc. Nam montes Moab perueniunt vsq; Iordanem, quia planiora loca descendentia ab illis montibus dicuntur planiora loca Moab super Iordanem, & cùm vltra Iordanem immediatè sit Hierico, quia primus locus ad quem pertransito Iordane venerunt, fuit Hierico, vt patet primo & secundo cap. Iosue, dicebatur esse iste mons Nebo,, siue vertex Phasga contra Hierico, id est, frons illius montis, qui terminatur super ripas Iordanis, est directa contra Hierico.

Ostenditq; ei Dominus omnem terram. Et in hoc fuit consolatus magis Moyses, quàm Aaron, quia nihil vidit: mortuus enim fuit in monte Hor, vt patet Num. 20. & 33. c. Et visio ista fuit distincta, vt Moyses delectaretur: videre enim solū partes collium eminentium, & non ciuitates, & valles Nemorosas, & flumina interlabentia delectabile non est: fuit ergo potentia visiua Moysi supernaturaliter eleuata, vt videret distinctè totam terram promissionis, sicut B. Benedictus vidit totum mūdum, vt patet in 2. dialog. de quo magis diximus suprà 3. cap. & 32.

Terram Galaad. Quæ est ante Iordanem in possessione tribus Gad, vt habetur Iosue 13. cap.

Vsq; Dan. Sors tribus Dan est vltra Iordanem contra partem Aquilonarem, vt habetur Iosue 19. c. Aliqui errant circa hoc putantes terram, quæ hic vocatur Dan esse terram tribus Dan. Sed vt quidam alij volunt magis accipiendum est, quòd significet Dan quendam locum, qui est vna extremitas terræ promissionis, de quo dicitur 1. Reg. 3. cap. cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Propheta Domini esset Samuel, & sæpè fit commemoratio de his duobus terminis in libris Regū, sed non obstante dicto istorum, videtur primum dictum stare in veritate, scilicet quòd stet hic Dan pro tota tribu Dan, ita quòd vsq; ad illam terram in qua erat tribus Dan monstrasset Dominus Moysi: & hoc quia ista terra tribus Dan erat de illis, quæ erant vltimæ contra Aquilonem. Et patet hoc adhuc magis, quia hic ponuntur aliæ terræ, quæ denominant diuersas tribus, scil. terram tribus Ephraim, & tribus Manasse, & tribum Nephtalim, vt patet immediatè in litera.

Et vniuersum Nephtalim. Cuius sors est contra Occidentem. & meridiem, vt patet Iosue 19. c.

Terram Ephraim. Cuius sors est magis occidētalis circa Hierico, & mare salsissimum, id est mare Sodomæ, de quo Iosue 16. cap. & Manasse cuius sors est duplex: quædam dimidiæ tribus Manasse ante Iordanem pars terræ Galaad, & Basan: alia dimidia tribus accepit sortem vltra Iordanem clausam mari coniunctam sorti Ephraim, vt patet Iosue 17. cap.

Vsque ad mare nouissimum, id est, mare Mediterraneum, quod est ad occidentalem partem terræ promissionis, in quo sunt ciuitates Philistinorum, & Tyrus, & Sydon.

Quare mare Mediterraneum appellatur mare nouissimum.

QVÆSTIO II.

ET vocatur mare nouissimum, quia Moyses quando ista videbat stabat in parte orientali terræ promissionis, quia terra illarum duarum tribuum & dimidiæ erat orientalis respectu aliarum tribuum, vt patet Nume. 32. c. alia autem maria sunt in terra promissionis, quæ non vocantur nouissima. Nicolaus dicit, quod hoc est mare mortuum sed nō multum videtur, quia mare mortuum est in latere coniungente orientalem, & australem plagam terræ promissionis, vt patet Num. 34. c. Moyses autem erat in parte orientali: ideo nō poterat vocari illud mare nouissimū respectu eius, sed mare occidentale mediterraneum, quod est in parte oppositā, scil. occidentis, vt patet prędicto c. *Omnem terrā Iuda.* Cuius sors meridiana est, vt patet Iosue 15. c. & incipit pars eius orientalis à mari mortuo, vt ibidē patet. *Et latitudinem campi Hierico.* Quia vltra Iordanem circa Hierico magna campestria sunt, in quibus habitat Chananæus. *Ciuitatis Palmarum.* Ipsa Hierico ciuitas Palmarum dicebatur, quia Palmæ ibi abundant, nunc autē Segor ciuitas Palmæ dicitur, vt patet in libro diuisionis terræ sanctæ. *Vsq; Segor.* Quæ est supra mare mortuum in ascensu montis ad quem iuit Loth cum filiabus, & ante portam Segor propè demonstratur vxor Loth conuersa in statuam salis. Et cùm dicatur hic, quòd Moyses vidit totam terram promissionis, non ponitur sors omnium tribuum.

Hieri-co quare Pal-marū ciuitas dicebatur.

Respondetur, quod ratio est, quia Zabulon, & Isachar sunt occidentales habitantes in littore maris Mediterranei, vt suprà dictum fuit: ideo nominādo mare nouissimum nominauit eos Dan, & Nephtalin septentrionales sunt: ideo nominauit eos Iudas, Ephraim, & Manasse australes sunt, vt suprà patet duæ tribus & dimidia, in quarum terra Moyses nunc erat, orientales erant, vt dictum fuit, tres ergo tribus quæ manent, scil. Aser, Symeon, & Beniamin inter medias sortes aliarum tribuum acceperūt, vt patet Iosue 18. c. & 19. ideo nominatis extremitatibus totius terræ promissionis non fuit necesse nominari sortes intermedias istarum tribuum.

Hæc est terra quam vides oculis tuis. Et ex hoc aliqualiter cōijcitur, quòd Deus eum supernaturaliter eleuauerit, quia assistebat ei cùm videbat, & post visionem dixit ei ista, & ista visio Moysi non fuit subita, sed aliqualis moræ, vt Moyses delectaretur videndo illam terram, quam valdè videre desiderabat, vt patet suprà 3. c.

Pro qua iurauit Abraham. Quando Deus iurauit Abrahæ dare terram illam, ipse morabatur in ea, vt patet Genes. 13. c. vbi dicitur: leua oculos tuos in directū, & vide à loco in quo nūc es ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem, omnem terram quam conspicis tibi dabo, & sequitur post quod habitauit circa Ebron. Sed Ebron in sorte Iudæ est, vt patet Iosue c. 15. sed Abraham habitabat tunc in terra illa nō vt indigena, sed vt peregrinus: ideo semper dicitur de eo in Genesi, quod peregrinatus est in tali, vel tali loco, & non fuit data illa terra immediatè Abrahę, qa data fuerat Amorrhęis, & alijs populis: ideo nunquàm eam Abraham, vel semen suū possiderent, donec illi demererētur perdere illā terram, ideo Gen. 15. c. quando Deus Abrahę prædixit captiuitatē seminis sui in Ægypto, & deinde possessionem terræ illius dicitur generatione quarta reuertetur huc, & subdit ratio, necdū enim cōpletæ sunt iniquitates Amorrhæorū, vsq; in præsens tempus, & sic dicitur suprà 7. c. semini tuo dabo eam, ad Abrahā refertur, non autem ad Moysen. *Mortuusq; est ibi Moyses.* Nulla ægritudine præcedente, sed Dei voluntate animam de corpore educente, & vt creditur cum paruo, vel nullo dolore.

Et sepeliuit eum in valle terræ Moab. Non enim fuit sepulchrum eius in vertice montis Nebo, sed in descensu ad vallem.

Contra Phegor. In valle contra Phegor manebant filij Israel, quando Moyses prædicauit eis ista, & posteà In eadem valle per aliquam distantiam in descensu montis Nebo sepultus fuit, dicitur. *Contra Phegor.* Quia Phegor nomē idoli est, quod colebatur in altissima parte montis Moabitarum, ad quā Balac deduxit Balaam ad maledicendū filijs Israel, vt patet Nu. 24. c. duxit eum ad excelsum mōtis Phegor cōtra solitudinē,

A

& in descensu illius montis est quædam spelunca, quæ Carnayn dicitur, & locus ille pro vehementi prærupto excisus dicitur.

Contẽtio inter Michaelẽ archangelũ, et diabolum de Moyse: cuius sepulchrum fuit Hieremia revelatũ.

Et non cognouit homo sepulchrum eius. Ne Iudæi inuenientes colerent eum pro Deo, quia tanta mirabilia Deus per eum fecerat, & in hoc idololatrarent. Et propter hoc magna contentio fuit inter Michaëlem archangelum, & diabolum: volebat enim diabolus corpus Moysi reuelare Iudæis, vt eum colerent: Michaël mandato Dei qui eum sepeliuerat volebat occultare, & tamẽ Michaël diabolo repugnanti maledictionis iudicium inferre non ausus est. Sed dixit imperet Deus in te Sathan.

Vsque in præsentem diem. Id est, vsque ad tempus quo liber iste scriptus est: sed post reuelatum fuit Hieremiæ Prophetæ, qui tempore irruptionis Chaldæorum in Hierusalẽ sub Nabuzardan principe coquorum tulit arcam fœderis, & tabernaculum, & altare incensi, & posuit in spelunca in qua Moyses sepultus fuerat, & clausit ostium, vt patet 2. Mach. 2. c. Ex hac litera patet, quòd Moyses non scripsit istam partem libri, quia dicitur: *Vsque in præsentem diem.* Nam hoc refertur ad aliquod tempus post mortem Moysi, in quo Moyses non cognosceretur, vbi sepultus foret.

An Moyses scripsit principiũ & finem huius cap. & Iosue scripserit intermedia.

An Moyses potuerit scribere Propheticè in verbis suis, ista quæ habentur hic, vel scripserit literam istam Esdras, aut Iosue.

B

QVÆSTIO III.

SED dicet aliquis, quòd Moyses potuerit hoc Propheticè scribere, quia Moyses fuit maximus Prophetarum, vt dicitur hic in litera: Prophetæ autem ea quæ futura sunt potissimè cognoscebant: ergo scire poterat Moyses spiritu sancto reuelante, quid futurum esset post mortem suam, sicut in libris istis quinque in multis locis dixit Moyses aliqua quæ ad futurum requirebantur, & solùm cognoscebantur lumine Prophetico, & maximè patet in cap. præcedenti, in quo pronuntur benedictiones tribuum, quarum completiones ad futurum expectabant: nec in hoc aliquid admirandum, aut insolitum est, cùm ipse Moyses continuè cum Deo loqueretur, quæ ergo difficultas erat, vt posset futura cognoscere, cùm ei illa summa sapientia reuelaret? Sed adhuc non potest hoc stare: nam licèt Moyses Propheticè potuerit cognoscere, quòd sepulchrum eius incognitum omnibus hominibus maneret, & dato quòd realiter cognouisset, & quod plus est, quòd scripsisset: includit tamen quendam modum falsitatis Moysen istam literam scripsisse: poterat namque Moyses scribere. Mortuus est autem Moyses, & non cognoscet homo sepulchrum eius, ita quòd referatur ad futurũ, vel si fortè vellet ponere præteritum pro futuro, sicut Prophetæ sæpissimè facere soliti sunt, ad notandum certitudinem Prophetiæ, diceret: Mortuus est autem Moyses, & non cognouit homo sepulchrum eius, quia licèt ante mortem suam Moyses ista scriberet, vera sunt verba ista, scilicet quòd mortuus fuit Moyses, & quòd non cognouit homo sepulchrum eius: illa tamen litera quæ sequitur repugnat, scil. *Vsque ad præsentem diem.* Quia ista litera necessarium est, quòd referatur ad illud tempus, in quo verba ista dicebantur, vel scribebantur, quia aliàs nec dici, nec intelligi potest: ergo si Moyses ista scribebat, necessariò referebantur ad diem in qua ipse scribebat, sed in die qua ipse ista diceret, non poterat esse mortuus: ergo quòd diceret mortuus est autẽ Moyses, & sepeliuit eum Deus in valle terræ Moab, falsum esset, & includeret litera manifestam contradictionem, etiam quia dicitur: *Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque ad præsentem diem.* Ista litera esset superflua, & includens falsitatem. nam ante mortem Moysi non erat sepulchrum Moysi, quod cognosci aut ignorari posset, ad quid ergo diceretur: *Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Item, quia falsitatem includit: nam cùm dicitur, quòd Moyses scripsit hæc, præsupponitur viuens, cùm autẽ dicitur, quòd vsque ad diem qua scripta sunt ista, nullus hominum cognouit sepulchrum Moysi, præsupponitur Moyses mortuus: ergo est vera contradictio.

C

Determinatio autoris.

Dicendum igitur necessario, quòd alius post mortẽ Moysi scripserit istam literam, & licèt aliqui dicant eam scriptam fuisse ab Esdra, verisimilius tamen est eam scriptam fuisse à Iosue qui erat Propheta, & cui Deus loquebatur, vt patet Iosue 1. cap. & in multis locis eiusdem libri, & hoc est verisimile, quia Iosue fuit successor Moysi in Prophetis, & in directione populi, & fuerat minister eius, vt patet Exodi 33. cap. ex quo diligebat eum nimis: quamobrem curauit finem eius, & sepulchrum scribere, & licèt satis conueniret dici esse totum istud capitulum quod in Hebræo duodecim versus cõtinet, scriptum fuisse à Iosue: tamen communius dicitur secundùm Hebræos, quòd solùm octo versus eius scripti fuerint, scilicet ab hoc loco: *Mortuus est autem Moyses.* Et ratio huius est, quia nunquam est ponenda pluralitas sine necessitate: nos enim Moysen totius istius libri scriptorem ponemus, nisi litera nos cogeret alium quoque in aliqua parte eius, vt declaratum est ponere scriptorem, sed cogimur ab hoc loco, mortuus est autem dicere, quòd alius scripserit, sed literam illam quæ à principio cap. vsq; ad istum locum est, scil. quatuor versus præcedentes non cogimur dicere ab alio scriptos fore, quia nullam contradictionem, aut quodlibet alterum includit inconueniens, dicere eos à Moyse scriptos fuisse.

D

Sed arguet aliquis, quòd eodem modo totam literam sequentem, vsque ad finem cap. præter ista verba, & non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem, potuerit Moyses scribere, quia nõ inducitur inconueniens aliquod, quòd ipse scripserit, vt patet examinando quamlibet particulam literæ si vellemus. & sic non ponentur octo versus scripti à Iosue.

E

Respondetur, quòd hoc non conuenit, quia si Moyses scripsisset totum principium ca. vsque ad istum locum: *Mortuus est.* Et totam literam sequentem præter hoc modicum, scilicet: Mortuus est autem Moyses, & sepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab, & nõ cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem. relinqueret Moyses aliquam interruptionem in litera, quod non est concedendum. Et si respondeas, quòd nulla interruptio fieret, quia verba, quę immediatè post hoc sequuntur, nullo modo dependent ex his verbis, scil. *Mortuus est autem Moyses ibi, & sepeliuit, &c.* Vt patet cuilibet intuenti: ideo quòd benè posset stare sententia cõtinuata etiam non positis istis verbis in medio. Respondetur, quòd non dicitur conuenienter: nam dato quòd continuata esset litera, & Moyses totam scripsisset præter illa pauca, scil. mortuus est, &c. non posuisset aliquid Iosue in medio, sed ap posuisset fini huius libri, cùm modicum finis distaret: magis ergo dicendum est, quòd totam istam literam octo suprà nominatorum versuum Iosue scripserit. *Et sepeliuit eum Dominus.* Ad hoc, quòd aliquis scripserit ista verba, non oportebat, vt esset solùm historicus gestorũ enarrator, sed vt esset Propheta, qui hæc à Domino accepisset reuelante: nam licèt sciri posset sine aliqua speciali reuelatione quòd Moyses mortuus fuit, sepultus à Deo, tamen in qua parte sepultus fuerit, non videtur quòd posset sciri sine diuina reuelatione. Moyses autem ascendit in mõtem Nebo super verticem Phasga, & iam non vidit eum aliquis de Israëlitis, quia nullus ascendit cum eo, & postea nusquam comparuit.

F

Poterat autem aliquis dubitare de illo vtrùm mortuus esset, vel vtrùm Dominus tulisset ad se deferens in paradisum, quia de alijs sic factum est, vt patet de Enoch quem Dominus transtulit in paradisum, quia ambulauit coram eo, vt patet Genes. 5. cap. & Ecclesiastici 45. idem patet de Elia qui fuit Propheta Domini, & transtulit eum Deus in curru igneo in paradisum, vt patet 3. Regum 1. cap. non poterant autem hoc maximè arbitrari de Moyse, quia magis acceptus erat Moyses Deo, quàm aliquis istorum, sicut patet infrà cùm dicitur: Et non surrexit vltrà Propheta in Israël, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis. Sed de hoc poterant certificari ex verbis Moysi, quia sæpè ipse dixerat, quòd Deus prædixerat eum moriturum ante transitum Iordanis, vt patet Num. 27. cùm dicitur: Ascende montem istum Abarin, & cõtemplare terram, quam Dominus Deus daturus est filijs Israël, cumque videris eam ibis ad populum tuum, sicut iuit Aaron frater tuus, quia offendisti me in deserto Syn: idẽ patet suprà 3. c. cùm precaretur Moyses, vt transiret vltrà Iordanem, respondit Dominus, dicens: Sufficit tibi, nequaquam loquaris ad me vltrà de hac re: non enim trãsibis Iordanem hunc, & suprà 4. c. cùm ipse laudaret

A terram Chanaan ad quam transituri erant, ait: Ecce morior in hac humo, & non transibo Iordanem, vos transibitis, & possidebitis terram egregiam: idem patet suprà 31. & 32. cap. nullo modo ergo dubitare poterant Israëlitæ Moysen mortuum esse.

Et sepeliuit eum Dominus. Hoc aliquo modo Prophetice cognoscì debebat quantum ad certitudinem: tamen poterat quodam alio modo cognosci probabiliter sine Prophetia: nã cùm constet Moysen mortuum esse, vt patet ex superioribus testimonijs, & constet eum valdè fuisse amicum Dei super omnes qui præcesserunt ipsum, satis innuitur, quòd non relinqueret eum inhumatum, quia inhumatum esse est vnum de infortunijs, quæ homini euenire possunt, sicut apparet ex verbis Senecæ in lib. de remedijs fortuitorum: per certitudinem tamen isti scire non poterant, quia licèt arguerent sufficienter, quòd Deus non relinqueret illum inhumatum ferocium alitum morsibus laniandum, quod ad pœnam quandam pertinet: nescirent tamen an Deus alicui viro Moabitarum corpus illius demonstraret, & poneret ei in mentem, vt sepeliret illud: cùm igitur litera certificat, quòd Deus sepeliuit illum, est intelligendum quòd Iosue qui ista scripsit, Prophetice cognouit Deum sepeliuisse corpus illius, scil. quòd Deus parauit quendam locum honorabilem pro Legislatore suo, atque ministro, quem ad tantam dignitatem eleuauerat, vt eum tantæ gentis principem faceret, & adhuc dicebat se facturum, vel constituturum illum in gentem maiorem, & fortiorem populo Hebraico, vt patet Num. 14. cap. & quod his omnibus quasi in infinitum maius est, eleuauerat eum ad tantum gradum, vt esset secretarius eius, & ei quandocunq; vellet loqueretur ei, vt patet Num. 7. cap. & in multis alijs locis. in hoc loco cũ magna quiete positus est Moyses non tanquam moriens, sed tanquam dormiens.

Esse inhumatum est maximũ infortunium.

B *Et non cognouit homo sepulchrum eius.* Posuit hoc Iosue, quia cùm Moyses non comparuit, putauit eum omnis Israël mortuum, quia ipse dixerat, quòd mandauerat ei Dominus, vt moreretur, & sciebat hoc populus, & cùm viderunt eum ascendentem sciebant locum in quem ascendebat, quia ipse dixerat quòd mandauerat ei Dominus ascendere in mõtem Nebo super verticem Phasga, & cùm viderunt non venientem inierunt aliqui de illis ad inquirendum in montem, vt eum honorificè sepelirent, & cùm eum diligentissimè quæsiuissent, nullatenus inuenire potuerunt. de quo dicit Iosue scriptor huius literæ, quòd non cognouit homo sepulchrum eius, id est quòd nullus de inquirentibus potuit eum inuenire, quia Deus occultauerat eum, ne eo reperto ad idololatriam mouerentur: hoc etiam Prophetice cognitum est: quia cùm constaret toti populo, quòd nullus inueniebat corpus Moysi, nullus sciret vbi esset sepultum, nec generaliter, nec specialiter, sed litera ponit de loco sepulchri Moysi saltem in generali, dicens: Et sepeliuit eum Dominus in valle terræ

C Moab, quòd ergo sepultus erat in valle terræ Moab contra Phegor erat aliqua cognitio Prophetica: quia fortè aliquis existimaret, quòd Deus transtulisset illud cadauer Moysi ad terram lõginquam ad sepeliendum, determinare ergo quòd fuit in terra Moab in valle contra phanum Phegor, erat aliqua cognitio Prophetica: determinare ergo quòd fuit in terra Moab in valle contra phanum Phegor Propheticæ cognitionis est.

Sed adhuc obijcies, quòd ad hoc non indigebamus cognitione Prophetica, cùm pateret ex dictis Moysi in præced. c. vbi dixit, quòd ipse sepeliri debebat in terra illa, vt patet in benedictione Gad, cùm dicitur: vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit in principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium cũ Israël: & expositum fuit hoc ab omnibus de Moyse, qui sepeliendus erat in tribu Gad, qui habebat illa confinia Moab.

Respondetur, quòd licèt constaret ex illis verbis, quòd Moyses sepeliendus erat in sorte Gad: tamen non constabat in qua parte, quia pars montis Galaad in quam Moyses ascendit, pertinebat ad Gad, & valles conterminæ: nesciebatur igitur an in collibus, an in vallibus sepelièdus foret, quòd autem dicatur sepultus in valle terræ Moab, determinatio est ad solum Prophetam pertinens.

Vsque in præsentem diem. Scilicet vsque ad diem in qua ista scripsit Iosue.

Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est. Ita quòd in ea die qua mortuus est compleuit istos annos, vt diximus suprà 31. c. *Non caligauit oculus eius.* Sed semper acutè vidit, quòd mirabile est in senibus: in quibus propter distemperiem complexionis perditur omnium sensuum viuacitas. *Et dentes eius non sunt moti.* In senibus tamen dentes, & molares cadunt, vt describit Salomon in miserijs senectutis Ecclesiast. cap. vltim. quando commouebuntur custodes domus, & mutabunt viri fortissimi, & otiosi erunt molentes in minuto numero: hæc omnia proueniebant Moysi ex præsentia Dei, quia moratus fuit cum Deo per 80. dies, vel secundùm aliquos per centum viginti, & non comedit, nec bibit sola Dei præsentia sustentatus, vt patet 9. c. & melius Exod. c. 34. Exinde habuit candorem, & cornutationem in facie, vt patet Exod. 34. c. Et habuit vires in omnibus membris, ita quòd eo anno quo mortuus est ad bellum processisset contra duos reges, scilicet Og, & Seon, vt patet Numer. 21. & 22. & 23. cap.

D

Quare dentes Moysi integri manebant.

Fleuerunt eum in campestribus Moab. Id est in eo loco in quo ipse prædicauerat, scilicet in Belsethin contra phanum Phegor, quia non mutati fuerunt de loco illo, donec planxerunt Moysen, & post locutus fuit Dominus ad Iosue, vt patet Iosue cap. 1. *Triginta diebus.* Quia tanto tempore mos erat apud Iudæos lugere viros honoratos: & sic fuit de planctu super Aaron, vt patet Num. 20. cap. super Iacob fleuerunt septuagintanouem diebus, vt patet Genes. vltim. cap. quia conditus fuit aromatibus, & in conditione transierunt quadraginta dies, vt patet ibidem. & manserunt triginta dies quibus fleuerunt eum post conditionem, corpora autem Aaron, & Moysi non fuerunt aromatibus condita, sed simpliciter sepulta. *Et completi sunt dies planctus lugentium.* Id est, in tempore illo non tractauerunt aliquid de populi ducatu, sed vacauerunt planctui: completis autem diebus planctus acceperunt Iosue in ducem. Et sic fit nunc secundùm consuetudinem Ecclesiæ, quia quando prælatus moritur, prius subditi complent exequias eius: deinde eligunt successorem.

E

Iosue verò. Hic ponitur secundum, scilicet successoris constitutio, & fuit confortatus à Deo, cùm dicitur: *Repletus est spiritu sapientiæ.* Sapientia est donum Dei, vt hic accipitur ad gubernationem populi subiecti. Et sic petiuit Salomon sapientiam à Deo ad populi regimen, vt patet 2. Paralipomenon cap. 1. *Quia Moyses posuit super eum manus suas.* Mandauerat enim Dominus Moysi, quòd poneret manum suam super Iosue, vt daret ei partem gloriæ suæ, id est partem auctoritatis suæ, vel partem sapientiæ suæ ad regimen populi, vt patet Numer. 27. cap. & ly, quia non dicit causalitatem, quia impositio manuum Moysi super Iosue, non fuit causa, vt Iosue impleretur sapientia, quia voluntas Dei fuit causa, & ante illam impositionem manuum erat spiritus sapientiæ in Iosue, vt patet Numer. 27. vbi dicitur: Tolle Iosue filium Nun virum in quo est spiritus Domini, & pone manum tuam super eum: illa autem impositio fiebat principaliter ad manifestationem, vt pateret eum ex voluntate Dei eligi, & potuit illa gratia data ante per manuum impositionem augmentari, quemadmodum in recipientibus sacramenta gratia præexistens recipit augmentum.

F

Et obedierunt ei filij Israël. Ista fuit confortatio ex parte subditorũ: non enim est modica confortatio, & laboris solamen, quòd subditi prælato benè obediant. *Fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi.* Mandauerat enim quòd post mortem Moysi Iosue esset princeps populi.

Et non surrexit. Hic ponitur tertium, scilicet Moysi mortui commendatio. *Et non surrexit vltrà.* Quia dictum fuerat, quòd Iosue repletus fuerat spiritu sapientiæ, crederet aliquis, quòd esset æqualis Moysi, ideo dicitur quòd non surrexit vltrà maior Propheta in Israël: vtrùm autem Moyses fuerit maximus Prophetarum, vel Dauid, diximus satis latè Numerorum duodecimo capite, hoc à quocunque dictum fuerit, siue à Moyse, siue à quocunque alio Prophetice dictum est, quia ad futuros Prophetas extenditur. *Sicut Moyses.* Dato, quòd dicamus Moysen fuisse maiorem omnibus Prophetis, tamen non patet ex hoc textu, quia hic dicitur, sicut Moyses, & est sensus, quòd Moyses habuit quandam excellentiam in faciendo opera mirabilia, & cognoscendo Deum facie ad faciem, quæ non fuit tantum communicata alicui aliorum Prophetarum in eodem gradu, sed non tollitur,

quin

quin alteri Prophetæ plura, & maiora mysteria reuelata fuerint, & sic vocatur communiter maximus Prophetarum Dauid. *Quem nosset Dominus facie ad faciem.* Id est, cui Dominus se facie ad faciem videndum ostenderet. Dominus enim quantum in se est omnes homines æqualiter cognoscit, sed non cognoscunt æqualiter Deum omnes homines: ideo licèt ponatur Dominus in recto, debet tamen intelligi in obliquo, & potest fieri hypallage, id est qui nosset Deum facie ad faciem. *In omnibus signis atque portentis.* Id est, cui Deus daret facere tot signa & portenta, quia licèt aliqui Prophetæ aliqua miracula fecerint, nullus tamen tot & tanta sicut Moyses.

An istud capitulum Esdras, tanquam historiographus potuerit scribere sine prophetica reuelatione.

QVÆSTIO IIII.

ALIQVI volunt, quòd istud capitulum fuerit scriptum ab Esdra, aliqui autẽ volunt, quòd fuerit scriptum per Iosue, & non per Moysen, quòd hic fit mentio de morte, & sepulchro Moysi historicè, quod non poterat ipse mortuus scribere. Sed ista ratio non valet, quia quicunque ista scriberet necesse erat eum Propheticè scribere, quia nemo poterat cognoscere vtrùm maior, vel minor Propheta aliquis postea surrecturus esset, nisi ex Deo reuelatum haberet. Et si hoc detur, etiam Moyses cognoscens ista Propheticè, sicut plura alia futura prædixit, ita ista prædicere potuit, & tanquam iam facta, antequam ascenderet in montem ad moriendum.

Posset autem aliquis dicere, quòd Esdras potuit hoc scribere non per spiritum Propheticum, sed tanquam rem iam gestam, quam ipse viderat, quia licèt non potuerit constare ipsi Iosue de Prophetis futuris, nisi spiritu Prophetico: potuit tamen constare Esdræ, qui fuit post captiuitatem Babylonicam, & vltrà tempus eius non fuerunt Prophetæ.

Respondetur, quòd adhuc non stat hoc, quia licèt verum sit, quòd non legamus Prophetas de Iudæis post tempora Esdræ: tamen ipsi constare non poterat, nisi Propheticè, vtrùm post eum maiores Prophetæ futuri essent. Item quia dicitur, quòd Deus sepeliuit Moysen in valle terræ Moab, hoc autem sciri non potest, nisi Propheticè, quia nullus hominum cognouit sepulchrum eius: ideo non poterat aliquis scire vtrùm Deus eum sepeliuerit in vertice Phasga, vel in valle, vel abstulerit inde corpus eius in regiones longinquas: ideo concluditur, quòd Moyses hoc scribere potuisset, sed communiter dicitur, quòd Iosue scripserit illud capitulum: sed dic, vt suprà dictum est.

Secundùm literam Hebraicam in isto cap. ponuntur 12. versus, & dicunt quòd quatuor versus primos scripsit Moyses, vsque vbi dicitur: Mortuusq; est, & octo sequentes scripsit Iosue. Sed non videtur maior ratio de primis quatuor, quàm de octo sequentibus: quia si Moyses primos quatuor scripsit, oportet quòd eos scriberet, antequam fieret, quod in eis dicitur: patet, quia postquam ascendit in montem nullus homo vidit eum, sed in istis continetur de ascensu in montem, & locutione cum Domino: si autem dicas, quòd scripsit eos antequam fierent, idem dici poterat de alijs octo sequentibus. Sed dicendum, quòd ista consequentia non valet, quia de primis quatuor versibus nõ est aliqua ratio, quare scripserit Iosue: de alijs autem sic, vt probatum fuit suprà.

Opinio Hebræorum.

Qui fuerant auctores sacri canonis secundùm Hebræos.

QVÆSTIO V.

SECVNDVM Hebræos isti fuerunt auctores sacri canonis, scilicet, Moyses scripsit quinque libros, id est Pentateuchum, siue Thorat. Et librum Iob, quia Iob fuit ante tempora Moysi, secundùm communem positionem. Iosue scripsit istud vltimum cap. Deuter. & librum qui vocatur à nomine suo Iosue. Et Samuel qui successit iudicibus, scripsit librum Iudicum, & Ruth, & duos primos libros Regum. Hieremias scripsit tertium & quartum libros Regum, & librum suum, qui dicitur Prophetiæ Hieremiæ, & lamentationes. Esaias librum suum scripsit, & Parabolas, Ecclesiasten, & Cantica canticorum. Librum Sapientiæ quidam dicunt Salomonis esse, sed Hieronymus in prologo eiusdem, & in libro de Illustribus viris dicit esse factum à Philone. Psalmos Dauid, & decem Seniores scripserunt. Ezechielem, Danielem, & 12. minores Prophetas, & Paralipom. Esdras scripsit. Ecclesiasticum Iesus Sirach nepos Iesu Iosedech. Esdram & Neemiam Esdras scripsit. Hesther auctor non reperitur, sed creditur fuisse Esdras. Tobias & Iudith solùm apud Chaldæos habentur: ideo de Chaldæo sermone assumpti sunt. Libri Machab. magis Græci, quàm Hebræi sunt, sed primus apud Hebræos inuenitur.

* * *

Expositionis literalis Alphonsi Tostati in Deuteronomium, Finis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA